ANTONII SANDERI ... FLANDRIA ILLUSTRATA, SIVE...

Antonius Sanderus

Digitized by Google

BOEKBINDERIJ
A. DE COSTER
ASSEBROEK
Tel. (050) 35221

Acc. 2257
R. 51A6

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT
900000162246

Digitized by Google

Digitized by Google

FLANDRIA
ILLUSTRATA.

Tribus Voluminibus diſtincta.

Digitized by Google

FLANDRIA
ILLUSTRATA.

Tribus Voluminibus diſtincta.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANTONII SANDERI

Presbyteri S. T. L. Canonici &c.

FLANDRIA ILLUSTRATA,

SIVE

PROVINCIÆ AC COMITATUS HUJUS DESCRIPTIO.

Comitum, uſque ad Carolum VI. Cæſarem ſeries Chronologica atque Hiſtorica; Urbium, Eccleſiarum, Abbatiarum, Monaſteriorum Caſtellorumque Icones & Topographiæ;

NEC NON

Epiſcoporum, Prælatorum, Abbatum, Decanorum, Caſtellanorum, Prætorum, Conſulumque, ad hæc uſque tempora continuatæ Series, Caſtellaniarum per Flandriam Cæſaream Franciam atque Batavicam partitiones; Nobilium Familiarum Stemmata, Virorum Scriptis, togâ ſagoque illuſtrium encomia, &c.

ACCEDIT ET

Hagiologium Flandriæ, ſive de Sanctis ejus Provinciæ.

Opus ex Diplomatibus Pontificum & Regum, Monaſteriorum Tabulis, aliiſque Documentis & Auctoribus probatiſſimis concinnatum.

Cum Figuris æneis.

TOMUS PRIMUS.



HAGÆ-COMITUM.


Proſtant BRUXELLIS,

Apud { CAROLUM DE VOS, ET JOANNEM-BAPTISTAM DE VOS. } Fratres.

M. DCC. XXXV.

Digitized by Google

Digitized by Google



ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO

HENRICO JOSEPHO VAN SUSTEREN,

XIV. BRUGENSIUM EPISCOPO,

PERPETUO ATQUE HEREDITARIO
FLANDRIÆ CANCELLARIO &c. &c.

ILLUSTRISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE.

HAud ita pridem Clariſſimi Viri ANTONII SANDERI Brabantiam illuſtratam novis typis evulgavi; Librum utique, quò rariorem, eò omnibus chariorem. Quod primum meum propoſitum cum Eruditis omnibus ac Patriæ ſtudioſis arriſerit, alterum ejuſdem Sanderi Opus

non

non minus rarum, denuo in lucem edere conſtitui. Hæc eſt *Flandria illuſtrata*, ſive ſacra & profana Comitatûs Flandriæ deſcriptio. Quæ Provincia, uti amænitate ſuâ ac potentiâ, Urbium vicinitate & elegantiâ, agrorum fertilitate, incolarum numero, Virorum togâ ſagoque clarorum multitudine, Brabantiæ non cedit, ſic & Hiſtorica ejus Topographia parem, quo prius Opus Brabantinum, confidit obtinere ſucceſſum.

Neque fuit mihi magnopere deliberandum, cui hocce Flandriæ Illuſtratæ Opus nuncuparem, quemve illi Patronum adſciſcerem. Siquidem Liber iſte omni jure eſt Tuus, & in Te uno, Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Domine, reſplendent omnia optimi Patroni inſignia; cujus partes ſunt, Artes atque Scientias ſeu ſacras ſeu profanas benevolentiâ complecti, ſtudioſos officiis proſequi, exemplo concitare.

Tuus eſt Liber, qui ſacram præſertim Flandriæ Hiſtoriam complectitur, atque imprimis incrementa Fidei Catholicæ, cujus depoſitum cuſtodiæ Tuæ commiſſum eſt, cum Te Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopum, regere Eccleſiam Brugenſem, magnam utique partem Provinciæ hujus vaſtiſſimæ, & antiquorum Comitum ſedem. Offert ſe Epiſcoporum Flandriæ inſtitutio atque ſucceſſio; quos inter, & conſecratione & ſenio primum tenes ordinem. Offert ſeſe plurimorum Monaſteriorum origo, atque Abbatum & Abbatiſſarum ſeries, quorum pluribus in conſecratione ſeu benedictione ſacras manus impoſuiſti.

Offert ſe plurium Capitulorum aliarumque Eccleſiarum inſtitutio, quorum magno numero Præſides, eorumque Immunitates & Privilegia conſtanti zelo pergis tueri. Offert ſe ipſa Diœceſis Tua Brugenſis quam uti ſponſam tuam tanto affectu diligis, ut ab eadem avelli nequaquam volueris; non ſolum forma Gregis tui factus, ſed & omnium totius Flandriæ Eccleſiaſticorum norma & exemplum.

Etiam *Flandriam* profanam illuſtrat hic Liber. Ideoque Tuus eſt, tuoque Illuſtriſſimo Nomini inſcribendus. Siquidem ratione Officii dignitati tuæ Epiſcopali annexi, primum in Flandria locum tenes. Etenim ex hoc Libro inno-

innoteſcit, quomodo *Robertus*, cognomento *Jeroſolymitanus*, Comes *Flandriæ*, *Præpoſitum Eccleſiæ S. Donatiani Brugenſis anno* 1089. *creaverit Cancellarium ſuum, & omnium ſucceſſorum ſuorum Comitum Flandriæ, cum abſoluta cuſtodiendi ſigilli authoritate, Magiſterio Notariorum, Capellanorum & Clericorum omnium in Curia Comitis ſervientium, atque ampliſſimâ per Flandriam juriſdictione.*

Quæ Prærogativæ ad ſequentes omnes ejuſdem Eccleſiæ S. Donatiani Præpoſitos tranſierunt; atque in Erectione Epiſcopatûs Brugenſis per Pium IV. Papam anno 1560, Præpoſitalis hæc dignitas neutiquam imminuta, ſed cum tota ſua integritate atque præeminentiis eidem Epiſcopatui fuit annexa atque unita. Hinc Te Illuſtriſſime Domine, non ſolum Epiſcopum, ſed & perpetuum atque hereditarium ſuum Cancellarium, agnoſcit Flandria ac reveretur.

Adjungere hîc liceat, quod ſingulari tuâ comitate ac benevolentia, quâ Lemma tibi propoſitum (UT PROSIM) ad amuſſim exequeris, non ſolum ſubditorum Diœceſis tuæ Brugenſis, ſed & omnium Flandrorum corda ſic rapueris, cunctorumque ora ita in laudes tuas converteris, ut plane injurius Tibi eſſem, ſi novum hunc *Flandriæ illuſtratæ* fœtum, alterius Nomini, quo Tuo, Præſul Illuſtriſſime, conſecrarem.

Labores tuos ſacros pro Eccleſia ſancta Dei, tum ante Infulas, tum in Epiſcopatu ſuſceptos, hîc non deprædico, quia de his agendi locus erit, Tomo II. hujus Operis, ad quem Hiſtoria Eccleſiæ & Epiſcopatûs Brugenſis referetur. Aſt me tacente, loquuntur omnes Diœceſani ac ſubditi tui; loquitur ſeminarium Epiſcopale per Te redintegratum; loquuntur ipſi parietes chori Eccleſiæ Tuæ Cathedralis, quos anno præcedente octo elegantiſſimis tapetibus, quaſi penicillo elaboratis nec non totidem picturis pretioſiſſimis munificentiâ plane regiâ condecoraſti.

Loquuntur Provinciæ Flandriæ incolæ univerſi, qui Te velut Epiſcopum ſuum ac Patronum omnes venerantur; dum Te, Illuſtriſſime Domine, pauperum Patrem, Afflictorum, Captivorum ac Morientium conſolatorem, totiuſque populi delicium agnoſcunt omnes, Tibique

Digitized by Google

bique unà mecum annos plurimos proſperos & incolumes apprecantur.

Dum igitur univerſum Belgium tuam ſuſpicit ac veneratur dignitatem, Ego Clientum tuorum minimus, eâ qua omnes foves benevolentiâ fretus ſupplex Te, Præſul Illuſtriſſime, interpello, Humillimè obſecro, ut hanc Flandriam illuſtratam Tibi tot titulis debitam, quam in Patriâ tuâ, quæ Te æquè ac Flandria tua diligit ac veneratur, Ego Conterraneus atque Concivis tuus, evulgare molitus ſum, Tuo patiaris illuſtriſſimo Nomini inſcribi, dicari ac conſecrari; non ut Nominis tui extendantur Limites, quod non unius Patriæ limitibus continetur, aſt longè lateque pervagatæ famæ indicio diffuſa eſt.

Sed unica mihi eſt gloria, ſcopus unicus, ſi quod in nova Flandriæ illuſtratæ editione adhibui ſtudium, Illuſtriſſimæ Veſtræ Gratiæ ſit acceptum, meamque erga Te obſervantiam reverentiamque teſtificari potuero.

Ego interea Deum Optimum Maximum indeſinenter rogabo, *& vota mea votis ſubditorum Tuorum* adjungam, ut Te, Illuſtriſſime ac Reverendiſſine Domine, Eccleſiæ ſuæ totiuſque Orbis utilitati diutiſſime Deus ſervet incolumem.

ILLUSTRISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE

Humillimus ac devinctiſſimus tuus
famulus & cliens

CHRISTIANUS VAN LOM,
Typographus Hagienſis, Hagæ-Batavus.

Hagæ Comitum 15. Aprilis
Anno 1731.

Digitized by Google

PRÆFATIO TYPOGRAPHI AD LECTOREM.

ANTONII SANDERI, *Viri in toto litterato Orbe celeberrimi, laudibus addidiſſe aliquid, decerpſiſſe eſt. Elogium ejus vitæque compendium, ex Bibliotheca Belgica Clariſſimi Viri Valerii Andreæ, alibi recenſitum fuit, in fronte Tomi primi Chorographiæ Sacræ Brabantiæ quam nuper edidimus: ſive Deſcriptionis celebrium aliquot in ea Provincia Abbatiarum, Eccleſiarum cæterarumque piarum Fundationum. Erat hic liber poſtremum pene Opus Sanderi, ab eo jam plus-quam ſeptuagenario exaratum, ac Bruxellis apud Philippum Vleugartium anno* 1659 *& ſequentibus editum; ideoque non ita numeris omnibus abſolutum.*

Author Opus illud evulgaverat quondam ſuis ſumptibus ſed cum Mæcenates immenſis ejus laboribus non correſponderent, ipſe tandem in ætate provecta, exhauſto per edendos libros patrimonio, quod olim admodum locuples fuerat: ægrè poſtremos vitæ dies tranſegit. Dignus ſane meliori ſorte Vir, ob præclara eruditionis ſuæ ſpecimina, impenſamque in elucidandis Belgii Antiquitatibus Operam diligentiamque non vulgarem æternâ dignus memoriâ. Tandem amicum ſenectutis ſuæ ſolamen invênit, in celeberrima Abbatia Affligemienſi Ordinis S. Benedicti, Bruxellas inter & Aloſtum, ubi perbenigno exceptus hoſpitio, ex hoc tranſiit ad Societatem civium ſupernorum, die 16. *Januarii* 1664, *anno ætatis ſuæ* 78.

Interim pleraque exemplaria primæ Editionis Brabantiæ ejus illuſtratæ, Bruxellis Tornacum tranſlata, fuerunt ibidem juſſu Senatûs Regii per annos plures ſequeſtrata. Atque ita factum: ut famoſi iſtius Operis vix tandem duodecim Exemplaria completa ſupereſſe noſcerentur. Hinc poſtmodum per celebrem Typographum Bruxellenſem Eugenium Henricum Fricx recens magno precio coëmpta fuerant, atque Bruxellas tranſvecta; Cum ecce ſupervênit anno 1695. *fatalis illa Urbis iſtius per miſſiles Gallorum ignes Conflagratio; in qua pleraque iſta Chorographiæ Brabantinæ Exemplaria, ſummo Eruditorum mœrore, Vulcanus & Mars Gallicus abſumpſére. Proinde quo rariora, eò fuerant facta cariora: ut ſubinde unicum Exemplar ducentis & ultra florenis noſtratibus venumdaretur.*

Digitized by Google

P R Æ F A T I O

Nova igitur Brabantiæ illuſtratæ Editio ſummo deſiderio expetebatur. Hæc anno 1726. curis ac ſumptibus noſtris prodiit, typiſque ultra comparationem elegantioribus, quaſi Phœnicem è cineribus redivivum exhibuit. Et quia hæc Eruditis placuiſſe viſa eſt, in animum adjeci, novam hanc atque conſimilem Flandriæ illuſtratæ Editionem adoriri. In qua una cum Tabulis Geographicis & Iconibus Urbium, Eccleſiarum, Cœnobiorum, Arcium &c. novo æri inciſis, præſentique eorum proſpectui adaptatis, Topographica quoque ac Hiſtorica eorumdem deſcriptio exhibetur.

Et quidem hoc habet Flandria illuſtrata, præ Brabantia ejuſdem Authoris, quod illa a Sandero, in flore ætatis ſuæ tunc conſtituto atque in ſuâ Canonicatûs Graduati Iprenſis reſidentiâ commorante, longè majoribus & accuratioribus curis fuerit elaborata, imo & ad ſingulos vaſtiſſimæ Flandrorum Provinciæ pagos vicoſque protenſa.

Fuerat quoque hæc prima Flandriæ illuſtratæ Editio longè ſupra pretium vulgare facta carior atque rarior: dum pene ſimilem ſortem cum libris Antonii Sanderi, quibus Brabantia illuſtrabatur, in Hollandia ſubiit. Siquidem Liber iſte, tametſi typos Coloniæ Agrippinæ apud Cornelium ab Egmond, & ſumptus Henrici Hondii, præ ſe ferret; editus tamen fuerat Amſtelodami in Typographia celeberrima Joannis Blaeuw, folio plane regio. Aſt anno 1673. Typographia hæc, adeo per Orbem univerſum æſtimata, cum omnibus Libris editis, omnique edendorum librorum ſupellectile, fortuito igne diſperiit; atque hos inter tota Flandriæ illuſtratæ congeries, exceptis Exemplaribus paucis, quæ jam ante inter Eruditos diſperſa, fatalem hanc ſortem feliciter evaſerunt.

Proinde ob horum Operum raritatem, Benevole Lector, benignè, ut confido laborem hunc meum ſuſcipies, quo æſtimatiſſimorum Sanderi Operum quaſi exuvias, ab ulteriore ruina ac totali interitu per hanc novam Editionem vindicavi.

Compilaverat idem Author plura alia Antiquitatis Belgicæ monimenta Prælo digniſſima. Si quidem ipſemet in Bibliotheca librorum ſuorum, quem anno 1657. in 4. evulgavit Brugis, teſtatur pag. 38. ſeſe ſcripſiſſe atque ad Editionem paraſſe ſequentia Opera, quæ ubinam lateant hactenus ignoro. Quod ſi tamen innotuiſſent eadem pari zelo unà cum aliis Sanderi Operibus topographicis evulgare ſtuduiſſem. Hæc autem hic lubens in gratiam curioſorum, ex præcitato Sanderi Catalogo recenſeo.

Gallo-Brabantia, ſæcularibus & Eccleſiaſticis deſcriptionibus, & celebriorum quorumdam in ea locorum Imaginibus illuſtrata, & in XIV libros diſtributa; *ad majorem Teutonicæ Brabantiæ Chorographiam prævia.*

Sche-

Digitized by Google

Schediaſmata MSS. Mechliniæ, ſive Chorographica Deſcriptio Urbis Mechlinienſis, ejuſque ditionis, *cum Imaginibus.*

Schediaſmata Antverpiæ MSS. ſive Chorographica Deſcriptio Urbis ac ditionis Antverpienſis, *cum figuris.*

Schediaſmata MSS. Lovanii, ſive Chorographica Deſcriptio Urbis, Academiæ & Agri Lovanienſis, *cum figuris*

Schediaſmata MSS. Bruxellæ ſive Chorographica Deſcriptio Urbis Agrique Bruxellenſis. *fig.*

Tornacum & Tornacenſium, *&c. ut ante.*

Gallo-Flandria, ſive Urbium Inſulæ Duaci, & Orchiaci Deſcriptio, cum Territoriis ad eas ſpectantibus *MSS. cum figuris.*

Schediaſmata MSS. Paralipomenon Flandriæ Theutonicæ, in duas partes diviſa, *cum figuris.*

Res Bertinianæ, cum Epitome Rerum Teruanenſium, & imaginibus *MS. Forte hic intellexit Sanderus Chronicum famoſum* Joannis Iperii *Abbatis S. Bertini, quod olim manuſcriptum in Bibliothecis ſummâ cum æſtimatione aſſervabatur; at tandem typis prodiit anno 1717. per PP. Benedictinos è Congregatione S. Mauri Pariſiis in Theſauro novo Anecdotorum Tomo III. pag. 424. Cæterum omnibus hiſce Antonii Sanderi Analectis deficientibus, eorum loco imprimis adjunximus novæ huic Editioni Flandriæ illuſtratæ, librum ejuſdem Authoris, cui titulus:* Hagiologium Flandriæ, *ſive de ſanctis illius Provinciæ, qui primum Antverpiæ anno 1625. dein auctior Inſulis Flandrorum anno 1639. prodierat. Addidimus etiam Libros Sanderi* de ſcriptoribus Flandriæ *ac ſingulatim de Gandavenſibus ac Brugenſibus eruditionis famâ claris.*

Item per modum Appendicis, ſeries Epiſcoporum Tornacenſium, ac Morinenſium ſive Teruanenſium, qui olim ante erectos XIV novos in Belgio Epiſcopatus, univerſam ſpiritualem Comitatûs Flandriæ Juriſdictionem inter ſe partiebantur; uti & Notitiam Abbatiarum cujuſvis Ordinis ac ſtatûs per Gallo-Flandriam, nec non Capitulorum Tornacenſis Cathedralis, Inſulenſis S. Petri, Duacenſium S. Amati & S. Petri, cum Catalogis Præpoſitorum, ac ſerie Doctorum in S. Theologia, Juriſprudentia, ac Medicina, qui Duacenſem Academiam, à ſua per Philippum II. Hiſpaniarum Regem Erectione uſque nunc illuſtrarunt.

Et ne quidquam ultra, huic novæ Editioni deeſſe videretur, ſeries Comitum Flandriæ, cum ſuis reſpectivè Iconibus, uſque ad hodiernum glorioſiſſimum Carolum *VI Cæſarem Hiſpaniarum Regem: nec non in ſtatu Eccleſiaſtico Flandriæ, ſeries continuatas Epiſcoporum Gandavenſium, Brugenſium atque Iprenſium, Præpoſitorum quoque Decanorum, Abbatum Abbatiſſarum; atque in ſtatu Civili Magiſtratuum, Prætorumque Catalogos, in ſingulis diſtrictibus ac Diœceſibus accuratè ſuppleri curavimus. Variaque*

Digitized by Google

que addidimus digna notatu, quæ vel priores Antonii Sanderi curas eſſugêre, vel poſt priorem Illuſtratæ ejus Flandriæ Editionem ibidem evenêre.

Interim ſi quid fortè novæ huic Editioni, erratum, vel minus accuratè dictum irrepſiſſet, proteſtatur Typographus, id ſeſe invito & inculpabiliter inſcio irrepſiſſe. Impoſſibile enim eſt, in tam vaſto Opere, adeoque diffuſa variarum rerum congerie, unum omnia ſcire poſſe, aut debere. Omnium memoriam habere, & in nullo penitus errare divinitatis potius, quam mortalitatis eſt*: ajebat Imp. Juſtinianus.*

Itaque inter tot præclara Volumina, per totum orbem Litterarium jam diſperſa ac ſummopere æſtimata, quæ Typis meis prodiêre, puta Sanderi, Butkenii Trophæa Sacra ac Prophana Brabantiæ, etſi ſcopus mihi hactenus ſemper unus fuit, idemque ſtudium, nemini eſſe moleſtum, neminem lædere, neminem circumvenire. Quidquid proinde in hac ſecunda Flandriæ illuſtratæ Editione pervolveris, Benevole Lector, ratum habe & gratum; & ſi quid forſitan notabile occurrerit emendandum, Typographo indica.

LECTORI

LECTORI CANDIDO
ΚΑΙ ΦΙΛΟΠΑΤΡΙ
S. D.
ANTONIUS SANDERUS.

CUm nobilis illa nuper, & religioſa Brabantiæ civitas, quæ priſco nomine Trajectus Moſæ appellatur, ſollicita prorſus, & acri à Batavis obſidione cincta, in eorum poteſtatem veniſſet: zelo quodam de Belgica bene merendi impulſus, in duobus ego ab inſtituto vitæ meæ non alienis, quæque, ſi vitam divina benignitas indulſerit, aliquando publico donare propoſui, hærebam argumentis. Primum de cauſſis, ac remediis tumultuum Belgicorum erat, lubricum quamvis, ac periculoſæ plenum opus aleæ: alterum de ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramento. Et quanquam poſterius hoc à viris ſapientia, & ſanctitate clariſſimis pertractatum eſſe non ignorarem, quorum cæleſtibus theſauris, & magnitudini, ſi tenuitatem meam conferrem, temeritatis non immeritò ac dementiæ redarguerer: quia tamen illud à me variis diſtinctum modis erat, eaque ratione tractabatur, ut non πολεμικῶς modò atque διδακτικῶς, ἐγκωμιαστικῶς etiam ac παραινετικῶς, ſed ἱστορικῶς quoque, atque ex hiſtoria multiplice depromptum eſſet, futurum ſperavi, ut aliquem Eccleſiæ Catholicæ, ac piis hominibus fructum adferret. Cum ecce à viris gravibus & eruditis (quorum auctoritati, judicioque refragari nolebam) monitus fui, crebraque adhortatione perſuaſus, aliquid ut de nobiliſſima Belgii provincia, patriaque mea, de celeberrimo, inquam, Flandriæ Comitatu eniterer, non typos ſolum ab Henrico Hondio (cujus pater Judocus Hondius in Flandria natus de re Coſmographica bene meritus in Bataviam per bellorum motus ſeceſſerat) pro eximio ejuſdem, in Flandros, ac liberales diſciplinas adfectu, ſed tabulas etiam Geographicas, & icones alias offerri, quibus non ab uſu ſolum, varioque fructu, ſed ab oblectamentis etiam, quæ præberet, & elegantia opus noſtrum commendaretur. Cæterum quamvis vel ad politicas diſſertationes, vel ad Theologica dogmata major mihi tunc animus eſſet, ſciremque non defuturos, qui livore, ac invidia concitati (ut hæc ſimilium hominum perquam feracia ſæcula ſunt) conatibus hiſce meis oblatrarent: præviderem quamvis etiam labores non modicos, & quas jam per ſeptennium ſuſtinui, cum ſumptibus magnis moleſtias non minores. Quin & ab alia parte moroſa mihi, difficiliſque quorundam hominum conditio ob oculos poſita eſſet: qui, neſcio, quibus acti ſuſpiciunculis, & læva bonarum rerum interpretatione decepti, vel ut Rempublicam curare videantur, minutis ſumptibus territi, vel alias ab hac humanitate & bonarum artium elegantiis alieni, ea negarent ſubſidia, per quæ publica paſſim patriæ & civitatum or-

Digitized by Google

namenta in lucem proferre poſſem, quibus eos conjungo, qui (quod inter turpia profectò cenſeri debet) vel propria ignorarunt, vel cum aliis habere famam noluerunt. Ea denique originum noſtrarum (ita Vulcanus antiquitatum ſpongia, mare urbium carnifex, alia temporum violentia res Flandricas attrivit) eſſet obſcuritas, per quam neceſſitate quadam

ἁμαρτάνει τι καὶ σοφοῦ σοφώτερος.

Quia tamen in his omnibus per eas antiquitatum noſtrarum ſemitas, & auctores proceſſi, Meyerum præſertim, veracem ac judicii plenum hiſtoricum, cujus de Flandria annalium opus

Troica vincet
Sæcula, & Euboici tranſcendet pulveris annos,

qui irrefragabilem non apud nos ſolum, ſed apud exteros etiam conſecuti ſunt auctoritatem: operi magno me accinxi. Candorem, ſtudiumque meum laudabunt boni; procul vos eſſe jubeo malignos, procul vos optimarum etiam rerum interpretes ſemper obliquos. Quis ſanæ mentis araneo flores, ſalubres viperis herbas objiciet? quidquid adtuleris, venenum fiet, non florum herbarumque vitio, ſed paſcentium indole ac natura. Pateant apiculis laborioſa hæc lucubrationum noſtrarum viridaria, per quas de amaris etiam mellificium erit, & ſuccus bonus. *Sapiet profectò quiſquis litterario labore non exiguum* Reipublicæ commodum proferre conatus, venenoſa illa calumniæ jacula, invidiæ morſus, obloquia ſciolorum, ineptaſque cum ſannis ſtupidorum cenſuras animis, factiſque bonis ſuperavit. Ita ipſa magnam veneni ſui partem malitia bibere cogitur. Feci id itaque, & quantum potui. Et quamvis non diffitear ab improbis hic etiam aliqua ad Reipublicæ damnum trahi poſſe, quæ ad commoda utilitatemque à nobis inſtituta ſunt, poſſe etiam fieri, ut in eorum aliquando noxam vertantur, quorum obſequiis ſervire debebant; non ob hunc tamen paucorum forte abuſum, omittenda illa fuere, quæ plurimorum uſibus bonis idonea ſunt. Valeret alioquin argumentum: abutitur ſcripturis hæreticus; tollatur ergo de Eccleſia verbum Dei. Abutitur omnibus Dei creaturis homo malus; univerſim ergo redeant in pulverem opera Dei. Nullum in quovis genere ſcriptum factumve tam bonum, quo non, ſi velit, aliquorum malitia abuti poſſit. Cæterum licet præcipuus mihi in hac ſcriptione fuerit ſcopus, ſacras & profanas civitatum, aliorumque locorum origines eruere, de ſoli bonitate, ac præſtantia tractare, de naturæ beneficiis, de territoriorum limitibus docere, quod ad Geographum ſpectat: de nobilibus tamen etiam viris, qui non decus ſolum patriæ, ſed præſidium adferunt, & munimentum, de familiarum antiquitate, de connubiis & adfinitatibus, de aulæ muniis per eas geſtis, de militaribus officiis, de poſſeſſionibus priſcis, ac latifundiis, de aliis denique patriæ nobilitatis ornamentis egi. Qua in re nolim quiſquam me gratiam auribus feciſſe exiſtimet, aut libertatem meam cuiquam quantumcumque magno obnoxiam reddidiſſe; amicus Socrates, amicus Plato: ſed magis mihi fuit amica veritas. Etiam non quæ dicta mihi, ſed quæ per veteres char-

chartas, & alia probæ fidei documenta aſſerta fuêre in medium attuli. Nec ideò tamen aliquos hic memoratos, aliis quibuſdam non memoratis digniores cenſeri velim; de aliquibus enim parum, de aliis nihil impetrare potui, non quod præclara familiæ decora illis deeſſent, ſed quod à me forſan illa non ſatis oportuno tempore petita fuerint, vel eadem per munimenta variis temporum injuriis deperdita non ſatis probarentur. Quæ porrò de ſitu, amplitudine, aliis Flandrici ſoli conditionibus in medium attuli, præter oblectationem, quam legentibus adferunt, in multis quoque ſunt utilia. Nec quiſquam inficias ibit, quin magnopere cumprimis regum ac principum, eorumque omnium, qui ditiones ac provincias moderantur, interſit hæc omnia habere explorata, ditionis etiam ſuæ ac territorii fines exactè ſcire, quodve jus illis defendendis prætendere poſſint, ſi quando hac in re controverſia aliqua exorta fuerit. Jubet quippe ſanctus Juſtitiæ rigor, unumquemque intra terminos ambitumque proprii dominii ſe continere, nec vicinorum latifundiis ſive vi, ſive dolo malo ingerere. Hinc ab omni temporum memoria, certis quibuſdam limitibus apud gentes, & nationes omnia circumſcripta fuere, qui partim naturali ſigno, ut fonte, flumine, ſylva, monte, ſaxorumque congerie, partim rebus manu factis, ut ſtatua, columna, ponte, ædificiis, muro, & id genus aliis conſtabant. Idipſum quoque Romanis rerum dominis olim curæ fuit, qui ſubjugatum virtute ſua orbem totum, qua terra protenditur proprio limite ſignaverunt. Ejuſmodi Provinciarum limites jus publicum Marchias vocat; qualis eſt Marchia Brandenburgenſis, Marchia Stiriæ, Marchia Moraviæ, Marchia Badenſis, &c. Unde Marchiones etiam, id eſt, præfecti limitanei ſunt dicti. Sic & florente Republica Romana Imperatores per præſides, præfectoſque ſuos provinciales, rationaria imperii, & provinciarum notitiam exigebant. Ex quibus præter alia commoda, plerumque divitias, & cenſus regnorum æſtimabant, cognitaque regionum qualitate, ad moderationem (cum boni paſtoris ſit tondere pecus, non deglubere) vectigalia, cæteraque Reipublicæ onera conſtituebant. Ex illis quoque hominum mores, & ingenia cognoſcuntur. Unde princeps compoſita ad æqualitatem Republica in certas ordinum claſſes populum diſtinguere poſſit. Sunt qui ad militiam à natura feruntur, ad exercenda mercimonia alii, ad artes manuarias quidam, ad liberalia quoque ſtudia non pauci: *nec voto vivitur uno*. Hæc verò tam concors diſcordia optimam in Republica formam ponit, qua nihil in hac mortali vita optare licet beatius. Ob has itaque cauſſas ſicut de moribus hominum, & terrarum qualitate, ita ſummatim, de vicis, pagis, oppidis, caſtris, caſtellis, arcibus, municipiis, urbibus, territoriis, ipſa denique ditione ac provincia egi. Cum autem illa ſæpius hic à me repetita vocabula non in proprio ſemper, ac genuino ſenſu acceperim, ſed prout nunc eorum promiſcuus uſus eſt, non erit παρέργον, ſi quomodo ea apud priſcos, mediique temporis ſcriptores uſurpata fuerint, hic intelligamus.

QUID VICUS.

Vicus ergo dicitur locus, ubi aliquorum cohabitantium ædes ita diſpoſitæ ſunt, ut via ſit intermedia, qua tranſitus patet. In vicos autem tanquam in minora membra, ac regiones tanquam majora urbs olim diviſa fuit. Dictuſque vicus, quod

Vide Cic. pro Milone. Roſ. Lib. 1. antiq. c. 12. Vide Feſt.

De Verb. ſignif. Var. l. 1 de ling. lat. Vide Tholo. l. 2. de Rep. c. 1. num 4. Vid. Ang. p. 2. de fœd. Han. Civitat. Stewic. in Com. ad Veget. l. 1. cap. 3.

vias circum haberet. Germani verò id dixere wyck, quaſi alter alteri, dum per id ſpatium tranſit, commodè cedere, id eſt wycken/ poſſet. Sic & vicinus dicitur is, qui vel in eodem vico cum ſuis, vel certè non procul ab eo habitat, ut ejus frequentia uti poſſimus. Sic & Varroni vicus dictus, quod in eo ex utraque parte viæ domus certis ſpaciis diſtinctæ ſint.

VILLA.

Porrò *villa* modica congeries domorum erat, in quam convehebantur fructus, quaſi *vehilla*. Unde & *villanus*, qui conditioni colonariæ addictus in villa habitat: & *villicatio* ipſa negotiatio ruſtica, uti apud Columellam lib. 2 diſcimus.

ARX.

Arces autem eorum erant, qui principales in ducendis familiis loca ſua munire præ cæteris vallo ſolebant, aut ſepibus, ut ad vim propulſandam ex iis tutiores eſſent. Sic *arx* ergo dicta ab arcendo.

CASTRUM.

Caſtrum verò munimentum præſidiariorum, qui excubias agebant, ſi locum non tutum putarent. Ubi etiam caſtè illis, & temperantur vivendum erat; ex quo caſtra, quaſi caſta appellari volunt. Et Iſidorus lib. 9 Orig. cap. 3, *Caſtra*, inquit *ſunt, ubi miles ſteterit: dicta autem caſtra, quaſi caſta, eo quod ibi caſtraretur libido.* Nunquam enim iis intererat mulier, ut eo munere cuſtodiæ rectius abſque fallacia fungi poſſent. Et Tacitus lib. 2 annalium, Juvenem ait urbano luxu laſcivientem melius in caſtris haberi. Sic perpetuo ſcriptores militarem caſtitatem & caſtrenſem notant, tanquam firmiſſimum diſciplinæ & fortitudinis vinculum. Et maxime Germani ab omni laſcivia & luxuria aberant, vivebantque parcè ac duriter. Caſtrum autem villam muratam dici poſſe Latinis auctor eſt *Tholoſanus* lib. 2 de Republica cap. 1, num. 7, ſi caſtæ & villæ antea ruſticæ concludantur, ut illarum concluſio vallo vel muro facta vicum magnum concluſum determinet: at vicus parvus *Caſtellum* dicatur.

CASTELLUM.

Idque fiebat maximè in agris & pagis limitaneis; quo loci tantum milites caſtris & Caſtellis præerant, non alii; donec productis finibus principatus caſtra etiam aliorum habitationi ceſſerunt. Maxime autem caſtra vallo cingebantur in planitie, & *Vallum* nihil aliud eſt, inquit Tholoſanus dicto libro, quam propugnaculum & munitio caſtrorum, quod ex vallis, id eſt, palis fieret.

VALLUM.

PAGUS.

Cæterum ut de pagis etiam aliquid in medium adferamus: *Pagus*, inquit Angelius eodem libro, *eſt receptaculum ſocietatis politicæ ex duobus vel pluribus vicis collectæ*, abſque munitionibus & muro, ſuntque nihil aliud, quam ruſticanæ domus in unum coagmentatæ abſque munitione ſufficienti: vox pagi maxime hodie ita accipitur, quamvis olim ejus longè alia ratio fuerit, cum toti diſtrictus & præfecturæ ad pagi conſtitutionem relatæ ſunt.

Lib. 1 de bello Gall.

Velut in antiquo Saxonum regimine id clarum eſt, & Julius Cæſar indicat de Helvetiis. Sunt autem pagi, ut Feſtus atteſtatur, dicti à fontibus, quod eadem aqua uterentur. Aquæ enim fontes lingua dorica παγαὶ appellantur. Inde etiam pagani à pagis dicti. Quamvis latius vocabulum accipiatur apud Juriſconſultos, ut is vocetur paganus, qui non ſit miles, & non militiæ teneatur ſacramento; receptius tamen eſt paganum dici omnem, qui eſt privatus, ruri vivens, à villa ita vocatus, quod juxta Servium circa fontes villæ condi ſolebant, ſicque paganos dictos quaſi ex eodem fonte bibentes. Itaque pagani propriè militibus opponuntur, ut togati ſagatis, cinctiſque. Sunt autem ruſtici à pagis appellati, quod domi ad ruris culturam,

ram exercendam, & neceſſaria vitæ procurandum, relinquebantur: quia verò pagus locus erat in quo ruſtici propter commoditatem alicujus fontis convenerant: nomen hoc poſtea ad omnem ſocietatem politicam ex duobus vel pluribus vicis conſtantem traductum eſt. Cum verò iſti homines ita ſuperſtitioſe gentiliſmo addicti viverent, ut vix inde retrahi poſſent, pagani Eccleſiaſticis ſcriptoribus ſunt, qui Chriſti pietatem non colunt, & ita ſumuntur *in Rubr. c. de pag.* ea nempe ratione, qua Chriſti non ſunt milites. Nam in hoc poſteriori ſignificatu nomen paganorum uſurpari cœpit ſub Conſtantio Conſtantini M. filio Imperatore in Oriente, qui circa annum Chriſti 337 Imperator factus eſt. Hic enim milites non Chriſtianos exauctoravit, & in pagos remiſit. *Oppidum* vero licet quidam cum urbe confundant, multis tamen nominibus ab ea diſtat. Ex vicis olim & pagis minimè longo labore fiebant oppida, at non tam brevi urbes, quæ ſic Teutonica dictione Stedten vocantur, vel Stadt/ quod ſtabilem iſtic, ac firmam ſedem populus ſua frequentia poſuiſſet. At oppida ſuccurſus cauſa erant, ut opitulationem in principali ſtatione inde acciperent. Sic & à Juriſconſultis oppidum dictum, quod opem ferret, & quod munitur opis cauſſa, ubi ſint, & quod opus eſt ad vitam gerendam ubi habitent tuto. Vel oppida quod opere muniebant mænia, quo munitius eſſent: ideo enim & civitates muris cinguntur, ut ipſarum ope hoſti reſiſtamus, & ab incurſionibus hoſtium, aliiſque malis tuti ſimus. Hanc opem ipſa oppida etiam Romæ ferunt. Munitum quippe à tergo hoſtem relinquere, & ipſam urbem invadere tutum non eſt. Oppidum porrò à villa, ſeu vico pagoque ita diſtinguitur, quod villa muris non circundatur, ſicut oppidum, quod ad jura tamen, uſumque, officia, ac cæteras urbis prærogativas non accedit, quæ receptaculum eſt Societatis civilis, ex vicorum pagorumve, aut oppidorum multitudine conſtans: communibus munimentis, ſecuritate, & ornamentis publicis, ac privilegiis exornata, ut Cicero loquitur. Cæterum variis etiam modis *Civitatis* nomen uſurpari ſolet. Etiam pro republica. Pro populo ſumit Tullius in ſomnium Scipionis, quod ſit concilium, cœtuſque hominum. Alii urbem & ædificia Civitati dedita opera abſtrahunt. Alii ſub ejus notionem urbem & populum abſque Reipublicæ forma contrahunt & concludunt. Ab aliis pro jure civium accipitur, ac libertate, qua cives utuntur. Unde dicebantur olim civitate Romana donari. Vocatur etiam civitas, quæ habet Epiſcopum, ut 80 diſt. in illis & ſeqq. ut autem communis hodiè fert loquendi uſus, pro mœnibus duntaxat, & ædificiis civitas uſurpari ſolet. Porrò *metropolis* dicitur quaſi mater urbium, duplicem ob cauſam. Primò quod coloniæ ex hac in alia loca tanquam filiæ deducantur, dicta à μήτηρ, & πόλις. Deinde quod vel caput provinciæ alicujus referat. Itaque vel ratione originis, quod ſuas haberet colonias, vel directionis, quod præeſſet reliquis, vel defenſionis, quod propugnacula præſtaret aliis, vel honoris, quod eſſet præcipua, & communi ſorti exempta, hoc nomen conſequitur. Talis metropolis in Judæa erat Silo Samariæ, & Hebron, poſtea Jeruſalem. Apud Romanos erat Roma, poſtea Conſtantinopolis. Apud Græcos Athenæ. Apud Germanos ſeptem fuerunt olim: Moguntia, Colonia, Treviri, Magdeburgum, Salisbur-

[Margin: QUID OPPIDUM. — URBS. — Varro l. 4 de lingua latina. — l. 1. de Rep. — CIVITAS. — METROPOLIS. — Joſ. ii. Sigon. l. 1. de Rep. Hebr. cap. ult.]

burgum, Brema, & Riga; quarum Epiſcopi quoque, propter præeminentiam & inſpectionem illis attributam, Archiepiſcopi dicuntur. Atque inter hos iterum Archiepiſcopo Magdeburgenſi primatus & juriſdictio in omnes Germaniæ Archiepiſcopos attributa fuit. Sed hæc de Metropoli. Supereſt ut nunc etiam aliquid de latiori acceptione pagi, deque territorio, ac provincia dicamus. Licet Germani inter Europæ populos antiquiſſimi ſint, tamen in urbibus conſtituendis poſteriores fuerunt, quum in fortitudine abſque ſplendore ſemper per aliquot ſæcula vixerint. At ne regnum eorum eſſet abſque ordine, & diſcretione certa, in pagis diſtributi vitam tranſigebant. Erat autem pagus tractus ſive diſtrictus unius ditionis, aut præfecturæ, vel regio quædam, adeoque populi alicujus pars. Germanis veteribus eyn Gow/ unde Gewgraf/ hodiè corruptè Gograef/ præſes pagi vel regionis alicujus. Helvetiis eyn ort/ communiter eyn pflage/ ſeu plaga, Revier/ ſeu rivus; ſtrickt/ ſeu diſtrictus. Saxonibus Magdeburgenſibus eyn berde locus planus & uber. Etymon nominis, affirmante Henrico Bebelio in Spicilegio cum quo facit Georgius Fabricius commentario ad poetas Chriſtianos, à fontibus, ut ſupra indicatum. Unde & accolæ pagani dicti, eadem voce Auguſtino, Oroſio, & aliis patribus appellati gentiles, quod apud fontes ſacra peragerent, quemadmodum iidem Germanis Heyden/ quod in ericetis ſacrificarent. Moris autem fuit tam Saxonibus, quam reliquis Germanis, quoties loci alicujus ſitum exprimere volebant, deſcribere, in quo pago, ad quem fluvium is ſitus eſſet, & pagus in quo comitatu. Hic in diplomate Henrici IV pagus Angeri collocatur in comitatu Ottonis ducis. Erat enim tota etiam Saxonia in comitatus diviſa, quorum dynaſtæ, vel regum Francicorum, vel poſt, Cæſarum Saxonicorum, aliorumque ipſis ſuccedentium Auguſtorum nomine jus per pagos dicebant, ipſi in burgo aliquo, id eſt oppido arcem impoſitam habente reſidentes. In quo *mallus publicus*, id eſt, auditorium & Tribunal eſſet. Non autem paris fuere magnitudinis hi pagi; ſed alii aliis porrectiores. Appellatio uſurpari deſiit circa annum Chriſti M. C. cum pagi in Ducatus, Lantgraviatus, & Burggraviatus migrarent, ac hæreditario jure poſſideri inciperent. Spangenbergius *in Chronico Querfurt. cap. 2, lib. 1. & Erneſtus Brotuſſius in Marsburg. lib. 1, c. 4*, conjiciunt juxta computationes pagi Gyſtelæ, ubi nunc Marsburgum exſtructum eſt, quod in lata ſignificatione XXIV vici unum conſtituerint pagum minorem. Sed dein *teſte Kinch de Jure Territ. cap. num. 127*, conceſſit in latiſſimum ſignificatum, ut ſumeretur pro regione, tractu, ditione, territorio, agro, marca. Poſtmodum *Landvogtiam* dixerunt Alemanni. Hinc poſtea inter ipſos pagos talis fuit diſtinctio interjecta, ut alii minorum, alii majorum gentium dicti fuerint. Seu iſti fuerunt Alemanniæ, Belgii, Rhetiæ, Curienſis, Alſatiæ, Auſtriæ. Sic Auſtria in diplomate Ottonis III vocatur pagus Bojariæ. Avent. l. 5, *Flandria* dicitur pagus totalis, atque in ipſa Flandria *pagus Felthem*, ac *Menapiſcus pagus* in Capitulariis Caroli Magni pro Flandriæ comitatu ſumitur. Sic totum Belgium frequentius inferioris pagi nomine indigetatum fuit à ſitu, quod nulli fermè montes in eo ſint, & fluvii prono curſu in mare ferantur. Sic pagus tota Haſſia dicta fuit. Sic pagorum in Miſnia trium, Niſeni,

PAGUS OLIM.

Videndus Angelius parte 2. Rerump. Hanſeat.

Idem in Eccleſiæ Martyrologiis videre licet.

Vide Laz. de migrat. Gent. l. 8. Laz. comment. Reip. Rom. lib. 12.

Digitized by Google

ni, Dalamincii, & Glomaci Ditmarus mentionem facit. Sclavonia ampliſſima in duodeviginti pagos diſpertita fuit. Quos rectè enumerat Meybomius in tractatu de pagis antiquæ Saxoniæ. Antiqua enim Saxonia, ut gentes plurimas continebat, ita maximè in pagos majores, & minores diſtributa fuit; ut idem Meybomius recenſuit quamplurimos, quorum nomina prima exoleta, aut penitus corrupta ſunt, quum facies totius Germaniæ ab eo tempore toties immutata fuerit. Julius Cæſar ſcribit Helvetiam totam in quatuor pagos diviſam fuiſſe. In qua veſtigia quidem pagorum adhuc ſuperſunt minorum gentium. Unde hodie tredecim numerantur: 1 Tigurini, 2 Bernates, 3 Lucernates, 4 Vrani, 5 Suitenſes, 6 Underwaldi, 7 Tugiani, 8 Glareani, 9 Baſilienſes, 10 Solohurii, 11 Friburgii, 12 Schaffhuſani, 13 Apezellenſes. Qui arctiſſimo fœdere inter ſe conglutinati cohærent, & æquali jure utuntur, ut ita communem æqualiter adminiſtrent Rempublicam. Similem prope formam hodie etiam in confœderato Belgio cernimus; ſed pro moderna loquendi forma *unitas* dicunt *Provincias*. Ita ex mutatione rerum, ſtatus quoque ſumuntur vocabula, quæ pro temporis uſu & ratione rem exprimant. Hæc de pagis eruditè præfatus Angelius. Poſtquam autem ditiones cum commiſſionibus in populos ex benignitate maximè Imperatorum tranſierunt in aliquem hæreditatis modum, ut qui officiis, ac dignitatibus præfuiſſent, cum terræ ejus parte, in qua dominium & juris cognitionem ſeu Comites exercuerant, in hæredes ſuos poſſent tranſmittere, inde quoque majoris auctoritatis vocabula, ut eo magis eſſent cum ſtatus mutatione in obſervantia apud ſubditos, ſibi ſumpſerunt & mutuati ſunt. *Ditionis* vox maxime Latinitatem redolet, à dito deſcendens, ac ſignificat poteſtatem & imperium. l. 2. § capt. ff. de orig. juris. Huic cognatum eſt nomen *diſtrictus* à diſtringendo, quod in feudalibus libris pro coerceo ſæpe ſumitur, ut in capitulariis Caroli Magni. Interdum quoque pro Territorio uſurpatur. Ita diſtricto idem eſt ac præciſo, & omnino ſe res ita habet l. 7. § 5. ff. de min. & l. 13. ff. de procur. Unde diſtrictus, ſeu diſtrictio, ita à Juriſconſultis definitur, quod ſit coercendi poteſtas, ſive juriſdictio, quæ magiſtratui cum imperio mixto intra certæ regionis, ac territorii fines conceditur. Sic juris poteſtas cum regionis aut certa terræ parte in diſtrictu connectitur: quamvis Saxones voce Strich tractum quendam terræ loco certo aſſignarunt, qui ea locutione determinatus fuit.

[Margin notes: lib. 4. — l. 1. de bell. Gall. — QUID DITIO. — DISTRICTUS.]

TERRITORIUM. Territorii autem etymon triplici modo conficitur. Namque alii à terra, quam Varro ab eo dictam vult; quod teratur, quaſi tera ſit, ut in augurum libris ſcriptum invenitur. Alii, ut Siculus Flaccus, à terrendo, quod ab agris occupatis terrerent hoſtes. Alii, ut Iſidorus, *Territorium* quaſi *Tauritorium* vocatum ajunt, id eſt, tritum tauris, vel à bobus & aratro, quaſi *Terribovium*: opinante Catone in Orig. lib. 5: quandoquidem olim poſſeſſionum territoria limitibus deſignabantur. *Luc. de penn.* 1. 53. *num.* 2. *c. de decur. lib.* 10. Ubi verò non excoli potuit, ſicuti loca ſylveſtria, paludoſa, ſaxoſa, montoſa, & ſterilia, nullis neceſſe fuit limitum regulis obligari. Hinc in legali diſciplina ſumitur pro univerſitate agrorum. Nihilominus etiam huic annectitius *terrendi*, quod magiſtratus inter ſuos fines hoc exercuerit

 l. pu-

l. pupill, § *Territ. ff. de v. s.* hinc Flaccus *de cond. agror.* inquit: Bellis geſtis populi victores terras omnes, ex quibus victos ejecerunt, publicè atque univerſaliter Territorium dixerunt, inter quos fines jus dicendi eſſet. Itaque Territorii vocabulo intelliguntur ii, qui intuitu Juriſdictionis terreri poſſunt. Jus autem illud terrendi, id eſt, poteſtatem dicendi jus vel adminiſtrandi juriſdictionem, Romani per magiſtratus ſuos expediebant: quod poſtea conſtituta Monarchia, & tranſlato imperio, aliam quoque cum mutatione dignitatum, pro more cujuſque ſæculi, figuram pedetentim induit, non verò incommodè hodie ad limitata territoria referuntur Dynaſtiæ, Baronatus, Comitatus, & his ſimilia.

Quod autem ad provinciam attinet: ejus uſus & nomen maximè Romanis proprium fuit; quod ex ipſa vocis hujus etymologia apparet. Namque inde, inquit Feſtus, appellantur *provinciæ*, quod populus Romanus eas *provicit*, id eſt, *ante vicit*. Alii quaſi *procul victas* volunt. Sed poſtea factum, ut non tantum eas regiones, quas debellarant penitus, & ſubjugarant, provinciarum nomine ſalutarent: ſed etiam in quibus Imperator Romanus publico nomine bellum adminiſtrabat. Attamen non omnes regiones, civitates, & populos, cum quibus Romanis res fuit, eadem ſubjugationis duritie tractarunt; ſed prout ſe adverſus populum Romanum geſſerant, ita pro ſuis quiſque meritis leges accepit: ac ne vincendo prodigerent jus ſuum, ſanè non ſine maturo conſilio, certam cuique loco & regioni gratiæ aut pœnæ conſtituebant portionem. Etenim cum omnis beneficii ac honoris arbitrium eſſet penes Senatum, Imperator, aut Adminiſtrator belli tenebatur de ſuperatis hoſtibus, atque regione in poteſtatem adducta, omnia integrè litteris explicare Senatui: tum hic ipſe de mulcta ac præmiis eorum, qui victi erant, ſecum conſultabat, ac, quid ſibi placeret fieri, Imperatorem admonebat, decem aut quinque legatis Senatoribus ad eum miſſis, ut ex eorum ſententia, de hoſtibus, & eorum regione, aut civitate ſtatueret. Quibus mandatis acceptis, Imperator aut ex certa Senatus, ſi ita præſcriptum fuerat, voluntate, aut de communi decem legatorum ſententia, victis gentibus vel ignovit, aut in provinciæ formam redegit. Quibus culpa ignoſcebatur gentibus, libertate donabantur, relicto jure conſtituendi magiſtratus juxta propriam conſuetudinem, juxtaque leges Autonomicas, attamen ut tributum certum exſolverent. In provinciæ autem formam illa redigi dicebatur terra, cujus incolis Imperator omnes adimebat immunitatis leges, magiſtratui Romano, quotannis ab urbe mittendo, eos plenarie ſubjiciens, ac vectigalia conventuſque conſtituens, interdum etiam alias imponens ſervitutes; qua ratione ſimul & jure magiſtratus ſui ſpoliabantur. Qua de cauſſa in ſingulis provinciis diverſæ diœceſes, ſive diverſi conventus, atque diverſa fora conſtituebantur, eiſque ſuæ civitates attribuebantur, quæ eo juris à Magiſtratu Romano poſcendi cauſſa convenirent. Ex quo intelligi poteſt univerſam provinciarum rationem fuiſſe, ut vectigalis eſſet atque magiſtratui Romano, populoque obediret. Quæ penitus in ſervitutem redactæ erant regiones, aut civitates, ſtipendiariæ; quæ aliquid penderunt Romanis, immunes: quæ libertate donatæ, fœderatæ præcipuè

PROVINCIA.

Digitized by Google

puè appellatæ ſunt, ſed ſic ex fœdere quid debebant. Liberæ autem dicebantur, quæ nihil omninò ſolverent. Sed tamen provincia nulla fuit, quæ non Romanum prætorem, ac quæſtorem habuerit: illum, qui jus diceret, hunc qui vectigalia, & penſiones procuraret; nec non & ipſarum provinciarum duplex hinc diviſio fuit. Nam ſtante Republica aliæ conſulares, aliæ prætoriæ fuerunt. Imperio verò conſtituto, aliæ populi Romani, aliæ Cæſaris factæ ſunt. Provinciæ Conſulares erant, quæ ab iis, qui in urbe conſulatum geſſerant conſulari imperio obtinebantur, & proconſules dicebantur. Idem etiam in prætorianis provinciis ſic ſe habet. Et quum officia provincialia maximè eſſent proficua, adeò ut quotidiè novas comminiſcerentur munerum mutationes, legationes, miſſitationes, quas agnatis, conſanguineis, adfinitate propinquis, aliis identidem alias deputarent; factum hinc tandem eſt ut iſtiuſmodi provincialia munera vulgò ab acutioribus in proverbium traherentur, quodvis proficuum munus *Provinciam* appellando. Quod facile colligere eſt ex Roſino, tale quid etiam innuente, ubi de Comitatu adjutorum agit. Hinc quaſi tertia ſignificatio provinciæ adjecta eſt, quæ ab adminiſtratione provinciæ deſumitur, ita ut tale munus determinet, quod ſit cum inſigni lucro, & dignitatis exiſtimatione conjunctum. Quid olim itaque fuerit, & quid ſit modò vicus, villa, pagus, opidum, urbs, civitas, territorium, ditio, provincia, ex Angelio diſcimus. Ex quibus etiam quomodo eadem à nobis non uno ſemper ſenſu in medium allata ſint, manifeſtum evadit. In quorum omnium vel chorographico charactere, qui minora loca complectitur, vel geographico, qui ampliora: id à nobis majore ſtudio obſervatum eſt; ut viarum compendia & itinerum lineamenta (etiam quorundam, quæ à Romanis facta, & ob præcipuum in militia uſum militaria appellata ſunt) tum in deſcriptionibus noſtris, tum in accuratis ditionum ac Caſtellaniarum tabulis, quas ſingulari induſtria & artificio per ſuos calcographos Henricus Hondius excudit, quod maximum cum eximia oblectatione uſum habeant, à plurimis noſcerentur. Sane ſi quid toti provinciæ commodum eſſe poſſit: dicam amplius, ſi quid ad antiquam majeſtatem, & ex mercimoniis quæſtum eam reducere: erit illa publicorum itinerum notitia, & ubi defectum paſſa ſunt, inſtauratio, etiam per ſilices & glaream pluribus in locis (ſumptuum impendia ſecutura mox utilitas compenſare) ut per Romanos olim in militaribus viis maxima cura factitatum. Profectò ſummum illi genti (quæ omnes inter orbis univerſi nationes præſtantiſſima, & ad Imperium generis humani nata fuit) erga vias, & itinera ſtudium fuiſſe, Romana nos paſſim hiſtoria docet. Meritò, cum per hæc militarium præſertim viarum beneficia, quidquid per quatuor anni tempora Tellus progigneret, quidquid per omnes tum cogniti orbis regiones, per maria, flumina, lacus, proveniret, quod ingenioſa Græcia, quod Babylonica acus, quod alia Barbarorum induſtria contexeret rarius excellentiuſque, ad urbem Romanam commearet. Earundem viarum beneficio fiebat, ut orbis totus in unam mutatus urbem videretur; cum ad eam tanquam ad ſcopum, & caput univerſi ex omni terrarum ditione res homineſque venirent. Pulcrè id innuit Rutilius Gallicanus de Roma loquens:

Vide Roſ. de Antiq. Rom. lib. 7, c. 42.

l. 7. cap. 42.

Quam utilis Reip. ſit Itinerum publicorum cura.

Itinerarii auctor.

Feciſti patriam diverſis gentibus unam.
Profuit injuſtis, te dominante, capi.
Dumque offers victis proprii conſortia juris:
Urbem feciſti, quod prius orbis erat.

Conſiderate hanc civitatem, ait Seneca, *in qua turba per latiſſima itinera ſine intermiſſione defluens eliditur, in qua conſumitur, quidquid terris omnibus aratur.* Impulit nimirum ea cauſa Trajanum, ut non ſumma tantum diligentia veteres iſtas vias, aliorum fortè neglectu collapſas, repararet, ſed novas etiam, ut mox videbimus, conderet. De eo ſic Plinius in Panegyrico. *Nec verò Civilius Pompejus, quam parens noſter auctoritate, conſilio, fide recluſit vias, portas patefecit, itinera terris, littoribus mare, littora mari reddidit, diverſaſque gentes ita commercio miſcuit*, ut quod gentium eſſet uſquam, id apud omnes natum eſſe videretur. Porrò alia per vias militares utilitas erat, quod exercitus per eas ducerentur, arma & impedimenta alia bellica veherentur, merces etiam, & quidquid alioquin uſibus humanis neceſſarium erat. Per eaſdem nova ab extremis Imperii finibus Romam parvo tempore deferebantur, parique modo ab urbe ad extremos eoſdem imperii limites. In illis enim viis variæ manſiones, & curſorum equorumque diſpoſiti ordines erant, qui, ut commodus etiam & durabilis eorum uſus eſſet, ſummâ politiâ, & optimis legibus regebantur. In multis quidem Romanus ille populus ſupra cæteras gentes admirabilis fuit; ut non immerito canat Propertius:

Omnia Romanæ cedant miracula Terræ,
Natura hic poſuit, quidquid ubique fuit.

Admirabilis ipſa regina & orbis domina, mundi vertex, armorum legumque parens Roma, admirabilis per theatra, amphitheatra, balnea, columnas, obeliſcos, aliaque ſeu privata, ſeu publica ædificia fuit. In tribus tamen hiſce, quæ teſte Strabone, à Græcis neglecta fuere, & in quibus cum magnificentia uſus, cum magnitudine operum & expenſarum neceſſitas certavit, Roma Romanuſque populus portentoſus. Recenſet ea Dionyſius Halicarnaſſæus: *In tribus*, inquit, *magnificentiſſimis operibus Romæ, & è quibus maximè apparent illius imperii opes, pono aquæductus, viarum munitiones, & cloacarum ſtructuras. Neque id ſolum ad utilitatem ejuſmodi operum reſpiciens; ſed etiam ad impendii, ſumptuumque modum.* In qua ſententia non ſolus ipſe Dionyſius fuit, ſed cum eo auctores alii maximè judicioſi. Et quanquam vilius nihil cloacis videatur: vix tamen in urbe aliquid admirabilius, ac ſubterraneis illis foſſis utilius fuit, per quas urbis plateæ à ſordibus ſuis mundabantur: ſic ut ruptis, penetratiſque montibus, & ipſa urbs quaſi in aere ſuſpenſa videretur, & per canales illos etiam navigia ſub plateis tranſire poſſent, per canales, inquam, ita latos & altos, ut curribus fœno onuſtis viam etiam præbuiſſent. In eos etiam tanto impetu aqua fluebat, ut rapidiſſimi torrentis inſtar, quidquid obvium haberet, propelleret. Ab ætate tamen Tarquinii priſci, qui primum eas fabricari juſſerat, ad Plinii uſque tempora, octingentorum videlicet & amplius annorum ſpatio, per illos aquarum impetus nihil cæmentationi illi noxæ illatum fuiſſe, deprehenſum eſt. Eas Caſſiodorus appellat, *ſplendidas Romanæ civitatis cloacas, quæ tantum viſenti-*

bus

lib. 5. Geograph.

Lib. 3.

Vide Plinium l. 36, cap. 15.

bus conferunt ſtuporem, ut aliarum civitatum poſſint miracula ſuperare. Adjungit mox eleganter: *Hinc Roma ſingularis, quanta in te ſit, poteſt colligi magnitudo. Quæ enim urbium audeat tuis culminibus contendere, quando nec ima tua poſſint ſimilitudinem reperire?* Ad aquæductus quod attinet, de iis loquens Plinius, quos Q. Martius rex in urbem traxit, eos *verâ æſtimatione invicta miracula nominat.* Poſt veniens ad aquæductus Caligulæ & Domitiani, perpenſa aquarum abundantia, quæ per eos in urbem veniebat, & vario ejus uſu, perpenſa etiam, cum de longinquo flueret aqua, arcuum multitudine, montiumque ruptura, per quos fluebat: aſſerit nullum ſublimius & admirabilius in orbe opus unquam exſtitiſſe. De hac aquarum abundantia ita Strabo: *Tanta*, inquit, *per aquæductus aquarum ubertas influit, ut per urbem, atque cloacas amnes inundare videantur: & univerſæ propemodum ædes ſubterraneos meatus, ſiphones, & fiſtulas venoſas habeant.* De iiſdem, quoad id quod ad noſtra ferè tempora pervenit, diſſerens Leander Albertus: *Nec enim*, inquit, *majus quidquam excogitari poſſe humano ingenio arbitror, quam quod hic Romani effoſſis tanto ſpatio montium viſceribus fecerunt, ad quæ patranda nunc totus orbis infirmus videatur.* Eos quoque præcipuum Romanæ potentiæ characterem indigetat Frontinus, quorum conſervationem vocat *rem enixiore cura dignam*, cum magnitudinis Romani imperii præcipuum ſit indicium. Laudat & eos Caſſiodorus, & in iis artis excellentiam cum uſu commodiſque publicis conjunctam admiratur: *Trajani forum*, inquit, *vel ſub aſſiduitate videre, miraculum eſt: capitolia celſa conſcendere, hoc eſt humana ingenia ſuperata vidiſſe. Sed nunquid per ea vivitur, aut corporis ſalus aliqua inde delectatione recreatur? In formis autem Romanis utrumque præcipuum eſt, ut fabrica ſit mirabilis, & aquarum ſalubritas ſingularis.* Iterum de illis ita Rutilius:

lib. 1. de Aquæd.

Odopœrici l. 1.

Quid loquar aërio pendentes fornice rivos,
Qua vix imbriferas tolleret Iris aquas?
Hæc potius dicas creviſſe in ſidera montes.
Tale Gigantæum Græcia laudat opus.

Fuere itaque admirabiles apud Romanos illæ cloacæ: fuere digni majori ſtupore aquæductus: at maximo dignas fuiſſe tam per Italiam, quam alias imperii provincias ab illo populo fabrefactas militares vias non plurium modò ac magnorum ſcriptorum auctoritas, ſed quæ etiamnum quibuſdam in locis ſuperſunt vel earundem viarum veſtigia declarant. Fuit in iis condendis incredibilis abundantia marmorum, aliarum petrarum, ſilicum, glareæ, cæmenti, calcis; & arenæ adhibita, curribus aliiſque machinis de longinquo etiam advecta. Secti fuere montes, planati colles, evectæ valles, ſiccatæ paludes, ſtrati pontibus magnis fluvii. *Cernere*, inquit Strabo, *licet in agro vias exciſis ad hæc collibus, exaggeratis vallibus, unde navigiorum onera plauſtris exciperentur.* Erat in iis magnificentia pontium, qui continuabant, portus qui finiebant, erant civitates, mutationes, & manſiones pro curſibus publicis & veredariis, in quibus ingens vis equorum curſualium, quos Zozimus lib. 2 de Conſtant. Magno loquens ſtabularios appellat, à Republica alebatur. Erant in iis carpenta, rhedæ, alia denique vehicula, & ad celerrimas profectiones idonea inſtrumenta. Per equos autem

Quam admirabiles olim fuerint viæ militares Romanæ.

Videndus Nicolaus Bergerius l. 4. des Grands chemins de l'Empire.

Oratione ult. Tom. 3. Cap. 49.

autem illos curſuales, per juvenes etiam nudis pedibus curſitantes, litteræ principum præſertim Romanorum, *mox ut ſcriptæ erant, velociſſime tanquam ab avibus deferebantur*, uti loquitur Ariſtides. *Et quo celerius, & ſub manum annuntiari, cognoſcique poſſet, quid in provincia quaque gereretur, juvenes primò modicis intervallis per militares vias, dehinc vehicula diſpoſuit*, inquit Suetonius in Auguſto ad eaſdem vias immenſa vis hominum impenſa fuit, earum longitudo ad extremos imperii fines à meditullio urbis, quod *milliarium aureum* antiquitas appellavit, tanquam à radice producta. Per eas velut à capite per nervos, venas, & arterias in omnia Imperii membra vita profluebat & motio. A membris dein reciprocum capiti obſequium præſtabatur. Ita publica utilitas impenſis indubiè maximis par fuit: impenſis, inquam, non alicujus potentiæ communis, & ordinariæ, at ſolius Romanæ, quæ cæteras omnes ſuperavit. Quæ nec viarum hoc opus fecit uno, vel perfecit ſæculo, ſed annorum aliquot centenarios impendit ad coronidem imponendam. Neque id fecit Imperator unus, ſed plures, populis etiam omnibus totius orbis habitabilis ad id impenſis. *Primum*

Lib. 15. Orig. c. ult.

Pœni, inquit Iſidorus, *dicuntur lapidibus vias ſtraviſſe: poſtea Romani per omnem ferè orbem diſpoſuerunt, propter rectitudinem itinerum, & ne plebs eſſet otioſa.* Impenderunt & ſuarum legionum milites, ut hæ de oriente in occidentem, de meridie in boream ad mille amplius & quingentas, ſexcentaſque leucas per montes & valles, per flumina & ſylvas, per lacus, & invia teſqua, ſtatutis etiam columnis pluribus, quibus Geometrica diſtantia inſcripta fuit, viæ noſcerentur. Ut de admirabili earum fabrica meritò dicat Hieronymus Surita: *Summum verè*

Præfat. ad Notas in Itiner. Antonini.

non regis magni (ut eſt apud Poetam) *ſed complurium Imperatorum atque principum opus, atque haud ſcio an de humanis operibus longè maximum fuerit, ſpatiis immutabilibus ab ortu ad occaſum, regionum itinera circumcirca, ad inhabitabiles uſque oras, ſubſtructionum innumeris milliaribus fuiſſe dimenſa, complanata, atque deſcripta: ut neque Imperii ipſius interitus, & urbium occaſus, earum columnarum & ſubſtructionum monumenta, quam latè longeque Romani populi nomen diffuſum fuerat, evertere penitus potuerit.* Erant enim illa omnia firmiſſimo opere compacta.

Monumenta, inquit Varro l. 5. de lin. lat. *in ſepulcris ſecundum viam ſunt, quæ prætereuntes admoneant, & ſe fuiſſe, & illos eſſe mortales.*

Augebat porrò miraculum, quæ ad earundem viarum latera erat, multitudo templorum, arcuum triumphalium, palatiorum, hippodromorum, ſepulcrorum, & aliorum his ſimilium ædificiorum, ita ad continuum adſpectum juxta ſe poſita, ut qui Romam irent, viſis frequentibus hiſce ac pulcris ædificiis, in urbem jam ſe veniſſe arbitrarentur, cum tamen adhuc procul ab ea diſtarent. Erant & illuſtria monumenta ſepultorum principum, de quibus in Arcadicis Pauſanias: Ρωμαῖοι μεγάλως δή τι αὐτὸν θαυμάζοντες τὰ παρ᾽ σφίσιν ἐπιφανῆ μνήματα Μαυσωλεῖα ὀνομάζουσι. Tale Porſenæ fuit apud Cluſium in antiqua Hetruria. Tale Auguſti via Flaminia, Adriani extra portam Æliam, & Septizonium Severi ad partem dextram viæ Appiæ. Cum autem admirabilis eſſet illa viarum, extra Romam, elegantia & amplitudo, tum in urbe ipſa, major earum excellentia fuit. *Cum enim in civitate clara & præpotenti, vias militares habere directas* (ut Albertus ait) *& ampliſſimas condeceat*, quæ ad dignitatem majeſtatemque urbis faciant, maximam ejus rei rationem habuiſſe Romanos conſtat. Hinc illa per urbem regionum

lib. 4. de re ædificat. c. 3. Vide Plin. l. 35, c. 2.

parti-

Digitized by Google

partitio nata, & in regionibus illis viæ regiæ & militares, in viis verò ſtatuæ, & magnorum virorum imagines, ſcuta picta victoriis ac trophæis: *Romæ Caſtorem & Pollucem, cum victoria & Alexandro magno: item Belli imaginem reſtrictis à tergo manibus, Alexandro in curru triumphante. Quas utraſque tabulas D. Auguſtus in fori ſui partibus celeberrimis dicaverat*, inquit Plinius. Ab his & aliis vere Roma τῆς οἰκουμένης ἐπιτομή. Sicut autem in exornandis Romæ viis ac locis publicis maxima, ita par ferè extra illam, univerſim verò, ac per totum imperium ſingularis ac magna cura fuit. Ab eorum porrò magnificentia, ſplendore ac momento, viæ conſulares, prætoriæ, regiæ, ſolennes, aggeres publici nominabantur. Illarum cuſtodia viris in Republica primariis ſemper mandata. Lacedæmonii regibus ſuis eam tribuebant. Herodot. in Erato. Etiamnum quoque in Francia magnorum itinerum ſuperintendentia ſoli regi competit. Ita cum in ſublimi maxime Romanum eſſet Imperium, Cæſar Auguſtus viarum curator à populo conſtitutus eſt, qui, ut functionem illam melius obiret, viros aliquot prætoriæ dignitatis in eandem curam aſſumpſit. Teſtatur Dion: *Tunc autem ipſe viarum quæ ſunt circa Romam curator conſtitutus, milliarium aureum, quod vocatur, fecit, quique viis muniendis præeſſent, prætorios viros ſuffecit, qui binis lictoribus uterentur.* lib. 54. Eadem itinera per viros itidem maximos facta, per Cenſores primum in urbe ipſa. *Cenſores urbis vias, aquas, ærarium, vectigalia tuentor*, ait Cicero. lib. 3 de Leg. Per alios etiam foris. Talis via Appia per Appium Cenſorem. In idem munus adhibiti Flaccus, & Albinus. Tales etiam viæ Claudiæ, Caſſiæque, & aliæ ſimiles his fuerunt. Eandem curam viarum campeſtrium habuere Conſules & Tribuni. Livius lib. 41. A Flaminio conſule Flaminia, ab Æmilio Lepido Æmilia dicta fuit. Strab. l. 5. Aucto tamen poſtea imperio, & provinciis multiplicatis ea res pluribus commiſſa fuit. Et in urbe quidem ac juxta Ædilibus. Eandem commiſit Plato lib. 6 de Republica ἀστυνόμοις. Sub Imperatore Claudio etiam de Quæſtoribus eam habere ſolitis narrat Suetonius in Claudio: *Collegio quæſtorum*, inquit, *pro ſtratura viarum*, gladiatorium munus injunxit. cap. 24. Poſt etiam Ædiles conſtituti & quatuorviri curandarum viarum. Eorum meminit Titius Pompejus L. neceſſ. § eodem tempore ff. de Origine Juris quos aliqui à Varrone Viocuros à viarum cura appellari arbitrantur. ff. de via publica & itinere publico reficiendo. Auctus denique eorum numerus, ac inter eos fuere quatuorviri pro urbe ſola. Alii viarum curatores pro campeſtribus fuere, qui eo fungebatur munere, etiam à Græcis ὁδῶν ἐπιμελητὴς, ſive ἀμφοδάρχης vocatus. Quid quod hæc ipſa viarum curatio Cæſaribus ipſis commiſſa fuerit. De Julio Cæſare teſtatur Plutarchus in vita, viæ Appiæ curatorem eum conſtitutum. De Thermo quodam ait Cicero: *Thermus curator eſt viæ Flaminiæ, quæ cum erit abſoluta, ſanè facilè illum Cæſari Conſulem addiderim.* Epiſt. 1 ad Attic. Cum itaque ea res non niſi illis hominibus tribueretur, qui magnarum laudum præconiis, ac in Rempublicam meritis excelluerunt, etiam adfines eorum & amici, cum ad id munus aſſumerentur, honorari ſe pariter lætabantur. De Cornuto Tertullo ad Pontium ſcribens Plinius Junior ſic ait: *Receſſeram in municipium, cum mihi nuntiatum eſt Cornutum Tertullum accepiſſe Æmiliæ viæ curam. Exprimere non poſſum, quanto ſum gaudio adſectus, & ipſius, & meo nomine.* lib. 5 epiſtolarum. Inter elogia quoque

Victorii Marcelli Prætoriæ dignitatis viri reponit Statius, quod à Domitiano ad reparandam viam Latinam conſtitutus eſſet: (lib. 4 Sylv.)

> *Quique tuos alio ſubtexit munere faſces,*
> *Et ſpatia antiquæ mandat renovare Latinæ.*

Laudat & *Plotium Grippum*, quem idem Imperator præfectum annonæ, & curatorem viarum fecerat:

> *Te Germanicus arbitrum ſequenti*
> *Annonæ dedit: omniumque latè*
> *Præfecit ſtationibus viarum.*

Audivimus per quos itinera curata fuerint. Reſtat, ut per quos eadem facta ſint, etiam intelligamus, quod ex magna quidem parte Prætorum, Conſulumque, qui ad gubernandas provincias mittebantur, auctoritate contigiſſe Romana nos docet Hiſtoria. Quod & quandoque per legatos eorum & vicepræſides factum Tullius Oratione pro Marco Fontejo docet: *Cum majoribus*, inquit, *Reipublicæ negotiis M. Fontejus impediretur, & cum ad Rempublicam pertineret viam Domitiam munire, legatis ſuis primariis viris Cajo Annio Bellieno, & Cajo Fontejo negotium dedit. Itaque præfuerunt, imperaverunt, pro dignitate ſua, quod viſum eſt, & probaverunt.* Idem negotium ſub Cæſaribus ita peractum. (L. 1 Annal.) Sub Tiberio *Druſus Germanicus*, teſte Tacito, *expeditum exercitum in Cattos rapit. L. Apronio* (qui proprætor erat Germaniæ) *ad munitiones viarum & fluviorum relicto* &c. Per tales nimirum Conſules ceu legatos Auguſtus Cæſar ab uno Imperii limite ad alterum vias ſimiles ſterni juſſit. Per legatos, inquam, & præſides provinciarum, ut eorum auctoritate, per quæſtores etiam, ut prætorum juſſu ipſi pro impenſa materia, & operariorum ſalaria ſolverent. Et quanquam Romanæ urbi coæva non ſit hæc viarum militarium conſtructio: antiqua tamen in eadem Republica fuit. (lib. 1 de Aquæd.) De via Appia Frontinus, *Via Appia*, inquit, *inducta eſt ab Appio Claudio cenſore, cui poſtea Cæco fuit cognomen, M. Valerio Maximo & P. Decio Mure Coſs. anno* XX *poſt initium belli Samnitici. Qui & viam Appiam, à porta Capena uſque ad urbem Capuam, muniendam curavit.* (Idem aſſerit Caſſiodor. in chronico. vide Sigon. de Antiq. Jure Italiæ c. ult.) Hæc ut tempore ita dignitate prima fuit. Sequitur eam in Italia via Aurelia, quæ anno ab Urbe condita D XII per C. Aurelium Cottam ſtrata fuit. Eam proximè ſequitur Flaminia. Poſt eas C. Gracchus Tiberii frater Tribunus plebis cum Carthaginem reſtaurandam cenſuiſſet, inter alia Senatui propoſuit vias militares ſternere. Atque hi primi quodammodo viarum architecti, quibus poſt aliorum magiſtratuum induſtria ſic adlaboravit, ut ſub Julio Cæſare eorundem beneficio Roma omnibus Italiæ regionibus, præcipuiſque urbibus quaſi connexa eſſet. Et quanquam Auguſtus & alii miranda per Italiam in his etiam itineribus patrarint: fuerunt tamen illa potius veterum reparamenta, quam novorum condimenta, paucis exceptis viis, quas Domitianus, Aurelianus, & Trajanus condi juſſerunt. Quando autem eadem res per provincias cœperit, non adeò liquet. Prima tamen viarum ea putatur, quæ ab Italia per Aquitaniam & Galliam Narbonenſem in Hiſpaniam duxit. Altera via Domitia per Domitium Ahenobarbum facta anno urbis conditæ I Ↄ C XXVI M. Plautio Hypſeo, & M. Fulvio Flacco Coſs. quæ per Allobroges & Provinciam cucurrit. (Vide Pol. lib. 3, & And. Reſendium lib. 3 de) Fuit & recentior alia Do-

mitia

mitia per Germaniam ſtrata, de qua Tacitus: *Anguſtus is trames vaſtas inter paludes, quondam à Lucio Domitio aggeratus. Cætera limoſa, tenacia, gravi cœno aut rivis incerta erant.* Strabone teſte fuit & quædam *ab Apollonia in Macedoniam Egnatia via in orientem verſus per milliaria dimenſa, & lapidibus diſtincta uſque Cypſelum.* Atque hæc quidem etiam Auguſto ſenior, qui ſummo præ cæteris principibus ſtudio & Italicas reparari, ampliarique, ac novas paſſim per provincias fieri juſſit. Teſtatur Surita, inquiens: *Neque Italiam modo, ſed & univerſas Romani Imperii provincias eodem decore atque ornamento idem princeps affecit, ut præſides, & qui pro Conſulibus eo munere fungerentur, faciliùs provinciarum urbes, atque conventus obirent.* Quemadmodum autem illæ viæ per maximos, ita & per plurimos, propter immenſos earum tractus fabricatæ fuerunt. Quidquid ab occiduo Hiſpaniarum ad Aſſyrios uſque ac Medos, quidquid ab Septentrionali Britannia ad Meridionalem uſque Arabiam in Imperio Romano ſedem fixerat, manum admovit. Etiam ipſæ Romanæ legiones in hoc opus impenſæ, illi quoque qui ante Auguſti tempora militabant in auxiliis, non in legionibus. Ipſi etiam poſtmodum exteri, qui in certas legiones adſcripti fuere. Nec propter rectitudinem itinerum ſolum, ſed ne plebs eſſet otioſa. Ob eam quoque cauſam id militibus imperatum fuit, cum otio ad nequitias & ſeditiones militem impelli experientia docuiſſet, ut etiamnum docet. *Diſcordia,* inquit Tacitus, *laboratum eſt, cum aſſuetus expeditionibus miles, otio laſciviret.* In his itaque rebus miles cum populo operabatur; tanta quandoque præfectorum ruditate, ut eapropter etiam in apertas ſeditiones miles iverit. Sed & præter eos impenſa fuere millia architectorum. Etiam criminoſi, & ſic ad vias, prout ad metalla damnati. *Multos,* inquit Suetonius, *honeſti ordinis deformatos prius ſtigmatum notis ad metalla, & munitiones viarum, aut ad beſtias condemnavit.* Unde patet, non regnum, non provinciam, non regionem aliquam, ſed Europam, Aſiam, Africamque totam hiſce portentis auxiliares manus præbuiſſe. Par operariis pretium operæ fuit, perque quingentos & amplius annos non minima Romanarum facultatum pars in vias impenſa. De quibus facultatibus hæc Juſtus Lipſius: *Et concipere ſummas,* inquit, *vereor, ſed ſupra centum quinquaginta milliones fuiſſe, animo hoc ſentio, & ore etiam promo.* Sub Adriano hoc fuit, ut Appianus Alexandrinus teſtatur in prooemio Libyci. Et quanquam in bella plurimum, in hæc tamen magnam partem ea vis conſumpta fuit. De Trajano Dion: *Plurimum,* inquit, *in gerendis bellis pecuniæ impendebat. Non minore tamen liberalitate, & impenſa ſegnius ac animo ornamenta pacis amplexus eſt. Complura & valdè quidem neceſſaria ædificari curavit: ut portus & ædes publicas: vias item munivit.* Cum autem præſertim ante Auguſti tempora Romæ privatorum facultates limitatæ eſſent, nec ad tam graves itinerum ſumptus aſſurgerent, publicis impenſis etiam poſt ejuſdem principis ætatem exſurrexerunt. *Erant enim,* uti loquitur Siculus Flaccus, *viæ publicæ regales, quæ publicè muniuntur.* Quanquam aliquando etiam de auro coronario, & pecunia manubiali, hoc eſt de privatorum & triumphalium quorundam virorum opibus fierent. De Agrippa ait Dion: *Anno ſequenti Agrippa ultrò ædilis factus eſt: om-*

Antiq. Luſitan. l. 1. Annal.

lib. 7.

Præfat. Comment. in Itin. Ant.

Militari manu & provincialium ſubſidio, ait Lipſ. lib. 3 de Magnit. Roman. c. 10.

In vita I. Agricolæ.

In Calig. c. 27. vide eundem in Nerone.

lib. 2 de Magnit. Rom. cap 3.

lib. 68.

de condit. agrorum.

lib. 49.

nia-

niaque ædificia publica, omneſque vias privatis impendiis refecit. Cæterum prout maximis ſumptibus à Romanis illa patrata ſunt, ſic & honores illis maximi à Senatu habiti, qui viarum auctores fuerunt. Itaque inſcripta viis auctorum nomina, arcus erecti, ſtatuæ poſitæ, numiſmata cuſa ſunt. lib. 53. De Auguſto loquitur Dion (quia viam Flaminiam à Roma Ariminum uſque reparaverat) *ob id ſtatuæ tam in ponte Tiberino, quam Arimini ſunt poſitæ.* Videmus jam quanto olim ſtudio, quantiſque impenſis in hanc, ut ita loquar, θαυματεργίαν Romanæ gentis excellentia deſudarit. Quod cum non ad magnificentiam ſolum & ſplendorem, ſed quia plurimus in Republica uſus eſſet, ab iis factitatum ſit; πάρεργον non fuit, neque moleſtum mihi, fuſiorem hic de militaribus illis viis ſermonem inſtituere. Imitari non poſſumus eorum hac in re præſtantiam, fateor: at æmulari ſtudium, & occurrere malis, quæ apud nos per viarum neglectum, ſeu Judicum conniventia, ſeu aliis modis inexplicabilia oriuntur. Utinam ſaltem eorum apud nos itinerum, quorum adhuc in Republica uſus eſſe poſſit, major ratio habeatur, & inſtaurentur illa, quæ Romana nobis olim generoſitas in hac etiam provincia & circum eam complanavit. De aliis non loquor, quæ cum ingenti patriæ commodo, & omnium uſu de novo ſterni poſſint, non ſine impendiis quidem, ſed quæ cum immenſo fœnore manatura mox in Rempublicam utilitas reſarciret. Quam commoda autem olim, quamque numeroſa fuerit, per has in Gallia Belgica Romani Imperii ditiones viarum militarium multitudo, earum typus nuper per Ampliſſimum virum, & de Eccleſiaſticis antiquitatibus optimè meritum *Aubertum Miræum* Antverpienſis Eccleſiæ nuperrime Decanum, & Regis Catholici apud Belgas bibliothecarium, editus declarat, & *Nicolaus* quoque *Bergerius* Remenſis in ſuo de viis militaribus Romanis eruditiſſimo volumine fuſè docet. Sanè in nulla etiamnum de priſcis Imperii Romani provinciis ditione magis adhuc integræ militares illæ viæ, quam in Gallia Belgica apparent, quas vel Brunehaldi cujuſdam Regis Belgici, vel Reginæ Brunechildis, quæ Sigeberti Auſtraſiæ regis uxor fuit, opera vulgus exiſtimavit, vulgus inquam imperitum hac in re, & malè credulum. Nam ſicut de Brunehaldo nihil in rerum natura fuit: ita tantum id de Brunechilde (quæ animoſa prorſus mulier fuit) credi debet, quod aliquas in Gallia Belgica militares vias repararit. (Vide Bergerium lib. 1, cap. 26, & ſeqq) Hæc *quamvis ita eſſet inſolens* (ait Sigebertus) *tamen Dei Eccleſias honorabat, plura etiam Sanctorum cœnobia fundavit, & ædificia admirandi operis conſtruxit.* Quod autem de eadem Bertinienſis Chronographus in hæc verba ſcribit: *Hic finis Brunechildis fuit, quæ licet inſolens eſſet, ac periculoſa, eccleſias tamen honorabat. Eccleſiam S. Vincentii Laudunenſis fundavit: multa etiam opera miranda conſtruxit: inter quæ Stratam publicam de Cameraco ad Atrebatum, hinc ad Morinum, & uſque in mare, uſque ad Witſandum fecit. Calceia Brunechildis nominatur uſque in hodiernum diem:* non aliter etiam intelligi debet, quam quod Romanas hoc in tractu vias, præ cæteris fortè ejus ævi principibus exactiore cura reſtituerit. Veri itaque, ſi univerſam Galliam peragremus, auctores viarum nobis occurrent Domitius Ahenobarbus anno urbis conditæ 629, Auguſtus lib. 4 Geograph. Cæſar, qui, teſte Strabone, *ad latronum* (in Alpibus præſertim) delendas

lendas

lendas inſidias, *magnum*, *quantum licuit*, *viarum apparatum appoſuit.* Eidemque propterea in editiſſimo Alpium erectus à Senatu populoque Romano fuit arcus, ut Plinius memorat. Secutus fuit Auguſtum Agrippa gener, qui præſtantiſſimus plane vir, & huic viarum ſtudio deditiſſimus fuit. *Lugdunum*, inquit Strabo, *in medio arcis ſitum eſt. Ea propter Agrippa hoc ex loco partitus eſt vias. Unam, quæ per Cemmenos montes uſque ad Autones & Aquitaniam: aliam ad Rhenum: tertiam ad Oceanum, & Belloacos & Ambianos: quarta ducit in agrum Narbonenſem littuſque Maſſilienſe.* Agrippam porrò ſecuti plures Romani Principes, inter quos Tiberius, Adrianus, & Poſtumus. Cæterum quæ Romanos, ut ante tetigi, præcipua impulit cauſa ad implendas hiſce viis Imperii Provincias, ingens earum fuit utilitas, nec alius ſcopus potior, quam certa negotiorum Imperii notitia, & eorundem oportuna expeditio. Utilitas autem multifariam diviſa fuit. Primum, ut pacis tempore, nec miles, nec in provinciis populus eſſet otioſus, atque ita tumultus ac ſeditiones vitarentur. Secundum, ut nova variis modis ab urbe in extremas Imperii partes, & ab his rurſus in urbem celerrimo curſu parvoque tempore deferri poſſent. Tertium, ut Romanus exercitus, uti res poſcebat, ad omnia facile loca, omni tempore commearet. Fiebatque ſic quod dicitur σπεῦδε βραδέως. Facilitas enim viarum celeritatem faciebat: quamvis cum præcipitatione, concitatoque curſu, vel milite fatigato fieret nihil. Quartum, ut ſive pede, ſive equo, ſive curru itinera ad omnem ſive belli, ſive pacis uſum expeditiora eſſent. Nihil enim in hiſce militaribus viis occurebat, quod remoram injiceret, aut curſum retardaret, uti ſunt valles profundæ ac paludoſæ, montes aſperi & abrupti, circuitus item viarum, & ambages ſæpius incertæ. Illis enim omnibus Romanorum induſtria improbuſque labor remedium adtulerat. Erant & in viis illis gynæcea, erant arma, & armamentaria, erat moneta & annona ad manum. Lampridius: *Milites*, inquit, *expeditionis tempore ſic diſpoſuit*, *ut manſionibus annonas acciperent*, *ne portarent cibaria decem & ſeptem*, *uti ſolent*, *dierum*: *niſi in barbaricos.* Et videndus D. Ambroſius Serm. 5 in Pſal. 118 ad hæc verba: *Miles*, *qui ingreditur iter*, *viandi ordinem non ipſe diſponit*, *&c. ſed itinerarium ab Imperatore accipit &c.* Erant denique in iis alia plurima rerum gerendarum adminicula. Quod ſi hac ætate Principes & Reſpublicæ idem erga ſimiles vias ſtudium haberent, eadem quoque regnis ſuis, ac provinciis commoda adferrent. Quare non modicam Geographus ſui muneris partem impleviſſe meritò dicendus eſt, cum eos ad rem adeò proficuam adhortatus, de viarum publicarum utilitate diſſeruit, & locorum urbiumque diſtantias per itinerum lineamenta, tabulis etiam & imaginibus expreſſa ſolerti ſtudio annotavit. Cum enim in multis bene de humano genere Geographia mereatur, tum in hoc præcipuam quoque ſibi laudem vendicat. Viam erranti non oſtendere apud Athenienſes execrationibus publicis ſancitum erat. Hinc gentium religio viis & ſemitis Mercurium præfecit. Hinc ἐνόδιοι dii in iis fuere, & inter illos etiam Apollo, Bacchus, & Hercules. Mercurio *Hodii & Enhodii* cognomen antiquitas etiam attribuit, & Latini *Viacum* inde appellarunt, quod Varro teſtatur, & perveтuſta, quæ apud Zamoram juxta

Plin. l. 3. c. 20.

vide Dionem l. 53.

Pro omni videlicet hominum conditione, & quæ Romæ commorabatur, & quæ ex omni terrarum parte Romam omnis generis mercimonia convehebat.

In Alex. Severo.

Fiebatque res quaſi per ἀγγαρεῖον δρόμον καὶ ἀγγάρους. vide de curſu publico cod. Theod. & Procop. & S. Hieron. in cap. 1 Abdiæ. Videndus Surita præf. ad notas Itin. & in idem candidiſſimus, eruditiſſimuſque Pater Andreas Scottus.

Videndi Pauſanias Phornutus & Suidas.

Digitized by Google

prætorium inſcriptio viſitur. Gallos quoque Cæſar docet Deum maximè Mercurium coluiſſe, & viarum itinerumque ducem agnoviſſe. Hinc *Lares Viales*, ſunt qui ſuſpicientur, dictos à Plauto Deos eſſe, qui viæ præſunt, quos implorent, qui peregrè proficiſcuntur, in triviis vel quadriviis maximè poſitos. Ubi dubium nempe erat, καὶ ἐν ταῖς ὁδοῖς ταῖς ἀδήλοις, ut Damaſcius apud Suidam ait. Erant illi porrò columnis impoſiti quadratis, inſcriptioneſque habentibus, de quibus Ulpianus Scoliaſtes Demoſthenis: ξύλα ἢ λίθοι τετράγωνοι ἦσαν ἔχοντες ὄψιν ἑρμοῦ ἐπάνω, κάτω δὲ ἐν τῷ πλάτει ἐπιγράμματα. Columnæ itaque illæ Mercurio præſertim erectæ, huicque publicè ſupplicatum, quaſi cuſtodi finium Deo: *qui non tantum lapis, ſed etiam ſtipes interdum eſt*, inquit Lactantius. Verum ut ad gentilium ſuperſtitionum deliria non attendamus, rectè utiliterque lapis ille, non Deus itinerantibus viam monſtravit, & talis ſanè nobis Deus Geographus eſſe poterit, qui itineraria contexit, & opportuna viarum lineamenta per regiones diſtribuit, quæ cùm omni conditioni hominum obſequium præbere poſſint, tum Imperatoribus præſertim, ducibuſque primariis non utilia modò, ſed etiam neceſſaria ſunt. Rectè Vegetius in hæc verba monet: *Primum itineraria omnium regionum, quibus bellum geritur, pleniſſimè debet habere perſcripta, ita ut locorum intervalla, non ſolum paſſuum numero, ſed & viarum qualitates perdiſcat: per compendia, diverticula, montes, flumina, ad fidem deſcripta conſideret: uſque eo, ut ſolertiores duces itineraria provinciarum, in quibus bellum gerebatur, non tantum annotata, ſed etiam picta habuiſſe firmentur, ut non conſilio mentis, verum etiam aſpectu oculorum viam profecturus eligeret.* Tale itinerarium Imperii Romani Julio Cæſari attribuit Cuſpinianus. Sanè deſcriptiones hujuſmodi viarumque notitiæ magnis ſemper Imperatoribus & regibus curæ fuerunt. Plinii ætate exſtabant adhuc Diogneti & Bitonis commentarii, qui fuere menſores itinerum Alexandri Magni, & loca, quæ adiit, eorumque diſtantias litteris commendarunt. Agrippam diligenter admodum in dimenſionibus terrarum obſervandis, annotandiſque verſatum fuiſſe ex Plinio conſtat. Ab Auguſto etiam Italia in certas regiones diſtributa, diligentiſſimeque deſcripta fuit. Idem cum in Orientem miſſurus eſſet Cajum filium, præmiſit Dionyſium Geographum, qui ſingula commentaretur. Refert & Æthicus univerſum orbem à menſoribus ex Senatuſconſulto deſcriptum eſſe ſub Julio Cæſare & Octavio Auguſto, cui Euangelica conſonat hiſtoria. Quod ſi (& utinam fiat!) Romanam hac in re æmulari præſtantiam voluerimus, ut à nobis vel condantur novæ, vel veteres (quas hiſtoria nobis & Coſmographorum induſtria ſuggerit) in hac provincia reparentur: quanquam id non ſine magnis impendiis patrari poſſe fateamur; majora tamen, & innumera pænè, ut ante tetigi, per id nobis commoda orirentur, fieretque partim (ultra quod tutior paſſim viatorum tranſitus eſſet, latrociniaque rariora) omne illud bonum, quod apud Romanos contigiſſe ante enarravi. In eam itaque rem collimat Geographia, quæ ſicut alias multas, hanc etiam laudem meretur, Geographia inquam, cujus quanta ſit univerſim amœnitati conjuncta utilitas, tum ex veterum ſapientum ſcriptis, tum ex præcedentum noſtrorumque temporum uſu addiſcimus. Quid enim jucundius quam brevibus ſeptum tabulis totum orbem adſpicere? ſitum

Geographiæ ſtudium à maximis Principibus cultum.

ſitum & diſtantias locorum, & per hanc hiſtoriæ partem, flumina, montes, ſylvas, maria, aliaſque regionum perfectiones videre, in imaginibus denique, tabuliſque Geographicis & Hydrographicis illis orbem totum, vel nobilem ejus aliquam partem, ut divinæ quoddam bonitatis ac ſapientiæ ἔσοπτρον contemplari? Sed ut utilis, & amœna, ſic antiquitate etiam commendabilis eſt. Ejus inventio, vel ad priſcam Adami ſobolem ab Hebræis refertur, ad Ægyptios autem à Græcis. Cum enim Nilus agros pro pluvia irrigans eluvione extra alveum ferri ſoleret: ad fines regundos, & agrorum limites termini iſtic primum collocati fuere. *Tabularum* verò, quibus orbis terræ ſitus pingebatur, uſus etiam perantiquus eſt. Anaximander enim Thaletis auditor (qui Servio Tullio Romanorum ſexto regnante floruit) primus Geographicam tabulam exhibuit, teſte Strabone, qui & Eratoſthenis, aliorumque Geographorum tabulas commemorat. Ariſtagoras quoque æreâ tabulâ τῆς οἰκουμένης περίοδον maria omnia, & flumina inciſa habuit, ut auctor eſt Herodotus. Et apud Propertium Arethuſa, neſcio quis,

Vide Scottum præfatione ad Lectorem Itinerarii Anton. lib. 1. lib. 5. lib. 4.

Cogimur è tabula pictos ediſcere mundos.

M. Varro Romanorum doctiſſimus lib. I Rei Ruſticæ offendiſſe ſe ſcribit in fundo C. Fundani ſoceri ſui C. Ægrium Equitem Romanorum Socraticum, & P. Agraſium Publicanum, Italiam in pariete pictam ſpectantes. M. quoque Tullius Eloquentiæ Latinæ Princeps T. Pomponio Attico γεωγραφικὰ ſcripturum ſe pollicetur, utinam abſolviſſet. Certè P. Scipionis ſomnium è Sexto de Republica libro, quantum eo genere orator potuiſſet, facilè oſtendit. Mitto de Zonis cæli & terræ, quæ Varro, Virgilius, & Ovidius, aliique tradiderunt. Auguſtus Cæſar & M. Agrippa, orbem populo ſpectandum, teſte Plinio propoſuerunt. (l. 3, c. 2.) Hac verò tempeſtate crevit, ſeculi felicitate, ut & cæteræ diſciplinæ omnes, ſic & Geographia. Tabularum enim referta ſunt atria, bibliothecæ, & officinæ. Ita Scottus. Neque præter Romanos Principes, antiquoſque Coſmographos, inter quos præcipui Strabo, Ptolemæus, Dionyſius Afer, Pomponius Mela, Plinius, Solinus, Capella, Rutilius, Sequeſter, Stephanus, Julius Frontinus (quibus & accenſere poſſis Polybium, Plutarchum, Appianum, eos denique omnes, qui de origine urbium ſcribentes nominantur à Poſſevino lib. XVI Bibliothecæ ſelectæ) defuere poſterioribus ſæculis alii tum viri principes tum eruditi, qui ſe in hiſce Geographiæ ſtudiis, ac ipſo Tabularum contextu exercuerunt. Inter Germanos ac Francos unus ſit nobis inſtar omnium *Carolus Magnus*, de cujus virtutibus inter alia magnalia, hoc refertur, quod uſque adeò Geographiæ ſtudiis deditus eſſet, ut in argenteis tabulis regionum expreſſos typos adſervaret. Harum unam moriens legavit Romæ Baſilicæ B. Petri imaginem urbis Conſtantinopolitanæ continentem. Alteram, quæ typum Romæ habebat, donavit, dicavitque Eccleſiæ Ravennati. Tertiam, in qua totius orbis Terrarum erat deſcriptio, dedit *Ludovico* filio ſuo poſſidendam. Veteres illos, ac medii temporis homines hoc etiam ævo viri titulis, ac eruditione præſtantes ſunt imitati. Quos inter facile palmam ferunt (ut de Munſtero, Theveto, Belleforeſto, viris magnopere laudandis nihil dicam) *Abrahamus Ortelius*, quem, ut in illius eſt elogio, urbs urbium Antverpia edidit, Rex Regum Philippus

 Geo-

Geographum habuit. Hic poſt Ptolemæum orbis Terrarum ſitum in Theatro Theſauroque ſpectandum poſteris præbens, manu ornans, at mente, ut ajebat, contemnens, Geographiam Princeps cum *Gerardo Mercatore* ſic illuſtravit, ut parvo impendio, periculo nullo deſpectare domi liceat. Geographorum itaque hac ætate κορυφαῖοι *Ortelius & Mercator*, (atque ut verbo etiam attingam laudatiſſima nunc eorum ſtudia, qui Tornaci Nerviorum rem etiam Geographicam illuſtrare conantur, *Ægidius Boucherius* è Societate Jeſu vir eruditiſſimus, qui vetus nobis Belgium pollicetur, & *Nicaſius Fabius* Sacerdos ibidem ad D. Virginis, qui militares per univerſam Galliam vias parat, ſicut & qui veteres Morinos apud Aeriam *Joannes Malebrancus* ex eadem Societate) accedunt eorum præſtantiæ *Paulus Merula*, *Goltzius*, *Cluverius*, *& Cambdenus*, aliique. Eximiam verò laudem meretur *Judocus Hondius*, quique eum preſſo inſequitur pede filius ejus *Henricus*. Hic cum nec laboribus parcat nec impenſis, in dies hoc agens, ut per laudatiſſima hæc ſtudia orbem Chriſtianum ſibi devinciat, ejus, noſtriſque conatibus, per quos ornamenta patriæ vulgamus, favere te benigne lector æquitas, & ratio monet. Vale, & proſperam in Chriſto ætatem age.

Admodum

Digitized by Google

Admodum Reverendo & Eruditiſſimo Viro,

DOMINO

ANTONIO SANDERO, S. T. L.

Atque in Cathedrali Iprenſium Eccleſia Canonico & Scholaſtico,

Univerſalem Flandriæ Chrorographiam cum Iconiſmis Tripertito volumine edenti, EIA ET IO accinebat.

Amandus Fabius, apud Flandriæ Ninivitas Norbertinus.

ET Chorographus, & ſimul Chorœdus
Antoni celebraris, utrobique
Palma principe, Laureaque dignus;
Pſaltes ore χορὸν, manuque χεῖραν
Dum ſcriptor (gravis hic, & eruditus;
Illic ſedulus & pius) frequentas.
En prodire tuo renata partu
Gaudet Flandria mater, eleganti,
Quantum non alias, decora vultu;
Quantum non alias, amœna cultu;
Quantum non alias, ſtilo expolita,
Quantâ non alias, fide explicata;
Quanto non alias relationum
Ad verum, tabularum, imaginumque
Ad vivum, modò dives apparatu;
Quantum denique Flandriæ invidebunt,
Quotquot ſunt prope, vel procul, ſorores
Sanderum ſibi filium voventes
Sic patrem ſibi patriæ futurum.
Et Chorographus, & Chorœdus, Eia;
Et Chorographus, & Chorœdus Io,
Antoni celebraris, utrobique
Palma Principe, Laureaque dignus.

ALIUD.

Edidit in lucem Sanderum Flandria: Matri
In lucem poſitæ reddidit ille vices.

ALIUD

Deſcriptâ, cui te corpus debere fateris
Antoni Patriâ; quæ modò cura vocat?
Scilicet, ut patriam, cui debet Spiritus ortum,
Quam ſpectat portum Spiritus, effigies.
Et meditaris enim: memini te dicere triſtem,
Quod fueris Sanctum non prius auſus opus.
Et meditaris enim poſt terras ſcribere cælum,
Sive quod ad cælum nos breve ducit iter.
Ad cælum Sandere, adeò qui ſcandere noſti,
Scribendo doceas hoc, quod agendo doces.
Sic tibi tergeminos dent chora choruſque triumphos
Narrati titulo conſociata poli.

IN CHOROGRAPHIAM FLANDRIÆ

Clariſſimi Viri

ANTONII SANDERI.

FLandria jam celſo lætum caput exere cælo,
  Dulcibus ac modulis triſtia corda leva.
Quaſſa licet multum jaceas hoſtilibus armis,
  Barbarus uſque tuas & populetur opes:
Vives pulcra tamen, neque docti pagina ſcripti
  Te ſinet heu tetro deperiiſſe ſitu.
Gallorum rabies ferro, graſſetur & igni,
  Jungat & intrepidam terra Batava manum:
Plenâ Laude clues, totum formoſa per orbem,
  In cineres quamvis tota redacta fores.
Sic te, ſicque tuas depinxit Pallade dextrâ
  Sedulitas dotes, unde perennat honor.
Sic te Sanderus celebrem; ſic dixit amœnam
  Carmine, quod poterit nulla abolere dies.
Ut quamvis inſtet rabidi petulantia Galli,
  Atque alia infeſtas ingerat ira faces:
Poſſis macta tamen, ſæcliſque æterna futuris,
  A triſti letho vulnera nulla pati.

Scripſit I. C. Gandavenſis.

JEREMIAS PIERSSENÆUS J. U. D.

In Concilio Flandriæ Conſiliarius Regius

Ad Reverendum, Clariſſimumque Virum

D. ANTONIUM SANDERUM,

Canonicum & Scholaſticum Iprenſem, cum Flandriam ſuam Geographicam & Topographicam ederet.

JAm PIUS, ingenuâ morum probitate, ut Honeſti
  Cultu, ſic magni viribus ingenii,
In DEUM & INDIGETES, cæleſtia numina, Divos;
  Ac MATREM, integrâ Virginitate, DEI;
SANDERUS fuerat: geminâ PIETATE Parentes,
  Pluribus obſequiis demerituſque Bonos.
At PIA ne in PATRIAM deſint monumenta laborum,
  Et doctæ calamo nobile mentis OPUS:
Terrarum ille tuos curavit, FLANDRIA, tractus,
  Et regionatim emenſa viæ ſpatia
Sollicitâ artificis deſcribi cuſpide cæli,
  Ac variæ plenos fertilitatis Agros:
Silvarumque ſacras horrore ſilente latebras
  Et Nemora excelſis inclyta ab arboribus.
Clamoſis riguos ſaltus venatibus aptos;
  Ludicra Flandrorum Nobilium ſtudia.
Montium amœnorum valles: navalia, portus:
  Curvaque, flave pater, flumina, Scalde, tua:
Atque tuos undans, leni agmine, Liſa, fluores:
  Cum Tenarâ, Durmæ & commoda aquoſa Calæ:
Liviæ, Adæ, Colmæ; piſcoſa Iſaræque fluenta:
  Ductum Iprenſis aquæ: Foſſam aliam, atque aliam
Regifici ſumtus, operoſi oſtenta laboris;
  Tutandæ Patriæ, ac publici amore boni:
Fortibus ingentes habitatas civibus Urbes:
  Gandæ, Brugæ,Ipræ Templa, Senacla, Fora:
Signatè inſignis Frankæ diagrammata terræ,
  Circumſcripta ſuis undique limitibus.
Deinde alia, ad numerum, validis cincta Opida muris,
  Bis denûm octonûm: & cetera pulcra ſatis;
Ter dena; ingenio, cultu poſituque locorum;
  Mercatu Eoïs cognita & Heſperiis.
Centum at millenos, ſeptiês denoſque octonos
  Pagorum fines; quoſque Dynaſtæ habeant.
Regia, depictis, laudat Prætoria, formis:
  Arces Magnatum, caſtra & opes Procerum:
Di-

Digitized by Google

Divorum auguſtos noſtrorum Principum honores:
Et veteri ſanctas Relligione Domos:
Sacrarum Dominos rerum, Myſtaſque verendos:
Votaque, cum cenſu, Templa dicata Diis.
Quanta etiam lætis errent animantia pratis,
Uſibus humanis altilis eximii;
Omnigeni pecoris armenta, gregeſque ferarum:
Innumerarum avium, piſcium & omne genus.
Gentis item egregiam FLANDRÆ indolem: idoneam abundè ut
Rebus, ſic linguis ingeniiſque parem.
Corporis erecti pulcra ora, ſtatumque decorum:
Candorem, magni atque integritatem animi.
Formoſos Venerum vultus, cultumque venuſtum:
Atque elegans, morum cum probitate, decus.
Scita Magiſtratus, normam cujuſque gerendi:
Regna deæ Themidos, judiciale forum.
Queiſcumque Ambactis quæ Juriſdictio: qualis
Sit Caſtellanis Regia Judicibus.
Omne Poteſtatis jus cunctas in ditiones
FLANDRORUM, atque merum CONCILII Imperium.
Denique præſtantum qui hominum virtute, vel artis
Doctrinâ, ingenio, conſilioque cato;
Seu ſplendore Togæ, Suadæque potentibus armis,
Seu rubro inſignes Martii honore Sagi
Profuerunt Patriæ rebus; ſermone diſerto
Nomina Lethæis eruit è tenebris:
Nec tantum illa acie ſcalpri deſcripta fidelis,
Et mage certa aliorum exhibita in Tabulis:
Omnia ſed nitidè Romano ſplendida amictu,
Suſpicienda Orbi & vera legenda dedit.
O te hôc cæleſti mentis clarore beatum!
O mactum tantâ te PIETATE Virum!
Cura DEI, SANDERE! Parentum amor: acre Bonorum
Ut deſiderium, ſic tuæ amans Patriæ.
Illo equidem Famæ illuſtris memoraberis Orbi,
Perpetuum vivet demeritumque decus;
Dum DEI erit cultus, & erunt in honore Parentes,
Digna PII ac Civis laudibus officia:
Dumque tuum ſtabit vegetum, mea FLANDRIA, nomen,
SANDERI & ſeclis innumerabilibus.
Sic, inteſtinis attritam heu! pænè duellis;
Annos ter denos, ferrea luſtra decem;
Adſpirante DEO, Auſpiciis Regiſque PHILIPPI,
FERDINANDORUM ut Ductu ita & Imperio;
Victa piis tandem precibus, manſura per ævum;
Te, miſerante oculo, PAX bona reſpiciat!

Admodum Reverendo & Præſtantiſſimo Viro Domino

ANTONIO SANDERO S. T. L.

Hiſtoriographo, Oratori, & Poëtæ celeberrimo Secundum Chorographiæ Flandrenſis Tomum edenti

Accinebat F. JOANNES MANTELIUS Auguſtinianus Eremita S. Theol. Licentiatus.

FOEdus amicitiæ quî, *vir clariſſime*, noſtræ,
Etſi forte velim, diſſimulare queam?
Donec enim occiduâ licuit ſubſiſtere terrâ,
Meque ſuo fovit Flandria opima ſinu:
Tu mihi ſimplicibus veluti dilectus ab annis,
Nec me forte tibi carior alter erat.
Suſpexi ingeniumque tuum, mentemque capacem
Cunctarum rerum, præter avaritiæ.
Magna ſonaturum obſtupui os, cæloque ſupinum
Pectus, cui calamo divite vena fluit.
Seu patriæ hiſtoriam ſubeat pertexere, & orbi
Pandere, ſit quantis Flandria macta bonis:
Quæ Comitum ſeries, quæ faſtis digna patrarunt;
Qui mores hominum, conditioque ſoli.
Eruis è tenebris longo ſquallore ſepulta;
Et facis hic civis quilibet eſſe queat.
Sic nempe hiſtorici menſuram nominis imples,
Omnis ut ingenio clara ſit ora tuo.
Carmine ſeu libeat fluere, aut Cicerone tonare,
Rhetoris & vatis munera rite ſubis,
Hinc, *vir magne*, tui extant tot monumenta laboris,
Sanderi hinc toties pagina nomen habet.
Non tot formoſæ Juvenes venantur amorem,
Non regum obſervant limina tot proceres:
Subjicis aſſidue quot terſa volumina prælo,
Et docto multas pectore fundis opes.
Huc nec te ambitio impellit, ſpesve urget habendi
Facundum utilitas, officiumque facit.
Quod fauſtum & felix igitur, jam prodeat alter
Hiſtoriæ, probat hos publica fama, liber.
Quorſum diſſimulem? livor malus audiat iſtud:
Majus enim invidiæ eſt cuſpide quidquid agis.
Nam tua venturis tranſcribes nomina ſeclis,
Disjiciens tetrâ ſpicula tincta luc.

IN FLANDRIAM,

à Reverendo Domino, & Viro docto,

ANTONIO SANDERO,

ILLUSTRATAM.

FLandrigenis pulchrum profert Antonius ἄνθος;
Naribus emunctis, luminibuſque placens.

ALIUD.

FLandria, quæ Solis luſtratur luce diurna;
Lumine Sanderi nocte dieque micat.

ALIUD.

EXteriùs tantùm luſtraris Flandria Phœbo,
Sanderi radiis omnia veſtra patent.

ALIUD.


ANtoni tanta Patriam qui luce decoras;
Aſtrifero niteas Sidus in orbe novum.

GREG. AYALA.

ANTONII

Digitized by Google

Digitized by Google


NOVA ANTIQVÆ FLANDRIÆ GEOGRAPHICA TABVLA Qualis ſub Balduino Ferreo et Iuditha, primis eiusdem provinciæ Comitibus, fuit
Auth. Nicaſio Fabio Canonico Cominiensi.
BRITANNIÆ PARS
Dubris
FRETVM BELGICVM
LITTVS
PAGVS
Gesſoriacum
GESSORIACVS
MORINI
Teruana
Pontes
Lutomagus
Duroicoregus
AM BIANI
Samarobriva alias Samarobriga
AT RE
PAGVS
ADARC TENSIS
PAGVS METHELEN
TISSIS
Nemetacum al. Metacum
PAGVS
BA TES
AVSTREBANTVS
Camaracum Cambray
Augusta Veromanduorum
CAME RACES
TORNA
Milliaria Mediocria
1 2 3 4 5 6 7 8 9



Digitized by Google

Digitized by Google

ANTONII SANDERI
FLANDRIA
ILLUSTRATA.

LIBER PRIMUS.

Flandriæ Deſcriptio generalis.

Galliæ Belgicæ diviſiones.

GALLIAM BELGICAM olim Octavianus Auguſtus in Germaniam primam, ſeu ſuperiorem, Germaniam ſecundam, ſeu inferiorem, & Belgicam proprie dictam diſtinxit: Ut ex Dione lib. 53. & Tacito lib. 1. Annalium datur intelligi. Belgicam verò propriè dictam Conſtantinus Magnus poſtea in primam ac ſecundam diviſit. Meminit illius diviſionis inter alios etiam Jacobus Meyerus lib. 1. annal. in hæc verba: *Dividebant Galliam Belgicam Romani in Germaniam primam, ſeu Superiorem, quæ Argentoratum, Nemetas, Vangiones, aliaſque Rheno propinquas continebat gentes: Et in Germaniam ſecundam, ſeu inferiorem, cujus caput erat Colonia Agrippina, cum Tungris ac Remorum Morinorumque maritimis populis, qui nunc Brabantini ac Flandri vocantur. Rurſus eandem ſecabant Galliam in Belgicam primam, cujus caput Treviri, cum Mediomatricibus, Leucis, & Virodunenſibus. Et in Belgicam ſecundam, ubi principatum tenebant Remi; habentes ſub ſe Sueſſiones, Catalaunos, Laudunos, Camaracos, Nervios, Morinos, Atrebates, Ambianos, Bellovacos, Noviomagenſes.* Hactenus Meyerus. In Germania prima Nemetibus & Vangionibus, adde Triboccos. In ſecunda ſub Ubiis & Tungris eos comprenhende populos, quos Cæſar uno nomine Germanos appellari dicit, videlicet Eburones, Condruſios, Pæmanos, Segnos, & Cæreſos, qui quidem quinque populi, cum Advaticis & Betaſiis generali Tungrorum nomine ſubſequentibus ſæculis comprehenſi fuerunt. In eadem quoque

Vide Tabulas Peutingeri; Itinerarium Antonini. Lib. cui Tit. Notitia Imperii. Divæum de antiq. Belgicis & nuper editas Gall. Belgica ſub Rom. Imp. vias militar. ab Aub. Miræo v. 6.

Germania olim Toxandri partim Maritimi, qui extera, hoc eſt, Zelandicas inſulas incolebant: partim Mediterranei fuerunt hodie Campinienſes appellati, pars Menapiorum, quos Julii Cæſaris ævo ea loca tenuiſſe conſtat. Ex hac autem diviſione factum, ut poſterioribus ſæculis id omne Terrarum, quod nunc Belgium appellamus à Germania ſecunda (præterquam quod vetuſtiſſimi Belgæ, & nos etiam origine ac Lingua Germani ſumus) nomen Inferioris Germaniæ jam dudum habuerit, & in hodiernam uſque diem retineat. In ea porrò Inferioris Germaniæ parte, quam modo Flandriam vocitamus quæque ſub Romanis principibus in Belgica ſecunda fuit, varii quondam populi ſedes habuere. Et ante eorum quidem in Galliam Belgicam adventum, præcipui fuere Nervii (qui eam præcipue ditionem, quæ nunc Hannonia, eique finitima incoluerunt) Νερούιοι à Ptolomæo vocati, quantum ex III. Europæ tabula conjicere licet. Hi Belgarum fortiſſimi, ut Belgæ Gallorum, Cæſare teſte, fuerunt. Præter hos Flandriam quoque habuerunt Morini, & Menapii, etiam Atrebates, tum præſertim, cum omnem illum, quem nunc Arteſiam vocamus, tractum complexa Flandria, ad Somonam uſque Fluvium Metropoli provinciæ Atrebato conſtituta ſeſe porrexit. *Haud quaquam obſcurum eſt*, inquit Meyerus, *ante Germanorum adventum, Flandriam partim à Morinis Atrebatibuſque, partim verò habitatam à Nerviis, & Menapiis.* Sed ad Flandros antequam veniamus, eorumque indolem egregiam, ac mores, quos præſens ætas agnoſcit: nonnulla de parentibus eorum, deque priſcis Flandriæ incolis in medium adferenda ſunt, deque Nerviis imprimis. Qui quanquam olim

Lib. 1. de Bell. Gall.

Lib. 1. Annal.

Veteres Flandriæ incolæ.

Digitized by Google

Nervii.

olim non omnem habuerint Flandriam, fines tamen illis fuiſſe latiſſimos ex Cæſare & Strabone liquet, *à Scaldi enim, ac prope ab ipſo Oceano*, ait Divæus Antiquitatum Belgicarum cap. quinto, *ad Treviros uſque imperabant.*

Vide Pontum Heuter. lib. 1. de veterum Belg. cap. XI.

Clientes eorum à Cæſare memorantur: Centrones, Grudii, Levaci, Pleumoſii, Gorduni. Ambianis ad occidentem conterminabant, ad meridiem Treviris. De hac re Cæſar lib. 2. *Ab eo*, inquit, *loco in fines Ambianorum pervenit: qui ſe ſuaque omnia ſine mora dediderunt. Eorum fines Nervii attingebant.* Et Strabo: Τρηβίροις δὲ συνεχεῖς Νέρβιοι, καὶ τοῦτο γερμανικὸν ἔθνος: id eſt Treviris valde contermini ſunt Nervii, & hi quoque natio Germanica. Et Nervios Germanos originitus eſſe, Tacitus non ſolum Straboni adſtipulatur, ſed ambitioſe, ut tales dicerentur, adfectaſſe etiam ſcribit. De eorum fortitudine idem mox Divæus: *quantum*, inquit, *ad Nervios attinet, omnium Belgarum difficillimè à Cæſare vinci potuerunt, adeò ingenitâ virtute cæteros præcellentes, ut nihil ad ſe quod luxui eſſet, aut corpora molliret importari paterentur.*

Vide lib. 2. de Bell. Gall. Cæſarem.

Ceſſerant Cæſarianis armis Remi, Sueſſiones, Bellovaci, Ambiani, at Nervii perſuaſis ſimul arma capere Veromanduis, Advaticis, Eburonibus, Atrebatibuſque: licet & Eburones ad præſcriptum non adeſſent, cum hoſte tamen ad Sabim duce Boduognato conflixere. Varia ſorte dimicatum, captis utrimque caſtris. Cæſar ipſe in magnum diſcrimen conjectus. Victi tandem ad internecionem Nervii nemine fugam moliente: mox vulgus latebris quo pugnæ initio abditi fuerant, egreſſum deditionem fecit. Quarto poſt hoc bellum anno cum Cæſar in Britannos iret, per Ambiorigem expugnatis Romanorum hybernis, Nervii Q. Ciceronem apud ſe hybernantem oppugnarunt;

Cæſ. lib. 5. de Bell. Gall.

advenit è Morinis Cæſar, hoſtemque congredi auſum magna clade attrivit. Et licet poſt eam victoriam Nervios obſidibus datis nihil vivo Cæſare novaſſe ſcribat Divæus: ex Cæſare tamen aſſerit Pontus Heuterus, poſt alteram hanc cladem iterum Nervios Advaticoſque bellum Romanis inſtigatione Trevirorum duciſque eorum Induciomari tertio paraſſe, ſed mox cæſis Treviris, interfectoque Induciomaro, Nervios, eorumque ſocios ab armis diſceſſiſſe.

Lib. 1. veter. Belg.

Anno tamen inſequenti iterum Treviri, Nervii, Advatici, cum vicinis Menapiis aliiſque aliquot populis bellum contra Romanos renovarunt.

Cæſar lib. 6.

At ſubito inopinatoque Cæſaris cum exercitu adventu oppreſſi Nervii deditionem facere, obſideſque dare coacti, in ſequentem uſque annum quievere, quo Cæſar eos Duce Vercingetorige Arverno cum univerſa ferè Gallia contra Romanos iterum conjuraſſe & ad communia caſtra pro liberanda obſidione Alexiæ cum cæteris Gallorum populis, quinque millium peditum adduxiſſe ſcribit.

Lib. 7. Bell. Gall.

Nerviorum poſtea, rebus ſcilicet eorum per tot clades attritis, Cæſar nullam mentionem facit, floruere tamen ſub Auguſto Titi Senectius & Anectius Nervii, quorum forti opera Romanos contra Germanos uſos fuiſſe Florus lib. CXXXIX Epitomatum T. Livii ſcribit. De Nerviis illa. Ad Menapios venio. De quibus non certiora dare poſſum, quam quæ Pontus Heuterus lib. primo de veterum Belgio cap. X. in medium attulit.

Menapii.

Menapios, inquit, amplam ditionem ante Julii Cæſaris adventum poſſediſſe in aperto eſt; ut etiam quod Germanica ſit gens, cum adhuc Cæſaris tempore ad utramque Rheni ripam habitarent, in hunc enim modum lib. 4. Bell. Gall. ſcribit: *in eadem cauſa fuerunt Uſipetes & Tenchteri quos ſupra diximus qui cum plures annos Suevorum vim ſuſtinuiſſent ad extremum tamen agris expulſi & multis locis Germaniæ triennium vagati ad Rhenum pervenerunt, quas regiones Menapii & ad utramque Fluminis ripam, agros, ædificia vicoſque habebant. Sed tantæ multitudinis adventu præteriti ex his ædificiis quæ trans Flumen habuerant demigraverunt & ad Rhenum diſpoſitis præſidiis Germanos tranſire prohibebant.* Quibus è verbis clarè apparet, Menapios Cæſaris tempore è Germanica Rheni ripâ ab Uſipetibus & Tenchteris fuiſſe depulſos. Qua autem ratione, quoque dolo Tenchteri ac Uſipetes mox Rheno trajecto, etiam Gallicam Menapiorum ripam occuparint, audi eundem eodem loco Cæſarem: *illi omnia experti cum neque vi contendere propter inopiam navium neque clam tranſire propter cuſtodias Menapiorum poſſent, reverti ſe in ſuas ſedes regioneſque ſimularunt, & tridui viam progreſſi rurſus reverterunt, atque etiam hoc itinere una nocte Equitatu confecto, inſcios inopinanteſque Menapios oppreſſerunt, qui de Germanorum diſceſſu per exploratores certiores facti, ſine metu trans Rhenum in ſuos vicos remigraverant. His interfectis navibuſque eorum occupatis, priuſquam ea pars Menapiorum quæ citra Rhenum erat, certior fieret, Flumen tranſierunt, atque omnibus eorum ædificiis occupatis, per reliquam partem Hiemis, ſe eorum copiis aluerunt.* Hac ratione pulſi utraque Rheni ripa Menapii, primo vere veteres agros, qui ampliſſimi erant, recipiunt, victis cæſiſque à Cæſare ad confluen-

fluentem Moſæ ac Rheni, ad internecionem Tenchteris ac Uſipetibus, ut eodem Cæſar libro ſcribit. Sed tantorum Cæſaris beneficiorum mox obliti Menapii, quum is cum exercitu in Britanniam trajeciſſet, arreptâ abſentiæ ejus occaſione, cum vicinis Morinis rebellarunt. Domiti mox à T. Labieno Morini, evaſtatique à Q. Titurio ac L. Cotta Cæſaris legatis, Menapii, denſiſſimis ſe Sylvis abdentes in contumaci hoſtilitate perſtiterunt. Hactenus ſic Heuterus, & idem mox. Fuere cum primum Cæſar in Gallias veniret ſedes Menapiorum ad utramque Rheni ripam, ut hodie ſunt Geldrenſium, Clivenſium & aliorum aliquot populorum, extendebanturque verſus Orientem ac Meridiem ad uſque Treviros & Eburones: in Occidentem ad Morinos, in Septentrionem verſus Batavos, horum ſocios, ac Mare Oceanum. In Germanica verò ripa ad meridiem Ubios, ad Septentrionem Sicambros attingebant; ita ut inter hos medii conſpicerentur. Poſt pauca rurſum Heuterus: poſt hæc Menapii ab Eburonum finibus uſque ad oſtium Fluvii Scaldis omnia occupavere, nimirum Cliviam ac Gelriam Ciſrhenanam trajectaque Moſa eam quoque Brabantiæ partem, quæ hodie intra Moſam ac Demeram amnes conſpicitur, ſui juris fecere. Oritur autem Demera circa opidum ditionis Leodienſis nomine Bilſen, & præterlabens Haſſeletum, Dieſtam, Arſcotum ac Mechliniam, hinc non procul Scaldim influit, quem quoque tandem Menapii trajicientes, eam Flandriæ partem, ubi nunc ditio Waziana eſt cum vicinis locis ſubegere, Imperiumque Menapiorum ad Morinorum & Nerviorum uſque fines extendêre. De Menapiis etiam Plinius: *A Scaldi*, inquit, *incolunt externi Toxandri plurimis nominibus, dein Menapii, Morini, Oromanſaci, juncti pago qui Geſſoriacus vocatur.* Et Strabo lib. 4. τελευταῖοι δὲ Μενάπιοι τῶν ἐκβολῶν ἐφ' ἑκάτερα τοῦ ποταμοῦ. Noviſſimi Menapii Galliarum ab hac parte Fluminis, quos Morinis conjungit: τοῖς Μεναπίοις δ' εἰσὶ συνεχεῖς ἐπὶ τῇ θαλάττῃ Μορινοί. docet & illud Dion. Caſſius libro 39. *ipſe*, inquit de Cæſare locutus, *in Morinos eorumque finitimos Menapios arma convertit*: Tacitus quoque lib. xx: *Et alia*, inquit, *manu Moſam amnem tranſire jubet ut Menapios, & Morinos, & extrema Galliarum quaterent.* A Menapiis verò, inquit Divæus, poſteriori ſæculo cum Franci rerum in Gallia potirentur, Menapiſcus Pagus fuit, inter Inferioris Germaniæ regiones celebratus, qui ab ulteriori Scaldis ripa ad Morinorum fines, ubi foſſa nova Flandros à Teroanenſibus tueri ſolebat, extendebatur. Circa Menapios igitur variæ mutationes contigere, primum vivo Cæſare è transrhenanis pulſi ab Uſipetibus & Tenchteris, hinc ſub Auguſto cis Moſam reducti, Tranſmoſanis eorum ſedibus Sicambrorum genti aſſignatis, poſtremò planè trans Scaldim à Toxandris ſubmoti ſunt. Ad Morinos venio, fortitudine Menapiis pares, nec à Romanis facile vinci propter inacceſſas paludes, & nemorum invia, neque ſedibus ſuis pelli potuerunt. *Morini*, inquit Meyerus, *ultima Gallicarum Gentium Civitas, noviſſimi omnium in populi Romani venere ditionem, perdiu paludum ac ſylvarum fiduciâ legatos mittere, & imperata facere detrectantes.* Quanta autem Morinorum fuerit potentia vel ex eo liquet, quod ipſi in prima omnium Belgarum contra populum Romanum conjuratione XXV millia armatorum pro communi patriæ tuitione polliciti ſint. Cambdenus antiqua Celtarum ling. ſic appellatos contendit, quaſi Marinos, ſive Maris accolas, quia, inquit, Mare Britannicè Mor vocatur. Hinc qui maritimam Galliæ regionem Angliæ proximam olim inſederunt, Morini ſua lingua dicebantur. Ita Armoricos Britanniæ populos quaſi ad Mare ſitos à Julio Cæſare & interprete ejus Strabone ἀρμορικοὺς nuncupari eruditis quibuſdam placuit. Vulgò tamen eorum recta eſt opinio, qui à Paludibus, quæ Moeren Belgis, dictos Morinos volunt, quaſi Moringos, Belgicè Moeringen/ paludanos, ſive qui circa paludes commorantur. Ita Goropius, Meyerus, Marchantius, Divæus, Ortelius, Scrieckius, Gramajus, Chifletius, & cætera ferè turba de Morinis aliiſque vetuſtis Galliæ Belgicæ populis ſcribentium. Et verè non ſolum ævo Cæſaris *Continentes Sylvas & Paludes habebant*: Sed hodieque non exiguas habent quibus cognomen vacabulum Moere. Inter Neoportum, Dunkercam, Winocibergam & Furnam nuper adhuc maxima palus fuit, nunc aquis alio tranſlatis ſicca, vulgò dicta de Groote Moere. Superſunt aliæ in Guinenſi Comitatu inter Guiſnas & Ardeam, minores etiam circa Ipras & per Flandriam paſſim. Morinos autem Goropius Becanus, Divæus, aliique in eo littoris tractu rectè collocarunt, in quo Bolonia, Geſſoriacus olim portus, cui Oromanſaci pagus olim junctus, Abbevilla, Dorlanum, Heſdinum, Comitatus S. Pauli, Pontieu, cum eo Picardiæ tractu. qui citra Flumen Somonam ſitus eſt, Caliſium, Gravelinga. Audomaropolis, Teroana olim Morinorum Metropolis,

Vide Caſ. l. 4. & 6. de Bell. Gall.

Vide Heuterum l. 2. cap. 14. & 15.

Lib. 1. antiq. Belg. cap. 14.

Morini.

Tom. 3. rerum Fland.

Vide Chifletium l. de portu Iccio.

Caſ. lib. 2. belli Gall.

Lib. 3. de Bell. Gall.

De Morinis vide nuper editos commentarios P. Joannis Malebrancis, Soc Jeſu Presbyteri.

lis, Aria, Broucburgus, Dunkerca, juxta quam ad Mardycium à Chifletio portus Iccius optime collocatus, Winociberga, Furna, Dixmuda, Poperinga, Bella, Ipra, Meſſina, Neoportus conſpiciuntur. Sic ut antiqua Morinorum Provincia id omne contineret quod hodiè diœceſibus Ipreſi, Audomarenſi & Bolonienſi comprehenditur, haberetque finitimos ab Oriente Menapios, à meridie Nervios & Atrebates, à Septentrione & occaſu Oceano cingeretur. Hinc Vibio Sequeſtro, ait Chifletius, de Europæ

Cap. 1. de portu Iccio.

gentibus, *Morini* dicuntur *Oceano juncti.* Æthico in Coſmographia: *Gentes Oceani Occidentalis.* Morinorum terram D. Paulinus Epiſtola ſecunda ad Victric. *Orbis extremam* vocat.

Lib. 3. cap. 2.

Morini etiam Pomponio Melæ *ultimi Gallicarum Gentium* crediti. Plinio *hominum ultimi*: Cadurci, inquit, Caleti, Ruteni, Bituriges, ultimique hominum exiſtimati Morini, imo verò Galliæ univerſæ vela texunt. Virgilio *extremi hominum*, ubi dona populorum oblata Auguſto Triumphanti recenſet.

Lib. 19. cap. 1.

8. Æn.

- - - *Euphrates ibat jam mollior undis,*
Extremique hominum Morini, Rhenuſque Bicornis.

Ob quas verò rationes Morini ultimi hominum dicti ſint, quave virtute Cæſari cæteriſque Romanis cum in eas partes venere reſtiterint, ex Chifletii portu Iccio, & ipſo Cæſare, qui volet, clarius intelligere poterit.

L. 3. Bell. Gall.

Ex his autem, quæ jam à nobis in medium allata ſunt, à tribus potiſſimum populis hanc Galliæ Belgicæ partem inſeſſam fuiſſe Morinis, Menapiis, Nerviiſque videmus. De quorum clientibus, ut aliquid etiam dicamus (eorum enim aliqui, vel ſi quibuſdam credimus omnes Flandriæ inquilini fuere) inſtituti noſtri ratio nos admonet. Cæſar eos hac ſerie recenſet, *Centrones*, *Grudios*, *Levacos*, *Pleumoſios*, *Gordunos*. *Centrones* ait Goropius, quanquam non illi aſſentiatur Divæus, habitabant, ubi hodie Cortracum eſt.

Centrones.

Nam Sentrono in Tungris opido accommodari nequeunt; tum quod non Eburonum, ſed Nerviorum clientes erant, tum quod illud opidi à S. Trudone monaſterium illic exſtruente nomen induerit, quum prius Harcinium diceretur. Et quamvis Divæus & Heuterus *Grudios* in Brabantia, ubi nunc Lovanienſes, ponant, quod Nerviorum olim imperium ad ea uſque loca, ubi nunc Brugæ ſunt, ſe non extenderit: Marchantius tamen Grudios illis locis aſſignat, ubi nunc Civitas viciniaque Brugenſis eſt, & adhuc Grouda pagus, & Gruthuſiorum antiquiſſima familia; quaſi Grutii, hoc eſt, grutis multiſque canalibus uſui appoſitis nobiles, quibus plurimi pontes inſtrati, eam urbem à ſe Bruggam poſtea nuncuparunt.

Grudii.

At *Levaci* non Lovanii, quod in ultimo Eburonum limite jacebat, ſed ad Sluſam, Ardenburgum, Ooſtburgum, Axelam, ubi infimam Flandrici littoris partem eſſe tot inundationes nimium docuerunt, degebant: à Leeg & Waet/ hoc eſt partium ad Mare inferiorum cuſtodia, nominis fabricam nacti.

Levaci.

Pleumoſii autem Morinorum, finibus proximi, circa Furnam, Honſcotam, Dixmudam, ubi tempore hyberno plurimum cæni & uliginis, commorabantur. Ita vocitati, quod ad ſegnes aquas, & cænoſa loca, quæ Moſen vernæ noſtri dicunt, Bi apud, Leu tardum denotante, habitabant: hinc Bileumoſii, breviuſque Pleumoſii denominati.

Pleumoſii.

Gorduni in monte Blandinio Gandavi, ubi D. Petri monaſterium, ſedes figebant: quod *Gor* Brabantis *paludem* & *Duun* noſtratibus *collem*, ſignantia, ſive colles in ſtagnis ſitos occuparent. Aliter tamen de Gordunis Scrieckius; cujus ſententiam, cum de Gandenſibus rebus ſermo erit, enucleabimus.

Gorduni.

At præter omnes illos in Flandria etiam habitaſſe Cymbros & Rutenos Meyerus fidiſſimus Flandricarum rerum ſcriptor commemorat.

Cymbri. Ruteni. Lib. 1. annal.

Clodio, inquit, *Francorum Rex ducto in Morinos exercitu, Golduerum Rutenorum Cymbrorumque Ducem Morinis ſuppetias occurrentem una cum filia cepit, Tarvannam Morinorum urbem diripuit, captivam Goldueri filiam Flandberto ex Bleſinde ſorore nepoti nuptum dedit, illumque pulſo Romanorum præſidio Belgici littoris præfectum conſtituit cum quo Cymbris Ruteniſque ac plagæ omni Maritimæ imperitaret, pateretque tum Francis terra marique in Galliam aditus. Is Flandbertus nominis Flandrici conditor, parenſque fuiſſe creditur, Cymbroſque & Rutenos nomine ſuo Flandros feciſſe, Holdino uxoris fratre domo patriaque expulſo.* Idem mox: De præfectura autem hac littoris Belgici præcipuè in libris de Magiſtratibus Romanorum fit mentio; quod quidem & à crebris Saxonum incurſionibus Saxonicum littus dici cepit, quemadmodum & Ruten nunc à nautis noſtris appellatur, à Rutenis, puto, Saxonum aut Cymbrorum natione, à quibus & memoriam eſſe invenio Flandriam antiquitus Ruteniam ſeu Ruthiliam fuiſſe dictam. Cymbri autem per longam ætatem eadem loca tenuiſſe memorantur, qui cum Guiderico Britanniæ Rege, ut Hector Scotorum hiſtoricus refert

Digitized by Google

fert contra Cæſarem Britannias invadentem, una cum Morinis & Maduis conjuraverunt. Claudianus Poeta Rhenum per duo oſtia accipi tradit à Mari Cymbrico, de Victoria Alarici.

- - - - Te Cymbrica Thetis
Diviſum biſido conſumit Rhene meatu.

Nam anno ante natalem Chriſtianum plus minus centeſimo egreſſi ab extremis Germaniæ littoribus, ubi nunc Dania eſt, ſedes fixerunt in ora Galliæ Belgicæ maritima. Idem Tom. 1. rerum Fland. Cymbri, ait, Ruteni, ſeu Ruſſii, Suevi, ac Friſii, Batavi, Franci, Vandali, Gothi, Saxones, Hunni, Scytæ, Dani, partim uno & eodem, partim diverſis temporibus Flandrias incoluiſſe putantur. Tanta olim omnium gentium permutatio, permixtioque fuit. De Cymbris & Ruſſiis laudare poſſum vetuſtiores Flandricarum rerum ſcriptores, qui conſtanter tradunt majores noſtros primum Cymbros, deinde Rutenos, denique Flandros dictos. Hi ſunt Cymbri, & Nerviorum natio quædam è Belgico littore, quæ cum Odoacre Gothorum Rege Romam ad annum 471. cepit: eorum videlicet ſoboles, quos in æſtuaria & littus Belgicum à Cæſare pulſos Romanæ narrant Hiſtoriæ. Verum enim verò, ut non ampliora jam de antiquis Flandriæ Colonis in medium adferri debeant, ſilentio tamen illud minimè involvi poterit, poſt exactos è Gallia Belgica Romanos, & rerum in ea potientibus Francis, omnem hanc provinciam tribus potiſſimum pagis, Flandrenſi, Tornaceſio, ac Menapiſco (qui celebrior erat, & à quo nomen tota ferè Flandria capiebat) conſtitiſſe. Quod ex actis Cœnobiorum Bertini & Bavonis, ex vita SS. Folquini, Gerulphi, Amandi & aliorum, ex fundatione Collegii Caſletenſis, & Watanenſis, ex libris Normannicarum incurſionum & aliis publicis monumentis ma-
Tom. 1. f. nifeſtum fieri poſſe tradit Meyerus. Tornaceſius pagus à Tornaco, Flandrenſis à Flandris, à Menapiis Menapiſcus, inter duos alios ſitu medius nomen habuit. Quæ Provinciæ ſectio ut per aliqua ſæcula durarit, lapſu tamen temporum variis modis immutata, in eam tandem formam, quam
Flandriæ Etymon. præſente ſæculo cernimus tranſivit. De qua priuſquam loquamur, de Etymo Flandriæ, quod etiamnum ſervat, deque vocis illius origine indagare oportet. Et quanquam non pauca hactenus, nec obſcura, fateor, ingenia in eo ſudaverint, ut veram nobis ac genuinam Etymi illius traderent rationem: illius tamen certa hactenus, & indubitata ratio (quantumvis non adeò magnæ ſit antiquitatis nomen) laborioſa licet inveſtigatione quæſita, donari non potuit. Quod non ſolum in ratione certâ Etymi Flandriæ tradenda contingit, ſed in Brabantis, Hollandis, Hannoviis, Leodienſibus, Geldris, quinimo tota Germania (ut Divæus præf. rerum Brabanticarum ait) locum habet. Qua de revide Lipſium in Lovanio lib. 1. cap. ult. Petrus Oudegerſtius in iis, quos Francico ſermone ſcripſit annales, curioſus alioquin rerum Flandricarum indagator, Flandriæ nomen & Flamingos, à Flamindo & Flandberto ortum ait. Illos Belgicæ reges Bavaci in Hannonia ſedem habuiſſe, & inde à Cajo Cæſaris Legato pulſos, ad Menapios Morinoſque fugiſſe, novamque iſtic Belgicam, quæ nunc Bella ſeu Balliolum foret, condidiſſe tradit; Sed cum non ullo probato auctore ea ſententia nitatur, gratis aſſeritur. Neque placet altera, quæ Flandriam à Flandrina quadam Liderici ſecundi conjuge dictam putat. Minus tertia, quæ à crudelitate Phinardi cujuſdam Principis Bucani, qui ob cædes & latrocinia **Vlaminck** dictus, voce à **Vlaen** / & **Mincken** compoſitâ, nomen hoc Flandriæ indidiſſet, cum diu ante Phinardi & Liderici ſecundi tempora in annalibus mentio Flandriæ & Flandrorum fiat. Arridet magis, ***Flandriam à fluctibus ita nuncupatam.*** Inclinat, animus inquit Meyerus, ad annum Chriſti 445, ut Flandras neſcio *Lib. 1. annal.* qua lingua, fuiſſe putem æſtuaria ea forma, qua poldras vocamus, unde mare per aggeres excludimus. Venio in eam conjecturam ideo quod omnia quæ æſtus aliquando alluit marinus, in pago Flandrenſi ſita legamus, reliqua in Menapiſco. Et idem Tom. 1. rerum Fland. De nomine autem Flandriæ utrum Latina ſit natum voce an Germanica, Grammatici certant, & adhuc ſub judice lis eſt: aliis putantibus fuiſſe hoc noſtro in littore, dominantibus hic Romanis, quædam loca Flandria, ſeu terras Flandrias à ventorum flatibus ſic dictas, accolaſque hinc Flanterranos ſeu Flanterrenſes. Ita Meyerus. Quem in ſequentem modum ſecutus Marchantius, Flandriæ, inquit, etymon, minus certâ ſcientiâ, quam variis conjecturis ſubnititur, non ſecus quam Brabantiæ, Geldriæ, Hollandiæ, Walachriæ, aliarumque plurimarum regionum Etymologia. Archiva Cœnobii Benedictini Aldenburgici ab æſtuante ventoſoque mari dictam eſſe Flandriam: & ad ſitum naturamque regionis, ventis in objectas Sylvas reſonantibus obnoxiæ, à nomine ubi ad Boream vergit, non abhorrentem, reſpexerunt. Scepperus, Nan-

Digitized by Google

Nanniusque à Flendren ſeu Flaiddren/ qua voce Germani ſagittas denotant, nominis fontem eliciebant, quod in belli paciſque exercitiis arcus tenderent. Et poſt pauca idem Marchantius. Ad ultimum, inquit, ſi noſtram conjecturam Gulielmo Damaſo Epiſcopo pridem doctiſſimo conſentaneam, ſubjicere fas eſt, à multorum, aliorumque ſubinde ex Germania populorum adventu Vlaendren contracte quaſi vele aendeeren nomen fortè accepit: ut Aliemanniam ab *Alleman*, ceu omnis generis virorum colluvie, Agathias in bello Gothorum interpretatur. Hactenus ita Marchantius. Cui nihil etiam certi aſſerere auſum conjungo Heuterum in lib. 2. de ſui ſæculi Belgio cap. 15. *De Flandriæ*, inquit, *Etymo nihil certi habemus. Quod enim quidam adferunt de fœmina Flandria, fidem non meretur, cum nullum probatum teſtem adducant, præter Flandriæ Chronica vernaculâ linguâ conſcripta, mendaciis referta, præcipuè in initiis. Quæ de æſtuariis adfert Meyerus frigidæ ſunt conjecturæ: qui à fluctu aut flatu deducere conantur, de longo durum quærunt Etymon; ut & illi qui à Flaincken quo Marini æſtus reciprocationem ſignificare volunt, ſed non docent: qui ab opido Flandro dudum exciſo trahunt, teſte carentes, fide carent. Poſtremi ab ordinum quodam ductore nomina Stephano Flamberto regioni dant nomen, verum quoniam & hi teſtibus deſtituuntur, præſertim in tanti meriti tam claro duce, non video, quare in eorum ſententiam ſit concedendum. Quamobrem rei veritatem in medio relinquo.* Hactenus Heuterus. Ad me vero quod attinet, Provinciam hanc vel ab æſtuariis, ac flatu fluctibuſque marinis, (quibus Flandrenſis pagus perquam obnoxius, ac plurima ſæpe graviſſimaque damna perpeſſus fuit, adeo ut etiam, anno CIↃ CCCXL. in agrorum cenſu ac venditione caveretur: ut ſi intra annos decem mare in ea loca exæſtuaret, caſſus irrituſque contractus eſſet;) vel à Flandberto Bleſindis filio Flandriam nominatam aſſerere auſim. Vixit Flandbertus ille ad annum Chriſti 445. Mecum ſentit Munſterus lib. ſecundo de Gallia, nec ab ea ſententia abhorret Meyerus, qui lib. 1. Annalium *Flandbertus*, ait, *nominis Flandrici conditor, parenſque fuiſſe creditur, Cymbroſque & Rutenos nomine ſuo Flandros feciſſe.* Conſentit quoque Chronicon S. Bavonis in hæc verba *anno Domini 436. Flandbertus filius Bleſindis ſororis Clodionis Regis, ab ipſo Clodione Francorum Rege avunculo ſuo provinciam maritimam ſupra mare ſitam, inter Scaldim & Somonam impetrat, & eam primò à nomine ſuo Flandberto Flandriam vocat.* Et in eadem planè ſententia eſt Georg. Cabelliavus annalium Aldenburgenſium, qui in eodem Cœnobio mſſ. ſervantur, auctor: quam non inſolidis rationibus probat, & pro ſe quoque Judocum Badium adducit. Cui & cæteri ferè ſcriptores aſſentiuntur, adeo ut ſi aliquam hac in re viam tenere velimus, non certior ulla appareat, quam ſi per ea, quæ de flatibus & Flandberto in medium allata ſunt procedamus.

Additio ex Auctuario primæ edit.

Non ſum iturus extra oleas, ſi quæ *Georgius Cabelliau* Annalium Aldenburgenſium auctor, de Flandriæ etymo cæteris fuſius, accuratiuſque ſcripſit, huc in medium adducam. *De ſolo nomine Flandriæ*, inquit, *uſque hodiè certant hiſtorici, undenam nominis originem ducat, & an latina voce natum ſit, an germanica:* adeo ut & ſibi ipſis quidam parum conſtiterint, & adhuc ſub judice lis ſit. „Ego autem in tan-
„ ta opinionum varietate, nec ex proprio
„ adfirmare auſim ingenio de quibus du-
„ bitant alii, ſed quæ ex noſtri potiſſi-
„ mum monaſterii archivis accepi, quibus
„ & ſubſcribunt pænè univerſi, fideli nar-
„ ratione cæteris communicavero. Novi
„ enim quod incerta pro veris temerè
„ aſſerere, hiſtoriæ auctoritatem eludere
„ ſit: & ea quæ traduntur, ſilentio ſub-
„ ticere, etiam rerum ſit obfuſcare me-
„ moriam. Sunt itaque qui ante natalem
„ Dominicum Pleumoſios, ſive Fleumo-
„ ſios nos eſſe dictos autument à πλῆμα,
„ ceu plama, hoc eſt ab inundatione ac-
„ cedente: ac temporis ita demum pro-
„ ceſſu Flamingorum inde nomen (muta-
„ tione duntaxat litterarum aliquanta) de-
„ rivatum. Alii à Flandris nos circiter
„ annum 436. dici cœpiſſe contendunt:
„ Flandraſque neſcio qua lingua majores
„ noſtros priſcâ voce appellaſſe æſtuaria
„ (hoc eſt loca illa maritima, quæ O-
„ ceanus nonnunquam inundabat) ea for-
„ ma, qua etiamnum poldros appellamus,
„ unde mare per objectos aggeres (dunos
„ vocant) excludimus. In eam rapiuntur
„ conjecturam, quod pagus olim Flan-
„ drenſis is dictus ſit duntaxat, quem
„ æſtus quandoque alluit marinus: qua-
„ tenus aquationem nimirum, hoc eſt
„ vectigal (gentiliter Waetergnghe appel-
„ lant) etiamnum ſolvit aquaticum: quan-
„ quam ea quæ extra ipſa erant æſtua-
„ ria in Menipiſco ſita fuiſſe memoren-
„ tur & in hanc etiam manibus pedibuſ-
„ que conceſſiſſe ſententiam Meyerus in
„ ſuis commentariis luce clarius deprehen-
„ di queat. Alii autem etiam ejus ſatis ac-
„ cedentes opinioni à flatu ventorum dici

Flan-

„ Flandriam volunt; quod terra nimirum
„ illa littoralis (quam & ſolam pagum dici
„ Flandrenſem conteſtantur) declivis ſit
„ admodum & plana, arborum, ſilva-
„ rumque exors, ac ventorum ob id fla-
„ tibus obnoxia ſemper & expoſita, ip-
„ ſaque ita demum inde loca, effícto vo-
„ cabulo Flandras, quaſi flantes terras
„ dicta. Quod ab antiquis tamen noſtri
„ hujus monaſterii ſcriptoribus deſump-
„ tum nemo, qui Meierum excutiat,
„ diffitebitur. Nonnulli verò Flanbertum

Francorum Regis, Clodionis ex Bleſinde ſorore nepotem, Leonis ac Zenonis Imperatorum temporibus, Felice ejus nominis ſecundo Romani Pontificatus arcem tenente, nominis Flandrici parentem ac conditorem prædicant, quod magnam ipſo nomine veriſimilitudinem habere videatur, quodque illum pulſo hinc Romanorum præſidio, dictus clodio belgici olim littoris (circiter annum Domini 445) præfectum conſtituerit; cum quo Cimbris ac Ruthenis (qui id temporis ea tum loca per longam tenuerant ætatem) ac plagæ ſimul omni maritimæ imperitaret: pateretque ita Francis terra marique in Galliam aditus. Sed & *Cimbros eos Rutenoſque* tunc appellatos à proprio ſuo nomine Flandros nos demum feciſſe atteſtantur: à quibus & memoriæ traditum reperio, Flandriam antiquitus Rutheniam ſeu Ruthiliam appellatam. Sunt autem qui & Flandriæ à Carolo Magno nomen volunt inditum, ſecundum Liderici Harlebecani conjugem Flandrinam nomine, quod dictus Lidericus ab ipſo Carolo circiter annum Domini DCC XCVI primus toti Flandriæ ad Oceanum uſque Princeps ſit inauguratus: tametſi eam explodentes ſententiam nonnulli uxorem habuiſſe contendant Ermingardem nomine, Gerardi Ruſcinonenſis ex Berta Senonenſi filiam: ex qua filium nimirum & hæredem ſuſtulit Engelramum. Petrus Nevius etiam miſcellaneorum lib. X contendit, Flandriam à germanica voce Flandrem, quæ ſagittam ſonat, derivari. Quidam etiam aliunde nominis ejus originem eliciunt. Sed cum aliorum accuratè ſic de Flandrici nominis etymologia opinionem recenſuerimus, reſtat demum ut & ad patrum hujus noſtri monaſterii ſententiam convertamur, quam ab annis amplius quingentis ſcripto nobis reliquere. A qua (cum præcipuos hactenus rerum Flandricarum ſcriptores ei communi ſuffragio aſſentiri noverimus) nos deficere neſas ducimus. Flandria, inquiunt, ab effectu dicitur: tanquam flatibus vel fluctibus diuturna, ac ſi aptioribus dicerent verbis, in flatibus vel fluctibus diuturna, continuaque ducens tempora, vel longa diuturnaque flatuum ſive fluctuum infeſtatione afflicta. Flandria enim ea duntaxat dicebatur pars littoralis Oceano proximior, quæ ob ſui nimirum declivitatem æſtibus nimium obnoxia marinis, ventorum procellarumque turbinibus ita impetebatur creberrimè, ut & omnis hic ille locus Flandrius, ſeu terra Flandria, accolæ vero Flanterrani ſeu Flanterrenſes, tanquam ab effectu, ut appellant, quo tum ventorum, tum & aſſiduæ pæne inundationis afficiebatur indies incommodo, dicerentur. Cenſuerunt namque æſtus hujuſmodi ſeu inundationes priſcis illis temporibus eſſe adeò frequentes, ut & fundi dominus in locationibus exciperet, ſibi non fore fraudi, ſi forte intra decennium mare locatum agrum aut percurreret, aut poſſideret. Nunc vero ſeptis illis marinis fortius multo, atque artificioſius conſtructis, non ita ſæpe amplius contingunt. Hinc ceſpites adhuc illos, nigras nimirum bituminoſaſque glebas, darinc vocant, quas lignorum inopia maritimi hic paſſim ex agris villiſque effodiunt, ſæpedictorum æſtuum, ſeu inundationum præferre volunt indicium, *aſſeruntque* terras illas æſtuarias exundantis Oceani undis quondam cum ſuis ſedibus obrutas immenſoque pulveris aggeſtu fluctuum crebra impulſione ſuperducto oppletas ita, & in profundum verſas in hujuſcemodi demum materiam ſub terra coaluiſſe. Indicio eſſe videntur, magnamque veri habent ſimilitudinem, ligna illa tanquam ex trabibus, tignis, aut domorum poſtibus, uſque adeo & oſſa atque calvariæ ſtupendæ magnitudinis (ut ætas nimirum illa proceriora hominum producebat corpora) quæ cum illis nonnunquam ceſpitibus ſolo refoſſa perhibentur: quodque hujuſcemodi glebæ in maritimis non niſi iis partibus reperiantur, quas pagus duntaxat Flandrenſis tum comprehendiſſe putatur. Sed hæc tam multo ita ſermone intulero, ut Flandriam vel à flatibus vel fluctibus marinis (juxta antiquam nec reprobandam patrum noſtrorum ſententiam) nominis duxiſſe originem inſinuem. Ea ſiquidem & graviſſimis ita ſcriptoribus quibuſque uſque adeò & neotericis jam ipſis probabilis viſa eſt, ut ejus comparatione omnes aliorum hiſtoricorum nænias ſordere putaverint, ac vilipenderint: noſtratumque ſolam tanquam ex tripode profectam amplexati ſint. Unum adducam Jacobum Meierum eorum, qui Flandricis quid de rebus commentati ſunt (abſit invidia) facile principem, non ſemel ita in ſuis commentariis differentem. Flandbertus, inquit, annalium Flandriæ

lib. I., nominis Flandrici conditor, parenſque fuiſſe creditur, Cimbroſque & Rutenos nomine ſuo Flandros feciſſe. Quæ quamquam magnam videantur habere ſimilitudinem veri, tradanturque à nonnullis ſcriptoribus; inclinat tamen animus, ut Flandras fuiſſe putem æſtuaria. Venio in eam conjecturam, quod omnia quæ æſtus alluit marinus in pago Flandrenſi ſita legimus, reliqua in pago Menipiſco. Ad hæc facere videntur acta Aldenburgenſis Cœnobii, in quibus mandatum eſt memoriæ, à flatibus ſeu fluctibus marinis Flandriam eſſe dictam. Idem quoque lib. XI, Vleu fluctum, inquit, ſonat, in harſleu, honfleu, vlaen ſeu phlaen, æſtuaria, hinc Flandren terræ æſtuariorum, quemadmodum ad mare Suecicum juxta Pruſſiam Eyflandos forte, Eyflandros populos, & Vladirtingam Hollandiæ puto ſimiliter ab æſtuariis antiquitus dici. Et hæc conſonant cum eo, quod reperio in vetuſto admodum codice cœnobii Aldenburgenſis, Flandriam dictam eſſe à flatibus ſeu fluctibus marinis. Nam de Flandbertis quod quidam tradidere, fabuloſa eſſe puto. Idem quoque Flandricarum *rerum tomo primo decadis* primæ. Alii, inquit, putant fuiſſe hoc noſtro in littore, dominantibus hic Romanis, quædam loca Flandria, ſeu terras Flandrias, à ventorum flatibus ita dictas, accolaſque hinc Flanterranos, ſeu Flanterrenſes: qua in opinione ſunt Aldenburgenſes Cœnobitæ in regeſtis & actis ſui Cœnobii. Et idem ubi ſupra tom. VIII, Nonnulli, inquit, Liderico germanici ſanguinis uxorem fuiſſe volunt nomine Flandrinam, ab eaque muliere Flandros nos demum dictos: ſed ſatis, ut opinor, ſupra expoſitum eſt, multò antiquius Flandriæ eſſe nomen, quod alii à Flanberto Principe, alii à flatibus ſeu fluctibus marinis manaſſe putant. Hæc ita Meierus. Judoci autem Badii viri undecunque doctiſſimi in quadam ejus epiſtola ſententiam noſtræ etiam ſatis conformem reperio ita proteſtantem. De antiquitate gentis (haud dubiè Flandrenſis) certum eſt, partem, præſertim illam, quæ pagus Flandrenſis dictus eſt, cultam circiter annum Domini 436, quo tempore volunt Flandriam dictam vel à flatibus marinis vel à pago dicto: ipſumque pagum vel à flatibus, vel à Flandberto quodam loci Principe accepiſſe nomen. Poſt memoratos autem ſcriptores duos tertius in patrum noſtri monaſterii ſententiam conceſſiſſe etiam reperitur Jacobus Marchantius Nioportuenſis in libro ſuo ſingulari ad Comitem Egmondanum de rebus Flandriæ memorabilibus inſcriptum ita differens. Qui ab æſtu ventiſque maris Flandriam ita dictam opinantur, ad ſitum atque naturam regionis à nomine non abhorrentem reſpexerunt: ab annalibus (inter archiva Cœnobii Aldenburgenſis) non alieni: In quibus altior ſylviſque denſior hujuſce telluris conſtitutio, Menipiſcus à Menapiis appellatur, de clivis vero atque inundantis Oceani fluctibus terra obnoxia Flandræ nominatæ ſunt, effectumque deinceps fuit, ut hoc poſterius nomen non ſolum prius illud, verum & totam Belgicam ferè obſcuraverit. Hæc Marchantius: cum quo & ego meam ſimulque patrum noſtri monaſterii opinionem de nominis Flandrini origine finiens, ad ſequentia accingor. Ita Cabelliau.

Flandriæ Situs.

Atque hæc de nominis Etymo, ad ſitum tranſeo. Hujus regionis appellatio latius olim patuit, complexa Arteſiam, quæ poſtea avulſa, claudebaturque mari oceano ac fluminibus Scaldi ac Somona. Hodie Flandriam ad occaſum reſpicit cum nonnulla Arteſiæ portione Oceanus Britannicus, ſeu mare Germanicum: ad Septentrionem idem Oceanus cum Honta ſive oſtio Scaldis, quod Flandriam à Zelandia diſterminat, ad ortum jacent Hannonia & Brabantia, ad meridiem denique Arteſia Hannoniaque cum parte Picardiæ occurrunt. Patet ergo in longitudinem itinere tridui à Scaldi, Antverpiâ ad novam foſſam millia paſſuum XXXIII. Latitudo ab ortu in occaſum, id eſt, Ninovia Gravelingam uſque, tantundem fere itineris, id eſt, triginta circiter milliaria complectitur. Sunt qui Flandriam olim cum Anglia cohæſiſſe,

Sed loca vi quondam, & vaſtâ convulſa ruinâ
(Tantum ævi longinqua valet mutare vetuſtas)
Diſſiluiſſe ferunt. cum protinus utraque tellus
Una foret, venit media vi pontus, & undis
Anglum Flandriaco latus abſcidit, arvaque & urbes
Littore deductas anguſto interluit æſtu.

Quam autem bene id aſſeratur, non eſt hujus loci aut temporis diſputare. Illud quidem iidem extra controverſiam ponunt, connexam aliquando cum Flandria noſtra Zelandiam fuiſſe, & perpetuos antea fabuloſos utriuſque Provinciæ colles anno Chriſti 980. intermediâ foſſâ diſtinctos juſſu Othonis ejus nominis tertii Imperatoris Romani, Galliam interfinio iſto ab Imperio ſeparantis.

Cœ-

Cœli temperies.
Alia naturæ dona.

Cœlum regionis totius temperatum, clementiſſimum autem ac ſaluberrimum, quà Auſtrum ſpectat. Terra paſſim fere plana aut collibus non difficilis, inutiliſve: ſi qui ſunt montes, aut impoſitis urbibus habitantur, ut Caſſetanus & Gheersbergius; ad quem tractum ſæpe Flandria, *ait Marchantius*, intumeſcit, aut opportuni ſunt ſuperſtructis molis ſive granariis ſive oleariis aſſiduo vento agitatis, velut mons acutus, Cattorum, aliique. Neque hyemis rigore nimio exaſperatur, neque æſtatis fervore exuritur, aëre ſalubri, auris marinis terreſtres noxioſque ſpiritus eventilantibus. Fluminibus lacubusque navigabilibus ac piſcoſis irrigua eſt. Sunt ea Scaldis ſemel atque iterum Cæſari, ut ſabis memoratus. Is inter arces Chaſtelet ac Beaurevoir juxta Abbatiam D. Martini apud Veromanduos ortus rectàque Cameracum petens, inde Bouchainum tendit, ubi Senſeto amne auctus, Valencenas mox ſecat, ubi navigationi factus idoneus recepto Sella amne fluit Condetum, & ejus oppidi mœnia lambens Hainæque & Honnavii fluviolorum aquis intumeſcens delabitur Mortaingnam, ubi cum Scarpa Atrebatenſi ac Duacenſi mixtus venit Tornacum, inde Aldenardam, & mox Gandavi Legiam, Lievam, Mouramque recipiens ſinuoſo lapſu Teneramundam tendit, ubi Tenera recepto, pauloque poſt ad arcem Rupelmondanam, Durmam cum humili ſuſcipiens Rupella jungit ſe Demeræ, & aliis è Brabantia venientibus aquis, rectà contendit Antverpiam, cives ſalutat, mœnia attrectat, ac urbium reginæ portum inſignem tutumque præbet, atque inde ad aliquot lapſus milliaria, & ſalſugine maris admiſſa, in duo ingentia, facto aquarum divortio, ſe ſcindit membra, duobuſque in Oceanum oſtiis properat. Eum à Ptolomæo Tabudam vocatum aſſerit Goropius aliique.

Legia.

Poſt Scaldim maximus Flandriæ fluvius Legia ſive Liza. Oritur is è media Atrebatum ditione in Comitatu fani D. Pauli, juxta Abbatiam Rouſſeanvilleam, unde placide labens, mox pago Liſburgo ex ſe dat nomen; indeque pluribus receptis rivulis, morinorum Teroanam nunc exciſam lambit, inde Ariam veniens, & duobus amnibus auctus, mox Flandriæ limites ingreſſus, ejus longitudinem Gandavum uſque in duas fere partes æquales ſecat, Flandriam efficiens cis & tranſlizanam. Arià fluit Haveskerckam, inde Mervillam, tum Armenteriam, ubi ad pagum Dulcemontium Duelam Inſulenſium amnem recipit, cum quo Warneſtonium Cominiumque, Busbecam, Viroviacumque progreſſus, alluit Menenam & Halewinum, ac dulcibus aquis rigans Wevelghemii aſceterium venit Cortracum, & recepto in itinere Mandera torrente ſexto inde milliari, Gandavo illabitur, ubi nomen & alveum Scaldi cedit, à fonte milliaria circiter Brabantica 34 emenſus.

Minores Fluvii.

Præter hos, minores licet, Flandriam beant fluvii, Tenera, Livia, Ipra, Aa, Scarpa, Rupela, Iſara, Colma, Pæena, Durma, Mandera, Deula, & quæ nuper magno Flandrorum, ac præcipuè Brugenſium commodo foſſa Gandavo Brugas diducta eſt.

Flandriæ Sylvæ.

Habet & Flandria ſuas Sylvas, eaſque utiles valde, & amœnas, inter quas Niepa & Nonna principem locum tenent; habet nemora ex laciniis Arduennæ, quam à Rheni ripis uſque ad Eburones, Menapios, Nervios, Morinos, Atrebateſque fuiſſe protenſam, Cæſar aſſerit atque Strabo.

Soli fœcunditas.

Ager in Flandria fertilis, ſationi & agriculturæ nuſquam fere non idoneus, alibi vero & præſertim qua Oceano & Galliæ vicinus eſt, raræ cujuſdam fæcunditatis. Cervorum etiam & aprorum, leporum & cuniculorum, apum, variarumque alitum: Copioſa poma fert quoque exotica, ut cotonea, perſica, bericoccia: Cytriorum etiam, Aurantiorum, Limoniorum, & ficum interdum calidioribus in locis nec inops, nec omnino inſuavis. Granorum, olerum, leguminumque omnis ferè generis fertilis. Frumentum tamen domeſticum ſæpe tantæ multitudini non eſt nutriendæ, abſque ſubſidiario exterorum. Butyri præſtantia (quod ad omnes cibos optimum præbet condimentum) atque excellentia ſumma eſt in agro Furnenſi & Dixmudano. De cujus bonitate cum quibusvis etiam nationibus Flandria in certamen venire non erubeſcat. Paſcua enim uti in Flandria paſſim læta, ita hoc in tractu lætiſſima, à quibus, ut dixi, Butyrum ſapidiſſimum, caſeus multiplex, ac præſtans, tam vaccinus, quam ovillus; luxuries herbarum, abundantia fœni, ac probitas graminum tanta, ut ad opimandos boves, aliaque enutrienda animalia, paucæ comparari, nulla per Belgicam univerſam ditio Furnenſibus, Dixmudanis & Loenſibus paſcuis anteferri poſſit. Quibus non immerito conjungatur ad occidentem Boreamque obverſa Franconatium terra, tam fortunata ac benigna animalium parens ac nutrix, ut pulli equini ex vicinis regionibus quotannis eo delati ab equiſonibus, pabuli bonitate atque aëris ſuavitate ex ſtrigoſis & macilentis pingues fiant ac generoſi.

Equi.

Et quos ille tractus producit equos, ut ad ferendam panopliam robuſti, ad aratra & alia onera fortes, ita forma inſignes

Digitized by Google

ſignes & quamvis obeſiores aliquanto, craſſioreſque, citi tamen ac pernices ſunt, multique ad nothos illos

Oves. Hiſpanienſes proxime accedunt. Ovium quoque tanta hic fœcunditas, ut unâ fæturâ ſæpius quinque vel ſex enitantur, tres aut quatuor ferè ſemper, Furnenſi nimirum Caſtellania, ubi ea vulgaris, in cætero pænè Belgicæ tractu incomperta. Alit & Flandricus ager animalia domeſtica varia ſaporis delicati & exquiſiti; nec deſunt aves cum aliæ innumeræ, tum Phaſiani, Perdices, Pavones, Ardeæ, Ciconiæ, Anates, Anſeres, Sturni, Turdi, Columbæ.

Piſces. Ex Oceano alluente, ex fluminibus, & lacubus magna omnis generis piſcium copia, tam indigenis, quam Arteſiis Hannonibusque ſuppeditatur. Non immerito igitur auctor ille judicii Panegyrici Flandriæ quadrimembris exclamat.

Flandriæ ubertas. Quis toto orbe celeberrimam omnium rerum in Flandria copiam, quis terræ fertilitatem, quis admiranda incolarum opera, urbium frequentiam, ædificiorum ſtructuras, mercatorum opes, magnificentiam oratione complecti ſe poſſe fateatur? Flandriam Deus terreſtrem alterum quendam, ut ita *loquar, paradiſum conſtituere voluiſſe* quodammodo videtur, cum ea ſoli ubertate, aëris temperie, aquarum abundantia regionem hanc donavit; ut rerum ad vitam humanam ſpectantium, quas profert, & varietate & copia facile inter omnes princeps habeatur. Quarum enim rerum inprimis non eſt propemodum ferax? cum cæteris regionibus hæc illi communia non miramur: omnis generis armenta in paſcuis, ut Waſianis ac Furnenſibus: ferarum multitudinem in ſylvis, ut Niepenſibus ac Poodsberganis: granorum leguminumque copiam in agris, ut Caſanto & aliis: in hortis herbarum odoriferarum, medicarumque, & arboreorum fructuum etiam exoticorum infinitas ſpecies non ſuſpicimus, &c.

Oppida. Sed & urbium pagorumque numero,

Pagi. ſitu, & opulentiâ nulla Belgii Provincia Flandriam antevertit. Etenim ſi acto per Ludovicum Guicciardinum cenſui ſubſcribimus, Brabantiæ oppida, ſive mænita

Lib. 1. Fland. Comment. ſint, ait Marchantius, ſive mænibus egeant 44. pagos 700. Gelria cum Zutphania oppida 30. pagos paulo amplius 300. Luxemburgum oppida 23. pagos 1159. comprehendunt. Hollandia oppida 37. pagos paulo ſupra 400. Zelandia oppida 12. pagos 102. Utriceſium oppida 5. pagos 70. Tranſiſulana cum Drento Tuentoque oppida 18. pagos aliquanto plures centenis: Friſia cum Groeninga oppida 13. pagos 490. continent. Arteſia oppida 11. pagos 854. Hannonia oppida 24. pagos 950. Namurcum oppida quatuor, pagos 182. complectuntur. At Flandria, oppida partim muris ſaxeis cincta, partim illis deſtituta 62. pagos 1145. comprehendit: qui pagorum numerus veriſimilior erit, ſi dinaſtias plus quam ducentas quinquaginta, pagis incluſas templi communione, juriſdictione ſeparatas, pagorum nomine veſtias. Quantum vero reliquas præiverit Canonis Dominici aliiſque emolumentis annuis, palam eſt ex regeſto Ipris aſſervato: ubi videre eſt, quomodo Maxæmilianus Auſtrius, ſtatim poſt aditum per uxorem Belgii Principatum ut indicaret Belgii Ordinibus dotalium redituum decrementa, demonſtrat ad Carolum ſocerum anno 1475. liquide perveniſſe; ex Burgundiæ Ducatu Comitatuque junctis 27. millia 40. lib. Turonenſ. ex Brabantia 12. millia 754. Luxemburgo 1180. Gelria 13. mill. 883. Hollandia 14. mil. 300. Zelandia 2685. Arteſia 17. mil. 683. Hannonia 12. mil. 199. Namurco 5936. Ex Flandria autem 42. mil. 390. rediiſſe. Præ cæteris etiam Belgii regionibus, à Principibus Belgicæ & culta & honorata fuit. Quum etenim aurei velleris comitia maxime nobilia ſint atque ſolemnia, nunquam alibi toties habita eſſe non ambigitur. Nam in aliquot Belgii provinciis nunquam: in Hollandia, Zelandia, Utriceſio, Tornaco, Burgundia & Hiſpania ſemel. In Arteſia bis & Hannonia. In Brabantia quater. Verum in Flandria & primum inſtituta ſunt, & ſepties celebrata. Omneſque ferme Belgii *Anno 1468.*
Principes Burgundici nominis, ac inprimis Brugis Carolus audax cum Margareta Anglicana tanto apparatu, ut Barlandi & aliorum teſtimoniis, *nihil à condito ævo ſol viderit eo ſplendidius*, & ipſe Maxæmilianus Auſtrius nuptiarum ſuarum feſta hic potius quam alibi exhibuere. Et de apparatu illo Caroli ut amplius aliquid dicam, fuit tum temporis ad Palatium Principis leo adductus, cujus dorſo ſportulis quibuſdam variæ impoſitæ aviculæ, cum in ipſum cænaculum introductus eſſet, ſubito evolantes, tam vario ſuo cantu, quam ſuavi, proceres mirum in modum recrearunt: & leone quidem illo, ut inter omnia animalia generoſiſſimus eſt, ita Flandriam inter omnes alias regiones nobiliſſimam eſſe ſignificatum fuit. Porro quod cæteri Belgæ in Flandriæ nomen apud Italos, Hiſpanos, Gallos, multoſque alios uſucapione tranſierunt, & *Nobiliore omnes cenſentur nomine Flandri:* ut Antonius Meyerus cecinit, pervulgatum eſt, neque prætermiſſum vel Ambroſio Calepino, ſcribenti

Flan-

Flandriam eſſe Germaniæ regionem ad littora Oceani Septentrionalis, habentem varios populos veterum Cymbrorum; vel Franciſco Guicciardino, Pauloque Jovio, quorum ille veritatis ac prudentiæ, hic facundiæ nomine commendatur, Hiſtoricis Belgicam Flandriæ voce deſignantibus. Neque illud magnopere mirandum eſt, nam, ut omittam emporii Brugenſis, à totius ferè orbis mercatoribus, præterquam Judæis, olim frequentati ac cæterorum luminibus obſtruentis, celebritatem, ut ſileam quoque bellorum à Flandris domi, in finitimos, in Gallos, in Conſtantinopolim, in Saracenos hoſtes & Mahumetanos in Oriente geſtorum, quorum etiam Annales græci Zonaræ, Choniatæ, Gregoræ ſæpe meminerunt, famam longiſſime propagatam; certè Germaniæ inferioris, regnorumque deinceps ipſi annexorum veluti compages, ſuam Flandris baſim non temere debet; Margareta tertia Malenſi, Flandriæ, Arteſiæ, Burgundiæ, Nivernii, Retheliique Comitatus, Mechliniam, Antverpiamque, & certum in Brabantiam, terraſque tranſmoſanas ſuccedendi, jus Philippo Audaci in dotem adferente. At quia bellicæ Flandrorum virtutis aliquam hic mentionem feci, non importunum fore ſpero, ſi de illa fuſius neque vanè differentem Panegyrici Flandriæ auctorem audiamus, qui eam ſub nomine Martis ſic alloquitur. *Exiſtimaram Flandria, me pro tua illa claritate rerum bellicarum exprimenda; ſi quamolim Bruga pretioſiſſimam D. Georgii effigiem Carolo Bellicoſo in ſignum patriæ fortitudinis obtulit: eam huic conſeſſui exponendam in medium adferrem, luculenter ſatis & ea quæ deſideras brevitate, tibi eſſe facturum. Nam ut apud barbaros, Thraces vel Romani ſolo martis nomine glorioſiſſimi ſemper habiti ſunt, ita quem D. Georgium Chriſtiani ſacrum habent Martem, poſtquam eum Flandria Chriſtiana ſibi, Principique ſuo proprium demeruit: (teſtis Robertus Hieroſolymitanus quondam ob virtutem D. Georgii filius appellatus) ejus demum populi ſummam gloriam è rebus bellicis eſſe nullo modo inficiandum, &c.* De moribus quæ præcipua populorum ornamenta ſunt, de artibus, & commerciis, de Indole gentis, quæ univerſim læta, candida, liberalis, verba faciamus. Sermonem Marchantius rerum noſtrarum poſtremus & accuratus ſcriptor præibit. Gens *Vlamingorum*, inquit, moribus eſt, vel exterorum ſcriptorum teſtimonio, ex Germanica gravitate, & alacritate Gallica temperatis: totam aut ſervitutem, aut libertatem, patineſcia: ædificandi eleganter & commodè, curioſa: interſtitio parietum metiente longitudinem cantheriorum, in culmine ſic conjugatorum, ut angulos faciant acutos ad juvandum pluviarum præcipitium, ventorumque impetum extenuandum: domeſticæ ſuæ ſupellectilis copioſæ, veſtitus apti, ſumptuoſi & variabilis, culinæque in longum tempus, bovinâ, porcinâque ſalitis, providendæ, ſtudioſa: manu prompta & bellicoſa, niſi opibus luxuque (ut olim, ex Crœſi conſilio, Sardes) enervaretur: nativo & exotico ſermone diſerta, artium capax: neque, ut quædam fruges, degenerans, imo permatureſcens in alieno ſolo, ac, ceu inter metalla Mercurialis, cunctis ſeſe nationibus facillimè accommodans. Picturâ, ſculpturâ, agriculturâ, cæteriſque artibus manuariis, & Rhythmicorum per homæoptota Flandricè cadentium, argutiâ, ac Muſicorum acri dulcique normâ effloreſcit. Innotuit tum ſuis, tum ferè totius Europæ foris, equorum præſtantium, boum optimorum, butyri ſapidiſſimi, halecum, aliorumque piſcium aptè ſalitorum mercimoniis: telarumque partim linearum, varietate, candore, ſubtilitate, & quaſi floſculis; partim Xylinarum, quas Arabes Bombaxinas vocant, diverſimodis textrinis expetitis, ſericiſque textis non omnino contemnendis: partim pannorum Laneorum tum denſorum, tum levidenſium textura tincturaque proba, & ubique terrarum jam olim laudata, cæteriſque mæchanicis artibus ingenioſis ac laborioſis. Aulæorum denique tapetiumque artificiis & velut picturis admirandis. Ex lini & rapi ſeminibus, nucibuſque juglandibus, oleum extundunt: Sal crudum, pullum, aſperumque ex Gallia Hiſpaniaque advectum, in magnum candorem, ſaporem, augmentumque amplis ſartaginibus excoquere non ignorant: Haleces ſub Angliæ Scotiæque ora, ab Auguſto in Autumnum capiunt, illic infinito exercitu circa littora appellentes, ad evitandum maris Septentrionalis, ubi naſcuntur, gelidiſſimum frigus: dein captos, ſtatimque deſerto Neptuno exſpirantes, exenterant, condiunt, ſtipantque cadis ſalſamentariis, ſigillo oppidorum, unde advehuntur, inuſtis, prius ex lege exploratos; vel leviter ſalitos, fumo durant, inficiuntque colore ſoro; qui Gothis (teſte Hadr. Junio) ſubrufum ſonat ad atrum accedentem: unde equis Soris in Italiâ, & Halecibus foretis in Galliâ nomen eſt, & apud veteres, teſte Athæneo, ab æris colore chalcidibus. Viri ſunt ſtatura decenti, vultu flammeo, ingeniiſque ad omnes ſcientias & diſciplinas appoſitis: niſi luxu, velut in herbâ,

Populi ingenia & mores.

aut lucroſis artibus, quaſi ſpinis, proterrerentur. Plerumque aperti, promptumque vultu cor gerentes; ſanguinis enim ſpirituumque motu genuino fit, ut cito & virtutis purpurâ erubeſcant, & aliis perturbationibus commoveantur: at humidiore corporum calore efficitur, ut ad accipiendam, & deponendam offenſionem ſint molliores: Sympoſiis mutuiſque invitationibus gaudent, & incaleſcunt, ſæpe ad ebrietatem, rixas, cædeſque; ſæpius ad benevolentiam ineundam, aut recuperandam, ceu cariſtiis & philotheſiis efficacibus, uſque adeo ut illis graviſſimæ ſimultates cædeſque datis mutuis dextris obruantur, & abſque illis nulla reconciliatio firma ſit, & velut ſigillata: Et poſt pauca. Non abhorrent à ſubitariis conflictibus; Belgis enim à **Belgen**/ aut **Balgen**/ quorum illud iraſci, hoc pugnare ſignificat; nomen indit doctiſſimus Goropius, cujus judicium in locorum nominumque originationibus ferè ſequimur. Longius abſunt ab homicidiis præmeditatis: quæ, niſi tutelæ inculpatæ neceſſitate eluantur, cujuſcumque modi ſint, ſupplicio non eximuntur, niſi vel fugâ, templorumve aſylo, vel *Principis condonatione, occiſique* proximo conſanguineo tranſactione & ſupplicii ingeniculatione placato. Vinum, licet uvas maturas habent, aliunde accipiunt magna copia & diverſitate. Vinique ad imitationem, largiſſime conficiunt ſiti ac hilaritati, ex melle aquato coctoque, Medonem: aut ex pomis & pyris contuſis expreſſiſque: ex quibus ſaccaro mixtis, Davidi Preto Jano Æthiopiæ Regi, potum in calice cryſtallino porrigi ſolitum P. Jovius ſcribit.

Cerevisia. Siſaram, juxta ac Byriam, ſive cereviſiam; quam non eſſe tam aſpernabilem, ut Byrrhæ Terentiano relinquenda ſit ſecundum Andream Lacunam Medicum Hiſpanum; ſed ſalubritate, robore, & formâ, bibentes imbuere, Manardus Italus inſignisque Medicus aſſerit. Hæc, velut Cereris vinum; quam olim Hiſpani, Cæliam, Ceriamque, Thraces Illyricique Sabajam, Ægyptii Zythum vocitabant; communis gentis potus ex hordeo avenâque madidis, dein torrefactis, triticeo farre, lupoque ſaliſtario commixtis, in aqua concoquitur: differens in eo à Zytho, teſte Hadr. Junio, quod hic ex hordeo triticove mollito, in aquâ macerabatur abſque coctione, donec ex putrilagine acorem, vinique ſaporem indueret; mira, ut ait Plinius, vitiorum ſolertia, nam inventum eſt quemadmodum aqua quoque inebriaret.

Fœminarum mores. Fæminæ pari fere colloquiorum conviviorumque virilium familiaritate atque pudicitiâ, formæ, ſermonis, amictuſque ſuavitate, œconomiæ procuratione, ſolertique labore commendantur. Nam aut penſa trahunt, aut rotula verſatili in cannas fila agglomerant, aut pepla ſpectabili conſuunt exornantque, aut lineas veſtes ad ſolem, undarum aſpergine, candore inficiunt; aut ruri, lacti emulgendo, butyroque, quod Plinius barbararum gentium laudatiſſimum cibum nuncupat, extundendo, verſandove, & formando, aut caſeo coagulando comprimendoque operantur. Literarum formandarum, rationumque ſubducendarum, præſertim in oppidis non imperitæ. Improbam mendicitatem plurimi Magiſtratus excludunt: ſenio, morbo, vitiove corporis laborantem, admittunt: Civium tenuiorum liberos ex publico alunt, veſtiunt, literas aut opificia docent: Alienigenas Xenodochiis recipiunt, validos unam noctem, ægros quoad revaleſcant. Ex antiquâ vereque Chriſtianâ inſtitutione & conſuetudine Flandri, ſi crus fregerint, ſe felices clamitant quod collum non ruperint; ac univerſim ſi quid improviſi iis incommodi accidat, quod durius non affligantur, ſe dicunt fortunatos. Pecunias in uſuras expendere infame; ſed ne otioſæ maneant, fundo hypothecæ oppoſito, neque luendo niſi debitoris arbitrio, ſervatur uſura ſemiſſis;

Menſuræ. excepta Mercurii prole, in amplis emporiis mercaturam faciente, cui plus licet, aut lubet. Menſuram gravitatemque juſtam minus hic deſideres, quam earum æqualitatem conſenſumque, ſive res ſiccas liquidaſque, ſive terras metiamur. Granariæ menſuræ paſſim differunt nominibus juxta ac vaſis menſoriis. Ulna Brugenſis XXVIII. pollices longa, nunc duobus, nunc uno pollice Gandenſem ſuperat: è diverſo Gandavi XXVIII. ſextarii vini, aliorumque liquidorum, implent Brugæ XXIX. Miliare perticas ſive virgas Geometricas, M. CCCC. virga pedes XIIII. efficiunt: quamvis virgæ terras demetientes in Flandriâ Meridionali varient. Neque in pedum longitudine concors ubique ſymmetria eſt. Gandavi enim, Brugæ, Ipræque, & pluribus in locis quiſque pedum pollices undecim: in magnâ parte Occiduæ, Boreæque obverſæ Flandriæ, decem tan-

Pondera. tum conſtituit. Nec in ponderibus æquilibrium eſt; ubique enim libra uncias quatuordecim explet, præterquam Brugæ, aliiſque paucis in locis, ubi ſedecim unciarum eſt: communi librâ quibuſdam in mercibus Brugæ non excluſa. Quæ varietates & inæqualitates tolerantur, quia inveteratæ, atque mercaturæ ejuſque ſubtili & quæſtuoſæ Arithmeticæ ſunt ſuſtinendæ.

Numiſmata. Libra pecuniaria, licet diſcordiam pon-

Digitized by Google

ponderis non admittit, utpote certis normis legibuſque conſtricta, diverſas computandi voces, modumque non recuſat. Guldi ſive aurei, libræque Turonenſes ſex, libras Pariſiacas duodecim; ſcellingi viginti, libram Flandricam conſtituunt, quam groſſorum vocant, quorum bini ſtuferum, ducenti quadraginta libram illam efficiunt, exacta ad genus ponderis, quod Trojum Campaniæ dicunt, ubi libra duas markas valet; marka octo uncias, quæ Romanæ libræ beſſis erat, libripende. Auctiones, hoc eſt, publicæ rerum privatarum venditiones, aliæ auctore, præſenteque Judice fiunt, aliæ non item: ſed hæ ordinariam ſolam actionem, illæ paratam executionem, manuſque injectionem adferunt, in non ſolventem tempeſtive debitorem. Exercentur autem utraque diverſis locis, diverſo modo. In quibuſdam enim bona venalia addicuntur propoſitum à præcone pretium augenti, & plus cæteris offerenti; unde auctionis nomen: In aliis vero præco inſtitutum à ſe pretium tamdiu gradatim diminuit, donec ex circumſtantibus emacibus quiſpiam indubitatè acclamet, meum eſt, quod vernaculè vocant mynen. Quo genere auctionis piſcatoria fora, mari proxima, in diſtrahendis primo appulſu piſcibus potiſſimè utuntur. Ita Marchantius.

Lanificium.

Adde inventam telarum pannorumque, tum texturam, tum tincturam, Iprenſem illam & Cortracenſem; quam excogitavit ſibi Flandricum illud ingenium; & primum Britannis eà jam arte celeberrimis populis tradidit.

Aulæa.

Adde aulæorum tapetiumque, ſive Gandenſium, ſive Brugenſium, ſive Viroviacenſium mira artificia, & quaſdam quaſi picturas admirabiles: ſine quibus nullæ domus, nullæ aulæ, nulla palatia, nulla divorum templa ornata eſſe putantur; Quibus, quocumque illa per orbem deferantur, Flandrorum opificum ſingularis induſtria, & nomen quaſi inſcriptum legitur.

De priſca Flandrorum Religione ac pietate.

De religione quæ primam in omnibus laudem habet, quæ ſola felices, ſola beatos homines facit, nonnulla (quanquam pro ſuo merito pauca fatear, & exilia) dicenda ſunt. Sic enim illa divino munere, in Flandria lata fuit, ſic culta, ſic obſervata, ut pro ratione ætatum, bellorum proſperitatem, divitiarum affluentiam, politiæ claritatem, legum cœleſtium & humanarum obſervantiam, rerum omnium denique nobiliſſimam felicitatem, tanquam fructus uberrimos ſemper tulerit; fuit illa, fuit una Catholica Apoſtolica Romana religio, quæ ſummam huic Provinciæ celebritatem adtulit. Vide cætera apud Panegyrici Scriptorem.

Artes & ſolertia Flandrorum.

QUot hic ab ingenioſiſſimis hominibus ad vitam humanam artes inventas, exteriſque traditas, alibi verò inventas, quot hic ſumma cum Flandrorum ingeniorum laude perfectas eſſe accepimus? Notæ & celebratæ ſunt (meminiſſe tantum oportebit) & celebratæ externis potius, quam nobis, illis noſtra meritò demirantibus, quorum admirationem nobis tollit quotidianus uſus. Picturam tam celebratam olim artem, & apud omnes homines tam excultam; ſummum tamen ſuæ perfectionis, ſummum ſuæ venuſtatis colorem, non alio loco, quam in Flandria reperiſſe, quis non Flandriæ ſummæ excellentiæ fuiſſe dicat? fuiſſe Apellem, Zeuxim, Aglaophonta, ſimileſque pictores, quibus in arte ſua nihil deeſſe videretur: & tamen à Flandria inventum perfectumque eſſe, quod ne illi quidem omnibus ingeniorum nervis excogitare potuerunt. Quis te Flandriam non dicat omnibus omnium nationum, omniumque temporum ingeniis antecellere? o felices terrarum oræ! in quas tua, Flandria, tam rara ingenia delata ſunt! o beatæ gentes atque nationes! quibus tua tam ſingularia picturæ inventa videre conceſſum eſt. Nobilis tu! quæ inveniſti, quæ patefeciſti, quæ per univerſas orbis plagas emiſiſti. Tu enim illa es Flandria, quæ Brugis illo auctore Joanne Eyckio, novas & ante illum diem mortalibus inauditas pingendi artes excogitaſti: pingendi? imò verò picturas & picturis res quaſlibet æternitati conſecrandi facultatem conſecuta es. Tu es illa, quæ efficacem olei vim, ad picturas quaſi immortalitate donandas, tibi, tuis poſteris, & quibuſcunque gentibus patefeciſti: cujus prima ab orbe condito oleacea illa Eyckiana opera, qui Gandæ, qui Brugæ, qui Ipræ videt, miratur effingi potuiſſe, effecta ſic ſervari, ſervata non veteraſcere. Quæ tu Ganda, dum Philippo II. Hiſpaniarum Regi exhibebas, Regiam Majeſtatem in eam rei admirationem, & deſiderium rapuiſti, ut duobus ducatorum millibus alterum exemplar effingendum curare non dubitarit. Recenſe nunc Flandria quot hunc Eyckium ſubſecutos celeberrimi nominis pictores apud te videris: quot Gandenſes Juſtos, Horembontios, Skerſcerios, quot Iprenſes Carolos; quot Benincos, Hugones, Rogerios, Lancelotos, Pourbuſſos Brugenſes pridem genueris: quorum arte nobiliſſima ſic excelluiſti, ut exteris nationibus & Principibus tantæ fores & admirationi & voluptati. Re-

Recenſe quos Romanos, quos Florentinos, quos Urbinates, Germanos, Galliæ Angliæque Reges ſic picturis delectaſti, ut cum videndis operibus ſatiari non poſſent, tibi etiam quoquo pretio vel prece, auctores ipſos in aulas ſuas eripuerint. Forte virorum exempla tuæ laudi non propria videbuntur, mulieres autem hac arte adeò celebres tibi fuiſſe; ut in florentiſſimas potentiſſimorum Regum familias accerſerentur; cui hoc tecum commune eſſe poterit? omnes enumerare non eſt tam anguſti temporis: duas illas ab Henrico Angliæ Rege qua muneribus, qua pollicitationibus evocatas, Suſannam Gandenſem Lucæ Horembontii ſororem, & Lævinam Brugenſem Simonis Bennici filiam memoria repete: quarum artibus, & picturis quanquam cum ſtupore Anglia ornata, patria ipſa mihi videtur ornatior. Magna profecto laus, & omnium gentium prædicatione digniſſima, illam picturæ artem hic perfeciſſe, ſed multò longius progreſſa eſt Flandriæ induſtria. Adhuc huic arti inventam telarum pannorumque tum texturam, tum tincturam, Iprenſem illam, & Cortracenſem, quam excogitavit ſibi Flandricum illud ingenium, & primum Britannis ea jam arte celeberrimis populis tradidit: cujus rei laudator non mercator ſolus, non vulgaris hiſtoricus, ſed famoſiſſimus Petrarcha Italus, ſed Rex ipſe Hiſpaniæ Alfonſus adeo ſuis ſcriptis celebravit; ut, etſi quemadmodum canit poëta ille:

Laudet Achæminias Orientis gloria telas;

facile tamen omnem gloriæ invidiam horum auctoritate ſuperaris, quæ non minus, quam olim Hiſpaniæ.

Setabis & telas Arabum ſpreviſſe ſuperbas,
Et Peluſiaco filum componere Nilo,

apprimè edocta es. Adde aulæorum tapetiumque, ſive Gandenſium, ſive Brugenſium, ſive Vironiacenſium mira artificia, & quaſdam quaſi picturas admirabiles: ſine quibus nullæ domus, nullæ aulæ, nulla palatia, nulla Divorum templa ornata eſſe putantur; ſine quibus non Monarcha, non Rex, non Imperator magnificus potenſque judicatur: quibus, ut Valerii valeant verba,

Non ego prætulerim Babylonis picta ſuperbæ
Texta, Semiramiâ quæ variantur acu.

Quibus, quocunque illa terrarum deferantur, Flandrorum opificum ſingularis induſtria, & nomen quaſi inſcriptum legitur. Atque ex hoc utroque genere, quid Cortracena in urbe primò excogitatum eſſe à Flandris ad hominum ſtuporem dicam; ut panni linei textores illi ingenioſiſſimi, elegantiſſimas non ſimplices modò ſed belluatas, ſed quarumvis rerum figuris & varietate, vel aulæorum vel picturarum ſimillimas telas, non acu, non penicillo, ſed radio ſuo contexant, ac quodammodo depingant? Illud Flandricum opificium eſt, quod cum nuper excipiendi forent ad inaugurandum Sereniſſimi Principes, aulam totam ſui ſpectaculo, & admiratione defixam tenuit. Cujuſmodi dum ſingularum mapparum ſeptemdecim paria, totidem Belgicæ Provinciarum inſignibus artificioſiſſime inſculptarum à civitate oblata pro humanitate ſua excepiſſent Archiduces, non ante hoc munus reponendum exiſtimarunt, quam in Hiſpanias mitterent, futurum humanæ artis prope miraculum, & Flandricæ certè induſtriæ hac in textura fidele teſtimonium. O nobilem Flandriæ texturam, ô ſolers ingenium! quamcunque in artem incubuerit. Atque *his artificioſiſſimos lignicidas*, lapicidas, architectos ſubjungere infinitum eſſet: architecturam unius Petri Couckii Aloſtani operâ jam demum omni numero completam eſſe, ſatis eſt vel indicaſſe, ut ad ea tandem veniamus, quæ veſtris mentibus, atque animis cupimus penitus eſſe infixa. Nam præclarum habere ad varias artes ingenium, picturâ, texturâ, tinctura cæteriſque artibus florere, ſupra conſuetudinem, ſupra opinionem hominum quiddam & memorabile, & ſupra rem quamcunque bellicam videtur. Sed natura ad omnes haſce artes natum eſſe, id non humanum, ſed divinum prorſus videri debet. Unum hoc attende Flandria, manda memoriæ, & tranſmitte poſteris, Martinum unum Vironiacenſem attende, illum, inquam, cæcum, & cæcum à ſecundo vitæ anno, cæcum omnino, tantum nihilominus quidvis ligno effingendi artificem, ut audientium fidem ſuperet: niſi Flandrum eſſe, niſi operari ſæpius viſum à principibus viris dicamus. Inventa perficiebat, inveniebat nova: teſtudines, organa, & id genus nobiliſſima inſtrumenta, accuratius quam oculatiſſimi poſſint, cæcus diu æquè ac noctu palpando componebat.

Conſilio pollet, cui vim natura negavit,

At Flander maxime, qui luminibus orbatus, qui (& illud exteri miraculum vocant) etiam puer vix quinque, vix quatuor natus

Digitized by Google

natus annos, honeſtè victui lucrifaciendo commodam artem & poteſt & ſolet tenuior exercere.

Leges, Lingua, Politia, Eruditio Flandrorum.

NUnc de Legibus, Linguâ, Politiâ, eruditione Flandrorum, Reipubl. adminiſtratione, per quos, & quomodo illa fiat, dicendum quoque. (De Linguâ vide Adriani Scrieckii Origines, Goropium Becanum, Milium, Oliverium Vredium, Metkerkum, Hoium, alioſque.) Quæ omnia ferè ex Panegyriſta & Marchantio dabo. *Legibus*, inquit hic, *Flandri ferè utuntur municipalibus, & cuique opido ac Caſtellaniæ aſſuetis, tam in judiciis, quam in familiis herciſcundis, & ubi illæ deſunt, Juſtinianeis. Peculiare hic eſt quod ad imitationem Senatuſconſulti Orphitiani, nullus ex matre nothus perhibetur, hoc eſt, nemo ob illegitimos natales maternâ hæreditate privatur: unde ne illuſtris quidem fœminæ concubinæ liberos Flandriæ leges eximunt; niſi illis ſtatutum municipale à Principe ſancitum deroget: Quemadmodum Cortracenſes ad annum 1557. & ſexto poſt anno Gandenſes à ſucceſſione maternâ liberos adulterio, aut inceſtu natos, excluſere. Etenim anno 1532. in Septembri Provinciale Flandriæ Concilium ſententiam tulit, ut notho in feuda matris ſucceſſio competeret, cum Privilegio ætatis ſexuſque, etiam extantibus legitimis. Et anno 1573. Bergæ S. Winnoci Magiſtratus ex conſilio noſtrorum Juriſperitorum decrevit, ut filia ſacerdotis hæreditate matris non excideret. Durum, nec à lege Julia de vigeſima hæreditatum apud Romanos, cujus vi hæreditatum, legatorum, cauſa mortis donationum, ad extraneos devolutarum, vigeſima ad fiſcum pertinebat, alienum eſt Jus Iſſuarum, exituſve, quod appellant, quo hæreditate civis non civi delatâ, etiam filio fratrique, urbium curatores ex ea decimam bonorum non feudalium, in publicum vertunt: & quo nemo in alterius cujuscunque urbis aut Caſtellaniæ Jus corpuſque cooptari permittitur, præterquam decimis, eo quo diximus modo, perſolutis Magiſtratui loci à cujus Jure, & quaſi complexu diſceditur, niſi ea ſocietas locorum contracta (quam Hanſam vocant) interveniat. Quod ex iis exemplis eſt, quæ aliquid ex iniquo habent, quod publicâ utilitate compenſatur: quod tributum Plinius ſecundus extraneis dicit eſſe tolerabile, domeſticis grave: itaque his remiſſum, ne lacrymæ parentum aut filiorum ſint vectigales. Videtur enim primitus invaluiſſe ad alendam frequentiam populorum in ſuis ſedibus & ad familias ibi conſervandas, velut Iſraëlitis bona filiaſve extra tribum transferre non licebat. Teſtamento ſupra tertiam, bonorum quibus feuda continentur, partem legare Flandriæ leges prohibent; exteriſque ad Magiſtratum hic gerendum acceſſum, ex Caroli quinti Cæſaris anno 1555. ſanctione; illis nimirum, qui à ſe Flandros excludunt. Utuntur jure ſiſtendi, manuſque injectione tam in perſonas, quam bona eorum, qui cives non ſunt, incipientes, contra juris civilis præſcriptum, ab executione: quod mercatorum peregrè venientium, commoditas introduxit. At peregrinis licet in Flandria adire hæreditatem ſanguine conjunctorum: quod in Galliis, Anglia, Scotia illis nefas eſt, ubi Principes, quo jure, quave injuria, Albinagii, morientium ab inteſtato, nulliſque ibi liberis relictis, exterorum bona occupant. A ſententia in corpus capitali, omnique interlocutoria civili, reparabili in definitiva, Magiſtratus etiam inferioris, fruſtra hic provocatur.*

Lingua Flandrorum.

Lingua eſt Teutonica, cæteris Germanis Germaniſſantibus communis, quam eruditiſſimus Goropius Cymbricam, vetuſtiſſimamque dicit, & artificio humanique ingenii præſtantiâ omnibus præferendam, atque ad ſenſum animi indicandum Transrhenana faciliorem, promptiorem, ſuaviorem: neque non quam reliquas linguas aptiorem ad quamvis cujuſvis idiomatis proſodiam accuratè imitandam. Facit autem aſperitas roburque ſpiritoſum Tranſrhenanæ, inprimis Suevicæ, ut mutua inter hanc & Flandricam intelligentia ſæpenumero impediatur: Saxonum tamen, eorumque qui Ooſterlingi vocantur, & Dacicorum Tranſſylvanorum magnæ partis, Helvetiorumque ſermo à Flandris non difficillimè percipitur: quamvis Albertus Crantzius in Hiſtoria ſua anno 1520. edita, conqueritur; Saxones (quo nomine etiam Brunsvicenſes, Luneburgios, Magdeburgenſes, ac Brandeburgios complectitur) puro facilique ſono verba enuntiare ſolitos, non inverſa ſtridoribus, non contorta diphtongis, ſuo tum ævo induiſſe, ut ſuperiorum Germanorum frendores imitarentur. Quemadmodum è diverſo Flandri urbani, Gallicæ linguæ ſuavem alacritatem, aut adjungunt ſuæ genuinæ, aut, quod indignum, præferunt, ſive propter commercia, viciniamque regionum, ſive exemplum aulæ noſtræ principalis, ſola fère Gallica jampridem utentis. Stuporem adfert quod idem Goropius recitat, ſeſe ex Augerio Giſleno Busbekano equite Flandro au-

audiiſſe, illum, quum apud Turcorum Principem Conſtantinopoli eſſet Legatus, familiariter eſſe locutum cum Aſiatico indigete, Euxini accola, cui Flandricus ſermo tam vernaculus erat; uti, **ſevene/ ellevene/ twaelve/** pro numero ſeptenario, undecimo, duodecimo pronunciaret, ſcriberetque: ut omittam Gandenſis idiotiſmi uſuram, à ſcriptoribus attribui Indiæ Mexicanæ quibuſdam gentibus. Mirabile interim neque ſubticendum eſſe arbitror, tot vernaculas Flandriæ, Belgiique Germaniſſantis (quod ſub Flandriæ nomine exteris innoteſcit) voces, ſi non ſyphone, certè ſymphonia, neque aliunde eſſe: non enim de his agimus, quæ Flandris cum Latinis Galliſque græciſſantibus ſunt communes: neque Goropii Polyhiſtoris acutiſſimi manes offendere volumus, eas voces ex lingua Cymbrica Teutonicave in Græciam traducentis. Illarum paucas totidem grais conſonis (ope Juniâ) exprimemus, ut curioſis doctiſque ingeniis gratificemur: eo proclivius, quod linguarum Origenes ac ſimilitudines, quæ populos conciliant invicem aut diſtinguunt, à Logiſthorici indagine non abhorreant: **Graven** γράφειν, ſculpere: **Gripen/** γρίπειν, unguibus involare, **Klothen & Cloſſen/** κλώθειν globis ludere: **Yver/** ζῆλος Zelus: **Stiuen/** στιβοῦν, durare: στενεῖν **Steinen** gemere: **Thranen** θρηνεῖν, lacrymari: **Diir/** θὴρ, animal: **Liſpetonge** λισποφθογγή, lubrica lingua: **Kalaphatre/** καλαφάτης, naupegus: **Krebbe/** κράββατον, lectus penſilis: **Strop/** στρόφος, funis intortus: **Lampres/** λαμπρὸν velum pellucidum: **Phiel/** φῆλος, ſcurra: **Kuyl/** κοῖλος, ſpecus concavus: **Vreeſen** φρίσσειν, metuere: **Brimſtich/** βριμάζειν, Salacem eſſe: **Burg/** πύργος, turris: **Kolp/** κόλπος, ſinus maris impulſi: **Style** στύλη, columna: **Hulcke/** ὁλκὰς, navis oneraria: **mane/** μάνη, doricè luna: **Kirche/** κυριακὸν, templum Dominicum. Hæc teſtimonia ſufficiant, paritura faſtidium, ſi accumulentur: efficiuntque, ut facilius huic Ovidii verſiculo aſſentiamur, *Græcaque cum Getico mixta loquela ſono eſt.* Ad alia tamen priuſquam hujus Provinciæ ornamenta progrediamur, & de Idiomate noſtro Panegyrici ſcriptor audiatur, Francum Poetam non nuperum, Philippeidos qua bellum Philippi Gallorum Regis & Othonis Cæſaris complectitur, auctorem, elogio præclaro Flandros celebrantem in medium adducere cogor:

Flandria marte potens, armis exercita crebris,
Flandria gens opibus, variis & rebus abundans
Gens inteſtinis ſibimet damnoſa ruinis
Parca cibis, facilis expenſâ, ſobria potu,
Veſte nitens, membris procera, venuſta decore,
Splendida cæſarie, vultu rubra, candida carne
Innumeris piſcoſa vadis & flumine multo,
Frumento quam ditat ager, navali merce
Lacte pecus butyris armentum, piſcibus æquor
Multis ſylva locis facit umbram &c.
Nervius armipotens ubi bella frequentia geſſit.

De Idiomate item noſtra ſic Panegyrici ſcriptor. *Inter omnes*, inquit, *hujus orbis nationes Flandricæ excellentiæ argumentum vel unum hujus gentis proprium idioma, quod quam antiquum, quam integrum, quam perfectum ſit, conſideremus. Eam eſſe Protoplaſtorum Parentum noſtrorum linguam, eamque hac in orbis parte, à Babylonica illa linguarum confuſione conſervatam, incredibile fortaſſis videtur quibuſdam; ſed non mihi, pro certâ nobiliſſimæ linguæ proprietate & excellentia, magnopere videtur eſſe mirandum. Quid enim illud? Quod in media Barbaria, in media India, Mexicana regione tanto locorum diſſidio remota, hanc Flandricam linguam naturalem eſſe pro certo, Byzantina quadam Legatione nuper compertum eſt? An non, quia ex communi omnium Parente primo profecta eſt, idcirco in pluribus orbis partibus ad poſteros eam dimanari oportuit? Quidquid eſt, mira hæc Flandricæ conſtantiæ, in vis antiqua illa Linguæ ſuæ puritate retinenda: ſi præſertim quarumcumque nationum, hac in re mixtiones, mutationes, corruptiones attenderis, &c. Igitur concludam potius, nobilem te eſſe Flandriam moribus quidem, & lingua: ſed humanis ſcientiis longe nobiliſſimam. Qui non immerito Gandavi facunda virorum ingenia, Brugis callidiſſima, & Atticis perſimilia proferre vulgò prædicaris.* Cæterum ut hic jungam, incredibilem fuiſſe erga Comites ſuos Flandriæ obſervantiam neceſſe eſt, quæ illos adeò ſibi omnes devinctos habuit, tot immunitates impetravit, tot prærogativas, tot exemptiones; ut filiorum quorundam chariſſimorum loco habiti ſemper eſſe Flandri videantur: ut maximè tu Terra Franca, inde nomen illud eximium ſortita ſis; quod tantâ, quantâ hodie frueris, perſonarum, poſſeſſionum, actionumque publicarum libertate donari merueris, ob plurima tum officiorum in Principes varios, tum ſubſidiorum genera in Brugenſes ipſos, dum forte annona laborarent, &c. At quid tandem, quid

Vide Meyer. rerum Fland. Tom. 9.

Joan Goropius Becanus,

quid de primatum, inquit Panegyrici ſcriptor, & è plebe ſelectorum virorum nobilitate, quantum me dicturum eſſe, Flandria, exſpectas? Ut viros hoc in ordine ſingulares, quos & olim & præſentius extuliſti, recenſere ſuſcipiam? Quos Gandavum Wielandos Præſides, aut Rymios ad Turcorum Principem Legatos? Quos Bruga Pamelios, Salinas, Damhouderios? Quos Franconia Ludovicos Pratios Carolo quinto à cubiculi præfectura, aut Flandriæ ſuos Prætores Maldeghemios, vel Straginos in lucem tantam protulerit, aut Lemnios, aut Breydelios, aut Verannemannos in medium afferam? Horum ſinguli vel integras in ſui prædicationem orationes requirunt. Sed non tamen poſſum, quin dicam in Flandria natum fuiſſe; Qui parato contra Turcas Gallico exercitu, inter duo Gallorum nobiliſſimorum ducum millium, unus ſelectus eſt qui Imperator crearetur: itidem alterum natum eſſe in Flandria, qui in Neapolitanum Proregem evectus, tantæ apud omnes, etiam hoſtes, fidei & exiſtimationis fuit, ut non alteri quam illi ipſi Carolo Lanoyo ſeſe Rex Galliarum dedere voluerit, cum ab inimicis aliis circumſeptus, potius mortem oppetere velle ſe profiteretur. Quid Egmondanos, quid Moucronios & hujuſmodi Flandriæ Reipub. decora coner verbis complecti? Unum eſt quod Flandrorum Procerum, velut cæterorum in aliis omnibus, ſic horum in ſuo genere mirabile ingenium demonſtrabit: quod ubi una in re tantum eſſe conſtabit; in omnibus certe in quibus Reſpub. poſtulabit, deeſſe numquam poſſe, ſatis ut reor declarabitur. Audi Flandria, quid exteri de tua nobilitate mirentur: audi Flandrica nobilitas, cujus hoc eſt primum inventum: miratur Hiſpanus, miratur Italus, miratur quiſquis nobiliſſimam illam avibus cicuratis cæteras aucupandi artem, ex te didicit: tot ab orbe condito, tam curioſa, tamque induſtria fuiſſe ingenia, & inter Græcos & inter Romanos maximè, præ cæteris mortalibus, venationi ſemper deditos; quorum tamen omnino nullus, id excogitare antea umquam potuerit, quod Flandri noſtri ad tantam modo Principum, Regumque, & Imperatorum voluptatem ſua ſagacitate incredibili adinvenerunt. Hi enim Flandri Proceres ſunt, qui alites illos feros, Falcones, Aquilas, Buteones & id genus accipitres, cum etiam patrio ſolo deeſſent, non modo ex remotiſſimis, Norwegiæ præſertim, Regionibus quærere, cicurare, in manus diducere; ſed etiam quod admirabile eſt, hos ipſos alites curatos ita tractare, ita inſtituere, ita ad aucupium formare inſtiterunt; ut, quod canis eſt feris terreſtribus, idem foret accipiter volucribus intercipiendis: atque eo majori cum hominum admiratione & delectatione, quo diutius ars hæc, incognita manſit omnibus, præterquam Flandris à quibus cæteri (quorum in Italia primus Fredericus Barbaroſſa Imperator) eam accepiſſe confitentur. Supereſt, ut particulatim ſingula Politici corporis membra, quæ Marchantius accuratè deſcripſit, videamus. *Antiquum*, inquit, *& uſitatum eſt, publici Concilii corpus ex lectis totius regionis viris conflatum, cogi ut Reipub. proſpiciatur. Quoties Princeps vel ætatis, vel mentis imbecillitate, vel captivitate non eſt potens regni adminiſtrandi: vel ubi Principatus Generali cenſurâ indiget: vel bellum ſuſcipiendum vel deponendum: vel pecunia univerſo populo irroganda. Et licet in ea multitudine plerumque ſententiis certetur, tamen ex diſſimilibus Judiciis velut ex diſtinctis ſonis concentus harmonicæ proportionis efficitur Reipub. ſalutaris, ubi in eundem ſcopum hoc eſt populi utilitatem collimatur. Illo Reip. firmamento non deſtituitur Flandriæ Reſpub. Sed tria genera, ſive ordines complectitur qui ſtatus vocantur: quia in illorum auctoritate conſiliiſque ſalus publica ſtatuitur, & ſtatis ſubſelliorum ordinibus diſtinguuntur, nimirum Sacerdotium, Nobilitas, quatuor membra. Sine quorum aſſenſu, neque pecuniam ſubſidiariam Comites olim exigebant, neque bella ſuſcipiebant. Et populum quidem hæc libertatis ſpecies, quum tributa poſtulantur, adhuc conſolatur: Principi verò moderatè imperanti nihil detrahit. Horum autem ſtatuum comitia indicuntur ſcriptis à Principe, aut ejus nomine à Concilio Flandriæ litteris ad Antiſtites, Optimates, & urbium Magiſtratus: ut illi nominatim evocati & Magiſtratum delegati præfixo loco, dieque conveniant; Comitis, aut ejus Vicarii voluntatem audituri, & poſt aliquot dies, utrimque præfinitos, ubi domi deliberatum fuerit, reſponſum relaturi.* Ita de Ordinibus univerſim Marchantius.

Ordines Flandricæ.

Eundem nunc particulatim de claſſe ſtatus Eccleſiaſtici audiamus. *Cum Flandria*, inquit, *Gallis innexa Conſtantino Magno, ejuſque poſteris paruerit templa Idolorum occludentibus, Chriſtique propalandi cupidis, ſemina Chriſtianæ religionis hic depacta fuiſſe non abs re exiſtimatur. Quod annalibus etiam probari poteſt, aſſerentibus Victoricum Fuſcianumque Morinis Teroanenſibus Chriſtum annuntiaſſe, ac Piatonem & Chryſolium, illum Tornaci, hunc Cominii prædicationem Euangelii Martyrio obſignaſſe ſub Diocletiano Auguſto*

Status Eccleſiaſticus.

Guicciard. General. deſcriptio Belg.

guſto qui circiter annum 285. ad Imperium pervenit. Neque ambigitur, quin Eleutherius circa annum 484. Epiſcopatum Tornacenſem adminiſtraverit, & Agricolaus ex cuſtode Flandriæ ceu Ardennatis Sylvæ, cui, partem Nervia faciebat, genitus teſte Joanne Placentino, à Synodo Aurelianenſi in Epiſcopum Tungrorum ad annum 512. Divi Remigii ſuffragio electus ſit. Verum ſeges boni ſeminis videtur tam aruiſſe aut delituiſſe, ut ejus initia illuſtria, & ex proventu conſideranda ad Amandum ejuſque ſocios deducantur. Amandus Aquitanus Tungrorum, Eligius Lemovix Novioduni & Audomarus Conſtantienſis Teroanæ Morinorum Epiſcopi cum Levino Scoto Hyberniæ Antiſtite Flandros pro falſo Mercurio (quem plurimi venerabantur) veri ſincerique Mercurii, hoc eſt paternæ mentis ac voluntatis interpretis cultu imbuerunt, Eccleſiæque Romanæ ritibus circiter annum Servatoris noſtri unici Sexcenteſimum trigeſimum: unde Flandrorum Apoſtoli denominati ſunt. Tanto proventu Sanctimoniæ, ut multi in Flandria nati ob virtutum celebritatem, vel inter cœlites fuerint à Romanis Pontificibus indigitati, vel ut indigitarentur, promeriti. Vide faſtos Miræi, Molanum, Raiſſium ac noſtrum de Flandris Hagiologium, Menologium Henriques Ciſtercienſis. Et poſt pauca. *Ex hac Religione, anxioque ſalutis æternæ deſiderio, & hinc orta profuſa liberalitate, ſcaturiit ſumptuoſa magnificentia templorum, amplitudine, feneſtris vitreis, picturis, ſtatuis, veſtibus pretioſis, organiſque pneumaticis (quæ Pipino primum à Conſtantino Græcorum Imperatore miſſa feruntur) ingentibuſque in turribus, Campani æris vaſis, ornatorum: atque inprimis hierarchia Eccleſiaſtica varia & opulenta: quæ primum inter Ordines Flandriæ conſeſſus claſſem obtinet, tum propter dignitatis, tum ob reditum ex poſſeſſionibus ac dynaſtiis numeroſis amplitudinem: diſtincta in Epiſcopatus, Abbatias, Præpoſituras, Decanatus, alioſque honores Collegiorum Canonicalium.* Epiſcoporum nulli Flandria præterquam Noviodunenſi per Joannem Octavum Papam, anno 879. illi adſcripta, principio addicebatur. At poſtea diœceſes & Juriſdictiones quinque illic Epiſcopi exercuerunt, Tornacenſis nimirum atque Teroanenſis: Ille à Noviodunenſi disjunctus, atque ſibi poſtliminio reſtitutus per Eugenium Tertium Papam anno 1146. Theodorico Alſatio impetrante: Hic Teroanæ vetuſtique Comitatus Alkini dominatum anno 1156. Ludovici ſeptimi Gallorum regis beneficentia adeptus, & ſeſe Morinorum Epiſcopum ſemper inſcribens. Quibus primaria & latiſſima Flandriæ pars Comitatus titulo inſignita obſequebatur. Atrebatenſi Duacum ſubeſt, Armenteriaque. Qui ad annum 1090. à Cameraceno ſeparatus per Urbanum ſecundum Pontificem rogatu Roberti Hieroſolymitani & ex nata de ſucceſſuro Epiſcopo controverſia inter Canonicorum Collegium & Henricum quartum Cæſarem Urbano odioſum.

Epiſcopatus Flandriæ.

Cameracenſi Flandria Imperialis & proprietaria parebat. Ultrajectino quatuor ambacta ſubdebantur: quod modico anguſtoque undarum interſtito tunc à Zelandis diſparata per Willibrodum Clementem Ultrajectinum Antiſtitem, (qui de ſua peregrinatione librum, ac Homilias, Epiſtolaſque ſcripſit) circiter annum 191. initiata fuerint ritibus Chriſtianis. Horum omnium in Flandria poteſtas atque juriſdictio, uſque ad annum ſexageſimum primum ſupra milleſimum & quingenteſimum perduravit: quo tempore ſub Philippo Regum potentiſſimo, illis prætermiſſis & per Pium quartum Papam reſtrictis, ac quoad Flandriam exauctoratis, Flandria Teutonica Epiſcopis, quorum nominatio in arbitrio Flandriæ Principum eſt, Gandavi, Brugis & Ipræ inſtitutis, ſedeſque collocantibus, ſuis cuique limitibus à Pio Quarto præſcripti, obtemperat, præter Aloſtum ejuſque Terrenum quod Archiepiſcopo Mechlinienſi: Cortracum ejuſque Caſtellaniæ magnam partem, quæ Epiſcopo Tornacenſi adhuc; & Caſletam Burburgiique tractus portionem non exiguam, quæ Epiſcopo Santodomarenſi obſequitur. Epiſcopis aliquot Archidiaconi, plurimique parochialium Curionum Decani ſuccenturiantur & obediunt. Quæ vero Abbatiæ, prioratus, præpoſituræ, alia ſacra ſeu virorum ſeu mulierum per Flandriam ſint hac ætate Collegia, cum id mox ex urbium & pagorum deſcriptionibus cogniturі ſimus, ea hic recenſere, vix operæ pretium putavi. Xenodochia autem & Noſocomia annuis proventibus dotata, ut Principum erga peregrinos, inopeſque ægros cura & munificentia non ſilentio jaceat, ſed exemplo ſerpat, etiam non omittemus. In quibus omnibus quæ ſit annuorum redituum inter ſe inæqualitas, curioſi æſtimare poſſunt ex ea taxatione quæ Abbis ſexus utriuſvis, Præpoſitis, Prioribus, Parochis, Xenodochiiſque anno 1522. imponebatur, in ſubſidium pecuniarium Carolo Quinto Cæſari ad bellum Gallicum in Flandria perſolvendum. Cæterum primarum omnium Sacerdotii functionum dignitatumque nominatio atque diſpoſitio ad Principem regionis, confirmatio vero & expeditio ad Pontificem Romanum

per-

Digitized by Google

pertinet. Neque ſtatus Flandriæ Eccleſiaſticus oneribus regalibus, aut ullis ſanctionibus Eccleſiæ Gallicanæ unquam obſtrictus fuit. At Sacerdotibus olim ſive inteſtatis, ſeu teſtamento facto morientibus, in ſemiſſem, aut (ſi aliis credimus) aſſem bonorum mobilium Comites ſuccedebant, uſque ad Robertum Friſium: qui licet idem uſurparet, aſſereretque ſeſe jure ſuo utentem, nemini injuriam facere; jus autem ſuum, antiquo continuoque uſu majorum ſuorum niti: tamen hoc illis onus remiſit atque ſervitutem, excommunicationis metu & Urbani ſecundi Papæ anno 1091. Româ datis litteris perturbatus, præſertim hiſce earum verbis. *Scire debes Creatorem tuum dixiſſe, Ego ſum veritas, non autem uſus, vel conſuetudo.*

Supereſt nunc ut ex eodem Marchantio (quo nullus majore cura hactenus ea omnia pertractavit) aliqua etiam de claſſe Nobilitatis, quanquam vel ab ejus ævo aliquam hinc inde mutationem paſsâ, in medium adferamus. *Non ignotum eſt*, inquit ille, *quin Nobilitas in tres ſpecies ceu ramos diffuſa, virtuti una, naturæ altera, tertia doctrinæ debeatur, neque refragandum, quin ſecunda, quæ ſanguinis eſt, ſi à prima, id eſt ſcaturigine ſua deſciſcat, nomen nobilitatis haud mereatur: non ſecus atque rivus ex puro fonte emanans, ſi fœdas cloacas præterlapſus, fluentum inquinet, non aquæ limpidæ, ſed lacunæ turpis nomen obtinet: Imo tertia, quæ à doctrina oritur non videtur infimo gradu æſtimanda, vel ipſius Cæſaris Sigiſmundi teſtimonio, cæteris præferentis nobilitatem ingenii eruditi, & ad domeſticos proceres ſæpe dicentis, ſeſe uno die quamplurimos Baltheo donare, aut opinione vulgi nobiles creare poſſe, at vix intra decennium, unicum ab ingenio & ſcientia nobilem. Verum nos hic agimus de nobilitate quam Græci* εὐγένειαν, *Cicero blandam conciliatriculam vocat: cui impoſita eſt neceſſitas, (ut bene Boëtius) ne a majorum virtute degeneret: æquum eſt enim meliores eſſe, qui ſunt ex melioribus. De his nobilibus tractamus, quorum vel in ordinibus ſuffragia auctoritaſque, vel in Principis familia, aut Reipub. adminiſtratione, opera uſuſque requiruntur. Horum alii Baroniis, quidam Toparchiis, alii muniis feudalibus, hæreditariiſque inſigniuntur: quibus Baltheo equeſtri exornati, adjungi poſſunt, aut illinc oriundi: quos ſcutigeros vulgus vocat, auctore Plinio: qui ſcribit Romanos poſt exactos reges in ſcutis, quibus pugnæ obibantur, expreſſiſſe imagines tituloſque eorum, qui illis uſi fuerant, & ſacris privatiſque ædibus oſtentaſſe.* Porrò præcipua vexilla militaria erigunt Barones, quos nos Baenderheeren ſeu Bandæ Dominos vocamus: Procopius Bandophoros Romæis ait nominari unde Banderi ditio ſive Baronia obligata erat ad ſequendum illud ſignum quo Dux Bandæ juſſerat: quales Baroniæ ſunt Pamele, & Heyne: Boulaere cum Ciſonio, quæ quatuor Flandriæ inſigniores Beræ ſive Baroniæ jam olim vocitantur, & ad quaternos Topographicarum Flandriæ chartarum angulos appinguntur. Sunt & alia hoc titulo inſignia in Flandris loca. Nevele, Scooriſſe. Winendale, Bevere, Rode, Praet & Woeſtine, Haveskerke, Maldeghem, Poucke, Ingelmunſter, Raſſeghem, Chiſtele, Busbeque, Lidekerke, Rotſelaer, Ronſe, Male quæ Principum aliquot Flandriæ domicilio, deliciiſque ac natalibus ſplendida, & cum Zizela in Baroniam erecta nunc poſſidetur à Ludovico Lopes Gallo, viro non minus virtutibus, quam progenie ornatiſſimo: de quibus omnibus & nos in particulari eorum locorum recenſione plura σὺν θεῷ dicemus, & fuſius agit in ſuis de nobilitate Flandrica commentariis Philippus de l'Eſpinoy *Capellæ* Dominus & Vicecomes Teroanæ, vir patriæ ſuæ ſtudioſus, & de Rep. noſtra non malè meritus, ſi non pluſculum pro ſua in omnes ſingulari benevolentia, & animi candore tribuiſſet iis, qui cum homines penè novi ſint, iis accenſeri gaudent, quos priſca & illibata nobilitas, aliaque illuſtria familiarum ornamenta commendant. Ad Toparchias vero quod attinet, ſive opidorum pagorumque dominatus unde nobilium familiarum cognomina derivantur, aut aſſuuntur, ſæpius cum ingratitudine quorundam, qui hiſce ſplendidioribus genuina majorum cognomenta ſupprimunt, tanto numero ſunt, ut citra tædium lectoris exigi nequeant ad libripendem, de earum tamen magna etiam parte agemus, ubi Caſtellanias & territoria, in quibus illæ ſitæ ſunt, deſcripturi ſumus. Penè omnes autem beneficium poſſeſſionis, & quaſi animam, motumque accipiunt ab aliqua feudalium Comitis curiarum conſuetudinibus, ſæpius inter ſe diſſidentium; ſed in hoc convenientium, quod beneficiarius fidelitatem juratus, & ſic poſſeſſioni actorumque regiſtris aſſcriptus, alienare feudum ſuum neutiquam poteſt, niſi vel Principis, vel proximi hæredis aſſenſu, vel inopia juramento teſtificata apud curiam, unde feudum pendet, decimiſque nummorum ex alienatione provenientium Ballivo Curiæ perſolutis, aut in novis ſucceſſionibus proventu anni trium proximè antecedentium copioſiſſimi: aliiſve juribus, ex formula

Nobilitas Flandriæ.

 mula

mula feudali repræſentatis. Feudorum hæreditas ad primogenitos adfluit: ſi trientem excipias ſecundo loco natis, ſi velint, accedentem, modo ſuam, in non feudalibus, ratam primigeniis deferant. Nefas eſt Toparchis, quocunque titulo & juriſdictione polleant, ſubditis ſuis tributa imperare, niſi volentibus, Flandriæque Principis aſſenſione. Sunt & qui dicuntur Vaſſi, & Vaſſalli, quorum illi ſuperioris, hi autem inferioris ordinis clientes ſunt. Porro Curiæ feudales Comitis hac nomenclatura inſigniuntur: Vetus Burgus Gandenſis; Burgus Brugenſis, Furnenſis, Sala, quod atrium denotat, Iprenſis, Caſtellum Cortracenſe; Curia Caſletana, Harlebecana, Bellana, Tiletana, Ghiſelhuza Burburgia, Petra Aloſtana Aldenardia, Bergana, Domus Teneramundia, Deinzana, Terrenum Waſium. Eſt autem incredibilis numerus varii ponderis feudatariorum ab aliqua illarum curiarum immediatè dependentium: unde Comes (ubi vel alienatione, vel hæreditate transferuntur) tam pecuniaria emolumenta, quam diverſi generis operas militares, aliaque *ſervitia ex formula (quum opus eſt)* percipit: quibus Valvaſoribus hoc prærogativæ eſt, ut ubi Magiſtratus Scabinorum in reos gladio animadverſurus eſt, bini illorum, quaſi Comitis vice intereſſe debeant. A primariis beneficiis moventur ſecundarii, & ab his viciſſim alii infiniti. Curiis Comitis feudalibus, cæteriſque omnibus feudorum matricibus, præeſt Camera legalis unde beneficium & inveſtituram abſque medio recognoſcunt omnia feuda ex corpore Flandriæ avulſa, dotationique, cognationi, aut familiæ Principis herciſcundæ, conceſſa. Munia feudalia & hæreditaria, quibus nobiles illigantur, & illuſtrantur, vel juriſdictioni conſilioque Principis: vel rei militari terra marique gerendæ: vel Dominicis rationibus reditibuſque procurandis vel aulæ miniſteriis deſtinantur.

Flandriæ Cancellarius.

Inter primos eminet Flandriæ Cancellarius (quæ vox, magis quam dignitas in Arcadii, Honoriique Sanctionibus exprimitur) ſic enim Nomophylax, ſi ad Romani Imperii officia alludere fas eſt, munera primicerii Notariorum, Magiſtrique Epiſtolarum & memoriæ ſimul complectens, jampridem denominatur: quod Principis annulo ſigillatitio, decreta obſignandi, reſcriptaque vicioſa circumducendi, tranſverſis lineis, velut cancellis, haberet poteſtatem. Quæ dignitas perpetuo adfixa præpoſituræ Collegii Canonicorum S. Donatiani Brugenſis nunc ab Epiſcopo poſſeſſæ, majoris olim functionis uſuſque erat, ante Principum tanta incrementa, erectumque Flandriæ Concilium.

Burgravii; Vicecomites.

Emicant dein Burgravii, quibus in Burgorum arciumve, judiciorum publicorum & cuſtodiarum, moderamine, additis prærogativis, multarumque pro rata, quæ plerunque triens erat, commodis, vices ſuas Comites permittebant: unde aliis Vicecomites nuncupantur. Gandavi nimirum, Ipræ, Aloſti, Feurnæ, Bergæ, Harlebecæ, Burburgi, Neoporti, Rouſſelariæ. Illorum vero ingentem antiquitus fuiſſe auctoritatem, ac adminiſtrationem, quæ jampridem ex prærogativa militari, in civilem juriſdictionem commutata eſt, hinc manifeſtum eſt, quod Philippus Roberti Comitis Friſii filius, Ipræ Burgravius erat, atque vocabatur. Burgraviorum quoque, qui & Caſtellani, & Vicecomites vocabantur, non eadem ubique præeminentia & juriſdictio eſt; ſed per Comites pro meritis aut imminuta, aut amplificata.

Conestabilis Flandriæ.

Militiæ præerat Coneſtabilis (quod vocabulum genuinum nobis eſt, diciturque **Coninckſtapel**: quaſi columen regis ejuſque ſtatum conſervans. **Coninck** enim regem, **ſtapel** fulcrum ſignificat, cui ſedes, vel aliud quidpiam innititur. De Comite ſtabuli ſacri Codex Juſtinianeus meminit, & Ammianus Marcellinus, ubi narrat ab Imperatore Valentiniano, Valentem fratrem ſtabulo ipſius præfectum cum tribunatus dignitate, equitum Magiſtrum latinè nominant, quam appoſite neſcio. Equitum certe Magiſtri apud Romanos Dictatori; ἵππαρχοι, eadem apud Athenienſes ſignificatione, πολεμάρχῳ, ſuberant: at ſummum eſt Coneſtabilis in re militari imperium: neque hic deerant Almyralus (detorta in noſtratem græca voce) cui maris, rerumque maritimarum ſuprema cura incumbebat, neque Mariſcalcus, à peritia totius artis equeſtris ita dictus. **Mar** enim Germanis olim equum, & **Marri** vel **Merri** adhuc equam ſignificat, **ſcalc** callidum denotat; neque hinc aberat Seineſcalcus: quem Gulielmus Tyrius (de Alexio loquens) mega domeſticum vocat, qui in aula Conſtantinopolitana δομεστικὸς μέγας dicebatur. **Sin** enim & **Ghesin** familiam domeſticam ſignificat. Prima dignitas Genti Meluneæ Antomianæ: ſecunda Hugerfluſiis, tertia Mareſcalcorum Zoeterſtediis, ac Vichtiis ceſſit: poſtrema domui Wavriniæ. Illorum verò militarium officiorum titulus familiis illis pleriſque manſit, functio deceſſit. Ad Dominicas rationes procurandas pertinent Quæſtores, ſive receptatores feudatarii, Spicariæ, Vacciariæ, Lardarii, Brevium, ſimiliumque Princi-

Vide Meurſii Gloſſarium Græcobarbarum.

pis Canonum proventuumque: quæ tributa ſunt agrorum perpetua, & poſſidenti inevitabilia: ſpicarum, hoc eſt frumenti & avenæ, vaccini Caſei, & lardi, nummorumque culinæ Comitis importanda. Sed jampridem pretio pecuniario, per Inſulenſe computationum conclave ſingulis annis variè ſtatuto, illa alimentaria redimuntur. Hac in claſſe quæſtoria emicant, Præpoſitus D. Donatiani, ob eam dignitatem, quæ ampliſſimæ potentiæ eſt, atque hæ familiæ Croy, Walle/ Beer/ van der Eycken/ Utenhove/ Zomerghem/ Illuſtres fuere: ob ſpicarias Cortraci, Harlebecæ, Furnis, Dixmudæ, Aloſti, Ruplemondæ; Pivers/ Claerhout/ Ghent ob breves ſive litteras de Lokeren/ Maldeghem/ Atten; Popelles/ van der Burch/ Scott ob Lardarium Brugæ, Furnis, Bergæ: Laurin ob Vaccariam Furnenſem. Aulæ Miniſteriis præficiebantur, Magnus Magiſter domus ſive œconomiæ: Camerlingus, cubiculo ejuſque ornamentis: Pocillator poculis Principis præpoſitus: ille Armentariæ, hic Aldenburgi, & Merkem, tertius Ledæ Comarchus.

Venatio. Venationum vero aucupiique præfectura, atque Watergravia, nulli familiæ affixa munera, pro libitu Principis conferuntur. Prima per Balduinum ſecuriculam, ut nobilium de venandi jure, limitibuſque altercationes præcideret erecta, cervos, aproſque; quod cæteris ſeverè prohibetur; lepores, cuniculoſque retibus, canibus, viverriſque venatur & inſectatur: quod poſterius nobilibus venationi aſſuetis liberum eſt, aliiſque ſi præfectus aſſentiatur, qui præter alios fuit nuper è Montmorentia ſtirpe Baro de Croiſilles magnus Brugæ, Terræque Francæ Balivus, poſt eum gener Middelburgi Comes, nunc Dux Arſcotanus, Arenbergæ Comes è Ligniaca & Croja domo Princeps egregius. Obtinet autem poteſtatem eos apprehendendi, qui in leges venaticas committunt: & ex duorum Comitis beneficiariorum ſententia caſtigandi.

Aucupium. Neque aucupium Phaſianorum, Buteonum, Ardearum, perdicumque conceſſum eſt, præterquam nobilibus illi deditis, aut à præfecto Falconum Principis, facultatem prece, vel pretio impetrantibus.

Watergravius. Watergravia magiſterium præcipuamque curam in lacus fluvioſque exercet, contra hos præſertim qui cygnis Principis nocent, ova, nidos, pullos rapiunt aut ibi olores nutriunt, citra ipſius Watergravii voluntatem: qua in functione jampridem fuit Ludovicus Blaſerius Eques, poſt illum filius, & modo nepos Ludovicus itidem Blaſerius eques, Idewalli Dominus, vir Patritius & Conſularis Gandavenſis, de Patria ſua bene cum aliis familiæ ſuæ præſtantibus viris, meritus.

Balthei equeſtris Riderorum ſive equitum, qui à calcaribus aureis aliiſque ornamentis attributis, aurati vocantur, decus pro virtutis ſagatæ, & ſæpe togatæ hoſtimento à Principe indulgetur: humero lævo enſe nudo perſtricto, additis verbis ſolenni more conceptis: tanto ſplendore ut hominibus novis, eorumque poſteris nobilitatem adjiciat, nobilibus augeat. Equeſtris dignitas.

Quin vero nobilitatis dignitatem inprimis dilatavit Balduinus Pulcrobarbus: nam equeſtris auratæque militiæ prærogativis, ac diſtinctarum Comarchiarum titulis, emolumentiſque plurimos honeſtavit: qui illacrymabiles, ut ille ait, jacent ſepulti nocte longa, quia carent vate ſacro, ſcriptiſque teſtimoniis. Illius exemplo poſteri nobilitatem amplificarunt: quæ in Flandria numeroſa exiſtit, utpote quæ ſub Principibus generoſiſſimis Europam, magnamque Orientis partem armis pervagata eſt, multiſque honoribus fruitur: ſtudium pecuarium agrorumque cultum à profeſſione ſua non eliminat: mercaturam, opificium, artificiumque manuarium dedignatur, ad exemplum Germanicæ, Gallicæ, Anglicæ, & hodiernæ Romanæ nobilitatis: nullam tamen immunitatis præeminentiam, ut in Gallo-Flandria, vicinaque Arteſia & Hannonia, ex ſeſe gignit, pari cum cætero populo, tributorum, indictionum, vectigaliumque onere vivit: prudenter ſanè atque circumſpectè, ut multitudinis tumultuoſæ & quæſtu inſoleſcentis, nobilibuſque ferè ſemper obtrectantis averſionem turbaſque, ea velut ſymmetria mitiget atque æqualitate. Nobilitas.

De Claſſe quatuor membrorum.

PRÆCIPUAM in Flandria, aut verius reipſa omnem jam auctoritatem potentiamque obtinent quatuor Regiones: Gandavum, Bruga, Ipra, Terra Franca, ceu Tetrarchia, quæ quatuor membra vocantur: quia inſtar corporis membrorum ad Reipub. validam compagem, directionem, functionemque ſub Comite, velut ſub Capite in primis adhibentur. Quod quatuor partium æquilibrium Terræ Francæ aſſociatione ſub Philippo bono ad Annum CIↃ CCCCXXXVII. cepit in uſu eſſe: quum antea in tribus illis urbibus, ceu tripo-

de, Tripoliticus ſtatuum gradus ſtabiliretur. Cæteræ urbes & Caſtellaniæ, etiamſi Magiſtratus ſuos, leges, ærariumque ſeorſim habeant, tamen cum in commune vel conſulto vel tributo, vel milite opus eſt, illorum quatuor ſubadjuvæ ſunt, atque ſubſidiariæ, eorumque in generali ordinum Flandriæ, vel Belgicæ conventu decretis, reliqua Flandria obſtringitur. Nam in univerſalibus quidem Flandriæ Comitiis, Sacerdotii ac Nobilitatis proceres, Magiſtratuumque cæterorum delegati, una quidem conſultant, ſed quatuor Membra auctoritatem decernendi ſibi vendicant: & in generali totius Belgicæ conventu, ſola, Flandriæ corpus repræſentant. Ita ex mente ſua *Marchantius*: verius tamen & antiquis etiam uſibus comprobatius, in rebus majoris momenti non ſolum quatuor membra, ſed clerum & nobilitatem ſolitam non conſultare modo, ſed etiam definire atque decidere. Porrò ſingulis illis membris quædam oppida, & Caſtellaniæ ſubcenſentur, hoc eſt, poſtulatam addictamque Principi pecuniam ſub illis pro rata conferunt, arma & conſilia publica conſociant: ſubjectionis cæterà immunes, licet quædam jus illinc petant relatione, unde illis membris auctoritas gliſcit, & Principi compendium rerum expediendarum: quum ante Arteſiæ à cætera Flandria divulſionem Atrebati, Gandavi, Brugis, Ipræ, Santodomari, Lilæ, Duacique ſcita reliquos præcederent, atque devincirent. Quæ res ſub Gulielmo Normanno, quum de illius rejectione anno 1128. ageretur, exemplo claruit. Et poſt illam disjunctionem, prius quam Gallo Flandria pignori Francis opponeretur, Gandavi, Brugæ, Ipræ, Inſulæ & Duaci conjunctio, auctoritaſque eminebat: quod Guidonis Dampetræ ſanctione manifeſtum eſt, jubentis, dum inter Comitem & quampiam illarum urbium de intelligentia alicujus Privilegii controverſia oriretur, ut judicium ad cæteras quatuor, litis non conſortes pertineret. Singulis autem quatuor membrorum, à bonorum confiſcatione exemptio competit, vetuſto Privilegio conſtitutione Caroli Quinti Cæſaris ad annum 1549.
1596. confirmato. Ante paucos vero annos in hanc etiam claſſem, adnitente cumprimis Carolo Rodoanio Brugenſium Epiſcopo, auctoritate Principis adlectus fuit Eccleſiaſticus ordo, ſeu ſacerdotes aliqui ex unoquoque Flandriæ Epiſcopatu deputati, qui partem in adminiſtranda Flandrorum Rep. cum deputatis aliarum illarum urbium poteſtatem haberent, eoque munere ad biennium, vel triennium, ad hoc ab Epiſcopis, Canonicorum Collegiis, Abbatibus, ac Præpoſitis quibuſdam, ſuffragiorum pluralitate (ita enim fieri debet) electi, fungerentur, in quorum locum tunc alii venirent, vel, ſi ita Reip. expedire videretur, in aliud biennium, vel triennium iiſdem eligentium ſuffragiis, vel partim, vel omnes permanerent. Quæ res ſicut à quibuſdam laudata fuit, ſic nec aliorum vituperiis, & obloquio caruit. Judicantibus multis melius cum Eccleſia actum iri, ſi à ſæcularibus negotiis abſtractus, ſacris ſe functionibus tantum clerus impenderet; qui dum ærarias audit rationes, & alia profana munia obire cogitur, à verbo Dei aliiſque ſuæ vocationis miniſteriis magis ſanctis, amovetur; & ea forte impendit, à quibus alioquin per Pontificia, & Cæſarea jura immunis eſſet.

Alii Flandriæ Magiſtratus.

IN confeſſo, compertoque eſt, nullam hominum ſocietatem, coaleſcere & tranquillam perdurare poſſe, niſi legum nexu compingatur, atque vinciatur: legibus autem animam atque robur à Magiſtratibus, hoc eſt, quibus ſeu Magiſtris præcipua rerum cura incumbit, majorique imperio & poteſtate, quam privati pollent, indui indubitatum eſt; quorum alii majores ſunt, alii minores. Pro majori, Flandria Comitem dominumque ſuum habet, cæteri qui ab eo tanquam à fonte rivi, vim ſuam accepere, minores ſunt. Horum alii ad Principis celſitudinem patrimoniumque pertinent conſervandum, alii cujuſque loci ſubditos reſpiciunt: priori loco habentur Cameræ (ſic vulgò nominantur) Legalis, Hooffredenenga/ Computationum & Flandriæ Concilium.

Legalis cæterarum curiarum quaſi vertex, parium olim (nam antiquitus proceres pares exemplo Gallico in Flandria emicuiſſe ſciamus) jam Valvaſorum & Conſiliariorum Comitis, eſt eo loco & numero, quo illi viſum eſt, Gandavi inprimis congredientium, ad quam deducebantur res graviſſimæ, & ad amplitudinem curamque Principis propriè ſpectantes: quæ jampridem ad Concilium Conſiſtoriumque Principis aſſiduum, aut ad Flandriæ Concilium, Gandavi fixum, adfluunt; & ad quam etiam omnes feudorum controverſiæ à curiis Comitis feudalibus appellatæ, intromittuntur judicanturque abſque provocatione, præſente Comite & ſubmonente, aut ejus abſentis Bailivo: Pulvino ſeu juſtitiæ lecto, aulæis inſtrato, ubi ipſe-

Camera legalis.

ipſemet Comes aderat, enſeque nudo ad meri ſupremique Imperii teſtificationem, illi ſuperpoſito. In hunc conventum, quo Joannes Aldenardæ Dominus fatebatur Dynaſtias ſuas Leſſinam, Flobecam Podsbergæ nemus, homagio Flandriæ attineri, ipſemet Guido Flandriæ Comes anno 1281. vocavit ſubmonuitque Robertum filium, Joannem nepotem, procereſque Ghiſtellanum, Mortaignium, Hieſſelium, Vormeſelium, ejuſque notæ alios, unde vetus illius Concilii ſplendor innoteſcit.

Hooftre-kenenga. **Hooftrekenenga**/ Gallicè contracteque **Rekenenga**/ hoceſt caput, ſupremaque curia ratiociniorum, conſiſtit ex Quæſtoribus Comitis beneficiariis & hæreditariis, de quibus antea diximus. Hi annuatim evocati menſe Julio ad diem feſtum à conclavi computationum præſcriptum, triduum, eoque amplius Lilæ congrediuntur; cauſaſque omnium, ſeſe à receptatoribus dominicæ pecuniæ injuſtè vexatos, aut poſtulatos conquerentium, omneſque actiones perſonales, patrimonium, canonemque Principis reſpicientes, atque reales etiam, exceptis de proprietate & ſucceſſione feudorum quæſtionibus, cognoſcunt, deciduntque amotâ appellatione: reſcribunt ad libellos ſupplices, novoſque peculii Dominici Quæſtores feudatarios, ad fidelitatis juramentum confeſſumque admittunt, primum locum obtinente Præpoſito Donatiani, utpote perpetuo Flandriæ Cancellario; Bailivo, Procuratore fiſci, ſcribaque per Principem delegatis. Computationum curia, ex Præſide, quattuor Magiſtris, quinque auditoribus, & duobus Scribis jam pridem ordinariis, coaleſcit, Lilæ ſtabilita. Examinat, expungit, ſancit rationes calculoſque fructuum, exorientium ex Dominicis prædiis, ſylvis, portoriis: ex obventionibus confiſcationum, mulctarum, bonorum pro derelictis habitorum, mari ejectorum, nothorum abſque liberis morientium, ex juribus feudalibus homagiorum, aliarumque recognitionum: ex Bailivorum penſionibus, ſimilibuſque Principis emolumentis. Cui curiæ imprimis Quæſtores illi hæreditarii, duoque receptatores generales mandatarii, alter Orientalis, alter Occidentalis nuncupati, ad rationes reddendas obnoxii ſunt; non ſecus atque peculii dominici coactores atque debitores in Arteſiæ, Hannoniæ, Namurci ditionibus, Mechliniæ, Tornacique. Quibus omnibus illi rationum indices, qualis Athenis λογισταὶ, nihil abſque gravi cauſa acceptum ferunt. Olim quidem majorem poteſtatem, Philippo Audace auctore illa curia nacta erat: nam duobus juſtitiæ adminiſtrandæ conſiliariis aucta, omnia, quæ ſpectabant ad amplitudinem Principis, & qualeſcumque delatas querelas, decidebat; jus illinc relatione petentibus decernebat, Officiarios ſive juſtitiæ, ſive Patrimonii Principis adminiſtrandi, culpæ affines amovebat. Sed Joannes ejus filius, ut cæteræ Flandriæ gratificaretur, conſiliarios illos Judices Aldenardam, & poſtea Gandavum tranſtulit: hanc ratiociniorum curiam Lilæ reliquit, originalia etiam Edicta & Privilegia publice à Principibus indulta, regeſtis aſſervantem.

Concilii Flandriæ (ſic enim vulgo nominatur) Lila Gandavum tranſducti, & amplificati, occaſio nata eſt, partim ex origine & imitatione curiæ per Ludovicum Maleanum inſtitutæ, quam *Audientiam* vocabat, judicantis de litibus auctoritati Urbanorum Magiſtratuum non ſubjectis, præſertim de Scabinorum & Bailivorum corruptelis flagitiiſque: poſt tamen extabeſcentis, quod Principi ſubditiſque nimis eſſet ſumptuoſa; partim, ut Flandria paullatim à juriſdictione & reſortitione curiæ Pariſienſis diffueretur, & in integrum reſtitueretur. Conſtat enim ante Philippi Pulchri Gallorum Regis tempeſtatem, Parlamenti ſtatarii Pariſienſis juriſdictionem longiſſime extendere ambientis, Guydiumque Dampierrum ſubdolè evocatum detinentis, non Comitem modo, verum etiam omnes in Flandria Magiſtratus judicaſſe, amotâ provacatione; Galliſque dicentibus clientelæ à Flandris Regi debitæ, juriſdictionem, reſortitionemque Gallicam includi, obnitebantur; tum ex antiqua & perpetuata Flandriæ judiciorum in contrarium conſuetudine, tum exemplis Brabantiæ, Hannoniæ, Hollandiæ, Ditioniſque Aloſtanæ: quæ licet in hominio S. Imperii ſint, non pertinent tamen ad ejus juriſdictionem. E diverſo Dendremondam & Gheersbergam (quamvis feudalem clientelam Flandriæ Comiti non debeant) ſubjectione tamen & Juriſdictione ejus comprehendi. Itaque Homagium & juriſdictionem eſſe res naturâ, interque ſe, disjunctas. Negari tamen non poteſt quin Philippus Auſtrius primus Atrebati anno 1499. tunc cum pacis dotaliſque Regni Hiſpaniæ inviſendi avidus, Guydo Rochefortio Galliæ Cancellario fidem Flandriæ nomine daret, ſe ſubmiſerit veteri & uſitatæ reſortitioni; ſed non ſemel controverſum deinceps fuit, quid, quantumque per eas voces Gallo deberetur. Concilium Flandriæ.

Poſtremo, potiſſimam huic Provinciali Flandriæ Concilio cauſam præbuit, Philippi Audacis, ejuſque filii, ob Caroli

F 2 Sexti

Digitized by Google

Sexti Galliæ Regis curatelam, frequens una cum Conſiliariis abſentia: eamque ob occaſionem, Senatum certo quo ipſis placuit loco (fuit enim Aldenardam, Curtracum, Teneramondam, Ypramque ſubinde traductus) conſtituentium: qui Gandavi demum ſtabilitus eſt: ad quem, omnia quæ celſitudinem, & jura, auctoritatemque Principis in Flandria reſpiciunt, & Bailivorum, Monetariorum, Eccleſiæ, Provinciæque noxiorum, & Salvaguardi fragorum crimina, cunctæque Urbium & Caſtellaniarum inter ipſas, aut cum exteris controverſiæ; ab illarum, cæterorumque Magiſtratuum ſententiis appellationes, ac gratiarum remiſſionumque à Principe criminibus indultarum, verificationes deferuntur: cæteraque, quæ inſtitutione & mandato Caroli Quinti Cæſaris ad annum 1522. undecimoque poſt anno ſupra ter quingenteſimum publicato, continentur. Qui Senatus ex Præſide, cui equeſtris dignitas ſtatim adjicitur, Conſiliariis octo, Commiſſariis quatuor jampridem conſtituitur: illis honoraria annua, his illorum vice, inquiſitionum ſive informationum emolumenta capientibus: *additis & aſſidentibus* Procuratore & Advocato Principis, Quæſtore obventionum, Scriba Notarioque Quibus omnibus, cauſarumque Patronis, Procuratoribus, accenſis, oſtiariis & nuntiis Concilii illius membris, immunitas Gandavi ſuppetit ab oneribus urbicis vectigalibuſque impoſitis eſui & vino, cereviſiæque, non petitis poculatim ex popinis, ſed in vaſis penuque conditis. Ad quam immunitatem citra obſtaculum obſervandam, Magiſtratus Civitatis Gandenſis anno 1497. per Concilium Principis arcanum ſe damnari aſſenſus eſt.

Vide plura in Gandavo.

Nunc auctus.

De Magiſtratibus, qui ad cujuſque loci ſubditos reſpiciunt.

MAGISTRATUS ſingulis in opidis, Caſtellaniis, Dynaſtiis, poteſtatem obtinentes, partim Scabini, partim Baillivi nominantur: Quos Scabinos Latinè efferimus, vulgo noſtris Scepeni vocantur. Leges etiam, quia Magiſtratus lex animata eſt, aut eſſe debet, communiter appellantur. In quorum ordinem Carolus quintus Cæſar, promulgato ad annum 1531. edicto, prohibuit ebrioſos cooptari, voluitque ut nimiæ potationi aſſueſcentes, ſi per errorem in illam functionem irrepſerint, removeantur: quod decretum mitius fuit Solonis ſanctione ſtatuentis, ut Magiſtratus ebrietatis compertus, morte puniatur. Scabini jura & Privilegia populi defendunt. Lites in judicium deductas, ex norma ſtatutorum & conſuetudinum municipalium, aut illis deficientibus ex jure ſcripto decidunt: tormentis quæſtionum adſunt, crimina examinant, vitæ neciſque jus & facultatem habent: ſubmonentibus, per concepta verba, Principis officiariis, populo audiente, ſed ſupplicii condemnatos noxæ eximere ipſis nefas eſt: ſoli Principi permiſſum magis quam uſurpatum. Politica edicta ſciſſere illis licitum & uſurpatum, Comite ſanciente: at tributa ſimiliaque onera ſubditis inducere, niſi Principe cauſas neceſſitatis cognoſcente, imponendique oneris facultatem largiente, prohibentur: primum Ludovici Maleani, deinde Caroli quinti Cæſaris ad annum 1516. conſtitutione. Illorum Præſides (quibus Senatus convocandi & dimittendi, ad eum referendi, primi conſeſſus, & ſententias circumrogandi jus & poteſtas eſt,) nuncupantur Gandavi, & in Yprenſi, Bergenſi, Burburgiaque Caſtellaniis, Primi Scabini: Ypræ, Bellæque Voegti, ſive tutores: *Bergæ Portmagiſtri*: In Feurnenſi Caſtellania Lanthouderi, quaſi terræ cuſtodes, adjunctique illis Scabini etiam Keurheri, ſeu electi Domini (Keur enim optionem, electionemque ſignat) appellantur: Brugæ, cæteriſque fere in Oppidis, & in terra Franca, Burger-Magiſtri, hoc eſt, quibus præcipua civium cura incumbit, nuncupantur: quos inveteratæ Romanorum munerum cacozeliæ uſucapione, nulloque functionum æquilibrio, Conſules Latine vocamus: Antiquitus Scabini, licet ob juſtitiæ, largitione redemptæ, corruptelam, Comitis punitioni cum bonis ſuis ſemper ſubjacerent, dignitatem ante mortem non exuebant: nullamque pecuniæ publicæ adminiſtratæ rationem Principi, at inter ſe tantum reddebant: neque ab eorum ſententiis provocare licebat, imò appellantibus ſexaginta librarum Pariſiacarum mulcta imponebatur. Verum Joannæ Conſtantinopolitanæ, Guydique ex ſorore nepotis induſtria, aulica prudentia, multoque labore effectum fuit, populo novitatis avido ſuffragante, ut quotannis per commiſſarios Comitis ordinarios, aut removeantur, aut prorogentur, atque ad rationes coram illis populoque purgandas, teneantur. Neque illuc admittebatur ullus manuoperarius, ut vocant, niſi jam anno diutius ſeſe ab opificio removiſſet. Tandem Flandri, & Philippi Regis, quem diximus, cupiditate ambituque, Lutetiam ſenſim attrahebantur: & Philippi Boni circumſcriptione pedeten-

Digitized by Google

tentim illinc erepentes, hujus contra Gandenſes ad Gaveram victoria potentiaque gliſcente, coacti ſunt, Concilio Provinciali Gandavi fixo, parêre: eoque res devenit, ut à cunctis Magiſtratibus ad Senatum Principis, Gandavi collocatum, appellare licitum ſit, & Flandria diffuſius litibus inundaverit; fori tabe, pecuniam Cauſidicis ut vi morborum precia medentibus, adferente. Porrò ſingulis tum oppidorum tum Caſtellaniarum Magiſtratibus in cogenda, expendenda, & annotanda publica pecunia, ſubſerviunt Quæſtores: illic Theſaurarii: hìc Receptores vulgo nuncupati: in oppidis frequentius bini, hic ſinguli ſunt; quos in pleriſque urbibus, præterquam, Ypræ, principis Vicarii, uti Scabinos, eligunt: neque non Magiſtratibus perpetuo aſſiſtunt Aſſeſſores & Conſiliarii per illos cooptati: quos partim Graphiarios, aut Secretarios, partim Penſionarios vulgò nuncupant. Quibus utpote juris tam ſcripti quam municipalis peritioribus, & in continuo, annuæque mutationi non obnoxio rerum uſu verſantibus, multum defertur: neque nobilibus id munus indecorum eſt. Extra ordinem etiam Magiſtratibus vocati adſunt, ejuſdem antea ordinis (quos Notabiles appellant) unaque deliberant plerumque magis quam definiunt: neque cum opus eſt, illinc abſunt Decani opificiorum, & Sodalitates quædam, quas noſtri confratrias dicunt, gladiatorum & ſagittariorum. Illi enſes ancipites, longos, utraque manu peritè tractant: hi arcubus, ſive chalibeis, ſive acernis, ſpicula; aut ſclopis manuariis, plumbeas pilulas ejaculantur; vel ſaltem illis claſſibus aſſcribuntur. Quibus pridem veſtis erat bicolor, adjecto emblemate argenteo, ut noſcerentur: Illorum uſus in ſubitis periculis & terroribus tam inteſtinis, quam hoſtilibus opportunus eſt. Flandriæque Comites, antequam tot finitimarum ditionum acceſſione, aliciſque ſtipatoribus augerentur, ab uno oppido in aliud, honoris defenſioniſque cauſa, ab illis deducebantur: etiam pridem ad ornandum Principis vel adventum, vel inaugurationem adhibentur.

De Bailivis.

NON minus Bailivi, quam Scabini per Principem committuntur, mutuaſque operas tradunt. Quibuſdam in locis, Brugæ imprimis, Sculteti vocantur, à Germanico vocabulo, **Schulteſſen**/ noſtrati **Schulteten** & **Schoulteten**/ Germanicum enim ſigma ſibilumque nos fere in literam Tau emollimus, quod ſcilicet debitoribus juberent, ut creditoribus ſatisfacerent. Quæ vox in Luitprandi Longobardorum Regis legibus uſurpatur, nominaturque *Schuldabis*, judicemque denotabat, de debitis pronuntiantem, & creditori ſatisfieri jubentem, nunc autem in aliquot Helvetiæ urbibus, publici Concilii caput, peneſque Germanos Principes locorum Præfecti, vocabulo **Schutheſſen** deſignantur. Noſtris vero moribus, Bailivi, Schultetique, hoc modo, his officiis, à Scabinis differunt: Scabini judicant, Bailivi judicatum, & Scabinorum ſcita, Principumque conſtitutiones exequuntur; illi vocationem habent, hi prehenſionem, miſſionem in carcerem, accuſationem: illis quotannis honorarium: ab his Principi annua pecunia dependitur, ex mulctarum ſorte computata; illi annuæ aut biennii mutationi obnoxii ſunt: hi mandati diuturnioris limitibus. Denique Scabini jura populi: hi Principis magis reſpiciunt, eorumque Dynaſtarum à quibus committuntur: & Scabinos ad jus in propatulo tribunali dicendum ritè, & neceſſario ſubmonent, atque tribunalis locum, poteſtatemque velut aperiunt: unde etiam tribunalia noſtrati vocabulo **Vierſcharen**/ hoc eſt, quatriturbæ nominantur: quia nimirum quatuor perſonarum illic uſus eſt, Actoris, Rei, Judicis, & Bailivi. Scabinos Bailivi dignitate & loco prœeunt. In aliquot Caſtellaniis, præſertim Furnenſi, & in terra Francâ, Bailivis additur Crichouderus, ſic dictus, quaſi cuſtos ligni, ſuprema ſui parte tranſverſarii, quod axillis ſubjectum, imbecilles ſuſtentat: cujus forma argentea pedalis magnitudinis illi Magiſtratui, munere ſuo in publico fungenti, rite geſtatur. Is Scabinos in tribunali publicè tempeſtiveque ſubmonet, verbis conceptis: pupillares facultates inquirit, inſcribit, mulctatque earum interverſores: & auctiones rerum, præſente Judice, venalium, maximè nobilium, palam proclamat annotatque. Neque (ruri imprimis) deſunt Amani, quaſi, Amptmanni, hoc eſt, viri officiarii: quorum partes ſunt, diebus Dominicis, peractiſque ſacris, in cœmiterio, edicta Magiſtratus, privatorumque mandata præconari, triconibuſque debitoribus domi denunciare ut ſolvant, aut uti ultra legis municipalis præſcriptum cunctabundos, ad ſolvendum cogant, eorum bonis, mobilibus imprimis, venundatis in auctione. Poſtremo quemadmodum cæteris omnibus Bailivis certæ metæ unius vel oppidi, vel

Digitized by Google

Caſtellaniæ, pagique circumſcriptæ ſunt: ita Lud. Maleanus quendam ſupremum rerum capitalium Quæſtorem, vindicemque, quem Souveranum Bailivum nuncupavit anno CIↃ CCCLXXIV. inſtituit ad homicidas exuleſque vagabundos tota Flandria, & Antverpiæ, Mechliniæque (quæ illi tunc patebant) apprehendendos, & ex ſententia duorum Comitis beneficiariorum morte pleƈtendos, aut ex merito caſtigandos: cum prius illud muneris à Receptatore Generali Flandriæ gereretur, & uni utrumque onus nimium eſſet; tantis præſertim illius ævi commotionibus. Permiſſa illi muneri jam pridem, & à Carolo quinto Cæſare anno 1543. approbata, auƈtoritate atque facultate relegationis abrogandæ, & furti, neque non homicidii ex caſu aut defenſione, ſimilique occaſione, magis quam inſidiis & præmeditatione reis, cæſique proximo conſanguineo, paſſiſque furtum, conciliatis, largiendi non ſolum ultro, citroque commeandi quadraginta per dies ſecuritatem; verum etiam criminis condonationem: modo mulƈtæ pecuniariæ, ſecundum facultates, enormitateſque illorum reorum, ab *ipſo* imponendæ, fruƈtus, non ad eum, ſed Principem redeat: Flandriæ Concilium de reis an vera faſſi ſint, congoſcat.

Sint autem Magiſtratus loci, cujus juriſdiƈtioni reus, qui traducitur, obnoxius eſt; ſuæ illum cognitioni ſiſti petat, obtemperandum eſt. Quam dignitatem equites his cognomentis toparchiiſque hac ſerie adminiſtrarunt.

Bailivi Souverani Flandriæ.

GOſwinus de Wilde*, qui & Caſtellanus fuit Bapalmenſis in Arteſia, ac poſtea ad annum 1408. Quæſtor generalis Flandriæ, & demum Præſes, ac Hollandiæ Gubernator, vir egregius & bello contra Gandavenſes, & Razonem Herzellenſem eorum Ducem anno 1379. clarus.

Joannes de Jumont Eques Dominus de Merlemont. Is cum in pugna Roſebecana ante ad annum 1382. fortiter pugnaſſet, à Rege Francorum Urbis ac Caſtellaniæ Cortracenſis, præfeƈtus contra excurſiones Gandavenſium, cum firmo præſidio conſtitutus eſt: quam urbem ſtrenuè defendit, tam contra Gandavenſes, quam contra Anglos, qui urbem Iprenſem eodem tempore obſidebant. In munere Bailivi ſupremi manſit annis 17. in maleficos aſper. *Vide de his les Recherches du Sieur de la Chapelle.*

Joannes de la Chapelle qui in pugna contra Leodios obiit ad annum 1408.

Gillebertus Dominus de Leeuweghem, hoc etiam officio funƈtus fuit ad annum 1396. vir animi præſtans, & ob prudentiam Aldenardæ Gubernator Comite abſente conſtitutus, fuit & in Comitatu Principis Flandriæ, cum is ad Regem Gallorum profeƈtus, ſuppetias rogavit ab eo contra Epiſcopum Nortwicenſem & Anglos Ipram obſidentes.

Jacobus de Lichtervelde Eques, Dominus de Coolscamp & de Arſenbrouk, antea Bailivus Cortracenſis, Scultetus item & Caſtellanus Antverpienſis. Sepultus eſt in Eccleſia de Coolſcamp.

Alexander Spirinx, Joannis Philippi Burgundiæ Ducis Conſiliarii filius, qui ante ad annum 1398. Scultetus & Bailivus fuit Brugenſium.

Monfrandus Reſenenſis, virtutem ſuam probavit in obſidione Aldenardæ per Gandavenſes ad annum 1379. Subſcripſit paci Tornacenſi inter Burgundiæ Ducem, & præfatos Gandavenſes, fuit & Scabinus Franconatum ad annum 1385. & Conſiliarius in Concilio Flandriæ ad annum 1405.

Felix Princeps de Steenhuyſe, Dominus de Havelghem, Eques, Conſiliarius & Cubicularius Joannis Burgundiæ Ducis, ſécutus eſt Monfrandum anno 1405. fuit & à Principe deputatus ad novandos Magiſtratus per Flandriam. Et cum Joanne Burgundo profeƈtus in Galliam 1417. contra Armeniacos. Filius fuit Ottonis Principis de Steenhuyſe.

Joannes de la Clite Eques, Dominus de Comines anno 1424. fraterque fuit Colardi Cominienſis, quem patrem habuit Philippus Dominus de Argenton, egregius rerum ſub Ludovico undecimo Gallorum Rege geſtarum & prudens Hiſtoriographus. Duxit copias Iprenſes Caletum, dum id à Burgundo obſideretur, à quo & Torque Velleris aurei donatus fuit.

Colardus de la Clite Eques, Dominus de Ruſcheure, Walene, Sainƈt Venant, Buſcheure, &c. ſucceſſit Joanni fratri anno 1436. cum Philippo bono Burgundiæ Duce aliiſque pluribus Flandriæ nobilibus creatus fuit eques prælio de Vimeu. Proſcriptus fuit à Gandavenſibus: habuitque uxorem ſecundam Catarinam de Haveskerke, & pluribus acceſſit ad annum 1453.

Judocus de Halewin Eques, Dominus de Pienes Buggehout, &c. Conſiliarius & Camerarius Ducis Burgundiæ 1453. oƈtavo Maji. Frater illi fuit Franciſcus, qui cum Judoco doƈtrina ſingulari præditus eleƈtus

Digitized by Google

electus fuit Epiſcopus Ambianenſis. Cum autem ad Geldriæ & Cliviæ Ducem alioſque Principes legatus eſſet Judocus, abſentis munia implevit.

Walterus Dominus vander Gracht, Morslede, Volandre, &c. Eques, uſque ad annum 1466. quo in Flandriam rediit Præfectus Halewinus, ſed cum rurſum is cum Audace Burgundiæ Duce profectus eſſet contra Leodienſes, Walterus iterum huic muneri ſuffectus eſt, & ſucceſſorem habuit;

Theodoricum de Halewin Equitem, Conſiliarum & Camerarium Caroli Burgundiæ Ducis, Judoci Domini de Pienes fratrem, qui à legatione Anglica reverſus anno 1467. hoc itèrum munere perfunctus fuit ad annum 1472. Sepultus in Monaſterio de Pienes apud Caſletum.

Defuncto *Judoco* iterum *Walterus* Dominus vander Gracht, Morslede, Wevelghem, Belleghem huic muneri ſuffectus litteris 6. Maji anni 1472. Atrebati datis. Uxorem habuit Eliſabetham de Heule cum marito ſepultam in Morslede. Fuitque Capitaneus urbium & Caſtellaniarum Ipreniſs ac Cortracenſis.

Joannes Dominus de Halewin, Vicecomes de Roulers, Eques, Conſiliarius & Camerarius Burgundiæ Ducis, hoc etiam munus geſſit 1. Junii 1473.

Judocus de Lalaing, Eques aurei velleris, Dominus de Montigny, Conſiliarius & Camerarius Burgundiæ Ducis, ſecutus eſt Halewinum 1474. Præfuit copiis Burgundicis ad Nancejum, vir prudentiâ & fortitudine militari clariſſimus. Illoque abſente in hoc officio conſtitutus fuit;

Joannes Dominus de Dadizele Eques, Conſiliarus & Camerarius Burgundiæ Ducis.

Joannes à Burgundia Eques, Dominus de Elverdinge, Vlamertinge, Spiers, & Merſcſe, Conſiliarius & Cubicularius Burgundiæ Ducis, 13. Junii ad annum 1477.

Jacobus de Ghiſtelles Eques, Dominus de la Mote & Bergæ, Conſiliarius & Cubicularius Burgundiæ Ducis à 9. Maji. 1478. (Inter Jacobum & Danielem recenſetur à Marchantio etiam: *Joannes Hameſus Betencourtius*) ad annum uſque 1484.

Daniel de Praet dictus de Moerkerke, Dominus de Merwede, Eques, Conſiliarius & Cubicularius Ducis Burgundiæ, litteris per Maxæmilianum & Philippum Archiduces datis 12. April. 1485. ſupremus Flandriæ prætor fuit, Et poſt illum,

Adrianus de Gand dict Villain, Baro de Lydekerke, Vicecomes de Lombeke, Dominus de Leuwe, Sainct Amand Baſſerode, Conſilarius & Camerarius Maxæmiliani Imperatoris per litteras anni 1488.

Jacobus de Thiennes, dictus de Lombieze, Dominus de Caſtre, Rumbeke & Bertines, Conſiliarius & Cubicularius Caroli quinti Cæſaris, huic muneri datus fuit 7. Octob. 1512. Duxit & exercitum ejuſdem Principis, & Magiſtratus per Flandriam conſtituit.

Gerardus Stragiers, Scutifer, Scabinus Franconatum, Bailivus de Hontſche & Feudatariorum Burgi Brugenſis, per Mariam Hungariæ Reginam in hoc officio poſitus fuit 29. Auguſti 1534. donec aliud à Cæſare ordinatum eſſet.

Ferdinandus de la Barre, Dominus de Mouſiroen, Freſnoy, Anneval, Albeke, &c. Conſiliar. & Camerar. Cæſaris, Prætor factus eſt 15. Januarii 1543.

Carolus de Ghiſtelles, Dominus de Provene & de la Mote 25. Januar. 1571.

Joannes de Lichtervelde, Dominus de Beaurewart, Croix, &c. cum alter ſponte ſua ceſſiſſet 18. Septemb. 1575. hic dum contra fidem Principi ſuo datam, (quanquam variè ad hoc à perduellibus anno 1582. ſollicitaretur) nihil agere in animum inducit, munere hoc ſuo privatus fuit.

Joannes van Schoore Eques, Dominus de Marchove, per denominationem Ordinum Flandriæ, hoc munere donatus fuit per Franciſcum Ducem Andium & Alencony 10. Aprilis 1582.

Jacobus de L'Angle Eques, Baro de Peſques 2. Jul. 1590. cum aliquantum temporis locus hic vacaſſet, à Conſiliis & cubiculis fuit Regi Catholico & Magnus quoque Gandenſium Prætor.

Ægidius du Faing Eques, Baro de Jamoigne, Dominus de Linay, Haſſel, &c. à Conſiliis belli ſuæ Majeſtati, Conſiliarius nobilis in ditione & Ducatu Luxemburgenſi, Capitaneus & Præpoſitus Comitatus de Chiny, per litteras Sereniſſ. Archiducum 8. Auguſti 1617. qui variis Legationibus functus, anno etiam 1612. miſſus fuit à Rege Catholico ad Regem Daniæ, aliàs ad Comitia Imperii, magnique momenti negotiis adhibitus, ad meliorem vitam abiit anno 1633.

Philippus Albertus de Vicq, ob præclara majorum ac parentis præſertim ſui Henrici de Vicq Equitis, in Sanctiore Regis Senatu Conſiliarii, Mueleveldii Domini, viri prudentiâ ac erudione clariſſimi, qui nunc in Mechlinienſi Concilio præſes eſt, quique apud Gallorum Regem nuper Principum noſtrorum Legatus fuit, in

in Remp. noſtram merita, huic jam muneri deſeruit. Donec Baronis de Jamoigne filius, Regiâ beneficentiâ Patri datus ſucceſſor, per ætatem nondum functioni idoneus, paternos tandem honores poſſit capeſſere.

Flandriæ Gubernatores aliquot.

SUPREMIS Flandriæ prætoribus olim majores fuere Præſides ejus Provinciæ ſeu Gubernatores, qui in abſentia Principum res Flandricas ſumma cum poteſtate adminiſtrarunt. Inter primos in Annalibus noſtris, inquit Dominus de la Chapelle, occurrit *Theodoricus de Beverne* Dominus Dixmudæ, per Arnulphum Seniorem, qui ad bellum Longobardicum profectus erat anno 965. hoc in munere conſtitutus. Fortiter ille ſuſtinuit obſidionem urbis Gandavenſis factam à Regibus Francorum Angliæ & Scotiæ, qui poſt ſummos conatus re infectâ tandem abierunt. Quibus tamen ea res quamque ſolidis auctoribus nitatur, hactenus mihi incompertum.

Lib. 1. de Rether. cap. 33.

Diu poſt Theodoricum Flandriæ & Hannoniæ Gubernator fuit *Philippus Comes Namurcenſis*, Balduini Hannonii & Margaretæ Elſatiæ filius, hoc in officio poſitus per fratrem Conſtantinopolitanum Imperatorem anno 1200; quo in munere, cum antea varias à Philippo rege Francorum moleſtias paſſus eſſet, ducta ſorore Philippi Regis Iſabellâ, ad annum 1209. ab eodem Rege dignitati priſtinæ reſtitutus, res Flandriæ moderatus eſt.

Vide Oudegerſtum.

Circa eadem tempora ad annum videlicet 1206. Legitur Rewardus & Flandriæ Gubernator cum Regina Machtilde fuiſſe *Bouchardus Aveſnenſis.*

Arnulphus de Gavere, Dominus de Materne & Eſcornais conſtitutus fuit Gubernator à Joanna Flandriæ Comite, dum maritus ejus Ferdinandus Portugallenſis captivus in Francia detineretur, circa annum 1222. Vide Meyerum l. 8. Annal. qui eum perperam vocat Judocum de Materne.

Carolus à Francia, Comes Valeſiæ, Andium, & de Maine à Philippo pulchro Francorum Rege, Flandris fuit datus Gubernator ad annum 1289.

Radulphus de Neeſla, conſenſu Regis à Carolo Franco huic muneri ſubſtitutus fuit circa annum 1300. poſtquam Guidonem Flandriæ Comitem liberoſque ejus captivos in Gallia haberet. Sed cum non amplius uno anno hanc functionem obiſſet, Rege ipſo in Flandriam veniente, in Radulphi locum venit *Jacobus de Chaſtillon*, qui Reginæ Philippi uxoris avunculus erat, qui cum durius iniquiuſque haberet Flandros, hique bello ſe adverſus hominis inſolentiam tuerentur, Rex Philippus ingente cum exercitu in Flandros movens, cum remedia ſe rebellioni adlaturum ſperaret, in Campis Groningenſibus ad Cortracum, ferè ad internecionem cœſâ nobilitate Francicâ & Roberto Atrebate, qui copias ducebat, cum hoc Jacobo etiam pluribus addito, maximam cladem tulit.

Vide Meyerum lib. 10.

In ejus locum *Guido de Chaſtillon*, Comes S. Pauli à Rege Philippo ſurrogatus fuit. Is Flandrorum Capitaneus Generalis, Regiſque Vicarius acceptâ per litteras Regias 1301. ampliſſimâ poteſtate, quod libuit in Flandria ferè potuit, condonare offenſas, Regi conciliare rebelles, ſolo Guidone Flandrorum Comite ejuſque liberis exceptis.

Vide Andream du Cheſne in hiſtoria General. familie de Chaſtillon.

Philippus à Flandria, Comes de Thiette, & de Lorette, Guidonis Flandriæ Comitis filius, etiam Flandrorum Gubernator fuit. Illique ditioni ac nominatim Brugenſium Urbipoliticas quaſdam leges dedit.

Vide Oudegerſtum.

Ad annum 1310. nominatur in Flandriæ diplomatis, ejuſdem Provinciæ Gubernator *Dominus de Dadizele.*

Ad annum 1315. Philippus Francorum Rex bello Provinciam aggreſſus conſtituit Præſides *Alfonſum ab Hiſpania* Dominum de Lunel, *Mattheum de Tricht* Dominum de Beaumont, & *Godardum de Nogaret.* Ludovicus vero Philippi filius ad annum 1318. *Comitem d'Evreux.* At cum non ita multo poſt arma ſumpſiſſent Flandri contra Ludovicum Creſſiacum Flandriæ Comitem, & is à Brugenſibus captivus teneretur, à Flandris Rewardus & provinciæ Gubernator conſtitutus eſt *Robertus à Flandria*, Dominus de Caſſel, Baro d'Alun & de Montmiral en perche, prædicti Ludovici Comitis Patruus. A quo etiam ante *Gobertus Dominus de Aſpermont* & poſt illum *Philippus de Axelles* Eques, Gubernator Flandriæ nominatus fuit.

Simon de Mirabello Dominus de Peruweo & Beverne, hanc etiam habuit dignitatem; illi conjux fuit Eliſabetha Domina de Eeckeloo, Capryke, Somerghem, filia notha Ludovici Flandriæ Comitis ad annum 1340. fundavit Gandavi Monaſterium de Groenenbriele, & ſacellum in æde D. Pharahildis, ubi cum uxore ſua ſepultus eſt.

Ad annum 1337. motis contra Comitem Gandavenſibus, Flandriæ Gubernator conſtitutus eſt *Jacobus de Arteveldé* Nobilis Gandavenſis, vir prudens; audax & animoſus, præfuitque annis ſeptem.

Sed

Sed cum is nimium Eduardo Anglorum Regi addictus, omni molimine niteretur, ut ſpreto Principe Ludovico populus Gandavenſis in Flandriæ Comitem eligeret, Eduardi filium Walliæ Principem, à Gandavenſibus cum aliis ſuæ factionis trucidatus fuit.

Philippus de Arteveldt Jacobi filius, alio contra Comitem bello, ad annum 1381. electus fuit in Gubernatorem Flandriæ à præfatis Gandavenſibus. Etiam vir audax & fortis, qui cum ſtrenuè rem gereret in pugna Roſebekana, cum aliis fere viginti Flandrorum millibus occubuit. Mater illi erat Comina Trunchinienſis juxta Gandavum ex nobiliſſima familia de Baronage.

Ad annum 1360. Comes Ludovicus Flandriæ cognomento Nivernenſis diplomate ſuo 12. Decembris nominavit Flandriæ Præſides *Dominum de Maldeghem*, *& Joannem de Sickele*. Ad annum vero 1366. cum in Galliam profectus eſſet idem Comes, per litteras ſuas quartâ Auguſti datas, Flandriæ præfecit, urbibusque ſuis Mechliniæ & Antverpiæ *Dominos d'Axelles & d'Eſcornais*, cum *Goſwino de Wilde* Equite, Quæſtore Flandriæ generali. Idem Comes octava Octobr. ad annum 1363. conſtituit Flandriæ Præſides *Dominum de Maldeghem*, *Guilielmum de Reygersvliet*, *Dominum de Dudzeele*, *& Petrum Janſonium* ſupremum Provinciæ Quæſtorem. Ad annum vero 1434. Burgundiæ Dux Flandriæque Comes, conſtituit *Joannem Dominum de Ghiſtelles* Equitem, Dominum de Reygersvliet, Arves, Longueville, Pont à Vendin, &c. Joannem ſecuti *Albertus Saxoniæ Dux*, auctoritate Maxæmiliani Auſtriæ Archiducis: *Philippus à Burgundia* Dominus de Bevere, Philippi Archiducis, ad annum 1484. Ad annum 1500. *Ingelbertus Naſſoviæ Com.* Ad annum 1505. *Jacobus de Luxembourch*, Comes de Gavere, Dominus de Fiennes. Ad annum 1532. *Adrianus de Orvii* Eques aurei Velleris, *Comes de Roeulx*, magnus Cæſaris Caroli quinti Oeconomus, antea etiam Gubernator Inſulenſis; ac poſt Arteſiæ. Ad annum 1555. *Ludovicus à Flandria* Eques aurei Velleris, Dominus de Praet & de la Woeſtine, d'Elverdinge, Vlamertinge, Spiers, Merſes, Conſiliarius & Cubicularius primus Cæſaris Caroli, ærarii Regii Præfectus, Capitaneus arcis & urbis Sluſanæ, Balivus Brugenſis & territorii Franconatum. *Pontus de Lalaing* Dominus de Bignicourt, Hourdain, Noyelle, Wyon, &c. Eques aurei Velleris. *Joannes de Croy* Comes de Roeulx Dominus de Beaurain ad annum 1567. *Lamoraldus Comes de Egmond*, *Princeps de Gavere & de Steenhuyſe*, Baro de Fiennes & *Gaesbeke*, Eques aurei Velleris, &c. ſimul Arteſiæ Gubernator. Denique ad annum 1576. Philippus de Croy Eques aurei Velleris, Dux d'Arſchot, Princeps de Chimay, Comes de Porcean & de Sinneghem, qui cum ſolemni apparatu tertia Octobr. ejuſdem anni in urbem Gandenſem veniſſet, triduo poſt à ſeditioſis Gandavi, cum Epiſcopis Iprenſi ac Brugenſi, ac Toparchis de Raſſeghem, Sweveghem, aliiſque detentus fuit.

CENSURA OPPIDORUM ET AGRORUM FLANDRIÆ FACTA ANNO MDXVII.

CEnſus Flandriæ, commiſſus in oppido Middelburgenſi, per Carolum Hiſpaniarum Principem, Flandriæ Comitem, ad XVI Maji anni MDXV, fuit Jacobo de Luxembourg Domino de Fiennes Equiti Velleris aurei, Flandriæ & Arteſiæ Præfecto, Carolo Baroni de Lalaing, Franciſco de Maſtaing Domino de Maſſeme, Nicolao Utenhovio Conſiliario, Livino de Potteloberghe ſupremo Quæſtori, Antonio de Lu, Equitibus, Carolo le Clerq Magiſtro Rationum Inſulis, Ludovico de Steelant, Matthæo de Bavinchove, Levino Leyns, Nicaſio Hanneron, & Oliverio Roſe, junctis Ordinum deputatis; à Gandenſium parte Gulielmo de Wale Equiti, & Joanni de la Kethulle; à Brugenſium, Jacobo de Halewin, Domino de Maldeghem, & M. Antonio Sucquet; ab Iprenſium Antonio Untenhove, & M. Jacobo Steelant; à Franconatum denique Andreæ Andries, & Galeno Almario. Quem cenſum litteris, in eum finem Bruxellæ datis, declarat ſibi placiturum idem Carolus Rex, tum Caſtellæ & Flandriæ Comes, ad XI Oct. anni MDXVII, cum ab anno M.CCCC. VIII ejuſdem Provinciæ cenſus immutatus non eſſet ad illum uſque annum 1517. Quod ob frequentia tamen bella, maris inundationes, & mercaturæ defectum, aliaſque cauſſas factum eſſe oportebat. Ab illis

illis itaque Caroli Mandatariis, poſtquam de Statu totius Provinciæ & ſingulorum in ea locorum diligenter quæſitum eſſet, novus ille cenſus ad XVII. Octobris MDXVII in oppido Teneramundano lectus fuit in hanc formam:

Vide Codicem antiquum editorum, quem Gandavi evulgavit anno 1562. Joannes Lapidanus.

Dites den Tranſ-port / Taux / ende Smaldeelinghe van de Steden van Vlaenderen / elck met haere toebehoorten / ende gewone ſynde met Hemlieden te Contribueren / metsgaders van den Caſſelrien / beginnende alſoo hier naer gheſchreven ſtaet / ende dit inde Hondert ponden Pariſiſe.

Eerſt

De Stede van Ghendt veerthien pondt twee ſchellinghen.
Biervliet twee ſchellinghen.
Cortryck twee en twintich ſchellinghen.
Audenaerde een en twintich ſchellinghen.
Denremonde thien ſchellinghen.
Brugghe veerthien pond acht ſchellinghen.
Veurne vyf ſchellinghen.
Nieuport met Lombarſide veerthien ſchellinghen.
Loo dry ſchellinghen.
Poperinghe derthien ſchellinghen.
Dunkercke vierentwintich ſchellinghen.
Grevelinghe achthien penninghen.
Maerdyck vier penninghen.
Broucburg achtien penninghen.
Ooſtburch twaelf penninghen.
Ardenburch twee ſchellinghen dry penninghen.
Sluus acht ſchellinghen.
Mude dry penninghen.
Houcke ſes penninghen.
Munekereede twee penninghen.
Damme twee ſchellinghen.
Blankenberghe dry ſchellinghen ſes penninghen.
Ooſtende ſes ſchellinghen.
Oudenburgh twee ſchellinghen.
Ghiſtele dry ſchellinghen.
Thorout twaelf penninghen.
Dixmude ſeven ſchellinghen.
Ypre ſeven ponden.
Wervyck ſeven ſchellinghen.

Somma vande Steden / vierenveertich ponden.

Caſſelrien.

Oudenburg van Ghent achtenveertich ſchellinghen ſes penninghen.
Vier ambachten, met Hulſt, ende den Polder van Namen ſes ende dertich ſchellinghen.
Waes met den Lande van Beveren, ende ſyne andere toebehoorten / dry ponden ſeſthien ſchellinghen.
Caſſelrie van Audenaerde met Beveren vyfendertich ſchellinghen ſes penninghen.
T'landt van Dendermonde negenentwintich ſchellinghen.
T'landt van Aelſt met de Stede van Aelſt ende Gheeraertsberge, acht ponden derthien ſchellinghen.
T'Vrye thien ponden twee ſchellinghen.
Yper-Ambacht ſes en vyftich ſchellinghen.
Calſſerie van Cortryke vyf pondt vier ſchellinghen.
Veurn-Ambacht vyf pondt vier ſchellinghen.
Belle-Ambacht met de Stede ſeven en dertich ſchellinghen.
Caſſel-Ambacht ende de Stede met Meereghem vier pondt vyfthien ſchellinghen.
Berg-Ambacht vier pondt ſes ſchellinghen.
Broucburg-Ambacht derthien ſchellinghen.
Waeſtene derthien ſchellinghen.
Bornhem vyf ſchellinghen.
Meenene met Tempelman, Vendeol ende ſyne Toebehoorten ſeven ſchellinghen.

Somme vande Caſſelrien, ſes en vyftich ponden,
Somme totale / hondert ponden.

Idem verò Princeps Carolus ad XVII Octobr. ejuſdem anni MDXVII, litteris Bruxellæ datis, juſſit ut particularium in Flandria Locorum & Parœciarum cenſus fieret, Carolo Baroni de Lalaing Equiti aurei Velleris, Franciſco le Maſtaing Domino de Maſmines, Nicolao Utenhovio Flandriæ Præſidi, Equitibus; & Ludovico de Steelant Capitaneo & Prætori de Biervliet. Qui in ſubſidiario tractu Gandavenſi peractus, per Gulielmum de Wale Equitem, Dominum de Hansbeke & Axpoele, & Joannem de Catulle Dominum de Volkeghem, à Gandavenſi Rep. ad hoc nominatos, XIV Aprilis anni MDXVIII in oppido Aldenardenſi promulgatus fuit. In ſubſidiario verò tractu Franconatum, & eis appendentium, Brugis III Aprilis anni MDXVII, per Antonium de Lu Equitem, Adrianum van Rokeghem, Nicaſium Hanneron, Livinum Leyns; & Joannem van Halewin. In tractu verò Iprenſi ſubſidiario & occiduæ Flandriæ Furnis, ad XIX Decemb. anni MDXVII, per Jacobum ab Halewyn Dominum de Maldeghem, Gulielmum Moreel Conſulem Brugenſem, Petrum Dominum van Houte, Mrum. Jacobum van Steelandt, & Jacobum du Gue. Qui Provinciæ cenſus, ob eas tum rationes innovatus, an non hoc etiam tempore ob

non

non diſpares cauſſas innovandus ſit, aliorum examini relinquo; quorum arbitrio cum commiſſa ſit Reſpub., omnem adhibere curam, & omni ope adniti oportet, ut hac in re habito ad amuſſim ad facultates uniuſcujuſque loci reſpectu, proportio ſervetur, & ſi quid forte in priore cenſu non ex æquilibrio ſtatutum ſit, corrigatur. Sunt etiam non pauca jam in Flandria loca, ad inopiam ac tenuitatem redacta, per multiplicem temporum injuriam, quæ olim & incolarum frequentia, & mercimoniis opibuſque florebant.

Oudenburgum.
Oſtenda.
Ghiſtella.
Toraltum.
Dixmuda.
Lombarſida.
Neoportus.
Furnæ.
Dunkerka.
Bergæ S. Winoci.
Loa in Furnenſi agro.
Viroviacum.
Gravelinga. *Item*,
Broucburgum.
Mardiccium.
Poperinga.
Blancoberga.
Dammum.
Houcka.
Muda.
Sluſa, olim Lammensvliet.
Monokoreda.
Ooſtburgum.
Ardenburgum.
Hugenſvliet.
Iſendica.

Subſidiariæ Civitates & alia loca Gandavenſium.

Ortracum cum Caſtellis ſuis & Oppidis, *Harlebeca*, *Tileto*, *Donſa*, *Meninis*, olim etiam Viroviaco, *Teneramunda* cum ditione ſua: *Alia Caſtellaniæ Corturiacenſis pars*; *Aldenarda* cum ditione ſua: *Aloſtum* cum ditione ſua: *Gerardimontium*: *Ninive*: *Templum Martis*: *Waſia*, cum dominio Beveræ: *Quatuor officia*, quæ ſunt *Axella*, *Hulſtum*, *Bocholta*, *Aſſeneda* cum ditionibus ſuis: *Rupelmonda*, *Saſtinga*, *Bornhem* cum ditione ſua: *Ecloa*, *Caprica*, *Lembeca*, *Bierſletum*. Caſtellania *Audenburgenſis* cum *Vicecomitatu Gandavenſi*. *Hæc omnia*, inquit Meyerus, Tom. IX rerum Flandricarum, *ſub Gandavenſium dicuntur eſſe imperio, propterea quod in communi cenſu & profeſſione Flandriæ, imperatam conferant cum illis pecuniam, in bello cum iiſdem ſe arment, & conſilia communicent.*

Olim ſic, nunc aliqua in his variatio.

Subſidiariæ Civitates Brugenſium.

IN Principum cenſibus, & petitionibus, ſeu ſubſidiis gratuitis Provinciæ, aliiſque, juxta taxationes quaſque ſuas, cum Brugis ſolutiones ſuas nunc dependunt, olim etiam, tum in civilibus, tum criminalibus, ſuas cauſſas conſultandas huc deferre ſolebant, concilia communicare, atque motuum bellorumque temporibus ſe cum Brugis armare, ſuaque adjutoria conferre.

Subſidiariæ Civitates & alia loca Iprenſium.

BAlliolum cum adſita ditione. *Meſſinæ*. *Caſtellania Iprenſis*. *Rollarium*. *Poperinga* olim fuit: nunc Franconatibus adjecta.

Warneſtonum cum ditiuncula ſua.

Caſletum cum ditione, in qua *Watanum*.

Minariacum, vulgo Stegria. *Hazebreuca*.

Steenvordia. Fuit olim ſub Caſletana etiam ditione *Mauronti Villa*.

In ditione Iprenſi *Pars Cominii*. *Curia Iſeghemienſis*. Præter alias multas Toparchias & Dominia, quæ in cenſu particularium locorum Flandriæ ad annum 1517. Teneramundæ promulgato memorantur.

Subſidiaria loca Franconatum.

HOrum ſequuntur Conventum, cum incidit bellum, (inquit Meyerus Tom. IX. rerum Fland.) tria ſcamna *agri Furnenſis*, ac territoria *Bergenſe ac Broucburgenſe*, Item Ambachta ſub Franconatibus poſita, cum Appendiciis ſuis, ut vocant, & Contribuentibus. Ambachtum *de Iſendica*, Ambachtum *de Ooſtburch*, Ambachtum *de Ardenburch*, Ambachtum & Parœcia *de Moerkerke*, Ambachtum *de Ooſtkerke*. Ambachtum *de Dudzeele*, *de Liſſewegbe*, de *Vulkercke*, de *Zuwenkercke*, de *Meetkerke*, de *Nieumunſter*, de *Houtbave*, de *Vliſſeghem*, de *Clemskerke*, de *Bredereboук*, de *Oudenbourghouck*, de *Sheerwoutermans*: Oppidum *Aldenburgum*. Ambachtum *de Camerlinck*, de *Vlaertſloo*, de *Wommen*, de *Eeſſent*, de *Zazzen*. Ambachtum & Parœcia de *Bouvinkerke*, de *Coukelaere*, de *Ichteghem*, de *Temeghem*, de *Aerdrycke*, de *Ghiſtele*: Oppidum *Ghiſtella*. Ambachtum & Pa-

Vide cenſum Flandriæ ad annum 1517.

Digitized by Google

Parœcia de *Zerkeghem*, Ambachtum de *Jabbeke*, Ambachtum & Parœcia de *Snelleghem*, de *Zedelghem*, de *Loppen*, de *Varſenaere*, de *Straten* in Parœcia S. Andreæ.

Appendiciæ.

AMbachtum *de Maldeghem*, *Buskins* Ambachtum, Ambachtum *de Jongers* in Oorſcamp. *Toraltum* Ditio, *Winendalia*, *Eclonia*, *Caprica*, *Malea*, *Middelburgum*, *Zizela*, *Lichtervelda*, *Coolscampus*, *Hardoya*, *Merckem*, præter alias plurimas Toparchias, atque Dominia, ager omnis ille, qui olim Brugenſi Reip. ſubſidiarius eſſe ſolebat.

De Partitionibus Flandriæ.

Lib. 1. SUpereſt modo, ut ſicut, ex Marchantio præſertim dedimus præclaros Provinciæ noſtræ Principes, ex eodem de hodierna ejuſdem partitione aliquid in medium *etiam adferamus. Flandria, inquit ille*, à Morinis, Nerviis, Menapiis, Saxonibus, aliiſque Germanis, partim indigenis, partim convenis habitata, & in poſteritatem propagata ab Oriente Brabantiam, à meridie Hannoniam, à Septentrione Britannicum mare, ab Occidente Arteſiam reſpicit, & inferioris Germaniæ parte comprehenditur. Ea terrarum quantulacunque portio, partim Franciæ Regibus, partim Cæſaribus fidelitatis jus jurandum dabat: partim ſuperiorem, præter Flandriæ Principem, non agnoſcebat, quam *Proprietariam* appellant. Ad Francos multò maxima Ditionis pars, *Comitatus* titulo, reſpiciebat; reliquiæ puta dotis Balduino ferreo cum Juditha, & hoc titulo adtributæ: Scaldi, Tenerâ, Agnionâ, novaque foſſa & Scarpo circumſcripta: Si Waſiam & quatuor Ambachta excipias; quæ licet cis Scaldim jaceant, nunquam Gallis hominium debuere: Hæc in *Teutonicam*, quam abſolutè *Flandriam*; & *Gallicam*, quam *Galloflandriam* appellamus, Liza fluvio, ac idiomate ſejungitur. Tranſlizana enim in meridiem extenſa, Galicè loquitur. Integram Carolus V. Imperator, cum Franciſco primo Galliæ Rege Madriti anno 1526. in Octobri, & tertio poſt anno Cameraci in Auguſto iterum pactus, perpetuò emancipavit ab omni fidei juramento, patrocinii jure, ſupremo Imperio, ultimæ cognitionis poteſtate, & qualicumque obſequio, quibus Franciæ prius obſtringebatur: non ſecus ac Arteſiam, Tornacum ejuſque agrum: exempta etiam Gallo Flandria ab omni retractus jure, quod ex conventione Ludovici Maleani (quoties hærede maſculo Flandria careret) in illam ſibi Galli arrogabant. Quæ pacificatio in libris actorum, tabuliſque Curiæ Pariſienſis, aliarumque, in Galliis & apud ſupremos Cæſareæ Aulæ Judices perſcripta fuit, ad perpetuam memoriam atque robur. *Imperialis* verò Flandria Aloſtanos, Waſios, cum quatuor Ambachtis, & Tranſcaldia complectitur, quam vulgo Dominatum vocant; tum quod antiquitus diſtinctis Dominis, ut Waſia Hollandis, Aloſtana ſuis privatim Comitibus parebant: Quatuor Ambachta Ultrajectino Præſuli (ſi vera ſint illius Sedis archiva) beneficium debebant; tum quod ſupremæ cognitionis auctoritate, mero in omnibus imperio, liberiuſque quam in parte Gallis obnoxia, Flandriæ Comites ibi pollerent: Unde Ludovicus Maleanus Flandriæ Comitem Dominumque ſeſe inſcribebat. At *Proprietaria*, hoc eſt, Principi Flandriæ tam *propria & peculiaris*, ut neque Galliæ Regi, neque Cæſari, neque, præterquam ipſi, mortalium ulli ſubjectionem fideique ſacramentum debeat, *Teneramundam*, *Gerardimontium*, *Bornhemiumque* cum illorum agris continet. Quæ diſtinctiones non impediunt, quo minus ex illis membris unicum Flandriæ corpus compingatur, tam in generalium tributorum Conſiliorumque conſociatione, quam συμμαχία. Porrò quod Flandria in *Occiduam & Orientalem* diſpeſcitur, non tam exactæ cœli poſituræ tribuitur, quam præcipuo uſui eſt, ut duo Generales Canonis, Patrimoniique Dominici coactores, ſub Carolo V. Cæſare diſcreti, cum antea unius id munus eſſet, diſtinctius, expeditiuſque ſuis quæſturis perfungantur.

De Oppidis Generatim ac Caſtellaniis.

IN Flandria quæ Germanos lingua refert, ſive Regibus Franciæ, ſive Cæſaribus obnoxia, ſive proprietaria fuerit (nam de Gallo Flandria ſeorſim, & in fine agetur) omnes convenarum accolatus, aut oppidis, aut pagis continentur. Convenarum nomine quoſlibet habitatores complectimur, ſive indigenæ ſint, ſive advenæ, ex uno loco venientes aut diverſis. *Pagi* voce non regionem deſignamus (ut Cæſaris *Marchant. lib. 1.*

com-

Commentarii de Pagis Helvetiorum, & Archiva noſtra Latina vetuſtiora, ubi de Pago Flandrenſi, Tornacenſi, Menapiſco, ſimilibuſque loquuntur) ſed quem domeſticus cum Græcis ſermo, aut Parœciam vocat ſive accolarum conventum, ejuſdem fontis quem παγὰν Doricè appellant, aut Parochiam, hoc eſt, ædem præbitoriam, ut olim præſidibus Romanis itineris viaticum, ſic Chriſtianis divina ſacramenta porrigentem. Qui Pagi quindecim Caſtellaniis ferè univerſi includuntur. *Caſtellaniæ* nomine certum aliquot pagorum numerum, ſitum, complexumque denotamus, ad unum tribunal quaſi metrocomiam, vel ad Conſiliorum, onerum, armorumque conjunctiorem ſocietatem reſpicientem. Quas Caſtellanias ſuis limitibus jam olim circumſcriptas adjunximus ſingulis Oppidis Caſtelliſve, unde nomen ſenerantur, ubi judicia ſeorſim, ac per ſe exercent, & quibus in onere collationum, ex Generali Flandriæ cenſu indictorum, longè antevertunt: quæ perperam *Territoria* Latinè appellantur: hæc enim Juriſconſultis ſignant univerſitatem agrorum intra fines cujuſque Civitatis.. At *Caſtellaniæ* quas vernacula lingua Caſtelrias & Ambachta, aut Terrena vocitamus extra limites ſunt, atque Juriſdictionem ferè cujuſque urbis, unde nomen cepere, & ubi leges, tribunalia, ærarium & Comitia habent ſeparata. Pagorum nomina maximam partem finiunt in **Hem / Kercke / Capelle / Ede / Berg / Beke / Hout / Marke / Burg / Brouck / Loon**: Vocabula Germanica, domicilium, templum, ſacellum, nobilem, montem, rivum, ſilvam, limitem, turrim, paludem, ſublimiorem locum denotantia. In quam formam deſinentes plurimi Pagi, in Arteſienſi quoque ac Bolonienſi tractu manifeſtant vetuſtos Flandriæ limites, & linguam illuc parvaſiſſe. Verum *Oppidorum* hic alia mœnibus egena: quæ omnia plateas ad amuſſim dimenſas, & ſilice glareaque ſtratas, molaſque quaternis alis pneumaticas, & in ſingulas ſeptimanas vendendis in foro mercibus ſtatos dies habent, liberiſque nundinis annuos: in quibus nimirum ob debita extra illas ferias contracta, in neminem manum injicere fas eſt, & vendere quidlibet omnibus etiam exteris licet: quam libertatem corpora illic opificiorum per Privilegia ſua aliàs eliminant. Atqui oppida propriè ab ope & tuitione mœnium dicta, etiam urbes vocantur, quod aratri arvo muri deſignarentur, & vernacule **Stad & Steden**/ quaſi firmè conſtituta nuncupantur: unde Bartolus Civitatem muris definiit. Cætera hîc tamen municipia, etiamſi mœnibus careant, nomen oppidorum induunt: quæ puta ſua particularia jura, fora, Privilegia, ærarium, Magiſtratuſque habeant non ſecus ac urbes muris circumcinctæ. *Hactenus Marchantius.*

Atque hæc quidem de Flandris hactenus generatim, eorumque Provincia ac Principibus in medium adtuliſſe ſufficiat; qui plura volet, adeat Iacobum Meyerum in Annalibus, & Tomis X. rerum Flandricarum ſeorſim editis: adeat Jacobum Marchantium in ejuſdem Flandria, Petrum Oudegerſtium in Annalibus de Flandria, deque illius Principibus idiomate Gallico ſcriptis. Breſinium in Chronico mſc. Flandriæ & Arteſiæ. Petrum Montanum in tabulis Petri Kery Germaniæ inferioris. Ludovicum Guicciardinum, Philippum de Leſpinoy Teroanæ Vicecomitem: Joannem Iperium in Chronico mſc. Bertinenſi. Joannem Buzelinum Societatis Jeſu in Gallo Flandria, Oliverium de la Marche, Dionyſium Sauvage, Philippum Cominæum, Joannem Froiſſardum, Gerardi Mercatoris & Judoci ac Henrici Hondii Atlantem, Munſteri Coſmographiam, Monſtreletum, Belleforeſtum, Richardum de Waſſenburch, Petri Divæi antiquitates Belgicas. Locrium, Heuterum, Ortelium, Andream du Cheſne, Gramaium, alioſque ſexcentos. Ego jam Deo auſpice, ſpero, ac duce, ad Urbes, & earum ornamenta ibo, poſtquam de Flandriæ Principibus locutus fuerim.

Finis Libri primi.

ANTONII SANDERI FLANDRIA ILLUSTRATA.

LIBER SECUNDUS.

Flandriæ Principes.

ANTEQUAM de Flandrorum Principum vita, rebuſque per eos præclare geſtis, verba faciam: pauca prius de priſcis eorum titulis, de ritu, ac ſolemnitate, quâ olim Principatum hunc adierunt, *ex Marchantio, aliiſque* dicturus ſum. Flandriæ Reguli, inquit ille, Gravorum nomine, tituloque inſigniuntur; quâ voce Saxonicâ judices publica auctoritate, & poteſtate à Cæſaribus armati denotantur: Sic dicti forſitan quaſi Grauwen, id eſt, ſenio cani, ac ſenatores, qui præcipuis Reipub. partibus præeſſe ſolent aut debent: quod pateſcit ex libro Feudorum, & Aventino de edicto Carolomanni: *Præfectus*, inquit, *quem Franci Graphionem vocant, quos Galli Comtes, ex Latino vocabulo Comitum.* At Munſterus veteri Saxonum linguâ per nomenclaturam *Grafve* ideo judicem, præſidemque ſignificari cupit, (fortè à Græca voce γράφω) quod ſcripturis judiciariis præeſſet: quamvis hoc dictu exile, & abhorrens à ſplendore Comitum, videatur: quos Græci κωμάρχας plerumque videntur appellaſſe. At Comitis nomen, ut officii, muneriſque publici dignitatem ſignaret, neutiquam Cujacio videtur in uſu ante Conſtantinum Magnum fuiſſe; quanquam M. Cicero ad Q. fratrem, *inter hos*, inquit, *quos tibi comites, & adjutores negotiorum publicorum dedit, ipſa Reſp. duntaxat fructus his præſtabit, quos ante præſcripſi.*

Conſtantinus autem cum Romani imperii formam novis diſtinctionibus mutaret, & quamplurimos beneficio, & honore devincire niteretur, Comitis titulum honorarium abſque adminiſtratione primum inſtituit: eratque comitiva facultas quædam, atque privilegium, Principem Romanum non ſolum prodeuntem, ſed in palatio etiam, lociſque ſecretioribus comitandi, poſſe illius epulis, privatiſque ſermonibus intereſſe. Tandem hoc beneficio ornatis, alias dignitates cum *functione conceſſit*, & viciſſim qui in Magiſtratu erant illo honore affecit. Hinc Comitis nomen omnium officiorum Magiſteria à Principe cuipiam vel in aula, vel extra aulam mandata, ab eo tempore ſignificavit, ut Comes ſacri patrimonii, palatii, largitionum, &c. atque præfecturam, ut Comes Orientis, Africæ, &c. initio temporariam & ſubinde vitæ æqualem. Deinde Cæſarum Germaniæ, Regumque Galliæ (præſertim Hugonis Capeti) favore & auctoritate in ſucceſſores tranſierunt. Plura de Comitis munere, prærogativis, dignitate, vide apud Pantinum Tractat. de dignitatibus Reg. Goth. Florentium vander Haer de Caſtellan. Inſulenſib. libro 1, & Petrum Pithœum de Comitibus Campaniæ. Verum Flandriæ Comites ab initio, citra interruptionem imperium ad hæredes tranſmiſerunt.

Comitis quæ dignitas.

Vide Vincentium Lupanum in proleg. ad librum de Magiſtrat. & præfectur. Franc.

Quorum primus Balduinus Ferreus à ſocero Carolo Calvo F. R. in Comitem regni ſolemnibus Auxerræ comitiis fuit aſcitus ad annum 863: quamvis poſteri nunc Comites, nunc Principes, nunc Marchiones regni, Flandriæque ſeſe inſcripſerunt. Cæterum non tam mirandum eſt, Balduinum inſignitum ſolummodo fuiſſe titulo Comitis, aut Gravii, quam poſteros in eo perſtitiſſe, cum multi inferiores nobilitate ac potentiâ, ad culmen Ducatus interim pervenirent. Certum eſt, quo tempore Balduinus Ferreus in Comitem à Socero fuit cooptatus,

tus, reliquas in Belgio regiones nullo uſquam illuſtri titulo fuiſſe exornatas. Conſtat enim, Brabantiam, Geldriam, cæteraſque provincias demum paulo ante annum milleſimum, quaſdam etiam dudum poſt, Comites aut Duces accepiſſe. Sola Hollandia modico poſt Flandriam intervallo ab eodem Carolo Calvo nomen Comitatus eſt adepta. Imò ne Caſtella Hiſpaniæ quidem ante annum 905 Comitatus, & 1010 Regni titulum comparavit. Et Portugalliæ primus Comes anno 1112 obiit. Ejuſque filius nomen regis acclamante exercitu primus aſſumpſit. Hinc colligitur, Flandriæ Comites obſtinatè voluiſſe in eo gradu perſeverare, neque tantam antiquitatem deterere aliquâ tituli novitate, quod mallent inter Comites totius Europæ, primo vetuſtatis, potentiæ, & famæ loco eminere, quam inter Duces promiſcuè ſpectari.

Principe rebus humanis exempto, proximus ſanguine, nullo ſexus diſcrimine, ſuccedit, ſtatimque Principatus officiis fungitur: ſolennem verò inaugurandi præſcribit diem, ac Gandavum verſus ad Zwinardam Abbatis Blandinienſis prætorium pridie accedit, illinc progreſſus Sacerdotii, Nobilitatis, Urbiumque proceres cum Magiſtratu Gandavenſi extra portam Petri cellam obvios excipit: à quibus ad montem Blandinium D. Petro ſacrum deductus, & à Cœnobiarcha poſt ſacrorum ceremonias gladio accinctus, ad ædem aramque D. Joannis Baptiſtæ, nunc S. Bavonis memoriæ dedicatam, regificè procedit. Ubi Gandavo totique ditioni Flandriæ, ſeſe munia juſti Principis impleturum Eccleſiam, pupillos, viduaſque, pacem, privilegia, inſtituta, conſuetudineſque Regionis defenſurum ritè jurat: & ad ſonitum ipſemet templi attrahit bis terve campanam, in præſentiæ ſuæ, juramenti, aditæque poſſeſſionis publicum teſtimonium. Hinc in forum urbis maximum progreſſo populus jurejurando pollicetur, celſitudinem ejus, proprietates Dominii, limiteſque Flandriæ ſe conſervaturum, denique ex officio nexuque fidelitatis omnia facturum; quæ juramenta atque ſtipulationes utrimque præſtanda in ſingulis oppidis & Caſtellaniis, quum primum illuc acceſſerit, repetuntur. Sic Principatum auſpicatus, poſtea officium, quod alii *Hominium*, quia hominem devinctum reddit, alii *Homagium* à juramenti ſanctitate, tum Regi Franciæ, tum Cæſari, hoc ritu exhibebat. Rex throno inſidens, Comitis caput nudati, diſcinctique & altero genu ſubnixi, manus ſuis implicabat, & ſic fidelitatem obſequiumque adverſus regios hoſtes (verba Cancellarii Regii ſubſequendo) promittentem in Comitem Regni accipiebat, erectoque genam oſculandam præbebat. Comitis autem in fidem gratis recepti pileus, toga zona, crumena, enſis ad regios caduceatores, ex conſuetudine, ejuſque ritus feſtivitate tranſibant. Imperator verò Comitem aut ejus mandatarium genu innitentem, ac nomine Aloſtanæ Waſiæque ditionum cum quatuor Ambactis, unico fidei ſacramento obligatum, inter Principes Imperii adſcribebat. Porrò eodem tempore & quaſi anhelitu Balduinum primum, non modò in Comitem, ſed in Patricium Paremque regni ad annum 863 à Carolo Calvo adſcitum eſſe, non eſt in obſcuro. At Normanniæ patriciatus à Carolo Simplice anno 909 Burgundiæ ab Henrico Capeto anno 1035 erigebatur, reliquis poſtea inſtitutis. Quibus Comparibus, ſacrandi Regis in urbe Remorum alibique jus, & quaſi in regni poſſeſſionem mittendi, conſiliiſque primo loco juvandi facultas erat, atque prærogativa: Flandriæ Regulo enſem etiam Regi dum inauguratur accingente & anteferente, & hoc exemplo Pares jam olim in Flandria conſtituente: in quibus Arkæ, Boloniæ, Sanpauli, Falcobergæ, Heſdini, Guiſnæ, & Hojæ Comites eminebant. Primariæ vero autoritatis atque poteſtatis hoc erat, quod Flandriæ Princeps libere & more regio imperii munia obibat, neque ulla apud Compares regni ſeſe judicio ſiſtendi neceſſitate obſtringebatur, niſi aut de Comitatus proprietate controverſia incideret, aut ipſe jus ſubditis reddere pernegaret. Exercitus, conſcribendi, delectus habendi, belli paciſque faciendæ, indictiones imperandi, regalibus tributiſque regni Gallici non parendi, omnes pœnas ſumendi aut remittendi, leges Majeſtatis exercendi, edicta & conſtitutiones ſanciendi, immunitates privilegiaque largiendi, monetam cudendi, regiamque iniqui ponderis ad forcipes damnandi & ad ſuam expendendi: denique ſeſe Principem. Marchionem, aut Comitem *Dei gratia* inſcribendi, quod nulli omnium Franciæ Regni Principum, præterquam illi ac Britanno fas erat, abſolutam habebat poteſtatem. Quæ evidentes quidem teſſeræ ſunt ſupremi illius Imperii quod Galli Souveranitatem, Latini Majeſtatem & Græci apertius αὐτοκρατείαν vocant: An verò illinc ſequatur, ut Comes Flandriæ Princeps Souveranus dici potuerit, tunc cum Franciæ legibus hominio obligabatur (argutè enim Martialis: *Qui Rex eſt, regem Maxime non habeat*) in in-

certo mihi judicium eſt: quamvis diſſimulari nequeat à Caſtrenſi, Decio, Curtio, Socino in conſiliorum libris, Mediolani, Sabaudiæ, Mantuæque Duces pro Souveranis haberi, licet fidelitatis juramentum Cæſaribus debeant præſtentque: Bohemiæ Neapoliſque Reges (quibus Majeſtatem detrahere piaculum ſit) illi Cæſaribus, hi Pontificibus Romanis fidei aliorumque munerum exhibendorum ſacramento attinentur.

LIDERICUS BUCANUS. I. Saltuarius.

AD ipſos jam Principes venio, non illos quidem, quos florentibus in hoc Belgicæ tractu Menapiis, Nerviis, Morinis, Cymbris, aliiſque veteribus populis fuiſſe dubitare non poſſumus, ſeriem tamen & nomina maximâ ex parte ignoramus.

Quamvis in noſtris adhuc illibatioris fidei Annalibus, cum fatiſcerent in Belgica Romani, invaleſcerent Franci, memoretur apud Morinos Golduerus, in Flandria Flandbertus, Odoacer, Raganarius, Phinibertus, Gondegorius, Phinibertus ſecundus, (ſub quo Flandria ad Chriſti fidem converſa ſit) Phinardus, aliique: quos *Præſides Teroanenſes*, Principes Bucanos, & Comites Harlebecæ appellatos fuiſſe, narrat Oudegerſtus: non hic tamen Stemmata ac Nobilitatem Flandriæ Dynaſtarum altius repetam, quam à Liderico Bucano. Quamvis autem hunc, ut meminit Meyerus lib. I. Annalium ad annum Chriſti DCXXI aliqui exiſtiment Flandris, ac Sylvæ Flandricæ, quæ pars Sylvæ Arduennæ erat, cuſtodem ſeu Saltuarium à Clotario Rege præpoſitum fuiſſe, hujuſque filium Burchardum Lovanienſium prætorem, habuiſſe in matrimonio Helwidem D. Wandregiſili ſororem, non iis tamen hæc hiſtoria nititur argumentis, ut pro certa & indubitata haberi debeat.

De hoc etiam Liderico Salvarti Digeonenſis, ut volunt, Satrapæ filio, ita Marchantius ſatis verecundè: Lidericum, inquit, Clotarius ſecundus Franciæ Rex circiter annum trigeſimum primum ſupra ſexcenteſimum, Flandriæ tum ferè paluſtris aut ſaltuoſæ Præſidem tutelarem conſtituit, in arce Buca, veteri celebrique, unde cognomen ſibi peperit, cujus reliquiæ in antiquiore Liſæ Caſtello ſupererant, domicilium, juriſque dicendi ſedem eligentem: qui laudem adeptus eſt in religione recenti pietatis, in tribunali ſeveritatis, in pace prudentiæ, in bello fortitudinis: Pater ex Dagoberti Regis (ut quidam tradunt) ſorore Bochardi, qui, ut ante dictum genuit ex Helwide Pipini Craſſi, cujus partes contra Bertarium adjuverat, conſanguineâ, Estoredum.

Vide Florent. Van der Haar l. I. de Caſtell. Inſulenſibus.

A N T O N I U S. II. Saltuarius.

E vivis cum diſcederet, de filiis ſuis Antonium ſecundo loco natum ſucceſſorem reliquit. Amauricum Inſulæ, Baudriſium Duaco, alios aliis urbibus dominos dediſſe qui narrant, eanè ex vero ſcripſerint, non parum dubito. Nam de Duaco in primis & Inſula, quidpiam aliud ante memoratum eſt.

De moribus Antonii Patrem in præfectura Flandrica excipientis, varia in Annalibus Flandricis fama gliſcit. Quidam bonis Artibus, & paterna virtute præditum fuiſſe, referunt. Ab aliis fœda vitæ, graviumque criminum arceſſitur, unde brevi mores ſiniſtri ditionem corruperint. Et nonnulli aſſerunt, huc ideo Barbaros divinitus immiſſos ſceleribus hominum puniendis, quæ paſſim ſub ipſo graſſabantur. Horum furore Inſulam funditus everſam, eamque multos annos triſte ſpectaculum videntibus præbuiſſe. Duxeritne uxorem Antonius, non invenio: ſaltem conſtat, nullis, qui ſuccederent, relictis liberis vita defunctum.



Digitized by Google



Digitized by Google


BVRCHARDVS
3. SALTUARIUS.

BURCHARDUS. III. Saltuarius.

IGitur eo fatis abſumpto tertius Liderici filiorum Burchardus regimen Flandriæ capeſſivit etiam Saltuarii nomine. Conjugem ei tradunt Helwindem, Pepini Craſſi Brabantiæ Ducis, aut Principis, & Regis Franciæ palatio præfecti conſanguineam, Valciſci viri nobiliſſimi filiam. Et placet nonnullis Burchardum ex eo conjugio vel Prætorem, vel Comitem factum Lovanii: paullò poſt tamen a Barbaris inde propulſum. Adverſus Theodoricum Franciæ Regem, & Bertarium Palatio Præfectum bello certavit, Pepinum ſecutus; ideoque Flandriæ Præfecturam ac poſſeſſiones amiſit. Quamquam enim Pepinus iram regis mitigare contenderet, ceteris tamen Flandriæ locis exutus, ſolam retinuit Harlebecam. His de rebus ita ſcriptum apud Meierum reperio: „ Collatis ad Textricium in Ve„ romanduis ſignis, Pepinus auxilio eo„ rum, qui pulſi ab Ebroino in Auſtraſia „ exulabant, egregiè vicit. Captus ibi Rex, „ cæſus in acie Bertarius. Ea in pugna „ interfuit Burchardus Præſes Flandria„ rum Pepini ſecutus partes, quæ cauſa „ fuit, cur Theodoricus Rex Flandricam „ illi procurationem paullò poſt detraxe„ rit. Retinuit tamen deprecatore Pepino „ Harlebecam, Comes appellatus Harle„ becanus. Tulit ex Helwide, Pepini, ut „ ſcriptum invenio, cognata, Valciſci „ viri nobiliſſimi filia, Eſtoredum Lide„ rici Harlebecani Patrem.

Digitized by Google

ESTOREDUS. IV. Saltuarius.

HUnc filius excepit Eſtoredus nomine. Quam is conjugem habuerit, quibus famam facinoribus ſibi paraverit, nuſquam prodi aſſerit Oudegerſtis quondam Inſulæ civis. Contrà, Pontus Heuterus in Genealogiis uxorem ejus Idoniam nominat, eumque ſcribit in Præfecturam Flandriæ poſtliminio reſtitutum, aliis adverſantibus Annalium ſcriptoribus.

LIDERICUS II. V. Saltuarius.

EX Eſtoredo, LIDERICUS alter, cui *ab Harlebeca* natali ad Lizam arce, qua delectabatur, nomen erat, exortus, illuſtri virtute famaque fuit: ejuſque Paulus Æmylius apertè meminit atque nominatim: quem tamen virum eruditiſſimum, verecundè doleo, ſuæ hiſtoriæ, cui plurimum Galli debent, ut ipſe Gallis, res Flandricas neglectim, minuſque verè interdum inſeruiſſe, nullà improbitate, ſed Gallicis commentis, ceu præjudiciis irretitum. Scribit ille, Lidericum maritimum Imperatorem, oram Belgici littoris, Saxoneſque illuc traductos tutari à Carolo magno juſſum. Quæ Saxonum coloniæ numeroſam hic poſteritatem propagarunt, Flandris poſtea ſub Conrardo Tertio Cæſare origine ſuæ vicem rependentibus: quum ab Alberto Urſo Saxoniæ ſuperioris Marchiæque Brandeburgenſis Principe evocati cum vicinis, aſcitique in loca Soraborum ac Luſatiorum devictorum, tractum illum ad Albim & Wittenbergam, Flandricorum locorum nominibus donarunt, ut eruditum Chronici Carrionis auctarium confirmat. A Carolo Magno autem noſtratia Chronica, LIDERICUM hunc anno 792 in virtutis, fideliſque in armis obſequii mercedem, donatum aſſeverant fiduciaria, perpetuaque littoris, mariſque, & etiam nemoris Flandrici ditione, finientis ad occidentem Arduennam: quam ſylvam Galloflandri etiamnum cognovere, quum ajunt, Boream flare ab Arduenna, Auſtrum à Francia. Et ab hac Caroli Magni donatione Flandriæ Princeps ab illo tempore non ſolum Maritimus Imperator, & littoris præfectus, ſed etiam Saltuarius Sylvæ Flandricæ dictus, ſive Foreſterus, ex vocis Gallicæ ſignificatu, ſylvas enim Galli Foreſta vocant. Erat itaque Flandriæ Princeps non modicæ regionis, tum maritimæ, tum valdè nemoralis, Dynaſta perpetuarius. Videtur idem fuiſſe cum eo qui libro *de notitia Imperii* vocatur *Procurator Cynegii Tornacenſis Belgicæ ſecundæ*, quod munus quamvis ab initio perpetuum non eſſet, ac hæreditarium, ſenſim tamen vel præfectis id ſibi aſſerentibus, vel ob eorum merita, conceſſione Principum, hæreditarium factum fuit, & ad poſteros tranſivit. Vita conceſſit Lidericus anno 808. Filium habuit ex Hermigarde Gerardi Ruſſilloni nobiliſſimi potentiſque in Nerviis ſatrapæ filia. *Vide Meyerum l. 2. Annal.*

ENGLE-


ESTORDUS
4 SALTUARIUS .


LIDERICUS II.
5. SALTUARIUS


ENGLERAMUS
6. SALTUARIUS.

ENGLERANUS. VI. Saltuarius.

ENGLERANUM, hic omnium primum habuit, tutam à prædonibus reddere patriam: piratas, terroremque omnem maritimum littoribus arcere: quietem ſecuritatemque præſtare agricultoribus: terram rudem ac ſylveſtrem ad meliorem perducere cultum: templa paſſim & nova facere, & collapſa reſtituere: religione civilibuſque moribus ferocem imbuere gentem: ſumma ope juſtitiam, legumque reverentiam introducere: Opida, Caſtella, vicos ab Hunnis, Vandalis, Franciſque exciſa, portus, arces, aliaque ædificia diruta ac vaſtata reficere, nova ſubinde à fundamentis educere: fluvios inprimis torrenteſque, ac fertiliſſima quæque loca frequentius colere: omni ope juvare naſcentis imperii primordia: talemque rebus omnibus agere Principem, ut rem longè auguſtiorem, quam acceperat, relinqueret. Filius Englerano fuit.

Vide Florent. Van der Haar l. 1. de Caſtell. Inſulenſibus.

ODOACER. VII. Saltuarius.

ODOACER, vir cumprimis ſtrenuus atque Reipubl. utilis. Ejus res geſtas, inquit Meyerus lib. 1. Annal., vel longâ vetuſtate obrutas, vel vix uſquam memoriæ proditas, difficile eſt invenire. Tradunt quidam, hunc omnium primum bella finitimis feciſſe populis, ac caſtella quædam de iis cœpiſſe, multa reſtituiſſe monaſteriis, quæ uſque à Dagoberti Regis temporibus ad eum diem alii atque alii ademerant. Habeo authores, tantum in locis male cultis cuique conceſſiſſe agri, quantum ad cultum bonum valuiſſent perducere, data in longum tempus immunitate. Decimam quamque captam feram, cum venaretur in ſylvis, Divi Bavonis attribuit Monaſterio, pactâ lege cum Eynardo Abbate. Fuit inprimis carus ac fidus Ludovico Pio Imperatori, eumque quâ potuit ope juvit. A quo & accepit Comitatum Atrebatenſem & Bolonienſem. Cap. xv. Uxorem illi ait Oudegerſtus fuiſſe Anſelmi Comitis Sancti Pauli filiam: Heuterus & alii, Toparchæ fani S. Audomari filiam. Adiit Flandriæ Principatum circa annum 824, cumque per annos tredecim magna prudentiæ & fortitudinis laude illi præfuiſſet, anno 837 pluribus acceſſit, & in D. Salvatoris (ita ſcribunt plerique) apud Harlebecanos cum patre & avo tumulatus eſt. Atque hi quidem primi fuerunt Flandrorum Principes, quos alii Comitum titulo uſos, alii verò Cuſtodes tantum, Præfectos, & Vicarios Regum Galliæ fuiſſe contendunt. Poſt Saltuarios iſtos, numerantur complures hujus Provinciæ Comites: inter quos, ſi Annales fortè evolvas, paucos reperies, qui non fuerint illuſtres admodum, & magni Principes: quique non conſervaverunt modo acceptam ditionem, ſed magnopere etiam auxerunt. Et quod magis mireris, obtinuit partim conjugii jure, partim virtute, ipſorum ſanguis, univerſæ iſtius Belgicæ Principatum: potituſque eſt regno Hiſpaniæ, totque aliis Regnis, Imperiis, Dynaſtiis, atque Provinciis. Odoacro autem filius fuit.

BALDUINUS FERREUS. I. Comes.

VIR ingenti animo, prævalido ac robuſto corpore, vultu decoro, ſtatura, ac moribus planè regiis, domi, militiæque clariſſimus. Huic, ut Ferreus diceretur, idem viri robur virtuſque militaris effecit, quodque ſæpiſſimè armis ſplenderet. Sub Carolo Calvo Galliæ Rege, contra Saracenos, ex Mauritania Hiſpaniaque in Aquitaniam ſubinde irruentes, & Danos Aquilonares, militiæ tirocinium poſuit. Juditham Caroli Calvi Galliæ Regis filiam diu ac circumſpectè coluit: ac demum in amorem formæ, virtutis, obſequiique ſui allectam, veritamque ne in Hiſpaniam ad Regis Navarræ deſtinatas nuptias traduceretur, lubentem Sylvanecto domum duxit, non abnuente Ludovico Balbo ejus fratre, ſed inſcio invitoque ejus patre: ac prolem ex ea virilem brevi ſuſcepit. Illud facinus juſto bello cauſſam dedit: demum Nicolai primi Pontificis R. (ad quem cum uxore Romam acceſſerat, quia Anſelmus Rhemorum Præſul, Rege auctore, piorum communione illum amoverat,) reconciliatione & interceſſione adjutus, ſocerum flexit: qui etiam antiſtitum, procerumque ſuorum conſiliis, & à Normannis (regni flagellis) metu, filiæque precibus & fœcunditate emollitus, conjugio aſſenſit: Auxerræque ſolemnia nuptiis approbandis comitia & convivia celebravit, atque Balduinum in Comitem, Paremque regni aſſumpſit: dotis quoque nomine, totam eam regionem (quæ Scaldi, Somona, Oceanoque includitur) perpetuo donavit, à genero contra Danos, cæteroſque Noortmannos, ſæviſſimos hoſtes, protegendam. Quam ditionem Balduinus fortius, quam felicius eſt tutatus. Incendiis enim cædibuſque Noortmanni paſſim graſſati, Gandavum etiam evaſtarunt. Contra quos arcem Brugæ, quam Burgum vocant, munire cœpit: populique ſui agros, colonorum induſtriâ, animos legibus, excultiores effecit. Imperii annos ſedecim explevit, & ex Juditha genuit Balduinum, qui ſucceſſit, & Rudolphum, qui Cameraceſio jura dedit, atque anno 879 è vita demigravit, Audomaropoli ad Bertini ſepultus.

BAL-



Digitized by Google


BALDUINUS FERREUS
I. COMES FLANDRIÆ.


BALDUINUS.II.CALVUS
2.COMES FLANDRIÆ.

BALDUINUS II. CALVUS.

II. Comes.

BALDUINUS Secundus, Calvi agnomen à Carolo Calvo Cæſare, avo materno, potiſſimum conſecutus, contra Andegavenſes proceres Carolo Simplici, Franciæ legitimo Regi, conſtanter regnum aſſeruit, cauſæ ejus acerrimus, ut ait Æmylius, propugnator, quam ipſe Simplex per ſocordiam proderet. Ex multis ditionis ſuæ oppidis, templiſque disjectis per Normannos, non pauca reparavit, reddiditque firmiora. Audomaropoli ab ſe muro cinctæ, anno 902 Abbatiam Bertinicam incluſit, ejuſque ditionem ac opulentiam (Regis procerumque Galliæ ejus ſeculi more) poſſedit: Monachis in ſumptum ſuppeditato quantum neceſſarius uſus poſtulabat, electoque ex iis Decurione, qui diſciplinam tueretur. Certè Sindegerus & Aymonius apertè ſcribunt, fuiſſe Abbates vocatos Barones, Proceresſque laicos, aſſenſu Regio fruentes Abbatiis, Decanoſque Monaſteriis ſtatuentes, uſque ad tempora Roberti Galliarum Regis. Atrebatum habuit pro capite Flandrici Principatus: in hominibus à malo deterrendis, moderatus: invitandis ad bona pronus, liberandis indulgens, remunerandis copioſus: quod exiſtimaret in fortuna Principum nihil eſſe majus, quam ut poſſint, nec in natura melius quàm ut velint quam plurimis prodeſſe. Anno imperii 39 populo non minus ſui deſiderium, quam virtutum exempla poſteritati reliquit: Gandavi anno 918 mortuus, & ad D. Petri, Blandinii, humili ſub ſaxo, in ſacello Matris virginis ſepultus: cum ex Elſtrude, Elfredi Anglorum Regis filia duos filios ſuſcepiſſet, Arnulphum primogenitum Flandriæ poſſeſſorem, atque Adolphum, qui Boloniæ (ſic enim Gallica voce ab ebullienti ſabulo nuncupatur) quam Ammianus Marcellinus Bononiam vocat, & Teruanæ Morinorum ac Dynaſtiarum Abbatiæ Bertinicæ potens, abſque liberis ſupremum diem obiit.

ARNULPHUS I. MAGNUS.

III. Comes.

ARnulpho, quem Rex Franciæ Lotharius in diplomatibus, quæ Cœnobio Blandinienſi ſuperſunt, ſuum conſanguineum, regnique ſui Marchionem nobiliſſimum appellat, cum ætas floreret ab ingenti in Cœnobium Blandinienſe munificentia, facieque decora, Magni & Pulchri, ac in extrema ſenecta Priſci agnomen fuit, induſtriaque Principe digna, aſſidua ob limites Flandriæ cum Francis controverſia, magnaque contentio cum Othone primo Cæſare, validam arcem Gandavum opponente, foſſamque Othingam ducente, quam Imperii metatorem Limitrophum eſſe voluit. In ſacerdotium & nobilitatem propenſus, maximam partem decimarum, quam ipſi majoribuſque pro Hunnorum, Danorum, Vandalorum, ſimiliumque hoſtium expulſione, Pontifices Romani conceſſerant, partim Abbatiis, Eccleſiiſque Collegiatis, partim bene meritis Nobilibus diſtribuit: hiſce tamen quam illis, ſi Blandinium excipias, munificentior: Cœnobitis enim multas juriſdictiones vicoſque detractos, in Nobilitatem partitus eſt. Cum Boloniæ, Teruanæque ditionibus, opes Abbatiæ Bertinicæ poſſedit: cum demum Abbatem, ditioniſque partem, uxoris precibus, permiſit Medicis undique confluentibus, & jam ſeni ſuadentibus, ut renum calculum exſecari ſibi concederet, renuit: ne cum (ajebat Latinè) indulgentius quæro vivere, incipiam inclementius mori. Fuit Arnulphus inimicis formidini, amicis ſecuritati, reddidit ſubditis pacem, vicinis ſocietatem. Decrepitam nonaginta duorum annorum ætatem ad mortalitatis finem perduxit: Gandavi ad D. Petri anno 964 ſepultus, ſub humili operimento ſaxeo, cum annos 48 præfuiſſet. Ex Aleydâ filia Heriberti Viromandiæ Comitis, qui Regem Carolum Simplicem turri Peronenſi incluſit, Arnulphique Patruum Rudolphum per Normannos in prælio oppreſſerat, genuit Balduinum, qui ſucceſſit, duaſque filias: quarum Lutgardis Wichmano novi Caſtelli Gandenſis Comiti nupſit: Gandavi ad D. Petri ſepulta: & Elſtrudis à Sifrido Dano, (qui Guineſam oppidum Arnulpho tum ereptum, tum eblanditum, duplici foſſa munierat, ac propter Arnulphi iram ad laqueum confugit deſperabundus) raptum paſſa, filium Adolphum reliquit: quem Arnulphus ſecundus Flandriæ Princeps primum Guineſiorum Comitem, in ſuam clientelam juratum, circiter annum 968 conſtituit, qui per uxorem Mathildem Boloniæ Comes fuit, Abavuſque Gotofredi Bolonienſis, Regis Solymi, ejuſque fratrum. Hic in Chronico apud Lambertum Ardenſem in Genealogiæ linea computatui Comes & Palatinus à Lidrico Harlebecenſe, qui ab anno Domini DCCXCII Flandriæ Comes factus eſt primus. Duo autem theoremata in Arnulpho nobis proponuntur. Illius enim filia, ignaro parenti erepta, facinus Balduini Ferrei Proavi, Juditham invito patre abducentis in memoriam, trutinæque divinæ teſtimonium revocat. Et Magni cognomen, quod Alexandro, Pompejo, Conſtantino, Carolo, ſumma imperia & rerum geſtarum amplitudo vix peperere, Arnulpho ad poſteritatem conciliavit qualiſcumque literatura, rudiſque Minerva Monachorum Gandavi Blandinienſium, beneficentiam ejus ſcriptis laudantium, & Magni titulo remunerantium. Ut merito ad Achillis in Sygæo tumulum Alexander Magnus illacrymans exclamarit, fortunate Juvenis, qui tuæ virtutis præconem inveneris Homerum. Nam per literas (canit Lyricorum præſtantiſſimus) Spiritus & vita redit bonis, poſt mortem ducibus.

BAL.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google


BALDUINUS.III.
4 COMES FLANDRIÆ.

BALDUINUS III. IV. Comes.

BALDUINUS Tertius à Patre vivente, ſed annis feſſo, rerum gubernaculo admovebatur, convocatis Gandavum & aſſentientibus Flandriæ Ordinibus, non ſine fletu gemituque, teſtibus firmæ in Patrem benevolentiæ. Brugam, Ypram, Feurnam, Bergam, Burburgum, Dixmudam, Andenburgum, cum Rouſſelara & Rodenburcho, aliiſque aliquot locis, in melius munitionibus reſtituit: neque fortitudine hoſtibus, neque fide ſociis, neque amore ſubditis cedebat. Texendi artifices, quod olim quæſtus & opulentiæ plebeæ veluti baſis erat, ad ann. 959 Flandriæ introduxit, ac provexit. Mercaturæ commercia auxit. Brugæ, Curtraci, Thorhouti, Caſſetique rerum venalium nundinis, ſtatiſque mercatuum diebus indictis: cum ea tempeſtate ob pecuniæ penuriam, permutatione mercium inter ſeſe Flandri negociarentur, (ut exemplo res clareſcat) duas gallinas pro uno anſere, duos anſeres pro porco, vervecem pro tribus agnis, tres vitulos pro vacca commutarent. Ex bello contra Normannos, in ſubſidium Lotharii Regis, fortiter geſto, incolumis domum reverſus anno Imperii tertio, Bergæ Winnoci, morbo papularum ſive variolarum ad annum 961 è vivis deceſſit. Santomari in Bertini ſepultus ſub humili tegumento lapideo, cum Arnulphum progenuiſſet ex Machtilde, Hermanni Saxoniæ Ducis filia; quæ poſtea ex Gotfrido Arduennæ Comite, mater Gotfridi Gotelonisque Lotharingiæ Ducum, & Henchilonis Eynhamæ reguli filiam unicam Reynero Hannoniæ Comiti elocantis, multas familias conjunxit & illuſtravit. Balduino, marito ejus, tam raræ probitatis commendationem ſuperſtitem adepto, ut gemendum ſit, laudatorum Principum vitam, adeo brevi ævo circumſcribi, & velut fulgur oculos perſtringens, citò evaneſcere: quemadmodum in hoc viro, Tito Veſpaſiano, Alexandro Severo, Gordiano Juniore Cæſaribus, aliiſque videre eſt: cum ſubditorum maximè interſit bonis Principibus uti frui quamdiutiſſime: quos tam raros eſſe, ut uni annulo ſignatorio inſculpi omnes poſſint, olim vulgatum eſt. Cæterum in hoc Principe etiam imitandum eſt, quod per artificiorum & mercaturæ labores induſtriamque, populum à duobus malis avocarit; ocio nimirum atque inopia, publice tam pernicioſis, ut Solon Athenienſis egenos deſides gravibus mulctis, Amaſis Ægyptius morte plecteret.

ARNULPHUS II. V. Comes.

ARNULPHUS Secundus ſub avo paterno, qui rerum curam poſt filii mortem reſumpſerat, immaturam Imperio pueritiam, ſed tutam egit, poſt avi obitum, neque animi celſa in eo indoles, neque matris vitricique induſtria, Principatum ejus à Lotharii Regis cupiditate & violentia ſatis protexit: Boloniæ & Teruanæ Sanpaulive ditionum poſſeſſione huic hæredibuſque erepta, & ad filios Guillelmi Comitis Pontivi, quo jure quaque injuria tranſlata: ſic tamen, ut uterque fidem & clientelam Comitibus Flandriæ juraret. Sanpaulinus demum Comitatus ad Engheranum Champdaveinæ domus, ejuſque per filiam unicam ad Hugonem gentis Chaſtillonæ pervenit: eorumque pronepte Guido Luxenburgio Lignii regulo nupta, in proſapia Luxemburgia diu permanſit; donec per neptis ex Petro filio, Ludovici Gallici Coneſtabilis, matrimonium domui Borboniæ Vendomiorum acceſſit. Cæterum Arnulphus ætate creſcente, animi acrimoniam non diminuit, plebi ac Nobilitati juxta gratus: providebat enim ne inopes à potentibus, imbecilles à validioribus, boni ab improbis opprimerentur. Hugonis Capeti coronationi anno 987 Novioduni intereſſe recuſavit; quod ille regnum Caroli Magni ſtirpi ereptum, invaſerat, & Carolum Lotharingiæ Ducem, Ludovici quinti Gallorum Regis abſque liberis defuncti patruum, proximumque; hæredem excluſiſſet, captivumque haberet. Officium tamen fidemque Roberto Regi illius filio præſtitit, calidiſſima febri anno Imperii 28 immaturè ac inopinatè ſupremum diem excluſit, anno 988, ad D. Petri Gandavi in Sacello Laurentiano ſepultus: cum ex Roſela Berengarii tertii ex ſtirpe Longobardica regnum Italiæ obtinentis, quem Otho primus Cæſar vicit, captivumque Bambergæ perpetuo habuit, filia; quæ poſt Roberto Galliæ Regi nupta, Suſanna denominata, & juxta prioris mariti tumulum Gandavi jacet, puerum hæredem reliquiſſet. Atque hæc documenta partim communem pupillorum conditionem, aliorum cupiditati injuriiſque obnoxiam paratamque eſſe, niſi auctoritate prudentiaque eximii viri fulciantur: ut hic Arnulphus avi ſui, Joas Rex Judeæ avunculi Jojadæ: Gordianus Junior Cæſar Miſithei ſoceri fide atque ſapientia muniebantur, iiſque deſtituti, vacillabant: partim ingenuos motus avitæ & generoſæ nobilitatis, in Principe elucere, non ferente illatam haud ſibi privatam, at ſtemmati cognationique ſuæ injuriam, eaque de cauſa incitato, ut proclivius potentem Regem offenderet, quam injuſto abblandiretur.

BAL-

Digitized by Google


ARNULPHUS .II.
5. COMES FLANDRIÆ.



Digitized by Google

BALDUINUS IV. PULCHROBARBUS
VI. Comes.

BALDUINUM, cui à prolixitate ſubnigræ venuſtæque Barbæ nomen fuit, antequam ſuæ tutelæ eſſet, domeſtici motus agitavere, aliquot proceribus (præſertim Gilbodo Cortracenſium Primate) parêre detrectantibus, quos omnes demum imperata facere coegit: ad magnanimitatem enim natura eum genuerat. Majora autem damna ab Henrico ſecundo Cæſare accepit, vicos arceſque flammis, pecora atque homines prædis exhauriente. A quo tamen amicitiam, Valencenas, & Zelandiæ Inſulas in fide Imperii tenendas, poſtea eſt conſecutus. Baltheo dignitatis equeſtris plurimos, qui Annalium incuria ſilentur, exornavit. Toparchias, quas Nobilitati diviſit, conſtituit; perque vicos & caſtella juridicos ac idoneos legit: doctus enim ipſe fuiſſe perhibetur, juxta atque probus: gentiles vero ſuos Balduini ferrei pronepotes, Cameraceſii Comitatu per Herluinum Epiſcopum anno 1014 excludi toleravit, tantamque in populum ſuum peſtem ſævientem, ut vix libithinæ vivi ſufficerent. Cum annos 48 imperaſſet, ad D. Petri in monte Blandinio in Sacello Laurentiano, ſub lapide humili, ad annum 1036 ſepultus, Balduinum habuit ſucceſſorem, ex Ogina Gilberti Luxemburgi Principis filia; cui proximæ partui tentorium ſumptuoſum in foro maximo Atrebati maritus tendi juſſit: omnibuſque fœminis honeſti nominis locique permiſit, ut adeſſent parturienti: quo nimirum ſic vulgo exueret ſuſurros, & opinionem quam de illius ferè quinquagenariæ ſterilitate induerat. Duobus utilibus exemplis, velut facibus Pulcrobarbi vita nos præeunte: altero, legitimis Principibus etiam pueris, populum fide obligatum, fruſtra obluctari: quod ſupremi numinis miniſtri ſint, ſacri & inviolabiles: neque perperam vulgo dici; Regem paleatum, ſubditis chalybeis eſſe validiorem. Sic Gotfridus tertius Brabantiæ Princeps, in cunis prolatus, & ante pugnæ aciem poſitus, Grymbergios rebelles ſubjugavit, ad exemplum Europi Macedoniæ Regis: altero, ex inimicis reconciliatis non ſemper exſpectandam diffidentiam atque metum, ſed ingentes ſæpe fructus, ſubſidiaque. Sic Balduinus hic, & Henricus Cæſar: M. Lepidus & M. Fulvius Romani: Cimon & Pericles Athenienſes; Maſiniſſa & S. P. Q. Romanus: Carolus Sextus & Richardus ſecundus, ille Galliæ hic Angliæ Reges: Philippus Burgundiæ, & Carolus Aureliani Duces, plumbeas iras & inimicitias, in ſinceram fructuoſamque benevolentiam commutarunt. Neque inconſulte Plutarchus, de utilitate ex inimicis capienda librum edidit.

BALDUINUS V. INSULENSIS.
VII. Comes.

LILANUS ſeu Inſulenſis ab oppido, quod præ reliquis dilexit, ornavitque, agnomen adeptus, pius etiam à cultu divino & morum præſtantiâ vocitatus majorum amplitudinem ſuperavit: ſagax in proſpiciendis, patiens in exſpectandis, celer in arripiendis, acer in perſequendis rerum occaſionibus, atque fortunatus. Guillelmum Roberti ex Arleta concubina filium, & Rollonis Noortmanni, qui Caroli Simplicis Regis beneficio Neuſtriam poſſedit, Noortmanniamque primus appellavit, abnepotem, Normanniæ Ducum, generumque ſuum, ut prius Normanniæ, ita Angliæ regno anno 1060 introduxit, Haraldo ejus hoſte ſuperato: cum genero pactus, ut ipſe poſt hac atque ſucceſſores trecentas in annos ſingulos argenti ſemilibras ſive markas Flandriæ Principibus perpetuo dependerent: quod vectigal numquam fuit, niſi poſt Lilani ejuſque filii mortem, ab Anglis recuſatum. Eodem anno relictam teſtamento ab Henrico I. Galliæ Rege Philippi & Hugonis liberorum, Regnique Francici tutelam diutiſſime ac integerrimè adminiſtravit: cæteris proceribus Flandrum, quem Annales Gallici ſinceriſſimum fidei ſapientiæque perſpectiſſimæ virum nuncupant, verſari in rerum procuratione ferentibus, obſequiumque ſanctè promittentibus: præter Vaſconas, veritos ne regnum appeteret, quod Henrici Regis ſoror ei nupſerat, & a Carolo magno juſta ſerie eſſet oriundus: quos dextrè magis quam violenter ad officium redegit: Regem Philippum I. pupillum ſuum ſæpe in Flandria, educavit. Terram omnem inter Scaldim Teneramque, quæ jam pridem Aloſtana dicitur, cum quatuor Ambactis, & arce Gandenſi, Henrico III. Cæſari ereptam, factâ pace, retinuit, Zelandiæque Inſulas: contra quem poſtea Flandriæ Occiduæ imminentem, magnam longamque ad tria paſſuum millia, foſſam aggeremque, qui Novus adhuc vulgò appellatur, Atreſioſque à Flandris jam ſeparat, intra triduum anno 1053 perduxit. Lilam, Gandavum, Brugam, Ypram, Ariam, Santomerum, & Audenardam, ubi etiam arcem ſtruxit, firmiora effecit, Legatis Hollandiæ, Gertrudem Florentii primi Hollandiæ Comitis viduam, in matrimonium, & filios regionemque illius, in tutelam Roberti filii anno 1063. Audenardæ offerentibus aſſenſus eſt, & huic quinque Zelandiæ Inſulas, ditionemque Aloſtanam cum quatuor Ambactis, magnaque pecuniâ, in poſſeſſionem hæreditariam, aſſignavit, adacto prius ad jusjurandum, quod his contentus, à fratris injuriâ abſtineret. Regnavit annos 32. Paulo ante mortem vocato ad ſe filio Balduino, (Robertus enim aberat) Vides, inquit, me ſupremis appropinquare, & Deum à me repetere æs alienum, quod naſcendo accepi: cui obſiſtere velle ſtultum, obmurmurare impium: malus ille miles, qui Imperatorem ſuum gemens ſequitur: Et cur obluctemur, an quia ex hoc corpore, velut carcere, aut præſidio moleſtiſſimo tranſgrediar per Chriſtum Servatorem, in cœleſtem illum cœtum ſpirituum beatorum? Priuſquam autem hinc diſcedam, peto abs te fili, ut animum mihi præbeas, pauca quæ in rem tuam populique ſunt, admonenti. Prima tibi ſit cura rerum divinarum. Numen enim pronius illis eſt, qui maxime illud colunt: Franciam, unde nobis tantum decus & amplitudo, obſerva: Sic Caroli Magni ſtirpis noſtræ memineris; ut hujuſce generis Reges toleres; ex his tibi mater; & fato regna transferuntur Quoniam pœnis atque præmiis Reſpublica continetur, coerctiones aliis delega, præmia tuipſe dato: ubique circumſcriptè: prudentiâ enim, rerum omnium directrice tibi tam opus eſt, quam Architecto libella & linea. Factiones in ſemine comprime: delationibus, aulæ agnatis, citius aurem præbe quam fidem: Conſiliarios elige ad lapidem lydium bonæ famæ, ætate, uſu litteriſque (præſertim hiſtoricis) inſtructos. Pacem, in quam natura propendes, quantum potes cole: Melior eſt enim certa pax, quam ſperata victoria: Alieno ſanguini tanquam tuo parce: Non minus hominem te, quam hominibus præeſſe cogita. Denique ea ſponte facias, quæ alium quemvis imperantem, in te facere optares Diſceſſit, in urbe Lila, & ibi in templo à ſe condito dotatoque, ſepultus eſt, ad annum 1067. Ex Adela Roberti Franc. Reg. filia, progenuit Balduinum. Hoc titulo uſus perhibetur, *Balduinus Comes Flandriæ, Marchio, & Philippi Francorum Regis Procurator ac Baylus.*

BAL.


BALDUINUS V. INSULENSIS
7 COMES FLANDRIÆ.


BALDUINUS VI. MONTANUS
8. COMES FLANDRIÆ

BALDUINUS VI. MONTANUS.

VIII. Comes.

MONTANUS aditu facilis, in reſponſo lenis, in jure dicendo æquus, in Religione aſſiduus: per conjugem Richildim Reyneri tertii filiam, viduamque Hermanni Arduennatis, obtinuit Comitatum Hannoniæ, qui Montium ab urbe primaria dicebatur, & per Cæſarem Henricum Quartum donantem, Tornacum poſſedit. Rogerio Privigno, cui inſigne pedis vitium, neque mentis acumen erat, ad ſacra aſſcripto, Epiſcopatum Laudunenſem procuravit, non gravatim fratribus uterinis ad ſucceſſionem maternam locum vacuum facienti, accedente Matris perſuaſione in poſterioris thori liberos pronioris. Albæ virgæ, ſeu vindictæ, quam longam rectamque *Flandriæ Bailivi* gerunt, auctor fuit, ad annum 1068. quæ & geſtantem recti candoris, & prætereuntes reverentiæ admoneret, & à flagitio cohiberet. Geradimontem emptione comparavit, & ad oppidi formam condidit; exſtruxitque Heſdini Palatium ſumptuoſum. Paci & tranquillitati omnino addictus, bello abſtinuit: quamvis neque in rebus arduis ſuſcipiendis animus, neque in gerendis conſilium illi deeſſent. Erat audiendi largus, vini ſermoniſque parcus: & numquam in Flandria minus furtorum, & flagitiorum in itineribus, quàm ſub eo Principe fuit. Juſſus per Leonem Papam, ab uxore diſcedere, ſuccubuit; quia Adela ejus mater, Reineruſque conjugis Pater amitini fuiſſent; quod tamen impedimentum Victor, Leonis ſucceſſor, in Synodo Agrippinenſi reſcidit. Cum duos ex ea filios genuiſſet, trienniumque regnaſſet, moriturus Arnulpho majori filio Flandriam, ejuſque curatelam Roberto fratri: Balduino Hannoniam teſtamento, & uxoris aſſenſu reliquit: filioſque, vocatis Audenardam, præſentibuſque Sacerdotii ac Nobilitatis proceribus vehementer commendavit. Mortalitatem ibi explevit, facili exitu, nulloque cruciatu: qualem Cæſar Auguſtus εὐθανασίαν nominabat, & ſibi ſuiſque precabatur: Haſnonii Cœnobio, quod condidit, anno 1070 ſepultus eſt, hoc titulo uſus; *Balduinus, per Dei clementiam, Flandriæ Princeps.*

ARNULPHUS III. INFELIX.
IX. Comes.

ARNULPHUM (cui tum ab Infortunii ac ſuperbiæ maternæ nemeſi, Infelicis, tum ab Annalibus, innocui ſimpliciſque agnomen eſt) verum Flandriæ Principem, patris pietas, æquitas & commendatio nihil protexit; ſed Richildis matris in Flandros atrocitas, arrogantia, avaritia, (quas tamen contrariis virtutibus ante mortem, in Cœnobio Meſſenſi, fertur diluiſſe) patruique violentia & victoria, imperio, vitaque ſpoliavit, fortiter dimicantem ad Bavinchovam Caſletanam, in conflictu, quo Philippus primus Galliæ Rex, materque Richildis inferiores fuerunt: cum ætatis annum decimum ſeptimum, regni novemdecim menſes, cœlebs attigiſſet. Ad Bertini ſepultus eſt, ſtatuaque ſtrenui pugnatoris, gladio comminantis, à patruo exornatus. Et hic ſentimus nobis eſſe incognita providentiæ divinæ arcana. Innocentiam nimirum non ſemper eſſe tutam: cum optimi Principis filium adoleſcentem, innoxium, antiquo paternoque dominatu, & vita ſpoliari intuemur: denique matris vitia plus potuiſſe ad evertendam, quam patris virtutes ad conſervandam filiorum proſperitatem. Ut olim Alexander Severus, Cæſar optimus, propter matris Mammeæ avaritiam, Imperio, vitaque excidit.

Sub eo commemorantur Viri Nobiles hiſce gentilitiis cognomentis, Joannes Gaverus, ob equeſtri ordinis præfecturam Ypræ, necemque juſſu Richildis inflictam: Gerardus Bucanus, ob præfecturam arcis Lilanæ: Guillelmus Rabellus, ob primatum oppidi Sanctodomari, & fidelitatem in legitimum Principem.

ROBERTUS I. FRISIUS.
X. Comes.

ROBERTUS legitimæ ſucceſſionis ſeriem primus interrupit, per hanc occaſionem: Poſcenti tutelam nepotis Arnulphi, Flandriæque adminiſtrationem ex fratris teſtamento, Richildis ambitioſa pupilli Principis mater, cui forſitan à Roberto timebat etiam cavebatque, obluctabatur, auctoque odio, illius bellum comminantis bona fiſco addixit, in Nobilitatem urbeſque Flandriæ Teutonicæ, à cujus lingua, conſiliis, inſtitutis abhorrebat, ubi etiam à ſingulis lectis quatuor Gallicos denarios exegit, crudelitate peracerba: unde Roberti cauſam populo gratiorem reddidit, illum allicienti, opemque pollicenti. Qua benevolentiâ, auxiliiſque Robertus adverſus Richildim armatus, altero nepotum in pugna cæſo, altero excluſo, Flandriam uſurpavit, Teutonicam quidem lubentem, Gallicam verò conciliatam: Regique Philippo prius hoſti, fidem, nomine Flandriæ præſtitit, & cum Balduino altero nepote, Hannoniæ maternæ Comite, tranſegit; atque ad ſuum ex filio nepotem, filiarumque poſteros huc uſque tranſmiſit Flandriæ Principatum: ſub ipſo memorabilem, longiſſimo gelu, terræ motu, ventorum tempeſtate, morboque crudeliſſimo (qui ignaria dicebatur) per quem alii inſtar carbonum nigreſcentes, alii exuſtis viſceribus tabeſcentes, quidam membris mutilati, anno 1092 cruciabantur, ac interibant. Legatis ejus ad Henricum quartum Cæſarem miſſis, ut de Aloſtanâ, cæteriſque terris Imperio fide annexis; juramentum Roberti nomine darent, ejuſque amicitiam impetrarent, quiddam accidit memoratu non indignum; quod Balduinus Tornaci Primarius, & Legatorum præcipuus ſemper aſſeverabat attonitus, ut Annales atteſtantur, alioqui fabuloſum & incredibile, ignorantibus ſimile quid Druſo, Auguſti in exercitu Legato, patrumque memoria Joanni Waſſenaro, nobili fortique in Hollandia copiarum Duci, non procul hiſce regionibus obveniſſe. Fertur illis Friſii Legatis Coloniæ Agrippinæ, ubi Cæſar erat, appropinquantibus obviam veniſſe mulier ſpecie gravi, reverenda, atque humana amplior: quæ percunctata unde venirent, quo procederent, cum reſponſi dubios & cunctabundos animadvertit, Scio, inquit, vos eſſe ad Henricum Cæſarem miſſos à Roberto Friſio, qui nepotum alteri vitam, alteri hæreditatem

tatem

Digitized by Google


ARNULFUS.III.INFELIX.
9.COMES FLANDRIÆ.

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

tatem Flandriæ eripuit. Impetrabitis Cæſaris benevolentiam, & Robertus Flandriam obtinebit, ipſe cum filio ac nepote; ſed in hoc poſteritas ejus virilis exſtinguetur, propter illam, qua afflixit fratris filios, iniquitatem. At Robertus in affines quam nepotes æquior, Theodorico V. Hollandiam Friſiamque Ciſrhenanam recuperavit, Privigno, & à ſubditis expetito. Suſpectus fuit in necem Gofridi Comitis Lovanienſis propinqui ſui, Antwerpiæ interfecti à ſubmiſſis percuſſoribus. Hiſce flagitiis ut ablueretur, Hieroſolymam, ſepulchrumque D. Catharinæ inviſit, multorum ejus ſæculi facinoroſorum hominum more & perſuaſione. Ubi etiam ad Hieroſolymæ templum horrendis aut viſionibus aut imaginationibus fuit perturbatus. Cum 21 annos præfuiſſet, vel in Winendalæ arce, quam ad venationes ſtruxit, vel Caſtelli, ubi templo Collegioque D. Petri inprimis munificus fuit, ibidem in crypta chori ſepultus: anno 1093 è vivis migravit, morte (ut Bertinici Annales volunt) cita & inopinata: Cum tres filias ex Gertrude, Bernardi Saxoniæ Ducis filia, Theodorici Quinti Hollandiæ Comitis matre, genuiſſet: (Quarum Adela Canuto Daniæ Regi, dein Rogerio Calabriæ Apuliæque Duci nupſit; ex illo Caroli ejuſque ſororum, ex hoc Guillelmi genitrix: Gertrudis Henrico Lovanii Comiti, poſt Theodorico Alſatiæ Lantgravio juncta: tertia cœlebs fuit:) & totidem filios, Robertum, qui ſucceſſit, à patre prius in Regni ſocietatem cooptatus: Philippum Ypræ Burggravium, extinctum Winnocibergæ, cum de domus tabulato decidiſſet: & Guillelmum Ariæ in adoleſcentia defunctum. Erat Robertus corpore vegetus, animo ambitioſus, liberalis, militaris, minuſque quam Robertus Galliæ Rex maternus avus, ad manſuetudinem juſtitiamque appoſitus. Verum argumento eſt, populi conſentientis majorem & auſpicatiorem in offerendo, cui ſubjiciatur, dominatu, poteſtatem eſſe, quam vulgò exiſtimantur.

ROBERTUS II. HIEROSOLYMITANUS. XI. Comes.

ROBERTO ſecundo, quem Annales Franciæ, nunc fortiſſimum, nunc unum ex Aſiæ domitoribus vocant, celebrantque; à Turcis ereptâ, ingenti virtute Hieroſolymâ, agnomen: Gotfrido, Euſtatii Bolonienſis Comitis Roberto clientela obſtricti, filio, Regnum attulit. Alexio Comneno Orientis Cæſari, Rogerioque Calabriæ & Apuliæ Principi, cui ſoror ipſius Adela nupſerat, ex Syria rediens, inprimis acceptus fuit ac familiaris. Arnulphum Selneſſæ, Ardæque Dynaſtam, & S. Pauli Comitem, numero duodecim Flandriæ Parium aſſcripſit: eumque Præpoſitus Collegii D. Donatiani Brugis eſſet, perpetuum Flandriæ Cancellarium, & velut ſigilli Principis depoſitarium, cunctorumque Notariorum ac ſacellanorum curiæ Palatinæ Magiſtrum anno 1089 conſtituit, Patris viventis in Imperio Collega. Cum Balduino Hannoniæ Comite, patruele, de Duaco, ejuſque agro convenit, ac ſibi retinuit. Ab Henrico Quinto Cæſare, prius inimico, in arcem Gandavi Othonianam, confirmatum Dominii jus acquiſivit, ac, ut Annales noſtri volunt, in Cameracum, quod ab archivis Epiſcopatus Cameracenſis reſpuitur, aſſerentibus, Cameraci dominatum Wibaldo Epiſcopo fuiſſe multo ante ab Imperatoribus attributum. Nunc continuis ab Octobri in Aprilem imbribus, quos graviſſima peſtis ſequebatur, nunc gelidiſſima hyeme, terræque ſterilitate, & publica fame afflictus fuit, tantaque Oceani inundatione, ut maris accolæ, verſuram ſoli fecerint, in Angliam applicuerint, ejuſque partem Orientalem habitationi ſuæ ab Henrico I, Rege anno 1109 exoraverint. Cum Meldos in Normannia Anglis addictos atque erumpentes, in urbem fortiſſimè repelleret, ante portam ſuffoſſo equo effuſus, vulneratuſque, tertio poſt die anno CIↃ CXI apud ſuos deceſſit, in Cœnobio Vedaſti Atrebati ſepultus, Craſſo Galliæ Rege multiſque Principibus funus proſequentibus, anno Principatus 19; cum ex Clementia Guillelmi Burgundiæ Comitis filia, Robertique Galliæ Regis pronepte, Calixtique II. Papæ ſorore, Balduinum reliquiſſet. Hoc titulo uſus eſt. *Ego Robertus, Dei miſericordia, Flandrenſis Marchio, Roberti agnomine Friſonis filius.* Clementia cum intra tres annos, eoque minus, tres filios, *Balduinum, Philippum, Guillelmumque,* enixa eſſet, ſterilitatem (quam Medici aſſplepſiam dicunt) fertur accerſiiſſe, ne prole numeroſa gravaretur: quæ res illi peſſimè vertit, cum filiis demum omnibus

bus

bus ſuperſtes, graviter defleret, alios quam ſuam progeniem Flandris imperare. Burburgi in cœnobio nobilium veſtalium, quod condiderat, ſepulta; Theodorico Flandriæ Comite hærede nuncupato. At Solymus documento eſt, commiſerandam eſſe Principum conditionem: partim quod iis in pugna periculum, in fuga flagitium, ex victoria ipſa ſæpe exitium eſt: quodque proſpera omnes ſibi vendicant, adverſa uni imputantur: quod verè à Solone & Naſone dictum eſt; Felix, dicique beatus ante obitum nemo, ſupremaque funera debet. Cum illum intuemur in tot navigationum præliorumque diſcriminibus verſatum ſæpe incolumem, & triumphalem, tandem ſaucii equi lapſu inopinato, miſere oppetiiſſe.

BALDUINUS VII. SECURICULA. XII. Comes.

BALDUINO ſeptimo, parva Securis, quam Hapkman vernaculè vocant, nomen tribuit: tum quod ſeveriſſime in latrones, qui per abſentiam in Syria Patris, creverant, animadverteret, quæ res ſecuriculis tunc fiebat: tum quod portatu habilem ſecurim ſæpe manu, ſæpe depictam in umbilico inſignium geſtabat; petito forſitan à vetuſtis Francorum Regibus, Clodoveo inprimis, exemplo, quem Gregorius Turonenſis Epiſcopus ſecurim in promptu, & ad manum ſemper habuiſſe commemorat: qualem Herodoti Polyhymnia inter Sacarum arma, Axinam nobiſcum vocitat. Nobilitatis inter ſeſe, ac in plebem ſævientis ſuperbiam, acrius, quam majores, compeſcuit: auctor, initio Principatus, publicæ pacis, quam etiam communem vocant, herilemque, quod à Comite, ſancita fuiſſet, in Comitiis Yprenſibus decernendæ, Ipſiuſmet, Procerumque & Populi juramento: Qua cavebatur: *Nemo alterius ædes noctu aſſiliat. Nemo ignem injiciat, aut minetur. qui ſecus fecerit, morte punitor. Cuncti armis ferendis abſtinento, præter Bailivos, Arcium cuſtodes, ſimileſque Principis officiarios. Vulnera cædeſque pœna talionis compenſantor: niſi neceſſitas inculpatæ tutelæ, facinus elevet, quam probare reus criminis cogebatur duello, aut aquæ, ignitique ferri purgatione;* In cæteris delictis, quæ nummis mulctabantur, juſſit ut Bailivi, aliique Comitis Vicarii exorbitantes duplum præſtarent. Neque minoris in exequendis, quam conſtituendis legibus erat promptitudinis. Nam in quoſdam Nobiles, mercatorum exterorum ſpoliatores, ſuamet opera manibuſque in prætorio Winedalio vindicaſſe perhibetur, & Petrum Orſcampi Dominum, ob duos boves pauperculæ viduæ reclamanti abductos, in ferventem in foro Brugenſi, tinctoris lebetem (falſo monetario puniendo deſtinatum) præcipitari juſſit; ocreatum, petaſatum, gladiatum, eoque habitu quo ad Principem ſubito evocatus advenerat, interrogatuſque, & crimen faſſus fuerat. Per oppida vicoſque circumvectus, cauſas cognovit, conſtanter jus dixit, Juridicos legit, Magiſtratus largitione corruptos caſtigavit. Exiſtimabat enim Principem juris dicendi exercitio, legibus, juſtitiæque aſſueſcere, ſubditos melius noſſe, illis innoteſcere, æquumque eſſe, ut qualem à ſuis obedientiam, non ſocordem, non vicariam, exſpectabat; talem ſe illis Judicem præberet. Obſequio armiſque fidus, in Ludovicum Craſſum Galliæ Regem ab omnibus pene Proceribus per Angli artes deſtitutum, illinc occaſionem mortis adeptus fuit: cum Anglos (quibus etiam privatim ſuccenſebat ob tributum à Rege Guillelmo Notho, Flandris perpetuò promiſſum, à filio Henrico denegatum) in Normannia oppugnaret, ſcuto ipſius, impellente fortuito quodam milite, fronti ejus graviter impacto, cerebrumque lenta, neglectaque initio ægritudine corrumpente, membrorumque paralyſi accedente, nono demum menſe, terris eripiente, ad annum 1119. Nihil autem liberorum, ex Agnete, (Alani Nanetum ſive Britanniæ Comitis filia) ſuſcepit. A qua, juſſu Paſſchalis ſecundi Papæ, diverterat, ob vinculum cognationis, quintum licet gradum excedentis. Moriturus, Rouſſelaræ, Carolum Amitinum, apud ſe patremque enutritum (Mater enim, Danorum, qui Virum occiderant, atrocitatem verita, infantem in Flandriam advexerat) proximum hæredem nuncupavit: in Bertini, ante aram S. Crucis marmoreo monumento, ad annum Imperii nonum, ſepultus, atram veſtem benedictinam amictus, quam moribundus induerat. Fuit celebri fama, in Deum Religionis, fidei in patriam, amoris in ſubditos, juſtitiæ in omnes.

CARO-


BALDUINUS VII. SECURICULÆ
12. COMES FLANDRIÆ.


CAROLUS PRIMUS PIUS.
13 COMES FLANDRIÆ

CAROLUS I. PIUS.
XIII. Comes.

CAROLO Robertus Friſius Flandriæ Comes per Adelam Avus, Canutus Daniæ Rex, qui à plebe ob imperatas in uſum ſacerdotii decimas cæſus, poſituſque in Divis à Papa fuit, pater erat, Flandriam conſecuto, ſanguinis propinquitate, & patruelis teſtamento: quamvis Clementia Flandriæ uſufructuaria propenderet in Guillelmum ab Yprà (ſic enim ſeſe nuncupat in litteris donationis, cœnobio Loënſi collatæ anno 1168 ſignatis Cantuariæ, uti erat Comes Cantianus) genitum Philippo Roberti Hieroſolymitani, cui Clementia nupſerat, fratre, Ypræ Burggravio, Loæque Dynaſta, matre impari: quam, ut conſcientiæ ſuæ, filiique natalibus conſuleret, Philippus conjugio ſuo cohoneſtavit: quod veriſimilius videtur, quam Guillelmum fuiſſe illegitime natum, ut multi opinantur: Nam in archivis Loënſis Cœnobii Carolus Pius, de quo hic tractatur, diplomatibus ſuis anno 1179 datis, Guillelmum hunc nuſquam Nothum, licet adverſarium ſuum, ſed aperte Philippi filium, ſuum nepotem nominat. Neque credibile eſt, Guillelmum tam impudenter auſurum fuiſſe cum Principibus nobiliſſimis proximiſque, de Flandriæ Principatu coram Rege in judicio contendere, ſi fuiſſet extra conjugium natus: Nothos enim à Virorum hæreditatibus ubique lege excludi palam eſt. Neque Clementia haud dubie nobiliſſima, neptem ſuam illegitimè progenito conciliaſſet, tanto ardore, ut hanc ob cauſam, Gotfridi Lovanii Comitis conjugio ſeſe addixiſſe exiſtimetur, & Hannoniæ, Boloniæ, Sanctipauli, Heſdinique Regulos & alios Proceres in Carolum concitaret: quos tamen omnes, ut pacem expeterent, ille coëgit: Heſdiniumque, terris & ditione confiſcatis, & Clementiam maxima uſusfructus parte abjudicata, caſtigavit: Guillelmi Yprenſis, quem Carolus non gradu, ſed ætate in ſucceſſione anteivit; odio & incurſionibus diuturnioribus, donati Comitatu Cantii, à Stephano Angliæ Rege, ob fidem atque fortitudinem, qua illum captivum libertati regnoque reſtituit, Roberto Gloceſtrio, hoſtium Duce in pugna intercepto, & Loæ demum in cœnobio (cui inprimis munificus fuit) exſpirantis: poſtquam Anglia prohibitus ab Henrico Stephani ſucceſſore, & Theodorico Flandriæ Comiti erat reconciliatus. Cujus filius trimulus, à patre in conſtantis amicitiæ vadem Theoderico traditus, nefario cuſtodum ſcelere excæcatus, extinctuſque fuit. Feritatem Flandrorum maritimorum Carolus coërcuit, arcuum ſagittarumque uſu interdicto; Blaſphemis, aut temere per nomen Dei jurantibus, ſortilegis, ariolis, necromanticis acer caſtigator: moribus adeo temperatis, ut neque hilaritati ſeveritas, neque facilitati gravitas, neque civilitati dignitas quicquam detraheret. Cœnam ejus tres Theologiæ Doctores, Biblicæ ſcripturæ lectione, ſemper condiebant atque finiebant. Porro cum exitialis hominibus brutiſque hyems frumenta, aliaſque fruges radicitus exediſſet, & ex agrorum ſterilitate, duriſſima in Flandria fames ingruiſſet, cerevisiam confici, caneſque ali prohibuit: tantaque in egenos comitate ac liberalitate fuit, ut Parens plebis vocaretur; & in cœnaculo ſuo tredecim inopes, non vilius quam domeſticos ſuos nobiles, indies aluerit, ut paupertatis imagine quotidie ante oculos poſita, fortunæ moderari, Chriſtique & Apoſtolorum meminiſſe inſueſceret, & Ypræ intra unum diem ſeptem millia & octingentos panes, præter nummos atque veſtes inopibus diſtribuerit, ac Brugæ Stratiis, familiæ nobili potentique, imperarit, ut ex copioſo frumento in ipſorum horreis invento (quod multorum Antiſtitum decimas in aliquot annos redemiſſent) ſtato per eum precio, egenis metirentur, atque ut Bochardus Stratius de vi rapinaque atroci convictus, prædæ reſtitutione, ædiumque ſuarum demolitione mulctaretur, cum ultimum ſupplicium promeruiſſet. Quæ, licet æquiſſima, in tantum furorem Stratiam progeniem impulerunt, ut Bertulpho Stratio Donatiani, Flandriæque Cancellario auctore (quia à Carolo ſub prandii tempus in triclinium vocatus, ab eo reprehenſus avaritiæ neque unà cum aliis invitatis accumbere juſſus erat) in caput Principis conjurarit: eo audacius, quod homini Dano, & Nobilitati minus accepto, nullum vindicem exſpectaret: licet ſceleſtæ cædis in Principem ultor eſſe ſoleat, quiſquis ſuc-

ſucceſſit, munimento in poſterum, in præſens ultione. Itaque Carolus ſecundo Martii die, anno 1126, cum octo annos ſine liberis ex Reynoldi Comitis Clermontii filia, imperaſſet, in Donatiani Brugæ ſuperiorem templi partem, mane abſque comitatu ad rem divinam introivit, cilicium ſub linteo induſio aſtrictus, pedibuſque nudis, quos prolixa toga contegebat, quod illi frequens. Ibi religioſe in pavimentum procumbentem orantemque clara, ut ſolebat, voce Pſalmum 50, Bochardus Stratius in mendici habitum diſſimulatus, percuſſit in caput tanta vi, ut cerebro in terram effuſo, occiderit; brachium ejus mendicanti fœminæ extentum, fere abſciderit, regiam ejus diripuerit, ejus domiſticos aliquot primarios interfecerit, turrimque & loca editiora templi Donatiani cum ſociis occuparit, ac munierit. Cuncti autem Annales noſtri aſſerunt, Rogerum Tolenarum, membris per octennium contractum, cum cæſi Principis corpori admoveretur, ſubitò ſanum validumque in pedes ſubſiliiſſe, tanta admiratione gaudioque circumſtantium, ut certatim ex crinibus, unguibus, veſtibuſque Caroli, in domeſtica veluti ſacra deſumerent, corpuſque exanime, & ante aram maximam reverenter poſitum, effuſe oſcularentur, & in foro ad Chriſtophori honorificè altero die ſepelirent: donec poſt 60 dies ſuave olens, vulneribuſque quaſi recentibus, ad Donatiani, magna frequentia reverentiaque reduceretur, inque ſacrarum templi veſtium apodyterio conderetur. Tam horrendam indignamque Principis cædem Flandriæ Nobilitas non minus quam Ludovicus Craſſus Galliæ Rex, & Guillelmus Yprenſis ex Anglia reverſus, diligentiſſime ulti ſunt. Bochardus parricida ex turri Donatiani, ad eum locum qui Mauberti dicitur, atque Bruga clam elapſus, in Brabantiam per Scaldim tranſmittere conatus eſt: at ubi lembum tam immotum ſiſti vidit, ut nulla arte, nulla vi in adverſam ripam poſſet incitari, divina nemeſi attonitus, ad avunculos Rabaiſos, Lilam retro vertit: à quibus urbis præfecto in ſupplicium traditus, periit, membris fractus, rotæque vivus inſertus, in eaque ab horà ante miridiem nona in veſperum uſque diei inſequentis, flagitium ſuum execratus eſt: Lambertus ejus pater Brugæ crura, brachiaque contuſus, ſpiculiſque ferreis ignitis in eorum fiſtulas immiſſis, furcæque poſt appenſus: & Bertulphus Cancellarius apud Alardum neptis ſuæ virum, Waeſtenæ Dynaſtam, deprehenſus, & vi abreptus per Guillelmum Yprenſem, Ypræ virgis cæſus, fuſtibus maceratus, patibulo affixus eſt; juxtaque eum Guydus Steenvordius, duello prius, velut æquo judice, ſuperatus, ad quod accuſatorem, virum nobilem provocarat. Iſacius Reninganus in furcam Ariæ datus eſt. Guillelmus Wervycanus in Germania captus, longiſque cruciatibus Argentinæ confectus eſt: Uxor ejus Tornaci viva defoſſa eſt: neque cæteri ſcelerati pœnas meritas evitarunt, inter quos 28 à faſtigio turris Donatiani præcipitati, & poſt in ignominiam laqueis ſunt ſuſpenſi. Illorum omnium ædes dirutæ, reſtitutione interdicta; agri poſſeſſioneſque exauguratæ, perpetuiſque frumenti tributis damnatæ; progenies Stratia ad Donatiani in Burgo fores, quotannis adhuc, ſexto nonas Martias per Cornicinem execrata: Principis vero cunctos pietate, ſublimique corpore antecedentis, memoria eſt conſecrata.

GUIL-

Digitized by Google


GUILIELMUS NORMANNUS
14. COMES FLANDRIÆ.

GUILLELMUS NORMANNUS.
XIV. Comes.

GUILLELMO, Mathildis, Balduino Lilano Flandriæ Principe nata, avia fuit; avuſque Guillelmus Nothus, ex Normanniæ Duce in Regem Angliæ provectus: Per Henrici Regis Patrui inclementiam, paternis avitiſque bonis exutus, à Ludovico Craſſo Galliæ Rege, poſt dierum viginti duorum interregnum, Flandriæ imperio fuit inculcatus, perque urbes Flandriæ primarias, Regis copiis præſentiaque, inaugurandi cauſa, circumductus: quamvis illum Balduinus Hannoniæ Comes, Theodericus Alſatiæ Lantgravius, Guillelmus Yprenſis, Arnulphus Danus, atque Henricus Patruus Angliæ Rex, ſanguinis propinquitate antecederent, Atrebatique à Rege Galliæ, jus ſibi reddi fruſtra poſtularent. Sic ille poſſeſſionem Flandriæ adiit, auctore quidem Judice Galliæ Regis (cujus ſummum erat in hujuſmodi controverſiis arbitrium) ſed juſtitiam affectibus poſthabente: eamque retinuiſſet, (tanta erat Flandrorum in Regem obſervantia, in Guillelmum patrimonio ampliſſimo exutum commiſeratio, in publicam tranquillitatem propenſio) niſi ille Flandriæ Principatum iniquè adeptus, improbius rexiſſet, nova inauditaque vectigalia indixiſſet, plebem nimium emungendo, ſanguinem expreſſiſſet: Magiſtratus quæſtui habuiſſet, militum ſuorum rapinas ſtupraque condonaſſet, aut diſſimulaſſet: quorum flagitiorum damna ad multos, indignatio ad plurimos, exemplum prope ad omnes pertinebat. Hiſce autem extorſionibus præcipuam occaſionem dedit, illius aviditas ad Normanniam paternam, milite bene ſtipendiato, recuperandam. Illam injuſtitiam avaritiamque ſeptem imprimis, Atrebates, Gandenſes, Brugenſes, Iprenſes, Sanctodomarenſes, Inſulenſes ac Duaceni in unum corpus, homagiumque Regi Franciæ debitum tunc compacti univerſim, & conſilia, auxiliaque pro more conferentes, ejiciendam ſuſceperunt; & Theodoricum Alſatium (Guillelmus Iprenſis, Ipræ captus à Normanno, jus ſuum abdicarat, poſt Arnulphum Danum, qui Santomeri per Normannum obſeſſus, quod à civibus deſtitueretur, jure ſuo & Flandria in Daniam deceſſit,) legitimum Flandriæ hæredem evocarunt, portaſque Guillelmo clauſere. At ille indignabundus, cum Alſatium priùs fugere circa Axpoelam coactum, Aloſti obſediſſet, ex opido in humerum balliſta ictus eſt. Et ex vulnere male curato, quintum poſt diem exſtinctus anno 1128. in Bertini, apud Balduinum Securiculam, ſepulchrum conſecutus.

THEODORICUS ALSATIUS.
XV. Comes.

THEODORICUS Alſatiæ ſuperioris Lantgravio Theodorico, & Gertrude Roberti Friſii Flandriæ Comitis filia natus, ſummo cunctorum ordinum aſſenſu, Principatum adeptus eſt, in alloquio blandus, in negotio juſtus, in Imperio moderatus. Porro Alſatia regio Transrhenana, ab Alſa fluvio irrigata, tamque fertilis, ut quidam denominatam opinentur, ceu Al-Sat/ hoc eſt omnino ſaturam, in Lantgraviatum evecta ſub Othone tertio Imperatore, Wormacenſium, & Kiburgenſium caſtrenſe peculium fuit; donec tandem partim ſucceſſione, partim dotalitiis pactis, ſuperior ad Rudolphum Cæſarem pervenit: Inferior per Comitem Othingenſem Epiſcopo Argentinenſi vendita fuit. Socerum Fulconem, Andegavi paterni Principem Regemque Solymorum, per uxorem Meliſcendam Balduini Regis filiam hæredemque, ac ejus ſucceſſores Balduinum & Almericum, contra Mahumediorum, præſertim Ægyptiorum potentiam, rerum ſuarum ſatagentes, quater in Syriam protectus, impensè juvit: eò proclivius, quod in tali bello, res adverſæ reprehenſione careant, ſecundæ invidia. Tam egregia autem virtute & auctoritate illic emicuit, ut Damaſci obſeſſæ Regnum Franci, Germani, Itali, ipſi deſtinarent, niſi quorundam æmulatio obſtitiſſet. *Ex Hieroſolyma portiunculam cruoris, ab exanimi corpore Chriſti, priusquam ſepeliretur, ut annales volunt, abſterſi, atque conſervati, in Phiola Cryſtallina per Leonium Abbam Bertinicum deportatam, Brugæ in Baſilii, ad annum* 1150 *collocavit: quæ ſingulis tertio Maii die ingenti pompa ibi circumfertur.* Leges confirmavit quibus homicidia & vulnera talione; Latrocinia furtaque nocturna, à tota vicinia plectebantur, pecunia mulctato, qui perſequi recuſaſſet, quæ etiam pax Flandriæ dicebatur. Arcem Teruanæ ab Arnulpho Avoæo, hoc eſt, urbis Primate, adverſus Sacerdotii libertatem exſtructam, funditus diruit: urbem ditionemque Teneramundanam Flandriæ adjunxit. Civiles inteſtinaſque Brugenſium diſcordias ſopivit. Ab Eugenio tertio Papa, ut Tornacenſibus viciniſque peculiaris redderetur Epiſcopus (à Noviodunenſi ſeparatus) per Bernardum Clarævallis impetravit: Henrici ſecundi Angliæ Regis coronationi magno apparatu interfuit, peractis Flandriæ feliciter adminiſtratæ quadraginta annis, Grevelinghæ, quam condidit, exſpiravit, ætatis anno 69, in Cœnobio Ægidiano Watenenſi ſepultus ad annum 1169 relictis liberis ex priori uxore, Caroli Pii vidua, filia Laurentia: ex Sibylla (Fulcone Solymorum rege nata) Balduino qui Bergæ adoleſcens interiit: Philippo, qui ſucceſſit: Matthæo per uxorem, Stephani Angliæ regis ſuaſu, Boloniæ Maritoniique Comite, qui duarum ex ea filiarum Pater ad Dringurtium in Normania obſeſſum caſtellum, ſagitta ictus, periit: Gerardo Præpoſito Donatiani, Flandriæ Cancellario, & Petro, qui Epiſcopatu Cameracenſi, ad quem electus erat, Philippi fratris inſtinctu, ut ſobolem excitaret, abdicato, Nivernii Dominam duxit, interiitque ſine liberis, non abſque veneni ſuſpicione. Ex filiabus natu majorem Balduinus Quartus Hannoniæ Comes, quingentorum florenorum (vide ejus temporis aut inopiam pecuniæ, aut moderationem.) annui proventus dote: Alteram montis Argii Regulus, in matrimonium aſſumpſerunt.

PHI-



Digitized by Google

Digitized by Google


PHILIPPUS.I. ALSATIUS
16 COMES FLANDRIÆ

PHILIPPUS I. ALSATIUS.
XVI. Comes.

PHILIPPUS, quem Annales Flandrici ſummum Ducem nominant, communicatum prius à Patre Imperium ſtrenuè geſſit: ditionum amplitudine majores ſuos anteceſſit: Viromandiæ enim, Valeſii Ambianique Principatum per uxorem Iſabellam poſſedit. Florentium tertium Hollandiæ Comitem captum dimiſit per tranſactionem; eique contravenientem, terra Waſia, quam in clientela Flandriæ poſſidebat, ex pacto mulctavit, Flandriæque perpetuo annexuit, non minus quam Aloſti opulentum Comitatum, poſt mortem Theodorici ex Laurentia Philippi ſorore nati, & abſque liberis defuncti: Cæſarique Frederico primo eo nomine fidem præſtitit; ejuſque auſpiciis Cameraco imperavit: à quo etiam mercatoribus Flandris ad Rhenum, & in Germania negociandi, pannoſque ſuos vendendi luculentam libertatem impetravit: Filium ejus Henricum ſextum ad Pontificiam conſecrationem, pulchro apparatu Romam proſecutus: Delatum ſibi ut Aloſtano Comiti, & Imperii Principi, totius Epiſcopatus Cameraceni patrocinium, ad annum 1189. ab Epiſcopo, Collegioque recepit, cum annuo honorario Gavenæ; quæ jus complectitur quotannis poſt meſſem in Cambreſio exigendi à ſingulis aratris duos modios frumenti, dimidiatumque avenæ: atque mencaldam frumenti avenæque à ſingulis mechanicis terram non ferentibus. Verum cum ſupra modum in Philippum (cui agnomen Conquirenti, aut ut illi P. Emilius abblanditur, Auguſto fuit) propenderet, cui die luſtrico baptiſmi, patre ejus jubente, nomen ſuum indiderat, tutelam geſſerat, pro quo ad duellum, à Richardo primo Angliæ Rege provocato, corpus ſuum animoſe obtulerat, Iſabellam ſororis ſuæ & Balduini IV. Hannonii filiam in uxorem conciliavit, per quam Franci, ſanguinem Caroli Magni ad Reges ſuos rediiſſe jactitabant; tamque profuſe dotavit, ut graviſſimum patriæ vulnus inflixerit: ingenti Flandriæ parte, quæ Occidentem verſus trans aggerem novum extenditur, & Arteſia dicitur, in dotem ejus anno 1179 addicta, à morte donatoris poſſidendam. Illa enim donatione longum inter Francos Flandroſque rixarum & bellorum ſeminarium excitavit, Flandriam deartuavit, ab eaque propenſionem, & ſocietatem Arteſiæ, & ceu vallum ſcutumque contra Francos, præſecuit: primus antiqua Flandriæ inſignia atri Leonis ſigno commutavit. Cum cognatos Solymorum Reges bis adiiſſet, in obſidione Acræ Ptolemaidis, cum multis Epiſcopis Proceribuſque, peſte abſumptus anno 1191, ibidemque in ſuburbio & cœmiterio D. Nicolai tumulatus eſt, donec ab uxore ad Clarævallis, Burgundiæ in agro Lingonenſi Cœnobium (ob Bernardi ſancti viri, Philippo familiaris memoriam,) tranſmoveretur. Præfuit annos viginti tres, Margareta ſorore hærede nuncupata, quod fratribus omnibus ſuperſtes, nullos liberos reliquiſſet.

Digitized by Google

MARGARETA I. BALDUINO IV.
Hannoniæ Comiti nupta. XVII. Comes.

MARGARETA Philippi fratris propinquitate atque teſtamento, ejus ſexus prima, Flandriam CIↃCXCI adepta, ejuſque maritus Balduinus IV. Hannoniæ Princeps, recta uterque ſtirpe, à Balduino Lilano Flandriæ Comite oriundi ſunt; illa abneptis, hic abnepos; illa ex Roberto Friſio uſurpatore, hic ex Balduino Montano legitimo Principe Lilani filiis, eliciens originem procreationis. Sic ut per hoc matrimonium, Flandriæ poſſeſſionem extra omne vitium & controverſiam poſteris tranſmiſerint. Sed limitibus per Galliæ Regem generum valde imminutis.

Rhemorum & Atrebatum Epiſcopis, Auchinii & Cameronis Abbatibus, arbitris, totam Occiduam ultra Novum aggerem Flandriam, in qua eminent Atrebatum, Bapalmæ, Sanctomerum, Aria, Heſdinii, Lilerſi, Lenſiique ditio: Patrocinia Boloniæ, Santipauli, ac Guineſæ Comitatuum, aliaque ſub Arteſiæ nomine comprehenſa, anno 1191 attribuentibus Ludovico Divi Regis patri, velut dotem matris, à Philippo primo, Flandriæ Comite conceſſam: quam demum Divus Ludovicus anno 1236, in Comitatum erectam, Roberto fratri conceſſit. Hinc Gandenſes primas ſibi partes ſuffragiaque deinceps arrogarunt, legeſque & privilegia velut extorſerunt, ſed nullo Principis ſigno, nullo tempore, nullo teſte firmata. Quibus in bonorum alienatione, jura retractus ſunt amolliti: Flamines ſuos curiales, alioſque ſacrorum miniſtros amovendi facultatem arripuere, cum uſus flagitabat: denique ut Comitis ſcita Gandavi, abſque Conſilio aſſenſuve civium non ſancirentur. Cæterum Margareta cum annos quatuor ſumma formæ morumque bonitate Flandris imperaſſet, in arce Malana juxta Brugam, aliquot ante virum menſibus, ad annum 1194. diem ſupremum clauſit, in Donatiani Brugæ ad latus ſeptentrionale aræ maximæ ſepulta: cujus ſepulcro tabella appenſa dicit, eam cunctas ſui ævi mulieres omni bono opere præcelluiſſe. Mater fuit Balduini, qui ſucceſſit in Flandriam Hannoniamque, & Imperium Byſanthinum poſſedit: Philippi Namurci Marchionis: Henrici, qui poſt fratrem in Oriente regnavit: Iſabellæ Philippo Conquirenti Galliæ Regi: Yolanthidis Petro Auxerræ Comiti: atque Sybillæ Gerardo Luxenburgio Lignii Barenſis Dynaſtæ, per nuptias conjunctarum.

BAL-


MARGARETA.I.
BALDUINO.IV.HANNONIÆ.COM.NUPTA
17.COMITISSA FLANDRIÆ

Digitized by Google


BALDUINUS IV.
HANNONIÆ PRINCEPS

Digitized by Google


BALDUINUS VIII.
CÆSAR AUG. CONSTANTINOP.
XVIIII. COMES.

BALDUINUS VIII. Cæſar Auguſtus Conſtantinopolitanus. XVIII. Comes.

BALDUINUS Octavus à morte utriuſque parentis ex Flandriæ Comitibus recta juſtaque ſerie progeniti, ut jam dictum eſt, Flandris, Hannonibuſque imperavit. Enimvero cum in eadem parma, Flandriæ, Hannoniæque inſignia gereret, Flandrorum inductione, paternaque origine perſuaſus, relictis proſrſum Hannoniæ inſignibus, ſolum Flandriæ Leonem in ſcutis, vexillis, ſigilloque expreſſit. Namurcum, ex voluntate ultima Patris, hoc modo Philippo fratri ceſſit, ut illud ipſe à Cæſare, frater ab ipſo Balduino in clientelam acciperet. Porro cum deſignatis in Syriam, terramque ſanctam armis, unà cum ſociis Principibus apud Venetos moraretur, eorum claſſe illuc trajecturus, evenit ut inopia pecuniæ, atque commeatus, Venetis operam dare cogerentur Jaderæ in Dalmatia obſidendæ. Circumſidentibus autem ſupervenit Alexius adoleſcens, Iſaci Angeli Imperatoris Byſanthini filius, qui patrui, Alexii Ducæ, ſceleratas manus effugerat: ſuoque exilio, patris obcœcati, & regno per fratrem exuti, miſeria & carcere oſtentatis, lamentabili oratione, multiſque promiſſis impetravit, ut expeditione Palæſtinæ prætermiſſa, ex Dalmatia in Boſphorum Thracium, qui Peram à Byſantio dividit, claſſis deduceretur, & Conſtantinopolis obſideretur; Quæ poſt ſexaginta obſidii dies dedita fuit, Alexio Duca, cum theſauris aufugiente, Iſacioque Angelo, quamvis oculis capto, eoque brevi defuncto, Alexio ejus filio reſtituta. At hoc paucos intra dies per Alexium Murzuphlum eliſis faucibus extincto, urbis iterum per ſexaginta octo dies obſidione cincta, victa, direpta, magna ex parte conflagravit: Murzuphlo ex fuga retracto, exſculptiſque luminibus, à promiſcua plebe è turri præcipitato, inque fruſta conciſo. Sic Conſtantinopoli recepta, ſubactaque, nullis liberis ex Iſacio Angelo (præterquam Irene nupta Philippo Cæſari in Germania) ſuperſtitibus; cum inter victores conveniſſet, ut quindecim apolectis eligendi Cæſaris poteſtas foret, omnium ſuffragiis Balduinus Flandriæ Comes, ad annum 1202. Orientis Imperium eſt conſecutus: quia avunculus D. Ludovici Regis erat, cæterorumque potentiſſimus, & res præclare ibi geſſiſſet. Inter Electores, Bethleemi, Ptolemaidis, Sueſſionum, Tricaſſium Epiſcopi, Montferrati, Bleſii, Sanctipauli, & Brengnæ Reguli, cum Venetis quinque Patriciis eminebant. Fuit à Thoma Mauroceno Veneto, tunc electo ibi Patriarcha, inſignibus auguſtalibus exornatus: Græcam Eccleſiam Romanæ ſubjecit: Bonifacium Montferrati Marchionem, Theſſalonicæ Regem, & Gotfridum è Tricaſſium nobilitate, Athenarum & Achaiæ Ducem creavit: Venetis Cretam dedit, cedente Montferratenſi: omneſque urbium aut regionum ditione donatos, panagio jurejurando, quantaque parte publicorum vectigalium, ærario Cæſaris inferenda, ſibi devinxit: magnaque prudentia & moderatione Imperium adminiſtravit. Verum cum Adrianopolim, circiter iter tridui, Byſantio diſſitam, à proceribus Græcis, Latinos, Eccleſiamque Romanam exoſis defenſam, oppugnaret; à Bulgaris per Græcos evocatis, tumultuario prælio ad planiciem Oreſtiadis victus eſt, ac interceptus, ad ultimum, in carcere membratim diſſectus: quod uxori Joannæ, illorum Principis, matrimonii Imperiique ſui conſortium, ſi ope ejus liberaretur, obtuliſſe, per illam procacem rejectamque falſo accuſaretur: anno Principatus materni paternique undecimo, Byſanthini ſecundo, nati Chriſti quarto ſupra milleſimum ducenteſimum. Corpus ejus lacerum per fœminam Burgundicam, ibi habitantem, collectum eſt, terræque conditum. Qui ejus exitus indigniſſimus, ex Joannæ filiæ legatis, indagandæ veritati illuc miſſis, poſtmodo eſt intellectus: quamvis Baptiſta Egnatius tradiderit, eum domi ex morbo deceſſiſſe. Sigillo aureo, & hoc titulo uſus eſt, Balduinus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, à Deo electus. Poſt illum in Græcia & Oriente rerum potitus eſt Henricus frater, qui à Bulgaris revertentibus, pacem, eorumque Principis filiam in uxorem impetravit, anno Imperii undecimo, ſine liberis extinctus, rerum ſumma Yolanthidi ſorori relicta, Petroque Auxerræ Comiti, ejus marito; qui Romam profectus anno regni quarto, ut à Papa coronaretur, impegit in reditu in Theodorum Laſcarem, Alexii Ducæ Imperatoris fugitivi generum; à quo in nemore Theſſaliæ dolo captus fuit, biennali carcere fatigatus, trucidatus: filio Roberto illi ſuccedente:

dente: qui magnum ſibi odium conflavit, erepta cuidam Nobili Burgundo ſponſa, virgine Byſanthina: at Sponſo tam atrociter contumeliam ulto, ut Auguſtum nihil veritus, Sponſæ aures nareſque deſecuerit, ejuſque matrem, raptus auctorem, propinquo æquore ſubmerſerit. Morbo demum in Achaia periit, nono Imperii anno, cum à conſecratione Romana Conſtantinopolim reverteretur, progenito Balduino ſecundo. Hic tandem trigeſimo regni anno, Conſtantinopoli per proditionem capta, elapſus, per Eubæam in Italiam, excidit Imperio Orientis; ad Græcos redeunte, poſt annos circiter ſexaginta, quam à Balduino Flandriæ, Hannoniæque Principe fuerat acquiſitum; neque filius Philippus, neque Catharina ex filio neptis, Carolo Valeſii, Andiumque Comiti nupta, amiſſum Imperium recuperarunt: multis ſane difficultatibus Flandros Conſtantinopoli regnantes affligentibus, adeo inprimis Græcorum in advenas (quos Latinos vocitabant) Eccleſiamque Romanam cui ſubdi non aliter quam mortem horrebant: deinde Imperii ditione per Turcos in Aſia, quam ipſi Natoliam, ab ortu Solis, corrupta voce Anatole, cum Græcis appellant; vehementer arroſa: & Thracia, Græciaque, quæ illis Romaniæ dicuntur, quia Conſtantinopolis à reſtauratore, Nea Roma denominata eſt, in varios Deſpotas diſtracta, atque Laſcaribus Comneniſque, illis Niceæ, his Trapezontii ſeſe Imperatores dicentibus, Byzantioque ſemper imminentibus: poſtremò Paleologis Imperium, per diſſidium Venetorum ac Genuenſium, Balduino ſecundo ereptum, uſurpantibus, donec ad Turcos horribili clade, anno 1453 pervenit: à Conſtantino Magno reparatore ac illuſtratore ad Conſtantinum Paleologum, ultimum ex Chriſtianis Cæſarem, annis 1026 intervenientibus. Filias duas Balduinus Auguſtus reliquit, *Joannam* atque *Margaretam*, ex Maria Henrici Campaniæ Comitis filia, & Philippi Conquirentis Galliæ Regis nepte, quæ maritum in Syriam præcedens & exſpectans, morbo illic deceſſit. Erat Balduinus comitate obvius, facundia brevi & circumſpecta, juſtitia incorrupta, ſobrietate, & (quæ illinc naſcitur) ſanitate inculpata. Viris, aliquot literatis, ut Flandriæ Hannoniæque Leges, Conſuetudines, & Annales quam veriſſime diligentiſſimeque ſcriptis proderent, negotium dedit: quod utinam tam ſedulo factum eſſet, quam fuit prudenter imperatum. Recte enim Alphonſus ille Regum eximius, interrogatus qui eſſent optimi Conſiliarii; Mortui, reſpondit: libros ſcilicet intelligens, taliaque monumenta, quæ nihil blandiendo, nihil celando, meram propinant veritatem. Neque immerito Fl. Joſephus cenſet ingens hoc eſſe veritatis prodendæ impedimentum, quod ſingulæ nationes per initia non ſategerunt, res geſtas tradere publicis monumentis; quo remedio & tenebræ ſublatæ, & lubrica mentiendi libido fuiſſet intercepta. Suo autem exemplo Balduinus manifeſtavit, ex Dei arbitrio, regna eripi transferrique, ut rectè Daniel, aut fato dari, eadem notatione, ut Titus Cæſar, aſſeruere: potentiam vero eſſe raro ſempiternam, ut Auguſta Taciti hiſtoria, aliæque declararunt. Etenim ad Occidentem ortus, extremoſque hominum Morinos, ad Orientis Græciæque Imperium electus evectuſque eſt, cum domo proficiſcens, nihil minus cogitaret. At, nondum biennio, rerum potitus, faſtigium illud atque vitam, captivitate atrocique nece finivit. Non aliter quam Licinius Valerianus Imperator, & Bajazetes primus, Turcorum Princeps, ille à Sapore Perſarum Rege, hic à Tamerlane Schyta, pugna ſuperatus, captus, & quaſi canis, collum vinctus, victori equum conſcenſuro tergum atque renes pro ſcamno ſubjicere cogebantur: Aegyptique Sultanus Tomanbajus, à Selymo victus, per ludibrium laqueumque, carnificis manu ſtrangulatus eſt. Quæ nobiliſſima Paradigmata, velut in ſcena monſtrant, præclaros Imperii, Magiſtratuſque titulos ſæpius eſſe fortunæ aſperius ſævituræ inſidioſa blandimenta, quam vitæ præſidia atque ſtabilimenta.

Sub eo commemorantur viri nobiles hiſce gentilitiis cognomentis, Raſo Gaverus, Lævinus Axellanus, Winnocus Honſchotanus, Judocus Meterus, Joannes Dayerus, Joannes Oudenhovius, ob Principem comitatum in expeditione Conſtantinopolis.

Digitized by Google


IOANNA CONSTANTINOP.
19. COMITISSA FLANDRIÆ

JOANNA CONSTANTINOPOLITANA.
XIX. Comes.

JOANNAM impuberem Flandriæ Hannoniæque Principem, ejuſque ſororem nihil ex Patris Imperio Byſanthino, præter nomen adeptas; Patruus Philippus tutor Namurci Marchio ad Regem Galliæ, in Gynecæum Reginæ, clam tranſmiſit, hoc efflagitantem, veritumque, ne Joanna, patris hæres, à Flandris in Angliam nuptum daretur. Et patruus quidem infidelitatis, venditæque neptis præmium Mariam Regis illius filiam in uxorem, remiſſumque captivitatis ſuæ precium conſecutus eſt; ſed Flandriæ Hannoniæque adminiſtratione exactus, dolore contabuit. Joannam autem ſeptimo poſt anno Rex ille Ferdinando, Sanchii Portugalliæ Regis filio natu minori, ad annum CIↃCCXI, Pariſiis nuptum elocavit, Flandriæ Hannoniæque impenſis: huc pellectus blanditiis uxoris ſuæ Hiſpanæ, muneribuſque Mathildis Flandriæ uſufructuariæ, quæ Ferdinandi amita erat, regiſque Sanchii legationibus. Sanchius vero Ferdinandi Pater, nepos erat, ex Alphonſo primo Portugalliæ Rege, Henrici, ex Limburgenſi Lotharingiæ Ducum ſtirpe, ut Germani ſcribunt progeniti: qui ab Alphonſo ſexto regna Legionis, Caſtellæ, magnamque ceteræ Hiſpaniæ partem obtinente, Portugalliam dotalem & fiduciariam, Comitatus titulo primus accepit, cum filia ejus notha Tereſia. Haſce nuptias nullo Flandriæ aſſenſu conſultoque initas, Flandri ægris, diſcordibuſque animis tulere, Gandenſes inprimis, qui Ferdinandum abſque uxore, Duaci ob morbum ſubſiſtente, ad ſe venientem repulerunt, intercepturi etiam, niſi Cortraco effugiſſet: quod dicerent fœminam ſibi eſſe Principem, Balduini Auguſti ſobolem: proin faceſſeret, aut cum illa veniret, ac ſe ejus maritum eſſe doceret: quem poſteà cum Joanna accedentem, ſplendidiſſime coluerunt: cum priorem contumaciam pecunia luiſſent, utilemque triginta novem virorum Magiſtratum perpetuum impetrarunt: qui regionem Tranſſcaldiam, Petram Comitis, Burgi & Pharaildis vicum, Mudamque, à Principe coëmpta, civitatis poteſtati applicuere: turrim Bellamfortem, quæ ſuprema ſui parte duodecim pedes extenſior eſt, quam in inferiore, pontem Comitis, aliaque magnifice exſtruxere. At Joanna Ferdinandi, quem Galli maximum fuiſſe bello ducem ſcribunt, Bovinienſi prælio capti, apud Gallos detentione, quæ duodecim annos explevit, anxia & infelix, ejuſque, poſt liberationem, renum calculo afflicti, cum nullam prolem ex eo præter unicam brevis ævi filiolam, peperiſſet; quinto ab ejus morte anno perſuaſa fuit à D. Rege Ludovico, Flandriæque Ordinibus, ut Thomæ Sabaudiæ Comitis fratri, Reginarum Franciæ, Angliæ, Siciliæ, Avunculo nuberet. Brugenſibus Magiſtratum antea perpetuum in annuum mutavit: Brugenſi vero Caſtellaniæ, à Joanne Neellæ Gallicæ Domino coëmptæ, perpetuum Magiſtratum confirmavit; atque Caſletanam caſtellaniam, aliorum bonorum permutatione à Michaële Harneſo, ad annum 1218 acquiſivit. Lilanis, Feurnenſibus, Bergenſibuſque colonis, leges, inſtitutaque (quas Keuras vocant) præſcripſit; Waſiiſque ſeptem Scabinorum Magiſtratum, vitæ gerentium æqualem. Ab Henrico tertio Rege anno 1240 obtinuit, ut mercatoribus Flandris facultas eſſet in toto Angliæ regno negociandi, etiamſi Flandriæ Comites Francis auxiliarentur, in Anglos, ex nexu clientelæ, dummodo ſe Anglorum hoſtes, nominatim non profiterentur. Vigeſimo regni anno, ætatis quinquageſimo primo, ante ſecundum virum, ſtrenuum, Flandriſque gratum, & amplis cum muneribus in Sabaudiam poſt redeuntem; anno 1244 naturalem fati conditionem implevit: in Markette Cœnobio (quod ſtruxit ditavitque) ſepulta juxta maritum priorem: &, quod liberis careret, ad Margaretam ſororem ditiones tranſmiſit.

MARGARETA II. CONSTANTINOPOLITANA. XX. Comes.

MARGARETÆ, quæ vidua ad Principatum pervenit, ſorore vivente & aſſentiente bis nuptæ, tam fœcunditas moleſta, quam ſorori ſterilitas erat injucunda: Prioris enim conjugii liberi cum iis, qui ex poſteriore erant, cœptas exercitaſque, ſuperſtite matre, ſimultates atque bella, longiſſime protraxerunt per hanc occaſionem. Bochardus ortus Jacobo Avenio, vetuſtiſſimæ nobiliſſimæque proſapiæ ex Ruſſillonis oriundæ, Avenarum, Condeæ, Guiſæ, Landreſiique Domino, (quem Annales Gallici Belgarum fortiſſimum in ſacro Syrioque bello nuncupant) eleganti corpore, doctrinâ, facundiâque fuit: atque à Philippo Alſatio Flandriæ Principe ſanguine juncto, educatus, dilectuſque. Verum ut dignitatibus commodiſque Eccleſiaſticis abundaret, cum fratres natu majores hæreditatem paternam adiiſſent, Aureliani publice juris Doctor, & clam hypodiaconus creatus eſt. Dehinc ea propenſione immutatâ, cum militiæ ſeſe addixiſſet, habituque & baltheo, cenſuque equeſtri, à Rege Angliæ Richardo I. donatus in Flandriam rediiſſet, tantam demum gratiam & auctoritatem ſibi conciliavit, ut à Balduino VIII. in Orientem profecturo, alter filiarum cuſtos, ditionumque adminiſtrator, Philippo ejus fratri adjungeretur, Flandriſque poſt Philippi abdicationem, in magno honore eſſet: eoque in munere dextrè verſatus, regio propè cultu, famulitio, ſplendore vitam egit, uſque adeo, ut poſt Joannæ nuptias, conciliante Mathilde Flandriæ uſufructuariâ, & annuente ſorore Principe, Margaretam, anno CIↃCCXII, in uxorem duxerit, accepta propter nuptias donatione, à Gualtero fratre Eſtroana ditiuncula, & ex ea brevi duos filios genuerit. Aſt hypodiaconatu, quem ſpecie equeſtri ſemper obtexerat, innoteſcente, vel mœrore, quod Hannonici Annales, vel capitis ſupplicio, quod noſtri ajunt, mortem eſt conſecutus. Joannæ enim Principis inſectatione affligebatur, diriſque Innocentii III Papæ, qui ſententiam adverſus eum in Concilio Lateranenſi latam, tota Rhemenſi diœceſi, ſingulis ſeptimanis promulgari juſſerat, donec nobilem puellam (verba ejus recitabo) Margaretam Illuſtriſſimi Imperatoris Conſtantinopolitani filiam, conſanguineam ſuam, fraudulenter abductam, & quocumque modo in matrimonium acceptam, Joannæ ſorori reſtituat, atque ad ordinem ſuum, quem Deum offendendo reliquerat, ſuppliciter revertatur. Scio commentarios Eccleſiaſticos, Paulumque Aemilium, cum Oudegherſto, de hac Avenii & Margaretæ conjunctione turpius ſentire: qui Aemilius imperitè, tenuiterque Guillelmum illum pro Bochardo, abſque ullo cognomine familiæ nuncupat, virumque ſanctum, ſacris initiatum, & Margaretæ præceptorem rectoremque datum. Verumtamen neque furtivus concubitus partuſque duplex, probabilis eſt in tantæ nobilitatis, faſtus, famæque, ante & poſt hanc congreſſionem, integerrimæ, puellâ, aſſiduoque in oculis & favore ſororis, Flandriæque verſanti, ac maritum ex primariis Burgundiæ proceribus poſt adeptâ (ſorore adhuc rerum potiente) & deinceps viduitatem triginta ſex annos inculpatam tranſigente, neque Guillelmus Cæſar, ejus filio Joanni (ſi extra conjugium natus fuiſſet) ſororem ſuam omnemque opem dediſſet, neque illi Rex Franciæ Hannoniam arbitrio adjudicaſſet: neque Pontificiæ indignationis, quæ diximus verba, in matrimonium acceptam diſſimulant: Denique alii ſcriptores aſſeverant D. Ludovicum Regem cum apud eum de nuptiarum valore diſceptaretur, ad Innocentium IV. Pontificem Maximum cauſam rejeciſſe, à quo Epiſcopus Catalaunenſis & S. Sepulchri Cameracenſis Abbas delegati, Rhemiſque convenientes, ad annum CIↃ CC XLVI, 19 Novemb. re comperta judicarunt, Bochardi Avenii ex Margareta filios eſſe legitimos: quod ex matrimonio coram Eccleſia ſolemniter celebrato, nati eſſent: quam ſententiam & Pontifex ſanxit, & ejus juſſu Nicolaus Epiſcopus Cameracenſis publicavit. Interim mirum non eſt Principis Joannæ iram, uxoriſque alienationem, in ſe ſuoſque Bochardum provocaſſe, quod odioſiſſimo illo ævo, ſacri ordinis diſſimulatione, damnatiſque à Papa nuptiis, tam illuſtrem puellam decepiſſet, ac dehoneſtaſſet, piorumque cœtu à Pontifice amotus, omnem juris officiique ſocietatem amiſiſſet. Ex hoc matrimonio Joan-

Digitized by Google


MARGRETA II.
CONSTANTINOP.
20. COMITISSÆ
FLANDRIÆ.

Digitized by Google


GUILIELMUS DAMPETRA

Joannes magno induſtriæ, animi, corporiſque flore (cujus matri rebellantis progenies virilis Hannonibus, Batavis, Friſiiſque imperavit) & Balduinus oppidi, agrique Bellimontis in Hannonia Dominus, enati; inimicitias adverſus fratres uterinos, in poſteros propagarunt. Quarto ab exceſſu Bochardi anno, Margareta, Guillelmo, ex Nobilitate Burgundionum (ut ſcribit Aemilius,) Procerum Dampierræ apud Digeonem, & Sandeſiri Dynaſtæ nupſit, Guydi filio, atque Beatricis, genitæ Archibaldo Barone ditionis Borboniæ. Ex quo, Guilelmum, Guydum qui ſucceſſit, Joannem (cujus filio Sluſam Bellamque tribuit) & Mariam Flinisſarum Antiſtitem ſuſcepit. Sed Guilelmum (quem Flandriæ Principem deſignarat) à Saracenis Aegyptiis cum D. Ludovico Rege captum, ac demum in certaminis equeſtris ludo, Traciniis Hannoniæ occiſum, pedibuſque equorum conculcatum, graviſſimè luxit: Guydum, Joannemque in Zelandia prælio victos captoſque, vix poſt aliquot annos ingentibus jacturis redimere potuit: Joanni Avenio, filio infeſtiſſimo, ſuperſtes fuit. Patris Auguſti memoriæ, vigilantiæ ac fortitudinis virilis æmula, Principatus ſuos armata obequitavit ſæpius, atque perluſtravit. Ut Gulichii (quod Juliacum vocant) & Valkenburgi ſupra Moſam Reguli, Flandris negociationem, magna cum immunitate permitterent, anno 1248 procuravit. Monetæ cudendæ officinas, normaſque, exemplo ex Galliis petito, Gandavi & Aloſti inſtituit, ornavitque prærogativis: quibus in protectionem Principis monetarii recepti, ſolius monetæ Præpoſiti cognitioni ordinariæ obſtringuntur; ſive in muneris ſui leges commiſerint; ſive inter ſeſe controvertant: atque ex monetariis, uſu approbatis oriundi, annumque ætatis egreſſi duodecimum, à vectigalibus urbicis eximuntur. Bornhemiam ditiunculam ab Hugone Burggravio Gandenſi 3515 libris Pariſicis atque Caſtellaniam Cameracenam cum appendicibus, Crevecuriamque cum Alleuſio, ab Enguerrano Couchii Domino 20, librarum millibus comparavit. Cunctos Flandriæ, ejuſque appendicum ſervos & ancillas, eorumque poſteros ſub juriſdictione Comitis agentes, à quibus morientibus dimidium rerum omnium mobilium (quod *Halvehavium* dicebatur) ad Comites tranſibat, anno 1252 ſuffragante Guydo filio, emancipavit, liberavitque ab omnibus, plurimiſque angariis, Flandriæ Principi debitis: ut Dei propitiam clementiam, & à ſervitute peccati liberationem (ſic enim loquitur) in ſe provocaret: eorumque vice ſibi ac ſucceſſoribus retinuit à viventibus viris, tres Gallicos denarios, à fœminis unum annuatim & à morientibus melius cathallum: quod ipſa interpretatur, non domum, non armentum, ſed pecus pretioſiſſimum domeſticum (optimum caput vulgo dicitur) aut aliud ornamentum. Unde Flandriæ Occiduæ maxima pars, jam pridem exempta eſt per Principum indulgentiam. Quas ſervitutes forſitan eruditi vindicta ferient, & ex hac tractatione manumittent, propter Conſtantini Magni, ejuſque ſucceſſorum edicta, ſervos Chriſtianos pileo donantium. Sed meminerint illi multis poſt ſæculis, non ſolummodo Cæſarum, ac Regum, de ſervis & ancillis Conſtitutiones, ac etiam Paparum, de conjugiis ſervorum, Decreta exſtare. Videntur autem deſiiſſe à Friderici Cæſaris qui anno 1250 obiit, temporibus. Nam Bartolus, qui anno 1304 claruit, ſervitutes Chriſtianorum docet ſua ætate fuiſſe antiquatas. Negari tamen non poteſt, hujus Margaretæ, Bartolo coævæ, tempeſtate, plurimos ſuperfuiſſe retinentes libertinæ conditionis, reſpectuſque erga veteres patronos, & quibuſdam oneribus (ceu majorum ſervitutis teſtibus) obnoxios: inter quæ haud minimum erat, quod teſtamenti factionem non haberent; ſed abſque prole decedentibus, in aſſem, aut frequentius ſemiſſem hæreditatis, hi ſuccedebant, quibus jus erat patronatus: quod demum Principum noſtrorum indulgentia remiſſum, aut minoribus oneribus redemptum fuit. Aliud etiam tributi genus 12 Gallicorum denariorum annuatim in feſto D. Bavonis à ſingulis domibus Principi ſolvendorum (quod *Balfartum* dicebatur) Margareta, non ſecus ac ipſius ſoror, Brugenſibus, Vrilatis, Feurnenſibus, Bergenſibuſque oppidanis, agricoliſque remittebat. Teloniorum portoria à Duaco & Valencenis, Ruplemondam tenus, ſubinde controverſa, certis nummis normiſque circumſcripſit. Lege vetuit monaſteria latifundiis augeri, hoc eſt, illis totâ Flandriâ ademit, dynaſtias, terras, redituſque, niſi ex conſenſu Principis, emendi poteſtatem. Trigeſimo ſexto Principatus, ætatis LXXVI anno, Gandavi mortalitatem explevit, ad annum 1279 Flinis veſtalium cœnobio, quod condidit ac locupletavit, ſepulta: cum ante mortem, Guydum filium, Namurci dotalis Marchionem, Flandriæ inauguraſſet, Balduinum Avenium in gratiam recepiſſet, & Joanni ex Joanne Avenio, nepoti,

Hannoniam permiſiſſet: tam propenſa in pauperes munificentia, ut ferè cuncta Flandriæ Ptochotrophia, Xenodochia, ac Noſocomia ſuam originem ipſi debeant & Sorori.

GUYDO DAMPETRA.

XXI. Comes.

GUYDO Dampierro (ſic enim ab Avo paterno, illiuſque familiæ Dynaſtia vulgò denominatus eſt, ut ab Aveniis, fratribus uterinis diſtingueretur) nihil afflictius fuit, nihil fœcundius. Nam illum expeditio Tunetana, D. Ludovico Regi, proceribuſque peſtifera, anxium vitæ reddidit. Hollandus bello Zelandico vi & ſorte militari captivum habuit: Rex Galliæ tum feſta pace, jucundeque invitatum, tum fratris ſui perjurio deceptum, iniquæ cuſtodiæ bis mancipavit: in qua ad finem mortalitatis acceſſit. Verum conjugiis effloreſcens, genuit Leodienſibus Epiſcopum, Theanis in Apulia, Lodenſibus in Inſubria, Niverniis in Francia, Namurcenſibus in Belgio, Comites: Principibus Scotiæ, Brabantiæ, Gulichii, Hollandiæ uxores procreavit. A Magiſtratu Gandenſi triginta novem virorum, quem Joanna matertera Privilegio inſtituerat, tantopere diſſenſit, à plebe, illius functionis perpetuitati infenſa, inſtigatus (recuſabat enim pecuniæ publicè rationem Comiti reddere, quod hoc eſſe diceret, præter morem majorum) ut ſigillum Urbis ipſis ademptum, apud D. Petri Abbam, velut ſequeſtrum, deponeretur; & Scabini illi, jus ſibi denegari conqueſti, omnium primi contra Comitem, anno 1284 ad Regem Galliæ provocaverint, cauſamque obtinuerint: quod inauditi eam contumeliam accepiſſent: quamvis cum Guydo poſt tranſegere, reddendiſque rationibus ſe ſubmiſerunt. Cum ex priore carcere Gallico reverſus, Philippo IV. Galliæ Regi bellum indixiſſet, majori animo quam prudentia, à ſubditis & confœderatis deſtitutus, & Bonifacii VIII. Papæ ex compromiſſo arbitri, pro eo judicantis, ſententia nihil adjutus, ſeipſum cum duobus filiis, multaque nobilitate iterum Gallis credidit, tradiditque, tam inconſulto & infortunatè, ut libertate ditioneque ſpoliatus, Philippo Rege jubente, & captivus eſſet, & ultimus Flandriæ Comitum ſcriberetur, cunctaque in Flandria edicta regio nomine promulgarentur: donec plebs, fide & ope in juſtum Dominum, Nobilitatem Magiſtratuſque antecellens, Guydum, ejuſque liberos Flandriæ imperio fortiſſimè reſtituit.

Auctoritatem ſuam atque ſucceſſorum non leviter auxit Lege annuaria, cunctis fere Scabinorum Magiſtratibus, quotannis per Principis commiſſarios (ſic enim vocitantur) renovatis, aut prorogatis, præter majorum conſuetudinem: & ad reddendam, coram eiſdem, palamque pecuniæ publicæ rationem, vel inductis, vel coactis, facto initio à Brugenſibus, utili imperii arcano: Nam frequenti Magiſtratuum mutatione, Principis majeſtatem gliſcere, politicus Stagirita, uſuſque confirmat: quia illius cupiditati aut violentiæ non videtur obnixurus, qui honorem Magiſtratumque ſibi brevi ademptum iri, aut ſciat, aut metuat; quamvis etiam Caſſiodoro, aliiſque politicæ artis non ignaris videatur, Reipublicæ intereſſe, ut Magiſtratus anni potius aut biennii, quam vitæ gerentium termino circumſcribatur; tum ut cives ad doctrinam virtutemque capeſſendam (cujus præmium honos) & Reipublicæ curam acrius ſic invitentur quam ſi publicas functiones eiſdem affixas conſpiciant: tum ut ſimultatibus, diſſidiiſque civilibus, dignitatum æquali diſtributione obviam eatur; tum ut Magiſtratus ſe privatos, rerum geſtarum rationem reddituros, conſcii, ſint modeſtiores ac integriores. Scabini autem ex ſententia Curiæ Pariſienſis obtinuere (illuc enim à Rege Philippo IV. vehementer alliciebantur) ut ipſi, eorumque adverſarii coram Comite, illiuſque tribunali aulico teutonice loquerentur. Potentiam Guydus amplificavit, Bethuniæ, Teneramondæ, agrorumque annexorum, ac Namurci ditionibus per uxores acquiſitis; Ronſa, Brakela, Horenbeca, aliiſque locis à Reynoldo Benedictino Abbate D. Cornelii Yndenſis: diœceſis Colonienſis: Petegemo Audenardenſi, à Barone Ciſonii; Bella, à Joanne nepote: Dunkerka, Waeſtenaque à Balduini Avenii fratris uterini hæredibus: & Caſtellania Sanctomeri, à Galthero Rheningio Moerbecæ Domino, coëmptis:

ptis:



Digitized by Google

ptis: Valencenisque ſeſe illi perlubenter, ultroque ſubjicientibus. Ex priore conjuge, Roberti Bethunii, quem alii Fougardum vocant, Atrebatenſis Avouæi (quæ dignitas Dominium itinerum circa Atrebatum limitaneorum continebat) Bethunæ, Teneramondæque, & agrorum illis adhærentium Comarchi, filia hæredeque Mathilde, novem liberos genuit: ***Robertum***, qui ſucceſſit; ***Guillelmum*** Teneramondæ maternæ, Neellæque ſeu Nigellæ in Gallia dotalis, Dominum, per cujus neptem, ex filio Joanne, Mariam, Engherantio Amboſiæ Domino nuptam Teneramunda cum Nigella Amboſienſibus acceſſit: ***Balduinum Pium***, in cœlibatu immature mortuum: ***Joannem*** Præpoſitum Donatiani Brugæ, Metenſium & poſt Leodienſium Epiſcopum: ***Philippum*** literis armiſque juxta inſtructum, & per uxorem Neapolitanam, Mathildem Courtenayam, Laureti & Theani Comitem, quorum illud in Aprutio regni Neapolitani in monte ſitum, apud fluvium Tanum: hoc in Apulia plana. (Eſt enim alterum Theanum Sidicinum in Campania felice;) abſque prole Neapoli ſepultum, cum ſub Carolo, Neapolis Siciliæque Rege, illas nuptias conciliante, præclare ſe geſſiſſet. Filiarum ***Margareta***, Brabantiæ Duci Joanni: ***Maria***, Amedeo Sabaudiæ; ***Beatrix*** Florentio, Hollandiæ; ***Joanna*** Guillelmo Gulichii: ***Mathildis*** Bleſii, Comitibus enupſerunt. Ex altera vero uxore Iſabella, Henrici Blondelli, Luxemburgii Principis filia, Cæſaris Henrici VII. Amita, Namurcique Comitatu (per Patrem atque Martham, Balduini Cæſaris Byſanthini uxorem, qui de illo antea contenderant) dotata, ſex liberos ſuſcepit, ***Joannem*** Namurci Regulum, atque Sluſæ: ***Guydum*** Rikeburgi, eorumque quæ pater ab Yndenſi præſule compararat, dominum: (qui à P. Aemilio Savarienſium Princeps incompertè dicitur) qui Cæſari Henrico VII. militans in Caſtris Brixianis, peſte obiit; & ***Henricum*** qui eidem Cæſari equitum Magiſter & Lodenſis in agro Mediolanenſi Comes Brugæ deceſſit: uterque ſine liberis. Inter filias ***Margareta*** altera, Alexandro filio natu maximo Alexandri tertii Scotiæ Regis; præmaturè antè Patrem abſque prole mortuo: deinde Reynoldo Geldriæ Comiti fœcundè nupſit: ***Philippa***, Eduardo ſecundo Angliæ Regi pacta (in Gyneceum Reginæ Galliæ idcirco velut relegata ob ea ſponſalia) indignè periit. ***Adela*** à fratribus neglectim habita, Joanni Fiennarum Domino Nobiliſſimo (citra tamen fratrum, tutorumque auctoritatem) juncta fuit; unde Croyorum & Gaverorum familiæ inclaruerunt. Ad ultimum Guydus, (cujus in rebus adverſis conſtantia æquitaſque magis, quam calliditas aut fortuna celebratur) conſcripta pace anno 1304. extremum diem Compendii clauſit: illuc enim in cuſtodiam ex pacto, ſolà fide datà, oppignerato, redierat Flinis ſepultus eſt, dum imperii 25. ætatis 80 annos exceſſiſſet: duo clara exempla ſubminiſtrans: Unum præcocia fervidaque conſilia, & inconſultis ſubditis bella arrepta, Principibus eſſe fugienda: nam audacia callidaque conſilia, prima ſpecie læta, tractatu difficilia, eventu triſtia ſunt. Et æquum eſt, ait Cominæus, ut quorum periculis pecuniiſque bellum ſuſtinetur, illorum conſenſus conſiliumque quæratur: alterum eſt, fidem auxiliumque plebis non debere Principibus ſordere, cum velut in ſpeculo intuemur, Guydum à confœderatis à Nobilium Magiſtratuumque ſuorum potiſſima parte deſtitutum, foris captivum, domo privatum, libertati imperioque fuiſſe à vulgo reſtitutum: quemadmodum Joannem IV. Britanniæ minoris Ducem, ex hujus Guydi pronepte genitum, cum fraudulenta invitatione & hoſpitalitate, à Pontiberiis Regulis, Chantocelli captus, arctè cuſtodiretur; populus ipſi ſubjectus fortiſſimè liberavit, oppido illo oppugnato, incenſo, complanato.

Digitized by Google

ROBERTUS III. BETUNIUS.
XXII. Comes.

ROBERTUS, cui à natali, maternaque ditione agnomen, patre vivente appoſitum, manſit; neque ſe, neque Guillelmum fratrem, neque L. Nobiles, cum quibus fidem non exuentibus, per fraudem captivus cum fratre fuerat, ex carcere Gallico potuit liberare, quamvis pacificatione hoc illis deberetur, priuſquam *Lilam*, *Duacum*, & *Orchieſam* cum agris, in viginti millia nummûm Turonenſium annui reditus, oppigneraſſet Philippo IV. Pulcro Galliæ Regi, qui hypothecam illam in proprietatem vertit. Qua de cauſa Roberto domum reverſo, aſſidua cum Francis contentio fuit. Cum ætas vigeret, in Gallicis Annalibus celebratus, & florentiſſimus juvenis nuncupatus eſt: Cujus etiam Bernardinus Corius, & Leander Albertus Itali, meminerunt propter operam Carolo D. Ludovici Regis fratri, Neapolis Siciliæque Regi contra Manfredum, Friderici Cæſaris nothum, qui in arce Flandrorum interfectus inveniebatur, conſtantiſſime præſtitam, Blancæque Regis illius filiæ nuptias promeritas: unde *Carolus* prodiit brevis ævi, crucisque imagine inter ſcapulas ſignatus. At mentis alacritate per ſenium imminuta, Nobilibus deſertoribus, plus quam populo, ſuæ libertatis, patriæque vindici, conceſſit, neque procul abfuit à nota exactoris. Oppidum Deinzam nummis comparavit Legem talionis Flandris volentibus reddidit; unde rixæ & homicidia rareſcebant. Coronationi Henrici VII. Cæſari cui avunculus magnus erat, decora cum nobilitate Aquiſgrani interfuit. Ætatis anno circiter 80. principatus 18 ad annum 1322. Ypræ in ædibus Salæ, quas condidit coluitque, obiit, ibidem ſepultus ad Martini, ante aram maximam, icone ejus ex alabaſtrite, in erectum monumentum ſaxeum incumbente. cujus jam nullum veſtigium: quod furibundæ, indoctæque plebis manus, hiſce patriæ diffidentis tempeſtatibus, paſſim veteres Bibliothecas, & nobilium mneumoſina, irrecuperabili exitio peſſum dederint. Carthuſiis cœnobiis tam benevolus fuit, ut horum in Flandris initia ad ejus tempora deducantur. Ex Yolantide, Odonis Burgundiæ Ducis & Iſabellæ Nivernii Dominæ, filia, matriſque hærede, genuit *Ludovicum*, Mariæ Rethelio imperantis maritum, præ parte Lutetiæ extinctum, ſepultumque ibi apud Franciſcanos; atque *Robertum*, agnomine Caſletanum. Cui, ut Ludovico ex fratre majore nepoti, in Comitatum Flandriæ, avo per tranſactionem nuptialem ſucceſſuro, cederet, utriuſque parentis hæreditate, aſſignata ſunt anno 1320. decem millia librarum antiqui pretii Pariſicarum, annui proventus. Antiqui autem pretii libra Pariſica, 22 cum dimidiato ſtuferorum erat, cum illa jam dudum 10. ſolummodo valeat. Eorumque nomine, ipſi & hæredibus oppignerata, & demum per Ludovicum Creſſium nepotem in proprietatem conceſſa, *Caſletum*, *Broecburgus*, *Waeſtena*, *Bornhema* cum caſtellaniis: *Dunkerka*, *Grevelinga*, *Arx ſylvaque Niepenſis*, *Stegra*, *Watenumque*. Quæ per ejus filiam, hæredemque unicam Yolanthidem, Henrico Bari Comiti nuptam, in Barenſem prius, ac per Roberti Barenſis, Joannæque Ghiſtellæ ac Englemonſtri Dominæ, filiam ex aſſe ſuccedentem, Ludovico Sanctipauli Galliæque Coneſtabili conjunctam, in proſapiam Luxenburgiam tranſierunt; cum prius tota Caſletana ditio à Renato Bari Lotharingiæque Principe, in poteſtatem Philippi Boni conceſſiſſet. Inter Roberti filias, *Joanna* Engherano Couchii, Oiſii, montiſque Miralli Regulo: *Yolanthis* Galtero Angiæ Domino, & *Mathildis* Mathæo Theobaldi Lotharingiæ Domini filio, nuptum tradebantur.


ROBERTUS III. BETUNIUS
XXII. COMES FLANDRIÆ.


LUDOVICUS.I.CRESSIACUS
XXIII.COMES FLANDRIÆ.

LUDOVICUS I. CREſSIACUS. XXIII. Comes.

LUDOVICUS Primus, cui vivo Nivernii paterna genitaliſque ditio, & fati ſeries, locuſque, Creſſii agnonem mortuo dedere; cujus potentiam, maternum Rethelium auxit; neque ordine naturæ, neque regionis more (ubi repræſentatio in feudis ſucceſſoria, ſemper excluſa fuit ab aliis naſcendi gradu proximioribus) in Flandriam Avo paterno ſucceſſit, ſed conventione: cum etenim Philippi Longi Galliæ Regis filiam Margaretam Pariſiis duceret, ita tranſactum fuit, ad annum 1300, ut, ſi Pater Ludovici antè moreretur, ipſe nihilominus avo ſuccederet. Cui pacto antenuptiali, Avus, Patruus, & Amita Couchyo nupta conſenſerunt. Verum à Bethunii exceſſu, cum altera amita Mathildis, Lotharingi uxor, ſe proximam patris hæredem, neque umquam jure ſuo ceſſiſſe profiteretur, ac Robertus patruus ſeſe non ex animo ita tranſegiſſe, ſed ut Patri obſequeretur conteſtatus eſſet, Ludovicus hujus controverſiæ, regiæque inhibitionis ſecurus, proceres ad fidelitatis jusjurandum admiſit, cæteraque omnia Principis officia in Flandria exercuit: quapropter Pariſios ad Senatum Parium evocatus, in cuſtodiam Louvræ ductus eſt. Unde poſt tres circiter hebdomadas, Parium decreto exolutus, Comeſque Flandriæ declaratus, anno 1322 fidem Regi Carolo, de Flandriæ, Nivernii, Rheteliique Comitatibus obſtrinxit: amita, patruoque fruſtra obnitentibus. In Galliis autem educatus, illiſque addictior quam Flandriæ commodis, neque comitatem, neque ſeveritatem temperabat: at, cum ſubinde ſeverus erat, ſævus & ferus, dum ſæpius nimis civilis, vilis habebatur: neque ſeniorum conſiliis, aut Flandrorum frequentatione, linguaque utebatur, ſed à Veſelio Abbate Rhetelano, totus pendebat: ſæpeque Flandria, ſemper frugalitate aberat. Unde ſeditionibus, miſeriiſque cauſam dedit, tam deſpectus ut à Brugenſibus per ſex menſes in cuſtodia detineretur, Gandavique in arce Graveſtana, à Jacobo Arteveldâ, potenti plebeio, obſeſſus, ad quorumcumque exulum reſtitutionem cogeretur. A quo etiam interdictum eſt, monetam cudi Ludovici Principis nomine, Gallo adhæreſcentis, Anglorum hoſtis, tam Flandris acceptorum, ut ſacris ſibi interdici, propter fœdus Anglicum tolerarent, donec induciis inter Philippum & Eduardum Reges pactis (quibus Flandri, induſtria Arteveldæ, includebantur) omnes obligationum tabulæ, & interdictorum vincula à Gallis diſſolverentur. Ditiunculam, arcemque Beveræ, ab Hugone à Lotharingia: Mechliniam ab Adulpho Leodii, Reynoldoque Geldriæ Principe centum millibus nummûm Turonenſium emptam, anno 1333 Flandriæ adjunxit, Leodienſi Brabantis infenſo, jure jurando pollicitus, ſe à Flandria, Mechliniam numquam ſejuncturum. Audenburgum, eique inflexam Flandriæ Camerlingiam, emit 200 Flandrenſibus libris per Gandenſes commodatis. Verum Inſulas Zelandicas, Valincenaſque, à Galliæ Rege perſuaſus, Guilelmo, Hannoniæ, Hollandiæque Comiti anno 1322 perpetuum ceſſit, magno Flandriæ hæredumque damno atque injuria: Friſiis ut equos boveſque in Flandriam adducerent, Rochellanis, & S. Joannis Angeli civibus, ut ſtabilem vinorum ſuorum ſedem Dami figerent, permiſit. Philippo Valeſii Comiti, in Regem Galliæ inuncto, adfuit cum ſex & octoginta equeſtris balthei Flandris, unius coloris amictu ſplendoreque inſignitis: atque enſem ſolemni more prætulit. Pro quo fidiſſime fortiſſimeque contra Eduardum Anglum apud Creſſyam ſylvam, ubi Cariſiacum à Ptolomæo ponitur, non procul Abbevilla pugnans, occubuit, anno 1346. Sepultus in in Cœnobio D. Richarii Pontivenſis, donec ſextum poſt annum ad Donatiani Brugæ ante aram maximam, in magnificum Mauſolæum à filio tranſduceretur. Numeravit, infeliciter turbideque adminiſtratæ Flandriæ viginti quatuor annos, progenuitque ex uxore *Ludovicum* ſucceſſorem, ac *Rufelardum* ex concubina.

ELENCHUS VIRORUM NOBILIUM
in Flandria, ſub LUDOVICO CRESSIACO, anno 1328.

Ex archivis Cameræ Inſulenſis.

E Gandavo.

Vicecomes Gandavenſis.
Ægidius de Pape, Eques.
Balduinus Rijm, Eques.
Gulielmus de Leeuweghem, Eq.
Ioannes Paris, Eq.
Sigerus de Calonne, Eq.
Henricus de Ionghe, Eq.
Balduinus de Varnewijcq, Eq.
Balduinus de Rijcke, Eq.
Gulielmus Melle, Eq.

E vetere Burgo.

Toparcha de Nevele.
Ywanus de Vaernewijcq, Eques.
Philippus de Ionghe, Eques.
Bernardus de Herzelles, Eq.
Toparcha de Lovendeghem, Eq.
Rolandus de Poucques, Eq.
Petrus Damman, Eq.

E quatuor Ambachtis.

Toparcha d'Axele.
Philippus d'Axele, Eques.
Toparcha de Saemſlacht.
Philippus Tollin, Eq.
Hellinus Steelant, Eq.
Gulielmus Steelant, Eq.
Philippus Steelant, Eq.
Joannes de Moere Theodorici filius, Eq.
Florentius de Malſtede, Eq.
Oliverius vanden Hove, Eq.
Petrus Paſcharis, Eq.

E Waſia.

Simon van Coudenburch, Eques.
Joannes Vilain, Eques.
Wulfardus Vilain, Eq.
Joannes Mulard, Eq.
Gualterus vander Voorde, Eq.
Romanus de Scoutete, Eq.
Gulielmus vanden Damme, Eq.

E Teneramonda.

Toparcha de Maſmines.
Philippus de Maſmines, Eques.
Ghiſelbertus de Leeuwerghem, Eq.
Ywanus de Leeuwerghem, Eq.
Gerardus Nothus de Moerbegue, Eques.
Reynerus de Veſele, Eq.

Ex Aloſto.

Henricus à Flandria, Eques.
Gerardus de Raſſengien, Eques
Toparcha de Marke.
Joannes van Oudenhove, Eq.
Toparcha d'Eſcornay.
Toparcha de Leeuwerghem.
Gulielmus de Reygherſvliet, Eq.
Apollonius d'Oultre, Eq.
Gerardus de Maſmines, Eq.
Toparcha de Herſelles.
Razo de Herſelles, Eq.
Hector de Guſancourt, Eq.
Arnoldus de Lumene, Eq.
Sigerus vanden Kerckhove, Eq.
Toparcha de Herpe.
Vicecomes Tollius.
Joannes vander A, Eq.
Henricus vander Camere, Eq.
Joannes vanden Abeele, Eq.
Toparcha de Lidekercke.

Ex Aldenarda.

Toparcha de Steenhuyſe.
Iudocus de Halewijn, Eques.
Toparcha de la Vichte.
Toparcha de Rechem.
Philippus vander Voorde, Eq.
Daniel de Hembiſe, Eq.
Toparcha de Herinnes.
Balduinus Paſcharis, Eq.
Sigerus Bernaige, Eq.
Joannes vanden Boſche, Eq.
Joannes Cabelliau, Eq.
Ludovicus Clocman, Eq.

Ex Corturiaco.

Toparcha de Halewijn, Eques.
Daniel de Halewijn, Eques.
Joannes de Halewijn, Eq.
Gualterus de Halewijn, Eq.
Gualterus de Halewijn d'Eecke.
Toparcha de Poucques.
Joannes de Meum, Eq.
Rogerius de Ghiſtelles, Eq.
Joannes de Maſmines, Eq.
Ludovicus de Roulers, Eq.

Bal-

Balduinus de le Woeſtine, Eq.
Sigerus Boetelin, Eq.
Gerardus de Steenhuyſe, Eq.
Toparcha de Harlebeke, Eq.
Sigerus de Gand, Eq
Joannes d'Aultrive.
Daniel de Pitthem, Eq.
Daniel de Mullem, Eq.
Toparcha d'Axpoele.
Gerardus Damman, Eq.
Joannes Damman, Eq.
Toparcha de le Gracht.
Joannes de Bernaige, Eq.
Ludovicus de le Walle, Eq.
Michael de Claerhout, Eq.
Guilelmus vander Straeten, Eq.
Henricus vander Heyden, Eq.
Robertus d'Aſche, Eq.

E Brugis.

Toparcha de Praet.
Toparcha de Dudzeele.
Henricus de Meetkercke, Eques.
Joannes vanden Poele, Eques.
Joannes vanden Leye, Eq.
Toparcha de la Gruthuyſe.

E Franconatu.

Toparcha de Ghiſtelle.
Joannes de Ghiſtelle, Eques.
Wulfardus de Ghiſtelle, Eques.
Ywanus de Varſſenaere, Eq.
Ingelramus Hauweel, Eq.
Goſwinus de Wilde, Eq.
Toparcha de Regerſvliet.
Toparcha de Maldeghem.
Toparcha de Moerkercke.
Guido Nothus de Flandria.
Rufelardus Baſtardus de Flandria.
Simon de Brigdam, Eq.
Joannes Tant, Eq.
Judocus de Volmerbeke, Eq.
Philippus de Poele, Eq.
Levinus de Wtkercke, Eq.
Florentius à Gandavo, Eq.
Walterus à Gandavo, Eq.
Gerardus de Moor, Eq.
Nicaſius de Mol, Eq.
Joannes de Bunſere, Eq.
Henricus van Eeſſene, Eq.
Henricus de Watervliet, Eq.
Toparcha de Lichtervelde.
Joannes de Houtmuere,Eq.
Philippus de Brecht, Eq.
Toparcha de Coolſcamp.
Iacobus de Dudzeele, Eq.
Burchgravius de Dixmuda.
Joannes de Vos, Eq.
Wulfardus de Borſele, Eq.

Joannes van Heyle, Eq.
Toparcha de Mercken.
Rogerius de Wommene, Eq.
Dankardus d'Yedeghem, Eq.

Ex Ipra & Territorio Iprenſi.

Vicecomes Iprenſis.
Gulielmus de Nevele, Eques.
Toparcha de Rolleghen.
Joannes de Nierſtede, Eq.
Joannes de le Woeſtijne, Eq.
Gulielmus de Vlencke, Eq.
Petrus Belle, Eq.
Ludovicus de Namurco, Eq.
Bernardus de Nieukercke, Eq.
Philippus Duppenbrouck, Eq.
Sigerus de le Broukere, Eq.

Ex Territorio Furnenſi.

Vicecomes Furnenſis.
Joannes de Lille, Eques.
Gulielmus de Nevele, Eques.
Balduinus vander Burch, Eq.
Jacobus de Hondeghem, Eq.
Joannes Baert, Eq.
Balduinus de Heuchin, Eq.
Flaminius de Lokere, Eq.

E Territorio Bergenſi & Brouckburgenſi.

Joannes de le Plancke, Eques.
Gulielmus Plateel, Eques.
Toparcha de Ekelsbeke.
Oliverius de Ionghe, Eq.
Laurentius de Bierne, Eq.
Joannes de Peenes, Eq.
Toparcha de Drinckam.

E Territorio Caſletenſi.

Toparcha de Borre.
Gillebertus de Borre, Eques.
Toparcha de Peenes.
Teſtardus de Hondeghem, Eq.
Rolandus van Eecke, Eq.
Golardus de le Clyte, Eq.
Gillebertus de S^t^. Aldegonde, Eq.
Gillebertus ejus filius, Eq.
Toparcha de Watou, Watene.
Franciſcus de Haveskerke, Eq.
Hutinus de Haveskerke, Eq.
Ludovicus de Haveskerke, Eq.
Theodoricus de Hazebrouck.
Toparcha de Moerbeke.
Toparcha de Thiennes.
Balduinus de Hallinghe, Eq.
Flaminius de Berghes, Eq.
Parcevaldus de Ouſencourt, Eq.

R 2 LUDO-

LUDOVICUS II. MALEANUS.
XXIV. Comes.

LUDOVICUS II. à Mala pago, arceque Palatina genitali, ominoſa, non procul Bruga, agnomen Malenſis, conſecutus eſt: Ex prælio, ubi pater occubuit, cum Philippo Valeſio Galliæ Rege Ambianum effugit vulneratus, decimo ſexto ætatis anno. Enimvero cum ab Eduardo III. Angliæ Rege victore, ad matrimonium filiæ Iſabellæ, ea de cauſa Gandavum veniente, vehementer expeteretur, & à Flandris Anglicam ſocietatem, ob Lanificium, aliaſque occaſiones, Francicæ præferentibus, illuc impelleretur, Iſabellæ Bergam Winnoci per patrem matremque adductæ, pridie Calendas Martias anni 1346. promiſit matrimonium, Gandavi ineundum, poſt finitam proximi Paſſchatis hebdomadam. Sed cum eſſet averſa ab iis nuptiis voluntate, diem ritibus conjugii perficiendi præfixum antevertit: Egreſſu enim ex Gandavo, ubi obſervabatur, ad aucupium ſimulato, celerique equo Scaldi (eo loci cui fluctus Fienſis nomen eſt) tranſnato, duobus nobilibus conſciis ad ripam ulteriorem operientibus, ad Galliæ Regem Pariſios ſe recepit. Cujus regis oppidum ditionemque Tenæramondam ab Amboſienſi empta, propterea donantis, ſuaſione, Margaretam filiam natu ſecundam Joannis III. Brabantiæ Ducis, Vilvordiæ in uxorem accepit. Quibus nuptiis Flandros, Angloſque in magnam indignationem, ſeipſum in longum velut exilium conjecit, donec Flandrorum ſeipſos, abſente Comite, regentium, fœdera cum Anglis, commerciaque ſuffragio ſuo confirmaſſet. Neque ſolidam ex conjugio contra populi conſilium inito, lætitiam cepit: Etenim cum ipſe perductoribus, aliiſque libidinis adminiſtris, indulgeret, accidit, ut eo in Galliis abſente, uxor puellam ex eo gravidam, in ædes Malanas ad ſe accerſierit, & inopinanti nares acciderit; quæ altero poſt die, prærnaturè gemellos maſculos enixa, cum infantibus, ſextum poſt diem expiravit. Hæc atrocitas Ludovico adeo omnem verecundiam abſterſit, ut paſſim ſtupris, ſpuriiſque domum ſuam dehoneſtaret. Luxu impendiiſque infinitis, populo gravis, Gandenſes irritavit, & ſua iracundia implacabili, eos armavit in ſuam perniciem. Potentiam ampliavit, à Gallo Flandria (in qua *Inſulæ*, *Duacum*, *Orchiacum*, cum agris ſunt) recuperata, per unicæ filiæ Philippo Audaci conjunctæ, occaſionem atque tranſactionem. Arteſiæ, Burgundiæque Comitatus, per matrem acquiſivit, Philippi longi Galliæ Regis, & Joannæ Arteſiæ, Burgundiæque Principis (quibus maſculi hæredes deerant) filiam, natu minorem, & cum ſororis primogenitæ Odoni Burgundiæ Duci nuptæ, nepos hæreſque unicus Philippus abſque prole finiiſſet anno 1381 in illos Comitatus ſuccedentem: cum Arteſia fere 170 annis à Flandria divulſa extitiſſet: Acceſſionem illam diluit Oceani inundatio in terra Franca: quæ XVII pagos; in quibus *Iſendica* oppidi Privilegiis ornata; *Hugenſvletum*, *Volmerbeca*, *Pieta*, aliique, anno 1377 menſe Novembri abſorpſit: ob aggeres clauſtraque maritima per ſocordiam avaritiamque mandatariorum, incuſtodita. Primus ſummum rerum capitalium vindicem, quem Souveranum, hoc eſt, ſupremum Bailivum dixit, ſeparatim inſtituit: Primus monetam auream cudi juſſit. Aedes Palatinas Gandavi in Wallo trecentorum, ut ferunt conclavium, Poſternaque & Windelgemi, (quod Wandelheimum initio dictum putant à Vandalis) prope Gandavum, ſibi exſtruxit. Contra Regis Regnique Galliæ & Philippi generi profeſſionem, in illo Urbani VI. Clementiſque VII. Paparum diuturno ſchiſmate (quorum ille Romæ, hic Avinione ſedebat) Urbano adhæſit: Petrus, Cypri Rex, auxilium contra Mahumedios efflagitans, & Daniæ Rex, ob cauſam mihi incompertam, Gandavum ad Ludovicum acceſſere; hominem regia prodigaque in exteros Principes munificentia, in vicinos ſupercilio. Carolo V. in Regem Galliæ Rhemis inuncto, enſem regium accinxit, atque prætulit. Mortalitatem explevit anno ætatis quinquageſimo tertio, imperii 37. in ædibus cœnobii Bertinici Sanctodomari, vel repentino morbo, vel tertio poſt die quam inter lecti ſpondam, parietemque, immiſſis (ut quidam ſcribunt) à Joanne Biturigum Duce, qui ipſius genero frater erat, oppreſſoribus, totum corpus ipſe preſſus conſtrictuſque fuerat. Conſtat enim Biturigem ſuperbè fuiſſe indignatum, quoniam Ludovicus voluiſſet ut ille ſibi Flandriæ

driæ



Digitized by Google

driæ, Arteſiæque Principi nomine Boloniæ, fidei juramentum præſtaret: quod ille dare ulli mortalium præterquam Regi abnuebat; quia Regum Galliæ filius, frater, patruuſque eſſet, eaque fiducia intumeſceret. Sepultus eſt Lilæ cum uxore, ad Petri, amplo ſacello Virginis matris, cancellato, ad annum 1383. ſublimi, ſumptuoſo, ſplendidoque Mauſoleo, cui illius armati, uxoriſque & filiæ hæredis effigies ex ære coronario conflatæ, incumbunt: priuſquam de Gandenſibus ſe poſſet ulciſci, pugna magis quam animo debilitatis, à quibus intolerabiles contumelias acceperat. Illis tamen ante mortem fertur ignoviſſe, filiæ generique clementiæ commendatis, hoc titulo uſus: Ludovicus Comes & Dominus Flandriæ, &c. Dux Brabantiæ. Unicam filiam reliquit; plurimorum illegitimorum liberorum parens. Ex quibus, præter duas filias, Ludovicus Haſa, hoc eſt, lepus, à pernicitate; Joannes Drinchamii; Ludovicus Friſo (ſtirps Prætenſium reguli, Ludovici à Flandria) Woeſtinæ Domini extitere; & in prælio contra Turcos Nicopolitano, fortiter occubuere: Victor atque Hector Vorholtus, ob piraticam (jubentibus Flandriæ Magiſtratibus) aliquamdiu exularunt. Robertus Ypræ Burggravius erat. Subit autem in hoc Principe mirari ac ingemiſcere, nobiliſſimi ac præpotentis viri, ubique potius quam in conjugio, tam genitalem virilemque fuiſſe ſementem, ac fœcunditatem. Qui etiam eximio documento eſt, partim non eſſe populum temeris tributis exagitandum, ſed potius, quod Paſtorem paſcere pingues Tytire oportet oves: partim Principem implacabilem eſſe non decere: quorum utrumque Maleano obtigit in Gandenſes. Ex altero, publica inopia oritur, ſeditio atque Dei offenſa: Quippe nullus Princeps (ait Cominæus) tributum ſubditis, abſque conſenſu ipſorum & voluntate imponere poteſt, niſi inteſtabilis eſſe velit: Alterum, uſu & ratione ſancitur: nam licet Appii, Coriolani, Cæſones, nihil turbarum metu plebi concedendum eſſe, imò jura, quæ patribus extorta fuerant, recuperanda ſuaderent, vicit tamen in Senatu, ſententia melior, inquit Livius, plebem nimirum, per æqua, per iniqua, patribus conciliandam eſſe: & Polybii prudens eſt de M. Attilio Regulo doctrina: qui in Carthaginenſes victos ſuppliceſque præfractus, ac inexorabilis, ab illis poſtea ſuperatus, captuſque, miſere periit; atque elegantiſſima eſt, apud Homerum, Phænicis ad Achillem hæc admonitio:

Vince iram, fera corda doma, ne pectore ſævo
Eſſe aliis videare, atque implacabilis iræ:
Quod minimè decet, atque indignum eſt laudibus iſtis:
Quam neque ſint tales (quoniam placantur & ipſi)
Di Superi.

Huc uſque Flandria quæcumque illi ditio annecteretur, ſive ea Viromandia, ſive Burgundia ſuperior; Hannonia, Arteſia, Zelandia, Namurcum, Nivernium, Retheliumque eſſet, primarium ſuis Comitibus tum genuinis, tum per nuptias aſcitis, titulum attulit ac inſcriptionem. Poſt Ludovici Malenſis funus, prærogativam illam depoſuit: occaſione confecti antea, inter Margaretam filiam ejus unicam, & Philippum Valeſium Burgundiæ Ducem, matrimonii. Deinceps enim more atque ritu diſtinctorum in Dynaſtis graduum, Burgundiæ aliiſque Ducatibus magis ſubſcribitur, quam potentiæ, aut nominis amplitudine poſthabetur.

MARGARETA III. PHILIPPO VALESIO AUDACI Burgundionum Duci nupta.

XXV. Comes.

PRUDENTIÆ humanæ ſplendorem eſſe fumum, ejus eventum eſſe funus, niſi arcano providentiæ divinæ decreto ſubſerviat; tum omnis ævi documentis, tum ex Margaretæ, Ludovici Flandriæ Principis filiæ, cum Philippo Audace matrimonio, palam eſt: quod Philippi frater Carolus Quintus Galliæ Rex, cognomento Sapiens, ſumma induſtria, moleſtia, munificentia procreavit, ut eo tantarum virium incremento, contra Anglos Flandroſque extrueret Galliæ ſuæ propugnaculum, atque firmamentum. Verum, neſcia mens hominum fati, ſortiſque futuræ, bono eventu minimè litavit. Conſtat enim illius conjugii ſagaciſſimis conſiliis compacti, ſtabilita potentia, nihil ipſis Gallis magis contra opinionem, nihil exitioſius accidere potuiſſe; uti longiſſimæ notiſſimæque calamitates, & Rex Ludovicus XI. teſtantur: Qui Carolo V. Regi proavo, illarum nuptiarum ceu proxenetæ, eam ob cauſam Sapientis titulum cenſuerit eradendum. Sed hæc abditiſſima cœleſtis providentiæ adyta revereamur potius quam perſcrutemur, & nuptias Margaretæ jam adeamus. Quæ eodem quo Pater loco nata, in Malea caſtro, luſtralibuſque aquis tincta: In Flandriæ, Burgundiæ, cum Salinis, Arteſiæ, Nivernii, Rethelii Comitatus, Mechliniam, Antverpiamque, ex aſſe Patri ſucceſſit: ab illo, XV. ante annos, Philippo Valeſio, filio Joannis Galliæ Bonæque filiæ Joannis Bohemiæ Regis Burgundiæ Ducis, nuptum elocata: conjugii ſolennibus Gandavi anno CIƆCCCLXIX, menſe Junio celebratis, ad Bavonis, regifico apparatu: ſacris operante Philippo Epiſcopo Tornacenſi: præſente, matriſque vices implente Joanna Brabantiæ Principe matertera, ejuſque Viro Wenceſlao, Caroli IV. Cæſaris Germano. Quibus nuptiis Flandrorum ſuffragium tandem præiverat, Gallo-Flandriæ reſtitutione allectorum: cum cæteroquin in Anglorum affinitatem magis propenderent: tum ob commercia, lanificiumque: tum quod bonis, privilegiis, libertati, ab imperioſa Gallorum potentia anxiè timerent. Fuerat hæc mulier ſeptem per annos ambita à Philippo, antequam illi in manum traderetur; cum prius alteri Philippo Burgundiæ Duci, Odonis nepoti, ſeptenni quadrimula, qui anno ætatis decimo quarto mortem obiit, & deinceps Edmondo Eduardi III. Angliæ Regis gnato, fruſtra deſponſata fuiſſet. Urbano V. vinculum inter illam, & Edmondum cognationis, Gallorum ſuaſu, diſſolvere pernegante; aviaque Margaretæ paterna, Anglicas nuptias tam averſante, & haſce Gallicas tam fervide conciliante, ut rejecta ſuperiore veſte, dextram mamillam exerens, manuque tenens, Ludovico filio in Angliam proniori minaretur, ſeſe mamillam quæ ipſum nullumque alium lactaverat, in opprobrium ejus abſciſſam, canibus objecturam, niſi ſponſalibus Anglicis reſciſſis, in Gallicum hoc matrimonium conſentiret: qui matris tam commotæ voluntati ſupplex ſe commiſit, filiamque Philippo in conjugem intra annum tradidit. Quæ, Gandavo nondum pacato, anno CIƆCCCLXXXIV, menſe Aprili, in urbe Brugenſi, Flandriæ inaugurata fuit cum marito. Cui cognomen Valeſii, Audaciſque (ſive Animoſi) agnomentum, & Burgundiæ Ducatus acceſſerunt; illud ab avo paterno Philippo, ex Comite Valeſii in Regem Galliæ evecto: hoc ob intrepidam in Patre, pugnâ Pictavicâ, defendendo, (quam ne captus quidem cum illo in Anglia depoſuit) fortitudinem: Burgundiæ Ducatum verò, Patris Fratriſque Regis liberalitas attribuit, cum antea Philippus ſine terra, dein Dux Turonum diceretur. Pater ſanè tabulis, die ſexta Septembris, anno CIƆCCCLXIII datis Germaniaci ad Maternam (ut lexi Latinarum tabularum utar quantum potero) cunctis manifeſtat, ſeſe Ducatum Burgundiæ, ut genere proximum adeptum, cupidumque gratificandi incolis, hoc petentibus, ac memorem laude dignorum officiorum, quæ Philippus chariſſimus filius quartogenitus ipſi exhibuit, ſponte expoſitus mortis periculo, impavidusque in acie propè Pictavos, vulneratus, captus, detentuſque in hoſtium poteſtate, donare illi & concedere ſpeciali gratia, certa ſcientia, regiæque poteſtatis plenitudine, poſſiden-


MARGARETA TERTIA
XXV. COMITISSA FLANDRIÆ


PHILIPPUS. VALESIUS AUDAX.
MARGARETA. III. FLANDR:
Com: Maritus.

ſidendum per eum, ejuſque hæredes in legitimo matrimonio ex proprio corpore procreandos, perpetuo, hæreditariè, pacifice & quietè Ducatum Burgundiæ, cum univerſis ſingulíſque honoribus, juribus, reditibus, & proventibus, quocumque nomine vocentur. Frater autem diplomate die ſecundo Junii, anno ſubſequenti, dato in Lupara prope Pariſios aſſerit, ſeſe illam Burgundiæ Ducatus donationem ratam habere, laudare, approbare & ſpeciali gratia, auctoritate regia, certaque ſcientia confirmare, atque concedere fratri ſuo Philippo, ejuſque ſucceſſoribus, ex ipſius corpore, recta linea, juſtoque matrimonio progignendis: Addiditque beneficio, domum Burgundiæ ſitam Pariſiis in monte Genovefæ. Quam narrationem, illa verborum forma & amplitudine hîc inſeruimus, propter eam, quæ poſt Caroli bellicoſi orta eſt, & propagata, concertationem. Porro Philippus (quem Froiſſardus prudentem, cogitabundum, minimeque fervidum vocat) ſocero moderatior, dexterior, populoque acceptior, in celebri Tornaci conventu, Gandenſibus ſeptennis belli obſtinationem condonavit. Oppidis Flandriæ reparandis, muniendis; arcibuſque Cortraci, Audenardæ ac Nieuporti exſtruendis, incubuit. Curiam & conclave rationum computandarum, Lilæ primus inſtituit: Comitatum Charoloiſi ad Burgundiæ, Borboniique fines à Comite Armeniaco emptam, Philippo, ex filio Joanne, nepoti donavit. Sluſam à Guillelmo Namurci Comite, Bethuna ipſi viciſſim conceſſa, acquiſivit, ut arx ibi impenſis præſidioque Galliæ Regis, contra Anglos excitaretur, Brugenſibus frænum ſibi emporiique libertati, contra Ludovici Creſſii anno 1323 decretum, injici obmurmurantibus. In ſchiſmate illo Pontificio (de quo meminimus) adeò Clementinus fuit, & ſubditis in Urbanum pronioribus, parum clemens, ut partim blanditiis, partim minis, cæde, & carcere, Nobilitati inprimis, ſuam factionem induerit (præterquam Gandenſibus) unde per omnes urbes anxietates; per omnes ordines ſimultates; per familias diſſenſiones exortæ ſunt, & plurima templa deſtituta. Edictum anno 1401. ſanxit utile, neceſſariumque publica cuſtodia detentis, ne alimentis cæteriſque rebus neceſſariis, per commentarienſes aut fraudentur, aut nimio pretio exhauriantur. E vita deceſſit anno 1404. in itinere Galliam verſus, (in qua fere aſſidue erat, ob nepotis Caroli VI. Regis curatelam,) Hallæ, non procul Bruxella; ſepultus Divione apud Chartuſios, quos ibi collocaverat: tumba demum ahenea ſumptuoſa, per Philippum Bonum nepotem, exornatus: corde ad Dioniſii, Regum conditorio adjuncto; inteſtinis ad Virginis matris Hallenſis tumulatis: hoc titulo in diplomatis uſus, *Philippus filius Regis Franciæ, Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ.* Erat ſtatura eminenti, muſculoſa fronte, humeris, pectore latis, facie virili, coma in humeros, ut tunc moris, diffuſa, barbaque raſa, nigris oculis magnis cæſiiſque, naſo aquilino, ore paulliſper patulo; moribus, victuque temperatus, affabilis, providus; latronibus & graſſatoribus inexorabilis, ingenioſus tributorum exactor. Tanta tamen æris alieni magnitudine (licet ampliſſimum regnum adminiſtraſſet ſui nepotis) ut Margareta, cum marito juſta Atrebati perſolveret, ne viri debitis obnoxia eſſet, omnibus mariti bonis mobilibus renunciaverit; neque erubuerit in ceſſionis ſignum, Zonam, crumenam, claveſque coram tabellione, ſolenniter feretro ejus ſuperponere; quod ipſum poſt undecim annos, Bona Henrici Principis Bari filia, & Walerami Sanpaulini Comitis vidua imitata eſt. Altero poſt maritum anno Atrebati oppreſſa eſt apoplexia, certè morte ſubita ac inopinata; quando ejus in Flandriam reditus avide exſpectabatur. Apud Patris monumentum Lilæ ſepulta eſt; cum principatus 21, ætatis 56. annos exegiſſet: peculiari ſigillo ſecretarioque uſa, in omnibus tabulis publicis, pacificationes, privilegia, & hujuſmodi perpetuam vim effectumque promittentia, ſignantibus. Peperit illuſtrem ſobolem liberorum. Ex quibus *Joannes* utramque Burgundiam, Flandriam, Arteſiamque: *Antonius* Brabantiam integram cum Limburgo, cæteraque ditione Tranſmoſana adiit: addictam Patre procurante, tam à Brabantiæ Ordinibus, quam à matertera magna Joanna, quæ anno 1406. abſque liberis deceſſit: *Philippus* Nivernium, cum Rethelio, ex patris matriſque diviſione, adeptus eſt: uterque tam Brabantinus quam Nivernius amorem ſuum erga regnum Galliæ avitum, contra Anglos in prælio Azincurtio, morte ſua oppignorantes. Factumque eſt ea partitione, ut Nivernii Retheliique ditiones, quæ 150. annis Flandriæ adhæſerant, ab illa deinceps divulſæ permanſerint. Nivernio demum, ad Enghelbertum à Clivia, affluente (ejuſque poſteros) per matrem Iſabellam, Philippi Nivernii, cujus jam meminimus, proneptem. Ex filiabus, *Margareta*, Guilelmo Bavaro, Hannoniæ, Hollandiæque Comiti; *Catharina* Leopoldo Superbo Auſtriæ: *Maria* Amedeo Sabaudiæ Duci (à Synodo Baſilienſi poſtea in

Digitized by Google

Papam Felicem quintum electo) enupſerunt. Aliquot ante Margaretæ obitum menſibus, octo Ooſtendam, & unius ad Dunkerkam, incredibili magnitudine in littore captarum balenarum prodigium ſubſecuta fuit tanta aquarum inundatio, ad eum præſertim tractum qui à Sluſa ad Saſtingam fere uſque mari prætexitur, ut majoris Flandria vix meminerit: Oceano per tria milliaria implente omnia, hominesque & animalia exſtinguente, tumuloſque arenarios natura objectos, cunctaque ſepta interrumpente, menſe Novembri. Anteaque, circiter enitium Aprilis, ventus ex Septentrione tanta vehementia, algoreque omnia virentia depaſcebatur, ut fructuum arborum inuſitata inopia, hominum omnis ordinis, ſexuſque moleſtiſſima tuſſis & raucedo, vaccarumque fœtoſarum, miſero cum gemitu, interitus, paſſim exaudiretur.

JOANNES BURGUNDUS INTREPIDUS.

XXVI. Comes.

JOANNES Digeone Burgundiæ (quam Divionem Latini vocant) locum natalem, à Joanne Biturigum Duce patruo & proavia Margareta Maleani matre, Luſtralis aquæ teſtibus,ſponſoribuſque nomen adeptus eſt, ad annum 1371. in quem etiam Ludovici Aureliani Ducis fatalis dies incidit. Ante parentum mortem Nivernii Comes appellabatur, ſubſidiario Gallorum exercitui, contra Bajazetem Turcum Hungariæ imminentem, (in quo Froiſſardus duo Nobilium juvenum millia fuiſſe refert,) præfectus, cum nondum ætatis annum 25 expleviſſet, tam infortunate, ut in conflictu ad Nicopolim Mœſiæ, avidius, quam prudentius, aut ex conſilio Sigiſmundi Hungariæ Mœſiæque Regis inchoato, ad annum 1396 captus ſit, cum quibuſdam proceribus, cæteris immaniter trucidatis: Philippo Ugellæ Comite, Galliæ Coneſtabile, primam aciem Hungaris temere, curſimque præripiente, ſuiſque jubente, ut equis deſilirent peditesque pugnarent: Equi autem in caſtra recurrentes, Hungaros pavore fugaque impleverunt. Maximi beneficii loco habuit, viliſſimo carceri Byſiæ includi compeditum, & demum pro ſua, ſociorumque optimatium, in quibus Ugellanus Coneſtabilis, Trimolius, Couchinus, Marchianus, Barenſis, eminebant, redemptione, ducentis ducatorum aureorum millibus liberari: induſtriaque inprimis Jacobi Hellii Equitis Arteſii (qui Bajazeti victori antea inſervierat) Gilberti Lewergemi equitis Flandriæ, à parte ipſius Legati, atque ſponſione mercatorum, (in quibus Danus Rappondius Brugenſis civis Luca oriundus, ſtrenuæ operæ laudem acquirebat) Gandenſibus L. florenorum millia gratuito ſuppeditantibus, cæteriſque Flandris munifice largientibus. Rappondius verò per Pologrinum Genuenſem, in Inſula Chio negociantem, Turciſque gratum, procuravit, ut & de pretio conveniretur, & Bajazetis miniſtris ſolveretur, reddendum per Joannem Principem Venetiis: quo ille Thraciæ, & ex aula Turcica per Mytilenem, Rhodum, Cephaloniam incolumis pervenit: & demum ubique honoratus, domum rediit: magnumque momentum attulit ut rex Galliæ Paterque ad tollendum ſchiſma Pontificium propenderent cum ſerio oſtendiſſet, quanto ludibrio propter eam diſtractionem, Chriſtiana religio apud Turcos exponeretur. Cum ad Principatum anno CIↃ CCCC V. pervenit, animi ingens, pace & bello inſignis fuit, Flandriſque charus: tum ob comitatem indulgentiamque, qua in Flandria domicilium elegerat, & cis Lizanam curiam, lingua Teutonica jus dicturam, ſuper controverſiis ad ipſius dignitatem ſuperiorem reſpicientibus, ſe fixurum addixerat; tum quod inter aſſidua Franciæ, Angliæque bella, utriuſque regni commercia Flandris impetravit, multaque multis oppidis privilegia profuderit: Largitionum ſumptuumqne immodicus, & peculii in Flandria, Canoniſque diſſipator; Auctor fuit alterius arcis ad Sluſam excitandæ, quæ priori caſtello à Francis infeſſo obniteretur, ſi portus zuini libertatem impedire conaretur. Sigiſmundum Cæſarem ex Anglia, per Flandriam in Germaniam, revertentem anno 1416 regificè excepit, eique fidem præſtitit de Burgundiæ Aloſtique Comitatibus. Cæterum, ejus juſſu, occiſo Ludovico Aureliani Duce, Caroli VI. fratre, ſementem jecit longiſſimi & funeſtiſſimi, inter Francicam Burgundicamque regias, odii atque belli: cum antea ingnitabulum, ſilicem



Digitized by Google

Digitized by Google

cem feriens, ignemque eliciens, pro ſymbolo ominoſe arripuiſſet: & ad iſtam, ab Aurelianenſi, ex luſu aleæ ſumptam publicatamque vocem *Mitto*, viciſſim uſurpaſſet *Accipio*, ac uterque eas pugnantes teſſeras, lancearum ſuarum ſupparis, & verſicoloribus militum ſagulis, inſcripſiſſet. Quod cædis facinus hoc modo geſtum: Rauletus Antovilla, & Guilelmus Courteheuſus, Normanni (privata in Aurelianenſem malevolentia impulſi) Joannes Motta, aliique percuſſores circiter octodecim, auctore Burgundo, conſpirabundi, Lutetiæ Pariſiorum ex ædibus Tornelliis Reginæ puerperæ (ſubmiſſo, & accerſente Thoma Courteheuſo, regio cubiculario, quaſi Regis mandato) Ludovicum doloſè evocarunt, atque ſecurè in aulam feſtinantem cum ſeptem domeſticis, (quamvis amplus in urbe equitatus, ejus nutum obſervaret) hora ſeptima veſpertina 21. die Novembris, anno cIↄccccvII. ex inſidiis cauponaque proſilientes muro dejecerunt, vociferantem, Quid agitis? Aurelianenſis ſum, non Burgundio: atque pugno ſiniſtro abſciſſo, cerebroque in terram effuſo, miſerrimè interemerunt, extinctis prius, ne agnoſcerentur, funalibus ejus prælucentibus: cunctique fuga & latebris periculum ſuſpicionemque declinarunt. Poſtridie, cum Andegavi, Biturigumque Duces, patrui, cum Borbonio aliiſque Principibus conveniſſent ad funus, tum ut illud pro more plangerent, tum ut de ſicariis inquirerent, Joannes tanta confidentia fuit ut illis aſſederit, tamquam una quæſitor, vindexque futurus: cæſique corpus ad ſepulturam comitatus eſt, pannumque lugubrem ex capulo defluentem unà cum patruis Borbonioque manu tenuit ſolemniter, nulloque ſigno ullam ſuſpicandi cauſam præbuit. Verum urgente conſcientià, & quod necis conjectura in alios, præſertim Albertum Cannyum, Varennæ in Flandria dominum, (cui Aurelianenſis uxorem Lutetiæ abduxerat) apprehenſum, at inſontem propenderet, Joannes poſt tertium homicidii diem, iis, quos dixi, utriuſque patruis, ſe auctorem cædis eſt profeſſus, perque Dionyſii portam, cum paucis, celerrime Atrebatum ſe proripuit: tam obſtinatus; ut cum unicum regis fratrem, ſuum fratrem patruelem, neque proſcriptum, neque Reipublicæ hoſtem judicatum, è medio per inſidias ſuſtuliſſet, non cædis veniam, ſed honorem præmiumque expetere auſus ſit, coram Delphino, Andegavi, Biturigum, Britanniæ, Lotharingiæ Ducibus, Cardinale Bario, multis Comitibus Proceribuſque, & Rectore ac doctoribus Academiæ Pariſienſis, civibuſque primariis: Theologis etiam, præſertim Joanne Petito, Franciſcano, cauſam illam in cœtu illo nobiliſſimo tuentibus, atque manes Aurelianenſis, per veneficia, præſtigiaſque appetiti regni arceſſentibus: exemplisque Zambri per Phineam, Holofernis per Juditham, Siſaræ per Jahelem, imò Ægyptii per Moyſen, abſque mandato Dei aut Magiſtratus, laudatè occiſorum, illam cædem à crimine purgantibus, utilemque Reipublicæ & neceſſariam affirmantibus, ſuaſque theſes perſuadentibus Concilio Conſtantienſi: (quamvis illas Theologi Pariſienſes publicis flammis injeciſſent.) Quo in Concilio Digeonius per inimicos, à Gerſone Theologo adjutos, hæreſeos poſtulatus, ea ſe calumnia extricuit. Verum paterna propriaque, ob regni Franciæ procurationem, æmulatione in Aurelianenſem accenſus, criminatoribus, occulte in viſcera penetrantibus, aliiſque odii fomitibus indulſit: partim quod ab illo vilibus agnomentis, colaphoque ante patris obitum (ut quidam ſcribunt) inflicto, dehoneſtatus eſſet, ejuſque invidia & artibus, ab ingenti obſidendi Caliſii apparatu avocatus: partim quod perſuaderetur, ſibi clam ſicarios à Ludovico fuiſſe ſubornatos: partim quod ille in libidinem projectiſſimus, Joannes uxorem formoſam, non contaminaſſet quidem, recuſantem minantemque, ſed attentaſſet; dum in palatio regio choreis nocturnis indulgeretur. Porrò Aurelianenſis Ducis cædes (quamvis à rege fratre, ſigillatis tabulis condonata) nullis abolitionibus & tranſactionibus, ſæpius renovatis, Carnotenſi inprimis, (ubi reus amneſtiam, pacem ac benevolentiam à fratre liberiſque cæſi Principes ſolenniter exoravit) neque alio modo, quam pari Digeonii nece expiari potuit: quæ ita ſeſe habuit, Joannes, non Aurelios modo Ludovici filios, verum etiam multos alios Proceres offenderat: Inter quos Bernardus Armeniaci Comes, regni Coneſtabilis, eminebat: quem Pariſienſes cum Marlio Cancellario, multiſque regiis officiariis, quatuor Epiſcopis, & Granpreæ Comite, ac ferè ter mille viris, nobilitate aut dignitate illuſtribus, interfecerunt: Crucem Andreanam, Burgundi ſymbolum, decuſſatim aſſuti: Cædem tam crudelem Digeonio, in cujus favorem facta erat, neque præſciente, neque approbante, ut fertur: quod ſatius fuiſſe diceret, ſi illorum apprehenſione contenti, nece abſtinuiſſent: nam eà moderatione, ſolidiori & faciliori paci, aut amicis ex hoſtium manu liberandis, in cæde tam atroci, perpetuæ invidiæ ultionique, viam

fuiſſe patefactam. Propenſionem autem in Burgundum Pariſienſes non aperuere, niſi confirmati præſentia, copiiſque equeſtribus Vilerſi Liladami, Burgundo militantis, quem circiter 400. Pariſiis conjurati, evocarunt Pontoiſa, & per Petrum Clericum, perque portam S. Germani Pratenſis, noctu Lutetiæ intromiſerunt cum equitibus 800, atque reliquos cives (acclamata pace & Burgundia) ſtatim ſibi adjunxerunt; Taneguio Chaſtelleto, Pariſiorum præfecto, portam molemque Antoninam occupante, & per illam, Carolum Delphinum, ſeque ipſum emittente. Immani illo odio in Armeniacos (ſic enim factio Aurelianenſis vocabatur) erumpente, quod repudiaſſent pacem in Conventu Monſtrolienſi ſancitam, ab Urſino, & D. Marci Cardinalibus, Martini IV. Papæ legatis, electiſque utrinque arbitris: per quam decreta fuit omnis injuriæ odiique perpetua oblivio, & pronunciatum, ut quamdiu rex Carolus VI. viveret, Burgundus cum Ludovico Delphino genero, regnum adminiſtraret: quod adverſarios maximè pupugit. Qua animi exulceratione, & præſertim cæde illa Pariſienſi efferati, reliqui Armeniacarum partium, cum altero Delphino (cui Caroli VII poſtea nomen fuit) conſpirarunt: in quibus erant Robertus Machon Delphini Cancellarius, Joannes Vicecomes Narbonenſis, Lovetus provinciæ præſes, Taneguius Chaſtelletus Brito, Lutetiæ præfectura à Burgundica factione dejectus. Effeceruntque per Delphini frequentes literas preceſque, ut Joannes Monſtrolium, ad Yonne & Sequanæ confluentes, veniret, conſiliis cum Delphino capiendis ad Anglos Gallia expellendos. Joannes autem ſecuritatem augebant juramenta in manibus Romani legati (ſuper crucem Chriſti, ſanctumque Euangelium, ſub verbo Principis, ſuæ nobilitatis, ſub parte ſua ſperatæ æternæ ſalutis; ſic enim Annales loquuntur) præſtita, atque repetita: quodque in arrabonem ſinceræ pacis, ſacroſanctum Euchariſtiæ panem ad aram conjunctim ediſſent, & quod arx Monſtrolienſis, ipſius Joannis poteſtati committeretur; ingenſque erat ab Anglis in foribus periculum. Verum cum Burgundus in ponte Monſtrolienſi, ad colloquium deſignato, per apertam interſtitii portulam introiiſſet, venerabundus, alteroque genu ante Delphinum innixus, dixit: *ſe veniſſe ut obtemperaret, conſiliumque & operam communicaret ad Anglos regno ejiciendos:* Ibi Delphinus, *haud eſſes*, inquit, *belle cognate probus Abbas*; *Non enim bene tenes conventum*: *nam præſidia ex pacto, unde debueras, nondum emiſiſti:* Cum vero Joannes culpam à ſe amoverit, mox alter, *Mentiris*, ait, *ſcelerate* tergumque obvertit, & ex compoſito hæc verba (*Tempus eſt*) exclamavit. Tunc Taneguius Chaſtelletus (ut noſtri Annales referunt, quòd tamen ille ſemper pernegavit) aut quicumque is fuit, parva ſecuri, quam ſub veſte celarat, in faciem Joannem feriit, mentumque abſcidit, ac eo ictu ſubſidentem, ſed in pedes ſe erigere, gladiumque ad defenſionem educere nitentem, Oliverius Layettus, petrus Frottierus, aliique adjutantes, mactavere: ventrem ejus, ut inteſtina etiam exilierent, ferientes; corpuſque exanime per cruentum ſolum ſemel atque iterum traxere, togâ & tunicâ exuerunt, annulos, præſciſſis digitis abripientes, Delphino inſpectante, nudumque interim gladium tenente, & tandem in hæc verba, *puto illum ſat habere*, funeſto epiphonemate, prorumpente. Corpus, cum totam noctem ibi jacuiſſet, poſtridie Monſtrolii in Matris Virginis, ante aram memoriæ D. Ludovici ſacram raptim cum thorace, ocreiſque tumulatum eſt: homicidis arcem ibi annonæ defenſioniſque vacuam, deditamque, una cum Joannis aureo torque æſtimatiſſimo, veſtibuſque magni pretii, vendicantibus: at literas ejus arcanas, quæ per familiares, audita cæde, conſulto, tempeſtiveque conflagrarant, non conſecutis. Ex decem proceribus cum Petro Seguino ſecretario, illum ad Delphinum deducentibus (ſic enim utrimque convenerat) unaque introeuntibus à Borbonio, Friburgo, Foixo, Vienna, Montaguo, Vergya, Pontaliera, Lenſo, Giaco cognomen erat) Theobaldus Montaguus, ſuperato mirabili agilitate utriuſque pontis repagulo, poſt cædem Ducis evaſerat: cæteris (præter Archinbaldum Foixeum, una peremptum, dum protegendo Principi ſuperincumbit in cuſtodiam conjectis: atque rem geſtam Pariſiis alibique denunciavit, & contrariis Delphini literis fidem ademit. Sic ille periit, anno cIↃcccCXIX. decimo Septembris die, qui Dominicus erat, decimoquinto regni anno, apud monumentum patris, altero poſt anno ſepultus: infallibili Dei judicio ſenſus ipſius tunc hebetantis, atque conſilia corrumpentis: certè incredibilibus Galliæ ac Delphini calamitatibus. Uxorem reliquit gemebundam, quam Cameraci decimum quartum ætatis annum agens, ut pubeſcentis ardor temperaretur, duxerat maxima nobilitatis frequentia, lætitiaque quod ſoceri Alberti Bavari, Ludovico quarto Cæſare geniti, Hannoniæ Hollandiæque Comitis, filius Guillelmus, Joannis


PHILIPPUS BONUS
27. Comes Flandriæ

nis ſorori eodem die conjungeretur: præſente rege Carolo Sexto: ubi notum fuit ambas ſponſas, ambaſque eorum matres fuiſſe Margaretas denominatas. Fuit ſtatura mediocri, robuſta, comæ demiſſæ, barbæ detonſæ, vultuſque colore paterno, fronte auguſta, oculis parvis, ceſiis, ferocibus: naſo oblongo, ore nonnihil patulo, ingenio inquieto, audaci, vindictæ avidô, ad liberalitatem magis quam ad Dei cultum propenſo. Ex illo matrimonio liberos multos ſuſcepit, *Philippum* virilis ſtirpis unicum, Charoloiſi Comitem: *Margaretam* prius Ludovico Caroli ſexti regis primigenio, ejuſque à morte, Arturo Richemondiæ Comiti, Britanniæ Ducis fratri, hæredique: *Iſabellam* Britanni filio, Comiti Pontiberæ: *Annam* Bedfordiæ Duci Anglo, ſteriliter conjugatas: *Catharinam* à ſponſo Renato Andegavenſi, ob factiones Aurelianas repudiatam, quæ Gandavi cælebs obiit: *Mariam* Adulpho Cliviæ primo Duci, unde Joannes Dux, & Adulphus Raveſteynæ regulus, ſeptemque filiæ prodierunt: & *Agnetam*, Carolo Borbonii Principi, ex quo filios quinque, totidemque filias peperit, nuptiis conjunctas. Nothorum ejus filiorum, *Joannes* Cameraci Principatu epiſcopali, & *Guydus* Crubecæ Dominus, militari laude inclaruerunt.

PHILIPPUS BONUS.

XXVII. Comes.

PHILIPPUS ab avo nomen, Divione locum genitalem, & à morum facilitate, Boni agnomen adeptus, quum patris cædem Gandavi, ubi ab octavo ætatis anno pueritiam cum matre tranſegit, intellexiſſet; abrepto iracundè capiti pileo, ad aſtantes converſus, O *amici*, ait, *ut miſerandam Patris necem ulciſcar, me adjuvate*: Et cum in cubiculum ſeceſſiſſet, ingenti quidem luctu ad uxorem, quam ætatis anno decimo quinto duxerat, Caroli VI. filiam, *Domina*, inquit, *Michaëlis, frater tuus patrem meum occidit*; ſed hac de cauſa nihil ex mutuo conjugii amore ipſis deceſſit. Conjux enim ſoceri necem, fratriſque ſcelus tanto ejulatu mœſtitiaque deflebat; ut vir eam (ne luctui ſuccumberet) ſolari cogeretur. At cum in iis quæ Patri apparatiſſimè Atrebati faciebat, juſtis, concionator Floræus illum publice hortaretur, ut Deo ſoli vindictam permitteret, dicenti: *Mihi vindictam & ego retribuam*, nobiles ultionis avidi, eam Dei vocem non auſi repudiare, ſic explicabant, ut contenderent, Deum vindictam velle retribuere per brachium Philippi filii, atque ſucceſſoris: qui & ipſe in patris injuria contumeliam læſionemque acceperat, & necem patris, cæde interfectoris expiare jure tenebatur: quam Philippus procerum inclinationem ac interpretationem, ſuumque dolorem ſecutus, ſe totum implicuit patri ulciſcendo. Monſtrolium, ubi pater cæſus erat, obſeſſum ope Anglorum cepit, incendio abſtinuit: quod vacare oppidum culpa diceret: corpus patris cum thorace ocreiſque terræ injectum, multis lacrymis omnium aſtantium exhumavit, Divionemque ad Carthuſios ſplendide tranſmiſit. Et cum totus vindicando patri ſtuderet, Carolo VI. ſocero perſuaſit, ut ſecum fœdus cum Henrico V. Angliæ Rege iniret, filiamque Catharinam illi ambienti in uxorem daret, & in illos legitimoſque eorum liberos, Salica lege neglecta, jus Regni transferre, filio Carolo Delphino, velut ſicario, perjuro, & inteſtabili abdicato: eoque pacto, ſeſe ab Anglorum infeſtiſſimis armis, & regnum à tantæ perfidiæ infamia criperet. Sic Carolus Delphinus ad menſam marmoream ter ritè citatus, quum judicii diem non obiiſſet, paterno indignus, in curia Pariſienſi judicatus eſt, Galliis tum in deplorabilem mutationem perniciemque ruentibus: donec Philippus fœdere Anglorum diſſuto, ſedecim annorum vindictam tranſactione finiret: partim commotus quorundam Anglorum arrogantia, diffidentiaque, & injuriis Humfredi Ducis Gloceſtrii, Jacobam Bavaram Hannoniæ, Hollandiæque Principem (cujus proximus hæres Philippus erat) à marito Joanne Brabantiæ Duce divertentem, in ſuum thorum recipientis: partim tot Franciæ, originis ſuæ, exitiis mitigatus, partim Caroli veniam paternæ cædis aſſiduè obſecrantis precibus fatigatus. Quæ res, atque reconciliatio hoc modo geſta eſt. Quum anno cIↃ cccc xxxvi. Angli celeberrimum Atrebati conventum, in quo ſupra decem equorum millia fuiſſe narrat

Monſtreletus, omni ſpe pacis deſtituiſſent, quia poſſeſſione tituloque regni Franciæ neutiquam cedere volebant, ad Philippum jam delinitum, cui aderant Arnoldus Geldriæ Dux, Naſſavii, Vaudemontii, Nivernii, Stampæ, Sanpauli, Lignii, Falcobergæ Comites, in æde D. Vedaſti acceſſerunt, Carolus Borbonii Dux, Arcturus regni Conetabilis, Richemondæ; Ludovicus, magnus magiſter regiæ domus, Vendomii Principes, cum Rhemorum Archiepiſcopo Cancellario, Fayetta Mareſchalo regni, & Adamo Cameraceno, Curiæ Pariſienſis primo Præſide: Ejuſque ad pedes, in genua palam procumbentes, nomine Caroli Regis orarunt, ut parentis ſui cædem ei remittat, profitenti ſeſe id facinus, imperitia adoleſcentiæ & improborum ſuaſu deſignaſſe, ac dolere jam graviſſime, quod ita accidiſſet, & niſi factum eſſet, ne unquam fieret, omni ope annixurum. Ad haſce ſupplicationes demiſſioneſque Philippus illacrymatus, pronunciavit ſe omnem injuriam condonare, tum propter venerationem mortis paſſioniſque Domini noſtri Jeſu Chriſti: tum quia populi Gallici miſericordia eum caperet; tum etiam ut Conſilii Baſilienſis & Papæ, & Chriſtianorum Principum monitis morem gereret: qui merebantur, ut hoc à ſe impetrarent: Pepigitque multas conditiones, quibus partim memoriæ honorique Patris ſui, per aras delubraque, crucem in ponte cæde polluto, perpetuo figendam, cunctoſque cædis conſcios capitis damnandos, aut pace æternum excludendos, ſatisfecit; partim finium ſuorum, ampliationi immunitatique conſuluit: Comitatibus Matiſconenſi, Auxerrenſi, Sangangonæ, Baro Sequanico, cunctiſque eorum appendicibus, Philippo, ejuſque hæredibus utriuſvis ſexus attributis, cum juribus omnibus regalibus & emolumentis, Langrorum, Autunorum, Chalonenſium; qui Lingones, Hedui, Cabilonenſes fuiſſe perhibentur: Boloniæ Principatus illi, poſteriſque ejus maſculis conceſſus eſt, cum Perona, Mondiderio, Roya, acceſſoriiſque. Ad hæc Quintinopolis, Corbeja, Ambianum, Abbevilla, cum toto Comitatu Pontivenſi, aliiſque locis, cis ultraque Somonam, Philippo. ejuſque ſucceſſoribus ceſſerunt, donec quadringentis aureorum ſcutatorum millibus luerentur. Ut denique Ducis clientibus. Regi militaturis, gerere ubique liceat crucem Andræanam; & Philippus quamdiu vixerit, ab omni homagio & reſortitione eximatur, quæ pacificatio, apud Monſtreletum latius enarrata, ut judicio humano honeſtius conficeretur, Philippus per Albergatum, S. Crucis Cardinalem, Comitiorum illorum Præſidem, Romanique Pontificis legatum, ſolutus eſt omni nexu jurisjurandi, pacti, fœderiſque, quo Anglis prius obſtringebatur: quorum nihilominus offenſionem & exprobrationem diutiſſimè ſuſtinuit. Ac quo ſinceritatem pacati animi Gallis aſſereret, per Vilerſum Liladami comarchum, de quo ante dictum eſt, Pariſienſibus partes Burgundicas ad portam Jacobæam perſuadentem, ſimulque ingreſſum armata manu, ab Anglis ad Carolum eam Urbem ſuſtulit. Limites ſuos potentiamque non ſolum pactis illis, verum etiam tum emptionibus, tum maxime ſucceſſionibus tantopere auxit, ut merito ſeu præcipuus Belgici Imperii architectus, perhibeatur. Flandriam, Arteſiamque & Mechiliniam, à patre adeptus eſt. Namurci Principatum à Joanne conſanguineo, cui nulla ſoboles erat, ita conveniente, ut quamdiu viveret, ea ditione tituloque frueretur, coëmptum, cæpit anno 1428 poſſidere. Caſſetum, ejuſque Caſtellaniam octo poſt annos à Renato Andegavenſi, Bari Principe in captivitatis redemptionem recepit, ejuſque Cancellarius Nicolaus Raulinus, Aimeriæ luculentam comarchiam, pro tranſactionis hoſtimento. Brabantiæ, Limburgi, annexæque regionis Tranſmoſanæ, cum S. Imperii Marchionatu, ſucceſſionem, morte Philippi patruelis anno 1430. eſt conſecutus. Ordinum Brabantiæ ſuffragiis: quamvis Margareta ejus amita, Guielmi Bavari Hannoniæ Hollandiæque Comitis vidua obniteretur, diceretque ſe, ut gradu, ita jure priorem: ſed Joannis, patris Philippi ſtipulationi cautionique ſuccubuit: qui non aliter Antonio minori fratri, illam materteræ magnæ hæreditatem aſſcribi aſſenſerat, quàm ut ſuam ad ſobolem perveniret, ſi Antonius, ejuſque liberi abſque prole decederent. Hannoniam, Hollandiam, Selandiam, Friſiamque ex hæreditate Jacobæ conſobrinæ, anno 1436. adiit. Luxemburgi ducatum obtinuit, moriente Iſabella, Wencelai, & Sigiſmundi ſtemmatis, dominiique Luxemburgenſis Cæſarum, ex fratre Joanne Duce in Luſatia Gorlicenſi, nepte: partim tranſactione, qua Wencelaus Cæſar neptem illam Antonio Brabantiæ Duci, Philippi patruo nuptum elocavit, maritumque ejus, ac ex quacunque uxore hæredes, ea ditione, anno 1409. adauxit pro centum millibus aureorum Rhenenſium Wencelao numeratis, inſuperque ab Antonio remiſſis centum & viginti floreno-

reno-

renorum millibus, promiſſis in dotem Iſabellæ, partim, quod nova addictæ hæreditatis conventione & nummorum exercituſque ſui auxiliis, Philippus Iſabellam anno 1443. devinxiſſet, ejectamque potiſſima ditionis parte in integrum reſtituiſſet, domitis Luxemburgi urbe, Theodoniſque villa turbarum anteſignanis, & Guilelmo Saxoniæ Duci, Sigiſmundi Cæſaris ex filia neptis viro, ſuppetiaſque per Comitem Clitanum mittenti propenſioribus: quam Saxonum in Luxemburgios actionem, Philippus poſtea Dalerorum pluſquam centum millium, velut unda ipſis affuſa, extinxit. Splendidas inprimis oppiparaſque cum Eliſabetha uxore tertia, nuptias Brugæ celebravit: quæ patrem habuit Joannem, Petri Portugalliæ Regis filium nothum, regno paterno intruſum adverſa nobilitate, ſed populi (præſertim Lisbonenſis) ardenti cupiditate, rejicientis Beatricem Ferdinandi Regis, ex Petro geniti, filiam unicam, Joanni Caſtellæ, potiſſimæque Hiſpaniæ Regi, per Patrem elocatam, Portugalliæ hæreditate in dotem promiſſa: partim procaci odio in Caſtellanos, quibus per hoc matrimonium ſubdi reſpuebant: partim quod aſſererent Ferdinandi uxorem, ex qua Beatrix nata erat, priorem maritum alium ſuperſtitem habere: mater Eliſabethæ erat Philippa, filia Joannis Gandenſis, Lancaſtriæ Ducis, ex Eduardo tertio Angliæ Rege progeniti, cujus poſteritas regnum Angliæ poſſedit: Sub Chriſti natalem anno 1429. Sluſam appulit; per fratrem ſuum, Legatoſque Philippi Flandros, Roubaiſum Schoriſſumque adducta Brugam uſque: ubi civium ad portam obviam prodeuntium congratulatione, & 64. tubarum argentearum clangore excepta eſt: plateis utrinque tenſis vario tapetum ſplendore, exteriſque mercatoribus in ejus honorem luxu concertantibus. In palatio quod Principis curia vulgo dicitur, Philippi filiique ejus impendiis, aucto ornatoque, leo, cervus, monoceros eleganter effícti, illi ex anteriore pede Rhenenſe & Belnenſe vinum, hic ex cornu Creticum, Romanæum, & Hypocraticum in publicum ſcaturiebant: convivia tam civibus adveniſque, quam Nobilitati, per octiduum illuſtria ſumptuoſaque parabantur, editis equeſtrium certaminum ſimulacris perjucundis. Ipſo nuptiarum die, ordinem Aurei velleris inſtituit: propter amorem, ut ait, erga nobilem ſtatum Nobilitatis equeſtris, ad gloriam Omnipotentis, creatoris & redemptoris, laudemque Virginis ejus matris, ſanctique Andreæ Apoſtoli martyriſque; ad exaltationem fidei, ſanctæque Eccleſiæ, & virtutum bonorumque morum excitationem, exemplo Gedeonis. Sacræ autem litteræ atteſtantur, Gedeonem miraculo velleris ex ipſius optione, aut ſicci aut madidi, fuiſſe animo confirmatum, juſſuque Dei trecentos elegiſſe, quibus numeroſas Madianitarum copias à cervicibus Hebræorum profligaret. Aureum verò ſplendorem illi velleri induxit, ex Jaſonis & Argonautarum nobiliſſimæ in Colchidem navigationis imitatione. In hoc collegium Philippus viros nobiles, vita, nomine, armiſque ut loquitur, irreprehenſibiles, in illis nuptiis purpuratos, accenſuit: quorum ipſe atque ſucceſſores Coryphæi eſſent: quibus ſingulis togam coccineam laneam (quam filius Valincenenſibus Ordinis comitiis, in holoſericam commutavit) & aureum torquem, inſertis paternis emblematis ignitabuli ſcintillas ex ſilice extundentis, ſpecioſum attribuit, unde vellus aureum dependet: poſt cujuſque mortem rediens ad collegium, ut alii bene merito offeratur: Quatuor officiariis, Cancellario puta, Theſaurario, Rege armorum, & Scriba, illi collegio ſubminiſtrantibus; in quo hujus Ordinis equitum, ex prælio illicitæ fugæ, ceteraque crimina, ac ſi quæ inter ipſos ſunt diſſenſiones, dijudicantur abſque provocatione. Illo rerum bene geſtarum nobili præmio, & gerendarum incitamento, ſplenduerunt omnium primi, præter Philippum collegii caput auctoremque, hi proceres, hiſce cognomentis, dynaſtiique, & hac ſerie: Guillelmus Viennius Santgeorgianus: Reynerius Potis, Rochenſis: Joannes Robaiſi Dominus: Rolandus Wtkercanus, Hemſrodenſis: Antonius Vergyus, S. Martini Comes: David Brimæus, Lignyenſis: Hugo Lanoyus Santenſis: Joannes Cominii Dominus: Antonius Tholongionus, Tranenſis: Petrus Luxenburgius, Sanpauli Comes: Joannes Trimolius Ionellenſis: Guilbertus Lanoyus, Santenſis: Joannes Vilerſus Liladamenſis: Antonius Croii & Rentii Dominus: Florimondus Brimæus: Robertus Maſſemeæ Dominus: Jacobus Brimæus: Balduinus Lanoyus, Molenbaiſenſis: Petrus Beffiomontius, Charnyenſis: Philippus Teruantii Dominus: Joannes Croyus Tourenſis: Joannes Crequii Dominus, Joannes Neufchaſtellius, Montaguus. Veri ſimile eſt autem, Philippum animo regio, decorandæ nobilitatis, & ad majorem benevolentiam, fidem, reſque arduas excitandæ cupidum, hoc inſtituto non ſolum ante oculos habuiſſe Gedeonis atque Jaſonis laudatas expeditiones, veteremque morem Imperatorum Romanorum, Baltheo militare, aut ſum-

mo patriciatus honore, benemeritos illuſtrantium, verum etiam Joannis Galliæ, & Eduardi tertii Angliæ Regum, atque Amadei quinti, Sabaudiæ Comitis, exempla recentiora: illius, ſignum ſtellæ Santovanæ, in conſpicuo veſtis loco affixæ: hujus, argumentum periſcelidis fibulata faſciola ſiniſtrum crus vincientis: poſtremi, appendentem torqui aureo imaginem Angeli, ſalutem Mariæ Virgini annunciantis, prius inſtituentium: Ut poſtea Rex Ludovicus undecimus, Philippum imitari non eſt dedignatus, cum ad annum 1462. ſanxit ſancti Michaelis ordinem, torquemque conchiliatum. Enimvero initio Philippus Brugæ illi aurei Velleris collegio viginti quinque inſeruit, ſeſe annumerans: deinde quinto poſt anno, Divione, triginta & unum equites. At Carolus poſtea quintus eo nomine Cæſar, ad annum decimum ſextum, ſupra ter quingenteſimum, Bruxellæ illum numerum unius & quinquaginta equitum eſſe voluit. Aeque magno animo Philippus & inimicitias mortales eſſe debere teſtatus, Carolum Aureliani Ducem, Ludovici cæſi filium, & Franciſci primi Galliæ Regis patruum magnum, in Anglia 25. annis ex prælio Azincurtio captivum carcere liberavit, quadringentis pro eo Florenorum millibus perſolutis: Maria nepte, Clunæ Ducis filia, in uxorem ipſi Santomeri, conciliata, aureo Vellere, perpetuoque fœdere devinčto, ac omnibus ſinceræ benevolentiæ honoriſque officiis in eum effuſis. Ludovicum Delphinatus Principem, cui poſtmodo Regi ejus nominis undecimo nomen fuit, à patre Carolo offenſiſſimo fugientem, recepit, protexit, & circiter ſexennium cum uxore aluit, incredibili reverentia ac benignitate, neque hoſpitem tradere voluit patri ſæpius repetenti, Aeſopique apologum proponenti, de ruſtico anguem gelu enectum commiſerato, domumque ferente, ſed virus exſibilantem poſt experto; patrique mortuo, & in minorem filium propenſiori ſuccedentem, ad ineundam regni tranquillam poſſeſſionem magno apparatu comitatus eſt, cinxitque baltheo equeſtri ante inaugurationem, & tantis beneficiis obſtrinxit, ut ſeſe ope Philippi ad regnum perveniſſe, multa verborum honorificentia magis tunc vere faſſus ſit, quam poſtea recordatus. Neque parum hoſpitio pecuniaque munificus Philippus fuit in Margaretam Henrici VI. Angliæ Regis Philippo infenſi uxorem profugam, Renati Andegavenſis, hoſtis quondam ſui filiam. In conventu Brugenſi, ubi tres Epiſcopi, ſexaginta Abbates, plurimique Nobiles erant, filium Carolum in gratiam ipſe illacrymans flentem recepit: quem ditione paterna ſubito exire iratus antea juſſerat, in Arkelenſi ſua dynaſtia Gorkemi idcirco diverſantem: qui nimirum Croyos, Comitemque Stampanum agnatum oderat, patrique illos amanti ac defendenti, minus reverenter reſponſarat: an quia ſuſpectus eſt dominantibus quiſquis proximus deſtinatur, & diſplicent regnantibus, etiam civilia filiorum ingenia? Tam inſuetus horriduſque ſub eo ad annum 1449. menſe Aprili terræ motus Flandriam concuſſit, ut quaterentur ædificia & velut ſubſilirent. Controverſiis belliſque, quæ illi cum Gandenſibus Brugenſibusque interceſſere, ut illorum contumacem à Caliſio obſeſſo abitionem ſeparatim ulciſceretur, potentiam, auctoritatem, clementiæque famam amplificavit. Et ut Leodienſes, Brabantiæ Duces vicinos, in protectores aſſiduos acciperent, coëgit. Pio II. Papæ duodecim triremes, ut Meyerus ait, quod in mari noſtro mirum, certe longas magnaſque actuarias militariter inſtructas, ex portu Sluſano, per Antonium filium, auxilio in Turcos miſit: fruſtra tamen, cum mors Pontificis, Anconæ interim decedentis, animos & apparatus Chriſtianorum infregiſſet. Mortem obiit Brugæ ad annum CIↃ CCCC. LXVII menſe Iulio, ætatis ſeptuageſimo, primo, regni quadrageſimo octavo: paucos ante menſes apoplexi ex ira, ob fraudata militum ſtipendia, ad menſam ortæ, elapſus; prius tamen Carolo filio, ſtatim ubi patris periculum audiit, Gandavo Brugam accurrenti, in genua projecto, largiter flenti, veniam offenſionum, paternamque benedictionem oranti, in lecto, ſupremis appropinquans, aſtruxit benevolentiam, apertis conniventibuſque oculis, filii dextra prehenſa, ſuaque manu fortiter preſſa, in ſignum amoris veniæque, cum vox eum deſeruiſſet. Fuit Philippus eximia ſtatura & forma, à populo comprimis cultus amatuſque: cunctos enim tum clementia, candore, affabilitate & liberalitate, otiique dulcedine, tum procurata ubique negotiandi libertate pellexerat: apud exteros magnæ erat exiſtimationis, fidæque. Eduardus IV. Angliæ regnum armis petiturus, Georgium, Rikardumque fratres ſuos impuberes (quorum ille Clarentii, hic Gloceſtriæ Duces fuere) ad fidem cuſtodiamque ejus, quamvis Lancaſtriis affinitate annexi, tranſmiſit. Thomas, Demetriuſque Paleologi à Turcis pulſi, ad opem ejus refugerunt. David Trapezontii Imperator, Perſarum Armeniæ, & Meſopotamiæ Reges auxilium ejus contra Turcos per Legatos efflagitarunt,

runt, Magnumque Occidentis Ducem vocabant. Fredericus III. Cæſar ſæpius deliberarat regalem coronam, Imperiique, in Provinciis ultra Rhenum Gallicanis, Vicariatum Philippo concedere, ſuique filii Maximiliani conjugium, cum Maria illius ex Carolo filio nepte, conciliare: ut ex Pii II. Papæ ad Philippum literis anno 1462. 14 Cal. Februarias datis, manifeſtum eſt. Neque minus erat regiæ magnificentiæ, gemmarum, tabularum, aulæorum, toreumatum aureorum, argenteorumque, & luxus in conviviis, veſtitu, ſupellectile, ſtudioſus, copioſus, & oſtentator; quàm iracundiæ aut victor, aut diſſimulator, ac ſui augendi, ſuorumque providus. Davidem filium nothum, Epiſcopatui ditionique Utriceſiæ, rejecto Brederodio, per arma obtruſit. Ludovico Borbonio ex ſorore nepoti, adoleſcenti imperito, Leodinum Epiſcopalem principatum ambitioſe impetravit. Reliquit quadraginta paratæ pecuniæ aureorum liliatorum millia: argenti non ſignati markas hoc eſt ſemilibras 72 ſupra ſeptingentas, atque ſupellectilem ad bis decies centena aureatorum millia æſtimatam. Sepultus eſt ad Donatiani Brugæ, pro ara maxima, mille & ſexcentis tædis in funere ejus ardentibus, capulo per aureum pannum cooperto, cui enſis inauratus incumbebat, incredibili omnium luctu: donec Divionem ad Carthuſios ſextum poſt annum cum uxoris corpore per filium tranſmoveretur magnis impendiis, & regifici luctus imitamentis. Ubi ipſius & patris, atque avi expreſſæ ex puro candidoque alabaſtrite effigies, ſuper erecta Mauſolæa jacentes, etiamnum conſpiciuntur. Unicum ſuperſtitem Carolum, Charoloiſi Comitem ex Eliſabetha poſtrema uxore, reliquit: quæ anno poſt maritum quarto rebus humanis exempta eſt: cum Michaëlis, de qua diximus, & Bona ab Arteſia, patrui Philippi, Nivernenſis Principis vidua, materque ex eo duorum filiorum, nullos liberos ipſi peperiſſent. Sed incontinentiæ ſuæ veluti teſtes, filios ſpurios octo, filiamque Annam (ſunt qui plures addant) bis ſteriliter conjugatam, progenuit. Ex illis David & Philippus Ultrajecti Præſules: Raphaël D. Bavonis Gandavi Abbas: Balduinus Gallis hoſtibus interdum pronior quam decebat, ſtirps Friſii, Brigdami, & Somerdiki Dominorum, & Cornelius Antoniuſque fortiſſimi bellatores erant. Ille quidem cœlebs, at laude militari, Beveræ Dynaſtia, & Luxenburgi præfectura inſignis, in pugna Vazelia à Gandenſibus fugientibus, cum foſſam aperta ob æſtum galea equo tranſiliret, haſta pedeſtri cæſus: Hic magnus nothus vocatus, Rochæque Arduennenſis Comes, genus ſuum, Veræ, Vliſſingæque potens, per connubium filii cum Borſala initum; in noſtra uſque tempora propagavit: jus legitimi filii familiàs, vivente volenteque Carolo, à Sixto IV. Papa conſecutus.

ELENCHUS VIRORUM IN FLANDRIA

Nobilium ſub PHILIPPO BONO ad annum 1421 in Franciam ad ultionem paternæ necis eunte.

E Gandavo.

Joannes de Potelles, Dom. d'Eecke.
Nicolaus Vtenhove, Dom. de Borſt.
Rolandus d'Wtkercke, de Eerſtruyt.
Walterus de Mullem.
Ægidius de Grammen.
Balduinus de Vos, Dom. de Laerne.
Nicolaus Trieſt.
Henricus de la Chambre.
Joannes de Vaernewyck, Dominus d'Exaerde.
Goſwinus de Vaernewyck.
Alexander de Vaernewyck, Dominus de Borſt.
Ywanus de Vaernewijk.
Gillebertus de Maſmines.
Ludovicus de Maſmines.
Joannes de Potelles, filius Joannis.
Wulfardus de Cuinghien.
Georgius de le Moere.
Jacobus de Winghene, Dominus de Coolſcamp.
Joannes de le Merſch.
Joannes de le Ketulle, Dominus de la Haverie,
Cornelius de Jaghere.
Jacobus d'Olſene.
Jacobus & Joannes de Beverwaen, fratres.
Oliverius van Brakele.
Joannes & Simon Clocman, fratres.
Jacobus & Gulielmus de Raveſcot, fratres.
Jacobus & Nicolaus Utenhove, fratres.
Joannes Utenhove.

Simon & Joannes Utenhove, fratres.
Nicolaus vanden Zicchele.
Simon de la Chambre.
Georgius Utenhove.
Joannes & Gulielmus de Herzele, fratres.
Daniel de Bouchaute.
Daniel de le Voorde, Dominus de Wedergraete.
Simon de Craene.
Balduinus Braem.
Daniel de le Munte.
Levinus Damman.
Gerulphus Borſlunt.
Eraſmus [illegible] Onredene.
Petrus Serſimons.
Joannes Doodevelde.
Joannes & Daniel Serſanders, fratres.
Simon Bette.
Joannes de Grutere.
Judocus Trieſt.
Chriſtophorus Trieſt.
Balduinus, Daniel & Joannes Rijm, fratres.
Joannes van Huyſen.
Joannes & Stephanus de Formelles, fratres.
Ioannes vanden Zijpe.

E quatuor Ambachtis.

Guido de Ghiſtelles.
Philippus de Mullem.
Filii Ioannis de Ghiſtelles.
Gerardus de Ghiſtelles.
Carolus Baſtardus de Ghiſtelles.
Florentius de Saemſlacht.
Hector Vilain.
Rogerius Vilain.
Ludovicus de Steelant.
Ioannes Hauweel.
Ioannes de Maldeghem.
Iacobus de le Voorde.
Philippus Wielant, Dominus de Peerboom.

E Waſia.

Adrianus Vilain.
Ioannes Vilain.
Philippus Steelant.
Oliverius de Iaeghere.
Hector van Veurhoute.
Philippus Vilain.
Antonius de Rotſelaer.
Ioannes de Steelant Senior.
Ioannes de Steelant, Ioannis filius.
Ioannes de Steelant, filius Philippi.
Balduinus de Scouteeſe.
Ludovicus de le Moere.
Georgius Braderick.
Rogerius Braderick.
Ioannes Vit.
Ludovicus Vit.
Godefridus Braem.
Petrus de le Boſche.
Philippus de Vos.
Gulielmus de Pottelsberghe.
Bernardus de Brakele.
Gulielmus Serſanders.
Oliverius Vaentkin.
Petrus Vaentkin.
Robertus de Meeſtere.
Ioannes de Dunſſe.
Gerardus vander Elſt.
Ioannes metter Penninghen.
Gualterus de Crubeke.
Ioannes Neve.
Henricus de Annerijcke.
Petrus Goethals.
Levinus van Buggenhout.
Ioannes Dullaert.
Ioannes de Riſtelberghe.
Theodoricus Iacobs.
Gualterus de Kets.
Simon de Boulaere.
Henricus de le Velde.
Henricus de Calue.
Major hæreditarius de Sinai.
Ægidius van Gavere.
Henricus Plaſch.
Ægidius Bertram.
Joannes Ruweel.
Philippus de Lanthoudere.
Joannes van Lane.
Joannes de Gand.
Joannes d'Exaerde.
Joannes de Danſaert.
Henricus Beyaert.

E Teneramunda.

Giſlenus de Halewijn, Dominus de Buggenhoute.
Joannes de Maſmines, Dominus de Calkene.
Ludovicus de Maſmines.
Ogerius de Maſmines, Dominus d'Vutberghe.
Gerardus de Maſmines.
Joannes de Maſmines à Wettere.
Martinus de Maldeghen.
Daniel de Calkene.
Chriſtianus Vuterzwaene.
Giſlenus Chriſtiani filius.
Joannes de Prooſt, Prætor Teneramundæ.
Simon Bockaert.
Renerus Bockaert.
Ioannes Godevaerts.
Ioannes Pipenpoy.
Ioannes de Ionghe.
Simon Arents.

Goſwi-

Goſwinus de le Mote.
Petrus vanden Boſche.
Ægidius vanden Boſche.
Gillebertus de Maſmines.
Ludovicus de Maſmines.

Ex Aloſto.

Ioannes de Luxemborgh, Dominus de Rodes & de Bornhem.
Dominus Dantoing, Dominus de Sottengien.
Dominus de Robaix, D. de Herzele.
Dominus de Croiſiles, Dominus de Amognies.
Guido Turpin, Dominus de Gavere.
Epiſcopus Cameracenſis, Dominus de Lidekercke & de Raſſengien.
Iudocus Tollins, Vicecomes Aloſtanus.
Domini de Santberge è familia Dixmudana.
Dominus d'Engien & de Grammeghem.
Dominus de Heyne.
Iacobus Steemaer.
Gulielmus de Steenhout.
Henricus d'Auvam.
Ægidius Hanghereel.
Iacobus de le Hamaide, Dominus de Renay.
Petrus de Boulers, Dominus de Boulers.
Ioannes de Ieumont, Dominus de Quarmont.
Oudardus Blondel, Dominus de Pamele.
Andreas de Maſtaing, Dominus de Maſmines.
Ioannes d'Ooſtkercke, Dominus de Voorde.
Parcevaldus de Sone, Dominus d'Oultre.
Philippus, Dominus d'Erpe.
Ioannes de Steelant, Dominus de Parke.
Philippus vanden Merſch, Dominus d'Oomberghe
Ioannes d'Embyſe, Dominus d'Opbrakele.
Ioannes de le Bonnerne, Dominus de Viane.
Arnulphus de Gavere, Dominus de Scornaix.
Ioannes Tollins, filius Ioannis.
Wenceſlaus de Santberghe.
Chriſtianus vander Gracht, Dominus de Melſene.
Ioannes de Vos, Dominus de Poulaere.
Stephanus de Lidekercke.
Gulielmus de la Deuſe, Dominus d'Etichove.
Ioannes de Grimberghe, filius Domin. d'Aſche.
Gerardus Nothus d'Aſche, Dominus de Lieſinge.
Ioannes de Yedeghem, Dominus de Wieſe, filius Toparchi d'Engien, Dominus d'Akere.
Ghiſelbertus de Lu.
Robertus Borau.
Ioannes Godevaer.
Florentius d'Eſpies.
Ioannes du Foreſt.
Florentius de Maerke.
Ioannes de Yedeghem de Granmont.
Ioannes Lithau dictus de Vile.
Ægidius de Dunere.
Dionyſius Gilloen.
Lancelotus de Reyghersvliet.
Rogerius d'Eſcornay.
Ioannes de Waesberghe.
Hector de le Berghe.
Hector Unter Wulgen.
Ægidius le Haeck.
Adrianus vander Moten.
Eraſmus d'Embieſe.
Godefendus vanden Hoyen.
Colinus du Foreſt.
Robertus de le Gracht.
Cornelius de Blaeſvelt.
Ioannes Hangereel.
Bonus de Vilain.
Arnoldus de Reyſe.
Ludovicus de Blaeſvelt, Dominus de Fanteghem.
Ioannes de Blaeſvelt, ejus frater.

E Ninovia.

Ioannes de Wedergrate.
Ludovicus de Montargis,
Levinus de Bruwere.

Ex Aldenarda.

Toparcha de Steenhuyſe.
Gerardus d'Eſcornais.
Oliverius, Dominus de le Vichle.
Toparcha de Rockeghem.
Ludovicus de Rockeghem, ejus frater.
Toparcha de Marke.
Ioannes de Cleſſenere.
Petrus de Gavere dictus d'Eſcornais.
Andreas Danvain.
Georgius de Cordes.
Colardus de Crits.
Arnoldus Blanckſtain.
Roſſardus & Ioannes de Scotiſſaert.
Arnoldus vander Varent.
Iudocus vanden Vivere.
Robertus Lodins.
Gerardus vander Moten, filius Walteri.
Ioannes vander Meere, Senior.
Ioannes vander Meere, Iunior.

Ægidius vander Meere.
Andreas & Ægidius vanden Boſche.
Ioannes de Plume.

E Corturiaco.

Toparcha de la Gruthuſe.
Toparcha de Halewijn.
Toparcha de Lichtervelde.
Gerardus de Ghiſtelles.
Toparcha d'Iſengien.
Ioannes de le Walle.
Toparcha de le Gracht.
Ioannes Bernage, Dominus de Moue.
Rogerius de Tolnaer.
Ioannes d'Vutkercke, Dominus de Deſſelgem.
Petrus de Leſpiene.
Gerardus le Coutere.
Walterus & Perſevaldus de Halewijn, fratres.
Rogerius Boetelin, Dom. de Heule.
Joannes de Heule, Dom. de Verbois.
Jacobus de Stainbourg.
Joannes, Dominus de Poucques.
Balduinus, Gulielmus & Oliverius de le Gracht, fratres.
Geldolfus, Ludovicus, Joannes, & Oliverius de Demwaerdere, fratres.
Rogerius de Halewijn, Dominus de Sweveghem & Roosbeke.
Tierceletus de la Bare, Dominus de Moucroen.
Joannes de Leeuwerghem.
Joannes de le Hove.
Rolandus de Cunigien.
Jacobus Smet.
Rogerius de le Brande, Dominus de Baumchove.
Ludovicus de Cokere.
Gerardus de Tolnaere.
Eulardus de Claerhout.
Percevaldus de le Woeſtine.
Gulielmus de le Walle.
Joannes de Dadizele.
Judocus de Langhe, Dominus de Suervelde.
Judocus de le Stock, Dominus de Ghelwelt.
Joannes & Iacobus de Moerkercke.
Cornelius de le Eenchoute, Caſtellanus de Roulers.
Judocus de Gherbode.
Judocus de Calonne.
Jacobus de Lichtervelde.
Balduinus de Stavele.
Petrus & Wulfardus d'Aultrive.
Ludovicus de Valkenaer, ejuſque fr.
Walterus Oudone.

E Brugis.

Ludovicus, Domin. de Moerkercke.
Joannes de Flandres, Dominus de Praet & de Woeſtijne.
Judocus de Halewijn, Dominus de Vutkercke.
Ludovicus de Temſteke.
Ioannes de Wittem, Dominus d'Ooſtcamp.
Iudocus de Brune.
Joannes Blankaerd.
Ioannes Dogierlande, Dominus de Vornerſele.
Toparcha de Merkem.
Iacobus de Ghiſtelles, Dominus de Dudzeele & Straeten.
Ludovicus de Haveskercke.
Theodoricus de Halewijn.
Gulielmus de Halewijn.
Iacobus Boudins.
Daniel de Temſeke, filius Ioannis.
Rolandus de Calonne.
Henricus de Meetkercke.
Ioannes ejus Filius.
Ioannes d'Artrijke, Dominus de Tilleghem.
Ioannes de Varſſenaere.
Monfrandus & Georgius Wijts, fratr.
Iacobus de Bevere, Dominus de Nivelle.
Iudocus de le Berghe, filius Ioannis.
Colardus de Heule.
Leonius Belle.
Ioannes Bonin.
Nicolaus de Hurtere.
Iacobus Robrechs.
Hector de Haſe.
Gualterus de le Gate.
Ioannes, Guido, Antonius, & Oliverius de Baenſt, fratres.
Balduinus le Cot.
Iacobus Once.
Ioannes de Ghiſtelles.
Ioannes de Bonem, Iunior.
Iudocus de le Stichele.
Martinus Conin.
Iudocus Conin, filius Ioannis.

Ex Ardenbourch.

Carolus de Ionghe.
Rolandus de Cleene.
Nicaſius de Boukercke.
Ioannes de le Hove.

Ex Ooſtburch.

Walterus de Veiſe.
Victor de Stralem.

E

E Neoporto.

Renaldus Knibbe.
Ludovicus & Petrus de Bailleul, frat.
Iacobus de Teghelaere.
Ioannes de Gand.

E Furnis & Territorio Furnenſi.

Vitus de Viſch.
Petrus de Stavele.
Carolus, Ludovicus, Ioannes & Chriſtianus de Pollinchove, fratres.
Ioannes de Pollinchove, Franciſci filius.
Huſtinus Belle.
Petrus de le Burch.
Lancelotus Veiſe.
Achilles de le Berghe.
Sigerus de Viſch.
Florianus, Nothus d'Ekelsbeke.
Hector de Stavele.
Leonius de Stavele.
Floridus de Crane.
Audomarus Knibbe.
Walerandus Knibbe.
Theodoricus de Stavele.
Ioannnes Knibbe.
Iacobus de le Burch.
Sigerus de Crane.
Ægidius de Pieſnes.
Robertus de Wacken.
Theodoricus de la Tour.
Triſteramus de Crane.
Ioannes Boudins.
Ioannes Bouſſe.
Ioannes Colin.
Georgius d'Oye.
Andreas Minevere.
Ioannes de Wulfberghe & Ludovicus, ejus frater.
Gulielmus de Nelle.
Iacobus Zoetin.
Vitus de Viſch.
Vincentius de Veiſe.
Vigorius de Crane.
Ioannes Akere.
Hector de Reninges.
Paſchaſius Muts.
Iacobus de Valewe.
Vitus Belle.
Franciſcus Hooft.
Ioannes Hooft.
Gulielmus de le Walle.
Chriſtianus Paeldijnck.
Ebboldus van Iſſele.
Arnoldus de le Bogarde.
Gulielmus Caes.
Michael de Jonghe.
Joannes Valke.
Godefridus de Viſchere.
Joannes de le Wegeſtede.

E Bergis.

Walterus de Ghiſtelle, Dominus d'Ekelsbeque.
Joannes, Dominus de Drinckam.
Philippus de Lompre.
Philippus de Haveskercke.
Jacobus de Waerhem.
Joannes de le Buſche.
Petrus du Buiſſon.
Oliverius de Bavelaere, ejuſque filius Joannes.
Chriſtophorus de Bavelaere, filius Oliverii.
Gulielmus de Brouckercke.
Joannes de Hoynule.
Andreas de Hernes.
Walterus de Hoynule.
Georgius de Biernes.
Dionyſius de Fienes.
Jacobus du Louvre.
Henricus Walins.
Matthæus & Petrus Gibben, fratres.
Ioannes Gibben.
Sigerus Gibben.
Theodoricus Tant.
Ioannes Stoclurel.
Ioannes le Spicke.
Laurentius de le Hoye.
Franciſcus de le Woeſtijne.
Chriſtianus de Viſchere.
Franciſcus de Drinckam.
Ioannes Lamer.
Franciſcus & Gulielmus de Sinneghem.
Florianus de la Capelle.
Laurentius Spreeuwe.
Renaldus d'Oye.
Petrus de Scelewe.
Michael de Viſchere.

E Brouckburgo.

Ioannes de Drinckam.
Walramus, Georgius & Ioannes de Heuchin, fratres.
Georgius de Wez.
Iacobus & Petrus le Wicke.

Ex Ipra, ejuſque Territorio.

Ioannes, Nothus de Dixmude.
Olivarius van Scoten.
Ludovicus de Lichtervelde, Dominus de Staden.
Victor & Ioannes de Lichtervelde, ejus fratres.
Arturus de Lichtervelde.
Monfrandus Belle, Dominus de Boeſinghen.

Walravius ejus frater.
Ioannes Belle.
Cornelius de Dixmude.
Olivarius de Dixmude.
Ioannes, Dominus de Morſlede.
Walterus ejus frater.
Walterus Gilloen.
Iudocus Brijde, Senior.
Iudocus Brijde, Iunior.
Rolandus Brijde.
Georgius Paeldinck.
Dankardus Belle.
Chriſtophorus de Maets.
Petrus de Brouckere.
Ioannes de le Veſte.
Olivarius de le Woeſtijne.
Rogerius de le Woeſtijne.
Ioannes le Pic.
Ioannes de Langemerſchen, Dominus de Rumbeke.
Otto de Cunigien, Dom. de Rode.
Ludovicus de Steenbrugghe.
Godſcalcus, Dom. de Volmerbeke.

E Warneſtono.

Petrus de Waghenaar.
Wolfardus de Hollebeke.
Gerardus de Flenques.
Guido de le Val.
Gerardus de Houplines.
Henricus le Vicq.
Rolandus de Waterbeke, Dominus de Linſelle.
Petrus de Rabecque.

E Balliolo.

Gulielmus vanden Houte.
Victor vander Stockt.
Franciſcus de Wolf.
Oredus van Ackere.
Adamus Taffeel.
Adamus de Waghenaere.
Ioannes de la Cornhuyſe.
Martinus van den Houte.
Oredus Waleus.
Walterus Mandeken.
Georgius Anſeel.

E Caſteto.

Colardus de Comines, Dominus de Reneſcure.
Ioannes du Bois.
Petrus de le Delft.
Iacobus de le Delft.
Ioannes, Dominus de Moerebeke.
Theodoricus de Haſebrouck.
Ioannes de Staples.
Balduinus de Bavinchove.
Ioannes Loonis.
Iacobus & Chriſtianus de Vergelot, fratres.
Ægidius Ghiſelin.
Henricus de le Bryarde.
Philippus de la Cornhuyſe.
Henricus de Steenbeke.
Ogerius de Steenbeke.
Franciſcus & Hutinus de Haveskercke, fratres.
Iacobus de Waelſcappele.
Carolus de Hondeghem.
Gerardus de Zuytpeene.
Valentinus de Zuytpeene, & Wilhelmus, fratres.
Joannes de le Tauwe.
Theodoricus de le Tauwe.
Ægidius Hauweel.
Hector de Berquin.
Jacobus de Couſencourt.
Philippus de Waterleet.
Nicolaus Baſtardus de Moerbeke.
Gaditer Walins.
Georgius de le Clijte.
Sigerus le Stock.
Rolandus du Queſnoy.
Joannes Vlamijnck.
Petrus Walins.
Gulielmus Thirel.
Walterus de Straſelle.
Vincentius de Courtewille.
Joannes de Hondeghem.

Ex Inſulis.

Toparcha de Wavrin.
Toparcha de Lannoy.
Toparcha de Robaix.
Toparcha de Roſimbos.
Toparcha des Obeaux.
Toparcha de Croiſilles.
Toparcha de Santes.
Toparcha de Houvardrie.
Toparcha de Landas.
Toparcha de Comines.
Toparcha de Croix.
Toparcha de Hem.
Petrus de Robaix.
Joannes de Comines.
Hugo de Hem.
Joannes & Georgius de Roſimbos, fratres.
Tibaldus de Landas.
Jean de Marchenelle.
Antonius du Boys.
Rolandus du Queſnoy.
Petrus de Broukercke.
Antonius Baſtardus de Wavrin.
Renaldus de la Hoye.
Joannes de S^t. Omer.
Colardus du Boys.
Jacobus de Carnin.
Hugo de Halewijn.
Rolandus du Gardin.
Rolandus de Croix.
Joannes de Lannoy.
Joannes de S^t. Auvin.
Et alii plures, quorum nomina ob laceratas paginas legi non potuerunt.

CARO-


CAROLUS SECUNDUS
BELLICOSUS
28. Comes Flandriæ.

CAROLUS II. BELLICOSUS.

XXVIII. Comes.

CArolus in negotiis laborioſus, in periculis fortis, in agendo induſtrius, in conficiendo velox, quem Irenicus Germanus terribiliſſimi Ducis nomen tuliſſe ait, à Carolo Nivernii Comite, patris fratre patruele, ad Baptiſmi ſalutares aquas una cum Antonio Croyo ſponſore nactus eſt nomen: Divione ortum, Gandavi educationem, nam bimulus huc traductus eſt, atque Belgici Principatus compagem, à Patre ſtructam, ampliavit, Geldria Zutphaniaque à Duce Arnoldo, gentis Egmondanæ, anno CIↃ CCCCLXXIII acquiſita: partim pretio nonaginta millium aureorum Rhenenſium, certiſque decem annorum reditibus, ac ejus teſtamento, quo Carolum hæredem ſcripſit, filio abdicato, partim Gerardi Gulichii Principis in eam Provinciam non obſcuro jure, octoginta florenorum Rhenenſium millibus comparato. Frederico III. Cæſare paulo poſt Treviris approbante, & inaugurante, tum cunctis quas ſub imperio tenebat ditionibus, tum Geldriæ inprimis. Quo autem ritu id factum ſit, quanto luxu erga Cæſarem Carolus ſe geſſerit, non videtur omittendum, Cæſar enim eques extra urbem obviam prodiens, adventanti Carolo, ſex Comitum, nobiliumque ſexcentorum, aureas ſericaſque veſtes amictorum ſequela, atque in equo ſalutanti, indutoque ſuper arma chlamydem ducentis ducatorum millibus æſtimatam, obtulit dexteram benigniſſime: dein in ſublimi ſuggeſto forenſi, ſolioque imperiali conſidens, illum ingeniculantem juratumque fidelitatem ad Crucem capuli enſis Cæſarei, ſublevavit, Principibus imperii aſſcripſit, Geldriæque ſignum in manum tradidit, tunc veſtito prolixam togam Perſici coloris holoſericam, diffluentem, herminiſque ſuffultam, caputque recto pileo corona circumcincto. Contra Carolus ad Maximini, citra urbem, ubi diverſabatur, Cæſarem & Maximilianum filium, Imperii Electores, cæteroſque Principes excepit prandio, ad admirationis faſtigium, ſumptuoſo & vaſorum aureorum, argenteorum, gemmatorum pretio, copiaque regifico. Ex quibus una paropſis in ſecundis bellariorum menſis ante Cæſarem poſita, ſcribitur valuiſſe aureorum millia ſexaginta. Neque minorem Cæſari ſtuporem ante convivium incuſſerat ornatus altaris, ubi ſacra audiit, à Carolo exculti pluſquam ſexaginta tum aureis, argenteis, gemmatiſque ſtatuis atque crucibus, tum lilio aureo, tam ſingularibus margaritis diſtincto, ut Cæſaris oculos vix ſatiaret, ducentaque aureorum millia, peritorum æſtimatione, adæquaret. Porro cauſa præcipua hujus conventus ac impendiorum eo tendebat, ut Carolus titulum Regis Burgundiæ, Imperiique in Provinciis cis Rhenum Gallicanis, Vicariatum, à Cæſare, ut hic viciſſim à Carolo, conjugii inter ſuum filium & Caroli filiam pollicitationem conſignatam impetraret. Quæ omnia vana tunc evaſere, per Cæſaris repentinam inconſtantiam, diſceſſumque: quamvis ſe Caroli vota impleturum addixiſſet, omniaque creando Regi ſolemnia parata eſſent, ac Georgius Epiſcopus Metenſis delectus, ad ſacrum faciundum, regiamque inunctionem. Phierrettæ Comitatum Burgundiæ finitimum, in quo Rhinsfeldia eſt & Briſſacum, à Sigiſmundo Auſtrio Helvetiis tunc obluctante, inque Flandriam veniente anno 1467, LXXX florenorum Rhenenſibus millibus pignori accepit. Et quo omnis de Luxemburgi juſto Dominio controverſia extingueretur, cum Iſabella Auſtriaca Sigiſmundi Cæſaris nepte hæredeque, Caſimiro Poloniæ Regi nupta, paciſcens, cuncta illius ſtirpis jura, pecuniis eſt emercatus. Sumptuoſiſſimo luxu tertium matrimonium Brugæ iniit, cum Margareta filia Rikardi Ducis Eboraci Eduardi III. Angliæ Regis ex Edmondo quarto filio pronepotis. Quæ ad Caroli conjugium, anno 1468. ſub Cal. Julias, Sluſam appulit, in ædes Baenſtias: per Caroli matrem filiamque ibi oſculis excepta, & per quatuor ſupremos Flandriæ Magiſtratus reverenter ſalutata. Octavo die, Damum ingreſſa; poſtridie in ædibus Wytſii Bailivi, Carolo in manum convenit: ſacris operante Epiſcopo Sariſburienſi Anglo. Illinc Brugam eodem die venit ad nuptialia feſta ac convivia, in lectica panno aureo conveſtita, per ſex pronubos Equites Anglos ad portam Cruciam: inde per totidem paranymphos, aurei velleris Equites, deducta. Ubi nihil prætermiſſum fuit regii luxus ac ſplendoris. In triclinium, quatuordecim partim argenteis partim aureis cymbis, dapes men-

menſæ nuptiali inferebantur: quæ à pueris, in Cupidinum ſpeciem compoſitis, odore ſuaviſſimo adolebatur. Sponſæ diſcumbentis latus dextrum ſocrus ejus, & privigna: ſiniſtrum Principis Orangii nurus claudebant. Magiſtratus Brugenſis effigiem D. Margaretæ argenteam inauratam, 40 markarum Sponſæ pro Xenio offerebat: arcus portaſque triumphales, ludos & ſpectacula regionatim exhibebat: exterarum nationum mercatores nihil magnificentiæ ſumptuſque, nihil equeſtrium concurſuum, Nobilitas omittebant. Haſce nuptias fertur Carolus ambiiſſe, tum amoris inductione, tum conſilio ut Gallorum Anglos allectantium aſſiduis inſidiis anteverteret: quamvis maternam originem ex Lancaſtria ſtirpe, & Avunculum magnum, Henricum IV. Angliæ Regem eliceret. Eduardum Regem, uxoris fratrem, à Clarentio fratre, & Richardo Warvici Comite perduellibus, Anglia ejectum, amicè excepit, primo in Hollandiam, ad Teſſelam anno 1471. in Octobri appellentem, & illinc altero poſt menſe Ardenburgum, inde Ariam, ad Caroli matrem, adeuntem: ubi Carolus eum convenit: Arià, Brugam 13 Januarii, anno 1472. ingreſſus in domo Gruthuſia eſt diverſatus, magno honore impendiiſque à civitate cultus: donec illinc 14 Februarii Sluſam, & hinc Ermudam Zelandiæ diſceſſit: unde Martii die decimo in Angliam trajecit, claſſe, viris, armis, pecuniis, largiter magis quam aperte, à Carolo tam inſtructus, ut intra viginti dies regnum receperit: quum antea Carolus proceres aliquot ſanguinis Lancaſtri, exules inopeſque ſuſcepiſſet ac aluiſſet. Auxit potentiam tranſactionibus, Conflanſia anno 1465. & Peronenſi anno 1468. cum Ludovico XI. Galliæ Rege confectis: quibus pax Atrebatenſis confirmata: Reddita ei oppida ad Somonam ſita, 200 ſcutatorum aureorum millibus redimenda: Comitatus Guineſius, in quo Caliſium eſt, illi hæredibuſque perpetuo conceſſus. Totius Flandriæ ad curiam Pariſienſem appellationes ceſſabant: permiſſa Carolo poteſtate de omnibus cauſis per Concilium ſuum libere cognoſcendi atque ſtatuendi: denique ſeſe ab omni juramento & clientela liberandi, ſupremumque Regis in Burgundiam, Flandriam, Arteſiamque jus excutiendi, quotieſcumque Rex illis pacificationibus contraveniret. Anno 1471. Equites cataphractos (quos Ordinarios vocant) inſtituit octingentos, in quinque turmas diſtinctos: quibus ſingulis Eques aurei velleris præerat, ejuſque familiæ nomen turma præferebat. Hic minores Præfectos pro arbitrio legebat, Nobileſque Equites inprimis, armis coopertos (tribus militaribus equis, præferrata craſſaque lancea, brevi, lato, ancipitique gladio, & malleo ferreo inſtructos) alioſque promiſcui gradus, belli peritos, ſingulari equo militantes. Singuli equi quinos aureos liliatos menſtruos, turmæ præfectus octingentos annuos merebant. Cornuum acies fronteſque præfectis, nobilibuſque cedebant. Juridicam curiam, novam, ſummam, ultimæque cognitionis, & cunctis Belgis appellationi obnoxiis communem, Mechliniæ, ceu in Belgii meditullio erexit, ex æquo & bono judicaturam, quod ab eo factum ajunt quadam Senatus Pariſienſis æmulatione, ac ne jus ſibi reddi petentibus neceſſe foret aulam affectari, & ut Conſiliarii plus otii ad animi tranquillitatem, libroſque juriſconſultorum evolvendos, ſuppeteret. Cujus Curiæ ipſemet, ipſiuſque in abſentia Cancellarius, atque hoc non præſente, Epiſcopus Tornacenſis, caput erant. Præſides duo, Conſiliarii decem (præter Eccleſiaſticos novem) Magiſtri ſupplicum libellorum ſex: quibus, ut purpurati eſſent, & equis ad Senatum irent injunctum fuit, & hæc ordine cognomina: Joannes Tarulus, Joannes Bovierus, Præſides: Joannes Pomierus, Simon Laleinus, Guydus Brimæus, Antonius Montignyus, Equites: Joannes Juvelius, Folcardus Merkegemius, Petrus Beaufortus, Guilielmus Clignys, Joannes Boiſus, Philippus Wielandus, Conſiliarii: Atharus Longyus, Joannes Jaquelinus, Bernardus Potierus, Guilielmus Clignyus junior, Guilielmus Rotſefortus, Thomas Playnus, Magiſtri libellorum ſupplicum. Quibus Scribæ & Advocati juriſperiti complures, cum primario accenſorum, ſuccenturiabantur. Porrò ille Senatus Mechliniam, in ſuæ functionis, ceu poſſeſſionen anno 1073. introivit: quamvis ſtatim à Caroli exceſſu, Maria filia, belli Gallici & civilis metuens, juſtitium ibi edixerit: quod Philippus Mariæ ſucceſſor ſuſtulit, Mechliniæque illum Senatum 1493 licet minorem ac imbecilliorem, reſtituit, hactenus ibi permanentem. Neque eo minus Carolus bis terve ſingulis hebdomadis in palatio ſuo jus reddebat Proceribus, Nobilibuſque domus ſuæ aſſidentibus. Ingenti Brugæ apparatu atque pompâ in atrio palatino Joannem Croyum, Kivreinæ Dynaſtam, anno 1472. Chimai Hannonici Comitem creavit, inveſtivitque ſpectaculo in Flandria numquam viſo: ob quam gentem, ut rebatur, Patris nimis potentem, antea à Patre diſceſſerat, indignabundus, quod ille & ſibi invito obtruderet ex ea familia, cubiculi

præ-

præfectum, & à Croyis, ut ſuſpicabatur, perſuaſus, hypothecam cis ultraque Somonam oppidorum ſui, Arteſiæque præſcindi permiſerat, per Ludovicum XI Galliæ Regem nondum ſatisfacientem aliquot pacis Atrebatenſis conditionibus. Hujus ex filio nepos Carolus à Croya anno 1486. Aquiſgrani, in Principem Chimai ſacrique Imperii evectus fuit, per Maximilianum Cæſarem, qui in diplomate inveſtituræ dicit, illum ex vera legitimaque Regum Hungariæ ſtirpe deſcendiſſe. Ejus filia hæreſque Anna (quam ex Aloiſia Alebreta Regis Navarræ ſorore natu majore, Avenarum, Landrechii, Lilerſii, S. Venantii, aliarumque Dynaſtiarum Domina ſuſceperat) Philippo Croyo primo Arſſchoti Duci nupta, gentis illius opes immenſum auxit. Cum maximi aſſiduorum bellorum ſumptus, ad graves nummorum exactiones, ſæpius Carolum impellerent, à claſſe Belgii Eccleſiaſtica, haud ſatis proclivi, fructus biennales domorum, & triennales omnium bonorum immobilium intra annos quadraginta proximos acquiſitorum impetravit; quo facto fuere ea bona (ut aulæ praxis loquitur) amortiſata, hoc eſt, quieverunt in Eccleſiæ mancupio inalienabili; ſed à cunctorum Belgicæ Ordinum (inter quos Geldriæ, Picardiæ, Boloniæque delegati comparuere) Comitiis Gandavi anno 1475. per eum indictis, & convenientibus, ſextæ omnium facultatum poſtulatæ repulſam tulit: Verum ex Caroli fama & proſperitate non parum deterſit exitus Ludovici Luxenburgii, Franciæ Coneſtabilis, Sanpauli, Marlæ, Briennæ, aliorumque comitatuum reguli, magnarumque in Flandria facultatum: Dunkerka enim, Grevelinga, Burburgus, Waeſtena, Ghiſtela, Englemonſtra, magnumque Brugæ telonium ſub illius erant ditione, quæ Caroli ſupremum Imperium, non ſecus atque Sanpaulinus comitatus agnoſcebant: fratremque habuit Theobaldum Fiennarum, Armenteriæ, & Zottinghemi Dynaſtam, Lamoralli Egmondæ Gaveræque Principis, proavum maternum. Quem Sanpaulinum Coneſtabilem, Carolus, notho Borbonio Halmyrallo, Regis Ludovici XI. Legato, ad pænam capitalem anno 1475. exhiberi Peronæ juſſit: ſic enim inter eos convenerat; quamvis ille, ubi reſcivit ſe utriuſque Principis pacto, præjudicioque eſſe damnatum, quod ſe tamen ignorare ſimulabat, Montium Hannoniæ ad Rollinum, Aymeryum, Hannoniæ præfectum, amicorum intimum in poteſtatem Caroli, tunc abſentis, confugiſſet: ratus antiquam benevolentiam, recentibus offenſis validiorem, ſolitoque ejus candori, atque (ut Cominæus, ſecus quam Molinetus aſſerit) datæ fidei confiſus: quod mirum eſt: Etenim Carolus, quam fidei, unici ſocietatis humanæ vinculi, tenax eſſet vel erga infidos documentum ſtatuit, in Rege Ludovico XI. cui ad ſe Peronam venienti fronte amico, at clam Leodienſium atrocitatem in Caroli præſidia comparanti, fidem ſervavit, emiſitque ſoſpitem. Sed forſitan à conſiliariis iracundis, & quærentibus latebram perjurio; quod argutarentur, nullam eſſe fidem quæ infideli data ſit; exacerbatus fuit in Luxemburgium; ut virum nobiliſſimum, propinquum, olim bene meritum, & in ſumma anxietate ſua ad ipſius aſylum ſponte confugientem, ſupplicemque, in famoſam necem; ejus opum & Quintinopolis mangonio traderet, ſibi arrepta, juxta Gallicum ſarcaſmum, vulpis pelle utibili, Regi oblata ejuſdem carne inutili, ſed tetrum odorem afflante, talium negociatorum exiſtimationi. Accedebant eo Ludovici Regis artes: qui Carolum Nanceio Lotharingiæ aſſidentem, victoriæque incertum, ſe inducias facturum, Lotharingo opitulaturum, ni Sanpaulinus traderetur, comminatus; perculit cunctabundum, ut ex pacto dederet, utriuſque clientem, partium ambiguum, & mutui odii bellique fomitem. Itaque in manus Regis tranſiit, Hymbercurto & Hugonero Cancellario, quos ille Caroli Legatos, Royæ antea offenderat, mentirique immodeſte dixerat, perquam avide tradentibus ex Caroli mandato; ſed legem à Gratiano, Valentiniano, & Theodoſio Auguſtis latam, parum obſervantibus, qua Principum talia juſſa, ante diem à mandato trigeſimum, feſtinari prohibentur: quæ acceleratio, & eo indignior fuit, quia tres poſt horas (Nancio jam capto) aliis literis, ne eum dederent, jubebantur, & ex odio in Sanpaulinum orta, certè aucta, in ipſorum caput poſtea vertit. Neque Carolus minus fuit aſper in Adulphum Geldriæ Ducatui per ſubditos inauguratum, amitinæ ſuæ filium, ordinis aurei velleris Equitem, virumque Borboniæ, uxoris ſuæ ſororis: Patri quidem nefande acerbum, ſed non obnoxium Caroli tribunali, utpote ſacri Imperii Principem. Illum etenim in aulam ſuam amice evocatum, & rogante Carolo, Arnoldum Patrem ſuum ex arce Burenſi, contra matris populique voluntates eximentem, in carcerem Curtracum miſit, ſuſpicabundus, iratuſque quod ille clam receſſerat, Geldriam verſus: emitque à ſe capti perpetuæque cuſtodiæ à Collegio aurei velleris addicti, hæreditatem ac poſſeſſionem

à Patre in filium contumacem inflammato, atque armis occupavit. Poſtremo, ambitio, & pertinax ſui confidentia, aut æterna illa mens (quæ cujuſcunque mutare fortunam conſtituit, conſilia corrumpit) eum peſſùm dedere: cum Helvetiis ac Lotharingis infenſus & duabus ſtragibus debilitatus, Nancyum iterum obſideret, amicis tribuniſque diſſuadentibus, acerbiſſima hyeme, copiiſque tam infirmis, ut ex iis vix ter mille, uti ex Centurionum diſquiſitione, Comes Chimayus ad eum retulit, aut mille ducenti (teſte Cominæo) pugnæ apti eſſent, & defereretur à Nicolao Montfortio, Campobaſſi in Japigia Apuliæ Comite, quem à Rege Ferdinando Neapolitano profugum, ſenem, inopemque ditaverat, quadringentis cataphractis Italis, totique exercitui præfecerat, ſed infidiſſimum benefactoris ac Imperatoris ſui proditorem, & ante pugnam, cum parte equitatus ſui, deſertorem, apertumque hoſtem, ac inflictum jam pridem pugnum, uti refert Cominæus, à Carolo, nefarie diſſimulantem; cujus tamen perfidiam Carolus manifeſtam habuiſſet, ſi aut Ludovico Regi illius proditionem, laudabili exemplo, aperienti fidendum putaſſet; aut Sifronium nobilem hoſtis clientem, proditioniſque Campobaſſi conſcium, internunciumque, quia obſeſſam urbem ingredi tentaverat, captum, ſuſpendio non præcipitaſſet, inauditum, & ſæpe fruſtraque orantem, cum ad ſupplicium duceretur, ut Carolum ipſum convenire permitteretur, rem maximi ponderis patefacturus. Unde factum eſt, ut ad Jarvillam, prædium ruſticum, audaciſſime pugnans, ab Helvetiis, aliiſque Germanis, Renato Lotharingiæ Duci aſſociatis; ac inprimis à Baumontio Lotharingo ad torrentem congelatum, per femur utrumque atque nates, haſtis transfigeretur, ignoratus; & à vertice cerebroque ad dentes uſque halabardica ſecuri diſſecaretur, occideretur, inque foſſam projiceretur, ad annum 1477, anno Imperii nono menſe ſeptima, ætatis XLIII. Ubi vix die à pugna tertio, inter cadavera inventus eſt, nudus, facieque ad glaciem foſſæ affixa: cognitus à Baptiſta Columna Romano, puero domeſtico, & Lopezo Portugallo medico, aliiſque familiaribus, per varia & nota ſigna: Renati victoris humanitate, præſentiaque, honorificè Nancæi, in templo primario, ante altare Georgianum ſepultus eſt; donec Brugam ad Mariæ, anno 1553. cura impenſiſque Caroli Cæſaris pronepotis, in ſumptuoſiſſimum Mauſolæum, ante aram maximam transferretur. Rex Ludovicus ejus cæde tam effusè gaviſus eſt, ut centum quinquaginta pondo argenti in abacum facti nuncio, qui procerum domeſticorum unus erat, dederit; teſtatus eo jucundiorem numquam accepiſſe, neque ullum magis hominem, quam Carolum metuiſſe. Erat Carolus militarium incommoditatum ſupra fidem patiens; caſtrorum & metatorum, vigilumque apprime ſollicitus, natura ſeverus, gravis, cerebroſus, ſui admirator: ſubditis audiendis expoſitus: erga Regum Principumque Legatos magnificus, in veſtibus pompoſus: tantaque aulicæ ſupellectilis abundantia & pretio, ut tres ditiſſimas regias antecederet: hoſtibus, & domeſticis etiam (ſi verus eſt Cominæus) formidabilis: ſententiæque ſuæ in conſiliis pertinacior: Linguarum externarum, præſertim Latinæ, Hiſpanicæ, Anglicæque, ac Muſicæ peritus, hiſtoriarum, maxime de Alexandro Magno, & Julio Cæſare ſcriptarum, ſtudioſus: vini cibique abſtinentior, quam delatorum. Tam raræ caſtimoniæ; ut nulli, præterquam uxori, miſceretur: ſtupraque in milite non minus quam deſertionem, furtaque ſevere prohiberet, ac puniret: nam aliquot in oppidis, licet vi expugnatis, omnes milites in patibulum dedit, qui fœminas illic contra edictum violaverant: conſulemque Zelandum quendam, qui puellam illubentem viciarat, eamque ducere juſſus, abnuerat, capitis damnavit: Statura fuit ut ſcribit Thomas Baſinus Lexoviorum Epiſcopus coætaneus familiariſque, mediocri, patre brevior, corpore vegeto, & ſucculento, colore capillorum & oculorum nigro, naſo, mentoque oblongo, facie virili ſuffuſca, cineritia, ad ſimilitudinem maternæ originis Luſitanicæ. Hæredem in ſolidum habuit *Mariam*, filiam unicam, quam Iſabella ſecunda uxor, amitina, Caroli Borbonii Ducis filia, Antverpiæ ad Michaelis ſepulta, ipſi peperit: prima & poſtrema conjugibus infœcundis, quarum illa Ludovici XI. Regis Galliæ, hæc Eduardi IV. Angliæ Regis ſoror erat: Mechliniæ ad Franciſcanos ſepulta: cum ex aſſignato per maritum, Caſſeti, Aldenardæ, Teneramondæ, Mechliniæ, Queſnoyæ, Binſyque uſufructu, ſeſe 26. annis modeſte aluiſſet.

MARIA


MARIA VALESIA
MAXIMILIANO ARCHIDUCI
AUSTRIÆ NUPTA
29. Comes Flandriæ.

MARIA VALESIA MAXÆMILIANO
Archiduci Auſtriæ nupta. XXIX. Comes.

Mariæ, cui Gandavum a teneris educationem, Bruxella natalem locum præbuit, Rex Ludovicus XI. qui illam ad ſacrum fontem, matris ſuæ nomine donaverat, pernicioſus inprimis hoſtis fuit: quamvis circiter annum ante Caroli interitum, pactas inducias novennales cum Carolo, ejuſque hærede, ditionibuſque ſuper ſancta Euangelia, ſuper ſtipitem veræ Crucis Chriſti, per fidem Deo debitam, per ſanctam legem Chriſti in baptiſmo acceptam (ſic recitant Annales) juramento ſanxiſſet ad annum 1475 menſe Septembri. Neque enim Ducatum Burgundiæ tantummodo, ſed quæcunque Patri Avoque per Atrebatenſem & Confluentinam pacificationes acceſſerant, Mariæ, poſteriſque ſubito eripuit; Ad has invaſiones uſus inprimis literis fraudulentis, ad Ordines regionum quas uſurpavit, prætexenſque ſpeciem cognatæ, & orbæ, (quam filii nuptiis deſtinabat,) protegendæ: defectionibus Orangii Principis (gentis Chaloniæ) & Philippi Crevecurii, ſuccenturiantibus cupiditati Regis, Flandros etiam in tantam ſeditionem, turbaſque incitantis; ut ipſamet Maria, veſte vultuque lugubri atque flebili, cum noverca ipſi fidiſſima, à Gandenſibus tam in curia Scabinorum, quam in foro rejiceretur, precabunda, ne Guydi Brimæi Hymbercurtii, Megæ Comitis, & Guilelmi Hugoneti, Cancellarii, cui Carolus Middelburgum Bladelinum antea donarat, ſupplicium præcipitarent, ſed idoneos illis judices concederent. Quorum pœna capitalis, quia memorabilis eſt, tum ob inſignem contemptum legitimæ Principis, virginis, æquiſſimum orantis, tum ob caſus hominum dexteritate, prudentiâ, facundia, auctoritate præcellentium, latius in hunc ſenſum Gallice enarratur per Joannem Molinetum, Synchronum, hiſtoriographum, nondum quod ſciam, non magis quam Georgium Caſtellanum, qui vitam Philippi Boni ſcripſit, typis evulgatum. Cum illi à Legatione Peronenſi Gandavum rediiſſent, ubi Princeps erat, Ordineſque Belgii, & poſtulata Regis Ludovici, quibus Maria in tutelam regiam, nuptiaſque regii filii ſeptennis, ipſa vigeſimum ætatis annum ingreſſa, efflagitabatur, urgerent, Mariæ triſtitiam lacrymaſque ut quidam affirmant, excivérunt: neque non Joannis Cliviæ Ducis, ejuſque fratris Adulphi Raveſteinæ reguli ſimultatem, præſentium, & Mariæ conjugium filio Clivenſis ambientium. Quorum indignationi acceſſerunt artes Regis Ludovici, diſſidiis ſerendis (teſte Cominæo) aptiſſimi, neque non Ludovici Borbonii, Epiſcopi Leodienſis, cui Arenbergius aderat, Comitiſque Sanpaulini Petri adverſus utrumque iracundia: illius propter Leodienſium Provinciam ab Hymbercurtio adminiſtratam offenſi: hujus propter Patrem Coneſtabilem tam avide propereque Gallis Peronæ ad ſupplicium ab illis traditum, iratiſſimi. Hinc Gandenſes per illorum inimicos excitati, & eximiæ utriuſque apud Carolum, Mariamque potentiæ infeſti, ambos comprehenderunt, Ordinum aſſenſu: Cancellarium quidem domi ſecurum: Hynbercurtium, ubi de illo audivit, ad Carthuſios, urbi proximos, ſe proripientem, atque latentem: quamvis uterque per amicos fuiſſent tempeſtivè præmoniti impendentis calamitatis: Sed quæ fato manent, quamvis ſignificata, non vitantur. Soli vero Gandenſes illos examinandi, torquendi, atque judicandi auctoritatem uſurpantes, intra ſex dierum ſpatium (ne ampliati prolixius, per gratiam amicorum elaberentur) demum per ora vulgi ad tribunal ſuum productos, lecta publice ſententia, capitis damnarunt, treſque poſt horas ſupplicio affecerunt: licet interponendæ moræ, ad curiam Pariſienſem provocaſſent. Poſtulati ſunt Privilegiorum urbis Gandenſis infractorum, & judicii (quod pro Gandenſibus nuper tulerant) pecunia remunerati: Sanpaulini ad ſupplicium præcipitati; Caroli Principis ante Nanceium, nummis ſtipendiariis aut ſuppreſſis, aut ſero miſſis, deſtituti: traditæque Gallo, per Crevecurium Eſquerdium, ipſis auctoribus, Atrebati civitatis, hoc eſt, alterius Atrebati urbis, ubi Epiſcopi ſedes Dynaſtiaque. Sed nullius criminis objecti ritè peragebantur, præterquam forte poſtremi: quod tamen Gandenſes urbis ſuæ privatis rationibus, motibuſque velut nube circumdati, oſcitanter reis opprobrabant: hoc innocentiæ ſuæ

ſuæ teſtimonium conſecutis, quod ipſa Princeps (ad quam judicium pertinebat) interceſſerit, eoſque ſervare, maximopere niteretur. Et prior quidem Cancellarius, eodem judicii die, qui erat poſtridie Kal. Aprilis, anno 1477. laneam, ſplendidam, pellibuſque Scytarum muſtelarum (quas Martes vocant) ſuffultam indutus togam; firmo gradu, (quamvis ſæva prius quæſtione excruciatus) venit in forum, cui à die Veneris nomen eſt, ac in ſuggeſtu contabulato, atriſque pannis cooperto, cervicem gladio ſubdidit, in genua ſubſidens, manuſque jungens, atque taciturnus, ob linguæ Flandricæ, ut credibile eſt, ignorantiam; erat enim natione Burgundus: ſed Doctore Theologo Carmelitico, ejus nomine declarante, quem intuerentur jam pridem Cancellarium obteſtari, ut ignoſceretur, ſi quemquam mortalium, præſertim heras ſuas Burgundicas offendiſſet. Cœtus Carmeliticus decapitati corpus, cum ardentibus quinquaginta cereis facibus juxtim operiebatur, ſuum ad templum deduxit atque ſepelivit: Succeſſit Carondeletus in ejus munus, atque dignitatem. Eadem hora Meganus Comes ad ſupplicii eundem ſublimem locum, ſed rubro panno, ob equeſtrem aurei Velleris ſplendorem, obtectum, carruca vectus eſt: quod propter torturæ aſperitatem pedibus incedere nequiret, veſtem nigram holoſericam amictus, fartam pellibus atris agninis. Binis autem ſatellitibus Gandenſibus innixus, longa oratione civibus indicavit, quam temere injuſteque in inſontem aurei Velleris Equitem, & ex ſacro loco, velut è ſinu matris vi extractum, judicium exercerent. Tripodi dehinc ob eam, quam dixi imbecillitatem, impoſitus, necem à carnificis gladio excepit; cum morienti ſacellanus familiaris, duoque Doctores Dominicani aſtitiſſent; hujus cœnobii ſodalitio cum domeſticis pullatis, centumque tædis, truncatum corpus ad ſepulturam, in Poſternæ ſacellum proſequentibus. Verum haſce Tragœdias, Mariæ cum Maximiliano Archiduce Auſtriæ, Friderici III. Cæſaris ac Leonoræ Eduardo Portugalliæ Rege, Mariæ avunculo magno, genitæ, filio unico, nuptiæ exceperunt, Treviris tractatæ, & ad Nuſiam patris ſigillo promiſſæ, literis annuloque adamante Indico inſignito (ſeu ſponſaliorum addictorum arrabone) à Maria ad Maximilianum, patris juſſu tranſmiſſis & Carolo mortuo, à Mariæ Concilio, Urbiumque delegatis Brugæ ratihabitæ, legatiſque Cæſareis, Archiepiſcopo Trevirenſi, Metenſi Epiſcopo, oratori, Bavariæque Duci addictæ: Maria etiam in Ludovici Bavari, Legati primarii, & Maxæmiliani mandatarii, manum conveniente, ac ſolemni Principum more in eodem thoro, illi dexteram tibiam armato, accumbente. Gandavum poſt Maximilianus venit, regifico Saxoniæ, Brandeburgi, Badenæ, Haſſiæque Principum comitatu, ad annum 1477, decimo octavo Auguſti die: quo in noctem vergente, ſponſam adiit, & ad primum ſponſi appropinquantis aſpectum, in genua ſubſidentem, inſolitoque pallore notabilem, ipſe in genua proruens, amplexu oſculoque ſalutavit: Poſtridie, qui Martis erat, fuit illud matrimonium confectum, Epiſcopo Tornacenſi dextras uniente: ſponſa vigeſimum annum agente, ſponſoque annis duobus antecedente. Nuptiarum præcipua & ante præfixa comitia conviviaque Brugæ, decimo poſt die apparata, ſplenduerunt. Porro Ooſtrykum, hoc eſt, regnum Orientale (quam latinè Auſtriam vocitant) Pannonia ſuperior antiquitus dicebatur, ejuſque primus Marchio Leopoldus fuit, vir ſororis Henrici primi Cæſaris: ſub Friderico primo Imperatore Ducatus titulum nacta demum ad Albertum pervenit, filium Rudolphi ex Comite Habsburgenſi in Cæſarem electi, eamque regionem, legitimo Principe orbam, auctoritate prærogativæ Imperialis, aſſenſuque Imperii Principum, filio, ad annum 1282. concedentis. In qua ſtirpe hactenus permanſit, Friderico tertio Cæſare, Maxæmiliani patre, Archiducem ſeſe primum inſcribente: quod tamen quidam Germani Rudolpho tribuunt, Cæſaris Rudolphi pronepoti, quum Tyrolenſem Comitatum Auſtriæ adjeciſſet. Gentis vero Habsburgenſis originem, quidam à Petris Leonibus Romanis, Juſtiniani Auguſti, Totilæque Regis tempeſtate, in monte Aventino illuſtribus validiſque, alii à veterum Auſtraſiæ regum ſanguine repetunt: Sed eruditi noſtro ævo Germani ſcriptores volunt, ut ea ſtirps haud dubie Nobiliſſima, à Guntranio Aldenburgenſi Comite, qui circiter annum nongenteſimum & quinquageſimum floruit, deducatur: cujus nepos Rapotus arcem Habsburgenſem ad lacum Lucenatem primus extruxit: tritavus Alberti, cujus filius Rudolphus Cæſar fuit. Ceterum cum Maria corporis ingeniique ſummo vigore & alacritate eſſet, annumque vitæ vigeſimum quintum, Principatus quintum, menſes tres recenſeret, aſturcone ceſpitante, ejuſque ephippio male cincto, eſt delapſa, & impacta arboris trunco ſubjacenti, cum aucupio

ani-


MAXIMILIANUS
ARCHIDUX AUSTRIÆ
NUPTUS MARIÆ VALESIÆ
29 Comes Flandriæ

animum oculoſque intendiſſet, non procul à marito venante, uterum gerens (ut quidam ſcripſere) & cum partes corporis internas eſſe læſas aut ignoraret, aut ne marito mæſtitiæ foret, diſſimularet (apoſtemate lethali intus oborto, atque febre) è vivorum conſortio, poſt tres ſeptimanas, Brugæ deceſſit anno 1482. menſe Martio, juſto omnium dolore, ad Virginis matris in regifico monumento ſepulta: inſigni amore erga maritum, honeſtate ac liberalitate eximia. Genuit ſuperſtiteſque habuit *Philippum* quadriennem atque *Margaretam: Franciſco Georgioque* in infantia extinctis: quorum Philippus natus anno 1478. Junii die 22. à meridie, conjugio felix atque fœcundus: Soror ſine liberis fuit, & infortunata: quod Caroli VIII. Galliæ Regis, (in cujus aulam trimula deducta, deſponſaque Amboſæ, octo circiter annos egerat) Annam Britanniæ Dominam præferentis, repudio indignabunda, ex Joannis Hiſpaniæ Principis, primo nuptiarum anno, lapſu equi ſublati conjugio, præter puerum breviſſimi ævi, nihil perperiſſet: ac ex Philiberto, Sabaudiæ Duce, immature mortuo, nullam prolem ſuſcepiſſet: Mechliniæ anno 1530. mortua, Brugæ urbi natali, in cœnobio Annunciatarum, quod condiderat, ſepulta: cum ætatis 51 annos egrederetur, Belgiumque pro Carolo nepote, viginti tribus annis, moderare adminiſtraſſet, pacemque Cameracenſem confeciſſet. At Maximilianus, ab uxoris morte, vix elapſo quinquennio, Romanorum Rex electus, cum tutelam filii, quam anno 1485. Gandavi ſolemniter juratus ſuſceperat (filio mox Mechliniam traducto,) more Germanico, liberius & ſumptuoſius gereret, neque expenſi ratio conſtaret, & conſiliariis populivoris nimium tribueret: in moneta, quam in Flandria excudebat, & pro lubito interdum intendebat, inſignia nomenve filii ſæpius prætermitteret: quod ejus milites Alemani, Agricolis oneroſi moleſtique eſſent: in tantam Gandenſium, Brugenſiumque inprimis, quorum portis ejus milites inſidioſe imminebant, alienationem, immodeſtiamque incidit, ut Brugæ Gandavique intimorum aulicorum ac officiariorum ſuorum publicos carceres, cædeſque ferret: præſertim Jacobi à Ghiſtela, Dudzelæ, & Petri Lanchalſi Palatini Occonomi Olſenæ, toparcharum equitumque; quorum hic Scultetus aſper, ille Burgimagiſter, profuſus pridem habiti Brugæ fuerant. Utrique ſane actio repetundarum, & exactiones in plebem inventæ, & Maximiliano ſuggeſtæ (quæ præcipua odii cauſa) objiciebantur, tam atrociter, ut publice eos quæſtioni Brugenſes ſubjecerint, & capite plexerint; neque eandem actionem, pœnamque Rolandus Feverus, Flandriæ quæſtor, aliique pecuniæ publicæ coactores, niſi effugio evitarunt: Neque Ghiſtelani in ſuggeſtum adducti uxor, ex domo Stavela nobiliſſima, pro mariti vita, plebi ſupplicans cum duobus liberis quicquam obtinuit. Polhainus & Naſſavius Comites Germani, Carondeletus Cancellarius, Abbas Bertinicus, Mingovallius, Wilernoulus, Areſſiuſque Belgæ Maximiliano non magis accepti quam plebi ſuſpecti, à Bruganis, Gandenſibus efflagitantibus traditi, Gandenſi carcere, vitæ ambigui detinebantur, Comite Sorrio, aſtu ſervato. Verum ipſe Rex Maximilianus civiliter accerſitus in Brugenſe forum, ab armatis civibus occupatum, coram Gandavi Brugæque delegatis, quinquaginta duos Decanos opificum, arma vexillaque oſtentantium, capite aperto, pileumque manum gerens ſingulatim, blandeque alloquebatur: parebatque rogantibus modeſte, ut in ædes Craneburgias aromaticam tunc tabernam, ad angulum plateæ Santamandi, foro adhærentes, divertere) & ſe ibi juxta cives obſervari non dedignaretur, donec non ipſum (pro quo vivere morique ſe paratiſſimos clamabant, ſed quoſdam ejus familiares, urbi Flandriæque noxios caſtigaſſent. Unde poſt octodecim dies, exornato equo tranſductus eſt in abſentis reguli Raveſteini diverſorium, utpote ædes laxiores & ſplendidiores; magiſque à tumultuante foro ſemotas, ad pontem aſinarium, quæ erant Joannis Degroſſi, Ordinis aurei Velleris à theſauris. Brugenſibus Regi per totam urbem incedendi copiam conceſſuris, niſi ab inſana ebriaque plebe (quæ Principis penu diripuerat, cohortem prætoriam, inermem illuſamque ejecerat) ejus incolumitati metuiſſent, certè illi iterum in forum armatum reverenter evocato; nudoque vertice ſtipulanti, fideliter promittentibus: Se neque Gandenſibus, qui detentionis ejus primi præcipuique auctores erant, neque Francis eum tradituros (quod expavebat) neque in corpus ejus, aut ſupellectilem, manus injecturos. Cum autem in ea detentione ab undecimo Februarii die, anno 1488 fuiſſet, Maii ſubſequentis decimo ſexto liberatus fuit, Brugamque ſub meridiem egreſſus: Conſiliariis Philippi filii & Germaniæ Principibus, Belgicæ Provinciis, atque Innocentio VIII. Papa, minabunde intercedentibus, cum antea ad aram in foro, Theatroque eminentem; in qua Euchariſtia,

ſtia, aureaque crux, cum feretro Donatiani, qui antiquitus Flandriæ pacificator dicebatur, venerabunde ſpectabantur, juramento ſanxiſſet tranſactionem: qua & delicta mutuo condonata ſunt, amneſtia Brugenſibus ſupplicibus promiſſa, & captivi dimiſſi, vadeſque pactorum dediſſet, Hannonum ac Volkeſteinum regulos Germanos, & Philippum, ex Cliviæ Ducibus, Raveſteynum. Filii vero tutela in reliquis Belgis, præterquam Flandris, Patri manſit: acceſſitque quatenus Flandriæ intererat, maternis pupilli cognatis, atque neceſſariis, Adulpho à Clivia Raveſteyno, & Philippo, Anthonii magni nothi filio, Beveræ, Veræque Dynaſtæ. Verumtamen Maximilianus, tum patris Cæſaris auxilia Germanica circiter Pentecoſtem in Brabantiam poſt adducentis, Brugæque, unde quos dixi prædes, callidis promiſſis, eduxerat, Gandavoque (fruſtra tamen) comminantis auctoritate: tum detentionis indignitate convulſus, memoriam depoſuit juramento firmatæ pacificationis: neque præſidia ſua Hulſto, Aloſto, cæteraque Flandria, ex pacto amovit, &, prætexens officium, Patri, & Imperatori ſuo, vetera Imperii jura, in Flandria vendicanti debitum, bello Brugenſes Gandenſeſque ſtatim impetiit: qui ſe Gallicis fœderibus, ſubſidiiſque munierunt. Unde magna Belgii pars diſſidiis popularibus inundavit: donec pace Turonenſi ad annum 1489 inita, etiam in Flandria filii tutelam reciperet: quam tamen Imperii Germaniæque negotiis poſthabuit, & Margaretæ Eboracenſi, Caroli ſoceri viduæ, Adulpho Raveſteinæ Regulo, Franciſcoque Buſleydio Archiepiſcopo poſtea Veſontino, & Joanni Carondeleto, Cancellario, Chanuanſii, Sorræque Domino, filii curam commiſit. Erat Maximilianus ore probo, & pace belloque venerabili: ſobrius, diligens, clemens, linguarum juxta peritus atque parcus, rei bellicæ peritiſſimus, felicior in oblatis, quam arreptis maximis occaſionibus: conſiliis ab aliorum judicio diſcrepantibus: largitionum immodicus. Viris Matheſeos, Medicinæ, Hiſtoriarumque gnaris, familiaris. Quas diſciplinas exemplo hortatuque ſuo in Germania excitavit, & illuſtravit: atque refloreſcentium in Gymnaſio Viennenſi literarum celebritate, Imperii Electores Fridericum & Joachimum, illum Saxoniæ Ducem, hunc Brandeburgi Marchionem permovit, ut Wittenbergæ ad Albim, Francofurti ad Viadrum, Academias inſtituerent: ex idæa Scolæ Tubingenſis ab Erhardo Comite Wirtenbergio, ac Lipſienſis abs Frederico ſtrenuo, Saxoniæ Duce, erectarum, emanantiumque ex Bononienſi, Pariſio, ac Pragenſi Gymnaſiis. Modeſtiæ, mortalitatiſque uſque adeo meminerat, ut aliquot ante mortem diebus, ſolummodo Maximilianus appellari voluerit, & quernum capulum ciſtæ incluſum, triennio ſecum ferri inter pretioſa juſſerit, caveritque teſtamento, ut exangue corpus ſuum, rudi Xylino involutum abſque ulla exenteratione, illi imponeretur, naribus, ore, auribuſque viva calce oppletis. Velſæ in Auſtria febre, & accedente, ex virium reſolutione, alui profluvio, anno decimo nono ſupra ter quinquageſimum, mortuo, & Nieuſtati oppido natali, condito, tota Germania, publico luctu, epicediis, encomiiſque parentavit: cum ætatis annum quinquageſimum nonum, menſem nonum, Imperii triginta duos (ſi annos ſeptem quibus cum patre regnavit connumeres) menſem undecimum ageret, nepotibuſque ex filio ad rerum faſtigia ſtraviſſet iter, exemplo ſuo, atque commendatione. Illegitimus pater Georgii, Leodienſis Epiſcopi, quatuorque filiarum, Rocheforti, Eſpinoyæ, Embdæ, Hilli Comitibus enuptarum.

PHI-

Digitized by Google


PHILIPPUS AUSTRIUS
PULCHER
30. Comes Flandriæ.

PHILIPPUS AUSTRIUS PULCHER.

XXX. Comes.

PHILIPPUS hujus nominis, quoad Hiſpaniæ regna, Primus, quoad Flandriæ vero Principatum quartus, Maxæmiliani Imperatoris filius, ex Maria Caroli Bellicoſi Burgundiæ Ducis, & Belgarum Principis filia, univerſorum maternorum Principatuum hæres: poſt Reginæ Iſabellæ obitum, uxoris Joannæ, ejuſdem Iſabellæ filiæ, nomine, Hiſpaniæ ulterioris regna obtinuit. Ad quorum regimen Ferdinandi ſoceri, & omnium Magnatum literis vocatus ex Flandria, in Hiſpaniam trajecit, ubi cum incredibili omnium lætitia, variiſque triumphi generibus fuit receptus. Verum cum inciperet eam de ſe ſpem præbere, cujus fructus Belgium multis jam annis meſſuerat, præmaturè à crudeliſſima morte, quæ tantum Principem mundo invidebat, omnibus eripitur, anno ſecundo, poſtquam in Hiſpaniam advenerat. Erat hic Philippus tot omnium virtutum, magnos Principes decentium, titulis inſignitus, tanta humanitate, liberalitate, manſuetudine, & pietate ornatus, tantaque induſtria & clementia ſuos Belgas (pace tua dixerim, ô Hiſpania, noſter enim erat) gubernaverat, ut paſſim humani generis delitias eum appellarent. Tantum quoque diſcedens ſui deſiderium reliquerat, ut Belgium ſui Principis abſentiam publico luctu deploraret. Poſt cujus obitum Ferdinandus Catholicus ſocer, ex regno Neapolitano in Hiſpaniam reverſus, una cum Joanna filia vidua regnavit, uſque ad annum 1516. Adoleſcentiæ curatores habuit Philippus tam prudentes, ut pœnitenda non ſuaderent, tam ſanctos, ut populi Principiſque ſalutem ſuis commodis anteponerent; tam graves, ut adulari nollent; Principem denique cunctis acceptum redderent: Cancellarii ejus, Joannis Sauvagii virtutem, Deſiderio Eraſmo in Epiſtolis ſæpius commendante, & ipſum Philippum Panegyrico collaudante. Cujus nomine tunc primum in Flandria edicta promulgata ſunt, cum annum ætatis decimum ſeptimum ageret: Comitatui Flandriæ anno 1494 in Octobri Gandavi inauguratus fuit per procuratores præter morem. Ejus tamen ſolemnitatem & inveteratum jus nactam conſuetudinem, ipſemet poſt triennium Gandavi implevit. Irrepſerunt ſub eo primum in Flandria, ex promiſcuo Comitatu Hiſpanico virorum fœminarumque claſſis Philippi ſponſam adducentis, puſtulæ (quas vulgus Hiſpanicas vocabat) morbi venerei ſerpentis contagio; & per immenſos juncturarum cruciatus, fœdiſſimis ulceribus corpora libidinoſa inficientis. Eadem fere tempeſtate invaluit in hæc uſque tempora, conſuetudo, Bailivorum munia elocandi Principis lucro: ante per Principem conſultis generalibus Flandriæ quæſtoribus, ac Lilano ratiociniorum conclavi, culpæ non raro affinibus, ſi illuc evadunt homines, nihil penſi habentes, quam juſte penſiones Principi debitas, cupiditateſque ſuas impleant. Videntur autem Philippi conſiliarii audacius eo deſcendiſſe, (ut ærario ejus conſulerent) exemplo Galliæ: ubi officiorum judicialium mangones, & numeroſi ſunt, ac (ſi verus eſt Cominæus) à Pariſienſi curia tolerantur, contra Alexandri Severi inſtitutum: Non patiar, dicentis, mercatores poteſtatum, quos ſi patiar, damnare non poſſum: erubeſco enim punire hominem, qui emit, & vendit. Porro tanta formæ dignitas in Philippo fuit, ut tranſeuntis maximo applauſu per Galliam in Hiſpaniam, pulchritudinem, Celticæ matronæ puellæque obſtupeſcerent, & omnia bona omnes dicerent. Cui venuſtati, dotes ingenii, clementia, comitaſque æquabantur. Uxorum Lieræ Brabantiæ prius duxit Joannam ſecundo loco genitam ex Iſabella Caſtellæ, hoc eſt, totius ulterioris præter Portugalliam Hiſpaniæ, & Ferdinando citerioris, ſive Terraconenſis, aliarumque ditionum Regibus præſtantiſſimis. At cum Joannes Hiſpaniæ Princeps, cui ſoror ejus nupſerat, illiuſque germana major natu, Emanueli Portugalliæ Regi juncta, abſque prole deceſſiſſent, poſt mortem ſocrus Hiſpaniæ ulterioris hæreditatem per uxorem acquiſivit ad annum 1505: poſt factas ſumptuoſiſſime ſocrui Bruxellæ exequias, caduceatore Palatino ſtatim in eo ipſo conventu, temploque præconio exclamante, Vivat Philippus & Joanna Reges Caſtellæ, Legionis, Granatæ; ipſique Philippo enſem regium porrigente, titulis

Digitized by Google

& inſignibus Philippi amplificatis. Socero ut regnorum dotalium regia adminiſtratione decederet, quam ex maſcula regum Caſtellæ ſtirpe unde prodiit, uxoriſque teſtamento vindicabat, placato tranſactione, qua ſoceri vitæ conceſſit, ſuprema D. Jacobi, Calatravæ, Alcantaræ magiſteria, ſemiſſemque omnium ex Indiis redituum, annuaque ex Caſtellanis viginti quinque millia ducatorum: cum omnes fere Hiſpani Proceres, Philippum aſſidue evocaſſent, ad eumque appellentem, velut ad Orientem ſolem, accurriſſent. Aſt ille paucos poſt menſes, cum eſſet firmiſſimo corpore, ſummaque felicitate & expectatione, luſuque pilæ à prandio excalfactus, frigidum avide bibiſſet, febri ſeptem dierum calidiſſima, quam medici cauſonem vocant, Burgis, urbe Caſtellæ veteris primaria, anno 1506, menſe Septembri è vivis migravit: ad Miraflores Carthuſios, ibi propinquos, ſepultus in ſumptuoſo Regis Joannis ex alabaſtrite monumento: corde Brugam in conditorium maternum tranſmiſſo, Patre & Uxore ſuperſtitibus, atque Socero: qui ad Hiſpaniæ moderationem revocatus, modeſte rediit; eamque totam, excepta Portugallia (nam regnum Granatæ anno 1491. & Navarræ, anno 1505. armis acquiſierat, Caſtellæque regno, in perpetuum conjunxerat) belli gloria auctam, Carolo nepoti tutam conſervavit: atque mortuus, una cum Siciliæ, Neapolis, Sardiniæ, Balearium, Indiarumque Occidentalium inventarum regnis, reliquit poſſidendam, ac adminiſtrandam. Fuit Philippus ex Joanna Uxore *Leonoræ*, *Caroli*, *Iſabellæ*, *Ferdinandi*, *Mariæ* & *Catharinæ* poſthumæ, Pater. *Leonora* Emanuelis Portugalliæ (unde filiam peperit) & Franciſci primi Galliæ Regum uxor fuit. *Carolus* & *Ferdinandus* Cæſares Auguſti, Regeſque ampliſſimi fuerunt: & hic quidem veterum tranſactionum, Annæque uxoris jure, Hungariam, Bohemiamque ſibi adjunxit: *Maria* ſterilis cum Ludovico, Annæ illius fratre, Hungariæ Bohemiæque Rege nupſit: quo extincto, in Belgicæ procurationem, Margaretæ amitæ ſucceſſit: *Iſabella*, cum Chriſtierno ſecundo Daniæ; *Catharina* cum Joanne tertio Portugalliæ Rege, fœcunde nuptias contraxerunt. Fatum ejus portendit ardens cometes circiter Idus Septembris in Septentrionem prope plauſtrum, tetra luridaque ſpecie, cauda ſplendida denſaque (unde pavonis cauda vocabatur) in corum porrecta: de quo vulgi opinio eſt, tamquam mutationem Regis portendat. Conjux autem illius, cujus prudentiam melancholia in morte viri intempeſtive patefacta imminutam, modeſtia & in Patrem reverentia longe ſuperavit, anno ætatis ſeptuageſimo, cœlibatus quadrageſimo nono, in Hiſpania, Tordeſillis ad annum 1555, cum morte vitam commutavit.

CARO-

Digitized by Google


CAROLUS QUINTUS
ROMANOR. IMPERATOR
31 . Comes Flandriæ

CAROLUS V. IMPERATOR.
XXXI. Comes.

CAROLUS Romanorum Imperator hoc nomine V. publico diplomate à Paulo III. Farneſio Maximus cognominatus, Hiſpaniarum & Indiarum Occidentalium, utriuſque Siciliæ, Hieroſolymorum, &c. Rex, Archidux Auſtriæ hoc nomine primus, Flandriæ Comes hoc nomine Tertius, cæterorum Belgarum, Burgundionum & Inſubriæ Princeps. Natus eſt anno M. D. 24 Februarii die S. Matthiæ Apoſtolo ſacra, in Belgica urbe nobiliſſima ac primaria Gandavo. Anno M. D. XV. jam ab avo Cæſare emancipatus, Lovanii ejuſdem & patris exemplo Brabantiæ Dux inauguratur. Anno 1517. in Hiſpaniam navigat, relictâ ad Belgii gubernacula Margareta amitâ. Anno 1518. 7 Febr. Valliſoleti ad D. Pauli Rex inauguratur, & una cum Joanne matre coronatur. Per hæc etiam ferè tempora circa 40000. Marranorum poſtravit. Anno 1519. 28. Junii Francofurti Romanorum Imperator renunciatus, accepto electionis nuncio, in Belgium revertitur, inde Aquiſgranum profectus Imperii coronam argenteam Carolinam ſuſcipit. Anno 1520 Hiſpaniæ proceres quoſdam & civitates à diſceſſu ſuo tumultuantes per Fredericum Henricum Ammiralium & Innicum Velaſquium Coneſtabilem Caſtellæ prælio vincit, debellat, & ad obedientiam reducit. Gallos qui occaſione tumultus Hiſpanici uſi Pampelona aliiſque locis captis totum fere regnum Navarræ ſubjugaverant, perduellibus jam domitis, eodem anno 1520. 24 Auguſti cruenta pugna fudit, Duces ipſos exercitus Gallici cepit, & omnia quæ per Navarram occupaverant (receptâ tandem etiam poſt longam obſidionem anno 1524. Fontarabiâ) recuperavit. Anno 1521. in Comitiis Wormacenſibus Martini Lutheri dogmata damnat. Anno eodem 13 Auguſti Duce Ferdinando Corteſio Mexicam, ipſo Rege, & ultra centum Indorum millibus cæſis, occupavit. Eodem etiam anno Ferdinando fratri Auſtriam conceſſit, & pacto cum Leone X. Mediceo fœdere, conjunctis viribus Parmam & Placentiam ejectis Francis Eccleſiæ reſtituit. Mediolanum eodem anno menſe Novembri (quo etiam Tornacum Francis ereptum Flandriæ membrum fecit) cepit. Anno 1527. menſe Aprili Gallos ad Bicoccam memorabili prælio vicit, & Franciſcum Sfortiam Mediolani reſtituit. Anno eodem 24 Maii Brugis Flandriæ Caletum profectus, inde in Angliam, hinc in Hiſpaniam navigat, Valencianos in gratiam recipit. Majoricam fame & armis ad obedientiam compellit; atque ſic rebellioni Hiſpanicæ finem imponit. Anno 1525. 24 Febr. die natali Franciſcum I. Francorum, ut Carolus Magnus Deſiderium olim Longobardorum, Regem, ad Ticinum prælio vicit, cepit, & in Hiſpaniam abduxit. De cujus libertate certis legibus Madriti 12 Januarii anno 1526. utrimque convenerunt, & Rex menſe Martio ſequenti in Franciam rediit.

Franciſcus I. Francorum Rex, libertati regnoque reſtitutus, tantum abfuit ut conditionibus pacis Madritianæ ſatisfaceret, ut è contra potius cum Pontifice Clemente VII. Mediceo, Venetis & Franciſco Sfortia 17 Maii eodem adhuc libertatis anno 1526. fœdus contra Cæſarem fecerit. Eodem anno, 15 Junii, Cæſar in Comitiis Spirenſibus decrevit, ne quicquam uſque ad Concilium generale in Religione immutaretur. Publicatum autem fuit hoc decretum primum menſe Aprili anno 1526, cui cum ſe quidam Principes opponerent, Proteſtantes dicti ſunt. Vigeſimo quarto Julii Carolus Borbonius arcem Mediolanenſem Cæſaris auſpiciis occupavit. Sub initium anni 1527. Pontificis, Franci, Venetorumque confœderatorum copiæ regnum Neapolitanum invaſerunt; ſed commeatus inopia preſſi, ad ſua quiſque rediit. Sexto Maji Borbonius urbem Romam vi cepit, & in ipſa oppugnatione telo ictus occubuit. Anno 1528. menſe Januario Cæſari Burgis in Hiſpania à Franciæ & Angliæ Regum Legatis, præſentibus Venetorum & Sfortiæ Oratoribus bellum indicitur. Quo etiam, ſub finem Aprilis Lautrechius Franci & confœderatorum copiis Neapolim terra marique obſedit. Sed, Auriis Principibus Cæſaris partes amplectentibus, ipſo Lautrechio, Vaudemontano, aliiſque Ducibus terreſtris exercitus, atque maxima copiarum parte contagione poggiana, peſte & fame abſumptis, Urbs tandem divino magis, quam humano auxilio, obſidione liberatur. Menſe Auguſto & Septembri Fani D. Pauli Co-

mes Inſubriam magno exercitu ingreditur. Tertio nonas Octob. Cæſar cum Carolo Egmondano Geldriæ Duce Gorichemii pacem fecit, & de ſucceſſione in Geldrenſem & Zutphaniæ Principatum tranſegit. Decimo tertio Cal. Nov. ab Henrico Bavaro Ultrajectinam & Tranſiſulanam ditionem accepit. Anno 1529. menſe Junio Comes Fani D. Pauli Papiam tentans, ad Landrianum ab Antonio Læva prælio ſuperatus, derelicta Inſubria in Franciam revertitur. Quo factum, ut Confœderatorum animi, Cæſaris potentia & felicitate, ſociorum infelicitate & ſiniſtra belli adminiſtratione moti, ad pacem inclinare cœperint. Hinc primum Barcinone menſe Junio cum Pontifice Clemente: nonis autem Auguſti ſequentibus Cameraci cum Rege Francorum: inde 23 Decemb. Bononiæ cum Venetis & Franciſco Sfortia pacem fecit, eundemque ducatui Mediolanenſi reſtituit; cui etiam Chriſtiernam ex ſorore neptem poſtea elocavit. Anno 1530. 27. Feb. ferream regni Longobardici: & 24. ſequenti, ipſo natali die auream Imperii coronam à Clemente VII. Pontifice Maximo Bononiæ ſuſcepit. Eodem quoque anno Comitiis Auguſtanis Trajectum ad Moſam Brabantiæ aſſeruit. Ubi etiam Confeſſionem (quæ à loco Auguſtana dicta) à quibuſdam Imperii Principibus accepit. Anno eodem 1530. 4. Idus Auguſti Florentiam poſt diuturnam obſidionem in poteſtatem recepit, cui Mediceos reſtituit, atque Alexandrum ejuſdem familiæ Principem potiſſimum, Ducem: eidemque anno 1535. Margaretam filiam notham uxorem dedit. Anno 1533. Franciſci Piſarri opera Peruanam Indiæ ditionem ampliſſimam & opulentiſſimam Imperio ſuo ſubjecit. Anno 1532. ſuis fratriſque Ferdinandi copiis immanem Chriſtiani nominis & ſanguinis hoſtem Turcam, Viennam exercitu CCC. bellatorum millium obſidentem, ab Urbe, Auſtria, Ungaria, & Imperio procul retrocedere coëgit. Anno 1535. ob pulſum regno Tunetano Muleaſſen, expeditionem Africanam contra Barbaroſſam ſuſcepit, & 25 Julii Guletam, 21 Septemb. ejuſdem teſtamento adiit. Quem cum Franciſcus I. Francorum Rex tradi aliquoties à Cæſare ſibi poſtulaſſet, eidem (parvo tamen effectu) bellum parat acerrimum, & quotquot poteſt Europæ Principes, imo ipſum Turcam (enormi fœdere) in Cæſarem concitat, uti etiam vicinum Belgio Geldrum. Parvo tamen ejus commodo: pacis enim quaſcumque leges à Cæſare victore accipere coactus eſt. Anno 1536. 8 Junii Groningani ſeſe Caroli Imperio Belgico ſubdiderunt. Anno 1537. 2.; Cal. Aug. inducias cum Gallo in Belgio tres menſes pactus eſt; quæ poſtea prolongatæ; tandem anno 1538. in annos decem extenſæ ſunt. Anno 1540 Gandenſium tumultus compeſcendi cauſa ex Hiſpania per Franciam in Belgium evolat. Anno 1541. Francus in Comitiis Ratisbonenſium per Legatos Mediolanum repetit, & ſub ſpecie intercepti cujuſdam ſui in Italia Legati, ruptis induciis ſupradictis decennalibus, Cæſari bellum parat. Eodem anno Cæſar Algerium irrito conatu obſidet. Anno 1542. Gallorum, Danorum, Geldrorumque arma per Belgium, Lucemburgicos, Roſſiloniſque principatum reſpectivè feliciter excepit, repulit, vindicavit. Eodem anno 1542. ad Kal Nov. Paulus III. Pontifex Maximus Concilium generale Tridentinum indixit. Anno 1543. Solymannus Turcarum Tyrannus ad inſtantiam Regis Franciſci Barbaroſſam cum magna claſſe in Italiam mittit; qui Franciſco Borbonio Anyſiano junctus Rhegium & Nicæam oppidum occupat, arcem adventu Vaſtii territus deſerit. Eodem anno Cæſar Guillielmum Marcanum Cliviæ Ducem Galli ſocium, debellatum Geldria & Zutphania cedere coëgit. Anno 1544. initio Jan. Spiræ Comitia celebravit, ibidemque cum Chriſtierno III. Daniæ Rege pacem fecit. Ineunte vere Barbaroſſa claſſe Tollonio (ubi hiemaverat) eductâ, Algerium verſus revertitur, calamitoſiſſima ſui relicta memoria, magno Franciſci Regis dedecore, quod capitalem Chriſtiani ſanguinis hoſtem, tam exiguo ſuo commodo, tam miſerabili Italiæ clade evocaſſet, & tot millia animarum ſua culpa in ſervitutem abducta fuiſſent. Eodem anno Vaſtius ad Cereſolam, contra Gallos infelici eventu pugnavit, & Petrus Stroſſa exercitum Gallicum in Italiam duxit. Quo etiam Cæſar Lucemburgium & alia illius ditionis loca ſuperioribus annis à Gallis capta, recuperavit: alibi Caſtrum Deſiderii, Fanum Theodorici occupavit: alibi alia geſta. Quæ tandem 18 Septemb. Pax Creſpiaca ſecuta eſt. Anno 1546. Geldriæ & Zutphaniæ Dux inauguratus eſt. Quo etiam in Comitiis Ratisbonenſibus de negotio Religionis actum, unde (Saxone & Haſſo à Cæſare proſcripto) ſecutum bellum Germanicum Smalcaldicum. Qua occaſione quoque Bohemi Ferdinando rebellaverunt: prout etiam in ipſa Peruana per hæc tempora tumultuatum eſt. Anno 1547. pridie Cal. April. obiit Franciſcus I. Galliarum Rex, ſucceſſit Henricus II. filius. Eodem anno

1547.

1547. 8. Cal. Maii Cæſar Saxonem proſcriptum cruenta pugna ad Albim vincit, capitque: qua clade Bohemi territi ad obedientiam redierunt. Decimo tertio Cal. Junii Heſſonem captivum conſtituit: Neapolitanos eodem anno ob introductam à Vicerege Petro Toletano Inquiſitionem ſacram tumultuantes domuit. Anno 1548. per Julium Pflugium Naumburgi Epiſcopum, Michaelem Sidonium & Joannem Iſlebium Agricolam formulam Religionis (quæ Interim dicta) concipi, & in comitiis Auguſtanis ejuſdem anni publicari juſſit. Ibidem etiam Provincias Belgicas certis conditionibus Imperii membrum & Circulum fecit. Peruanos eodem hoc anno domuit: Cameram Imperialem reformavit, & Electoratum Saxoniæ à priori ad modernam familiæ Thuringicæ ſtirpem tranſtulit. Anno 1550. 7. Cal. Jul. Auguſtæ comitia indixit; quibus una cum Philippo filio interfuit. Decimo quinto Junii Bruxellenſes (auctore & inventore urbis Ammano, nobili viro Joanne de Locquenghien) foſſam novam navigabilem primum fodere cœperunt. Quarto Idus Sept. per Joannem Vegam Siciliæ proregem Africam (alias Aphrodiſium) vi expugnat. Eodem anno Gallus Saxoni & Germanis proteſtantibus confœderatus Cæſari bellum infert. Quo etiam Maria Cæſaris ſoror Bruxellæ bellum in Francum ob direptionem undecim navium Belgicarum publicari juſſit. Anno 1551. Cæſar Parmam ob defectionem Octavii Farneſii ab Eccleſia ad Francos, Julii Pontificis requiſitione obſidet. Eodem etiam anno initio Decemb. Proteſtantium Legatos pro Heſſonis liberatione agentes inanes à ſe dimittit. Anno 1552. Saxo Franco confœderatus quam ſecretiſſimè conſcriptis copiis in Cæſarem inermem educit, & menſe Junio Oenipontem (unde Cæſar cum Ferdinando fratre Villacum paulo ante abiverat) recta contendit & occupat. Francus etiam magno exercitu Germaniæ fines ingreditur, & ſub ſpecioſa libertatis Germanicæ tutandæ umbra, prætextu ſolo liberi tranſitus, Metim, Tullum, Virdunum jugo Francico (cui & in hunc diem uſque ſubſunt) ſubmittit: Trevirim, Argentinam, Colmariam, Seleſtadium, aliaſque urbes Ciſrhenanas eodem aſtu fruſtra tentat: inde per Lucemburgicum agrum in Franciam divertens, Dampuilerium, Ivodium, Mommediumque cepit; ſed non impune: Reſſio & Roſſenio Picardiam & alias Francici regni ditiones (Noviduno, Neſla, Chaunio, Rojà, Follenbrana, Heſdinoque oppido & caſtro occupatis) fere Pariſios uſque ferro flammaque vaſtantibus. Menſe Auguſto Turcarum Solymannus, ad Francorum regis inſtantiam, ſecundo claſſem non contemnendam ſub Draguto contra Cæſarem mittit; qui regnum Neapolitanum circumnavigans, Auriam prælio navali vicit. Cæſar facta pridie Cal. Auguſti Paſſavii cum Proteſtantibus per Ferdinandum fratrem pace, Villaco Inſprucum redit: inde Auguſtam divertens, Magiſtratum à Saxone conſtitutum, loco movet, & 11. Cal. Novem. Metim exercitu centum millium bellatorum per hyemis incommoditates fruſtra obſidet. Eodem anno 1552. Senenſes, intromiſſis Francis, Hiſpanos & Florentinos urbe pellunt. Anno 1553. Cal. Jan. Cæſar obſidionem Metenſem ſolvit. Eodem anno Menſe Auguſto Turca (jam tertio à Franco contra Cæſarem evocatus) claſſi Franciсæ junctus, Duce Draguto Corſicam invadit; quam, Draguto ſub autumno Conſtantinopolim reverſo, Auria cum omnibus aliis Inſulæ locis Francis iterum eripuit. Cæſar in Belgio agens, Reuſſium in Francos: Roſſenium in Lucemburgios mittit: Terrovanam 4. Id. Junii expugnat, diripit, & incendit: Sabaudo Duce Heſdinum oppidum, atque tandem etiam 5. Cal. Aug. ipſam arcem capit: Utramque diruit & novam alibi condit. Anno 1554. Senenſe bellum Cæſar Duce Marchione Marignani contra Gallos ſuſcepit, & Gallus Belgium tribus exercitibus aggreditur: Mariæburgum, Binſtium & alia per Namurcum loca capta; per Hannoniam & Attrebates ferro flammaque vaſtatum. Nec minus à Cæſarianis per Comitatum Fani D. Pauli, & Picardiam, alioſque tractus ditionis Francicæ ad Authiæ ripam, Monſtreulium & Dorlanum factum, omnia ferro flammaque vaſtata; res interim in ditione Senenſi Marignano fortiter gerente. Ubi poſtridie Cal. Aug. unà: inde 3. non. Auguſti alia pugna Gallos vicit: cæſis ultra quinque millibus, captis ſignis militaribus centum. Qua clade Gallorum res in Italia paulatim labefactatæ. Anno 1555. 10 Kal. Maii Senenſes longa arctaque obſidione feſſi, Stroſſa Duce Francorum debellato, Marignano deditionem faciunt, & Franci tandem expugnato etiam menſe Junio ab eodem portu Herculis, ex omni Senenſi & Florentina ditione abire juſſi; fruſtra Turca (qui jam quarto à Franco contra Cæſarem evocatus eſt) Plombinum & Elbem tentante. Multa etiam hoc anno iterum Franci per Belgium, Pedemontem, Inſubriam, & ditionem Montferre-

Digitized by Google

tanam eodem eventu egerunt. Conditum quoque in Belgio contra eorum irruptiones Carolomontium, cum Philippopoli. Ad Heſdinum ab Hiſpanis & aliis locis præſidiariis: ad Bapaumam ab Orchimontio oppidi præfecto Franci victi: utroque prælio ad 13000. equites cæſi. Tot tantiſque rebus & pluribus actis, Cæſar, laborum annorumque plenus, continua corporis ægritudine pæne conſumptus, Philippum filium ex Anglia Bruxellam evocat: eique ibidem in pleno Ordinum Conventu, eodem adhuc anno 1555, ipſo Feſto Simonis & Judæ, Burgundionum & Belgarum Principatus: anno vero 1576. ſequenti 17 Jan. omnia Regna Hiſpanica, Italica, & omnia novi Orbis, paterna vel recens acquiſita: tandem etiam menſe Septembri Ferdinando fratri Imperium renunciat, & eodem adhuc menſe, cum Leonorâ & Maria Sororibus claſſem Zeburgi Zelandiæ conſcendit, felici navigatione Laredium Biſcaiæ portum appellit; inde Valliſoletum: hinc in Extremaduram Provinciam delatus, in monaſterio D. Juſti Ordinis Eremitarum D. Hieronymi, loco ſolitario, reliquum vitæ ſanctiſſimè tranſigit, & non integro abhinc biennio elapſo, 21 Septembris, ipſo D. Matthæi, animam Deo reddidit, anno 1558. tertiana febri è continuis articularis morbi doloribus nata, extinctus. Sepultus Granatæ juxta Matrem, Avum & Aviam maternam.

PHILIPPUS SECUNDUS, Rex Hiſpaniæ.

XXXII. Comes.

PHILIPPUS omnium regnorum ac Principatuum paternorum unicus hæres, hujus nominis quoad Hiſpaniæ Regna II, Flandriæ vero principatus V, Caroli Cæſarum maximi filius fuit. Hunc pater ſapientiſſima filii indole cognitâ juvenem admodum ad Reipublicæ adminiſtrationem evexit, ſui Imperii, quaſi conſortem. Mariam Joannis III. Portugalliæ Regis filiam in primis nuptiis uxorem habuit, cui partus dolore conſumptæ, Mariam Angliæ Reginam Henrici octavi, ex Catharinâ Ferdinandi, & Iſabellæ Catholicorum Hiſpaniæ Regum filia genitam, ſuperduxit. Bellum cum Henrico II. Gallorum Rege, ſtrenuè geſſit, ac primo ejus oppidum Santoquintinum (quam veteres Samarobrigam dicebant) Sereniſſimo Emanuele Philiberto Sabaudiæ Duce ſummam rerum adminiſtrante, valido exercitu cinxit. Verum Gallis id ingentibus copiis defendere, & Philippi milites ab obſidione avocare conantibus, prælium cum maximâ Philippi victoria conſertum eſt. In quo multi Gallorum primi nominis Duces ceciderunt, plurimi capti ſunt, militibus ferè cunctis, vel cæſis, vel fugatis. Alia deinde loca Philippo Rege exercitum ducente., Gallis, Santoquintino expugnato, erepta. Verum cum iiſdem Iſabella Henrici Gallorum Regis filia in uxorem accepta, pacem fecit, arma in communes Chriſtiani nominis hoſtes converſurus. Quod nec omiſit: ſtatim enim Garſias Toletanus maris Præfectus ad arcem Africæ munitiſſimam, quam Pennam de Veles appellant, cum claſſe mittitur; qua inter paucos dies expugnata, tutam à piratis Hiſpaniam reddidit. Inſulam Melitenſem Chriſtiani orbis propugnaculum Turcarum armis valde afflictam (à Muſtapha enim terreſtri obſidione, à Piali vero claſſe mari premebatur) & ad tantam neceſſitatem continua Barbarorum oppugnatione redactam, totque tormentorum bellicorum ſine intermiſſione repetitis ictibus conquaſſatam, ut Hieroſolymitani Equites eam diutius retinere poſſe diffiderent, ſubſidio miſſo non ſolum recreavit, verum actis in fugam barbaris ab interitu conſervavit. Exorto deinde Cyprio bello maxima Turcarum claſſis 245 triremium, quæ toti Europæ exitium minabatur, Joanne Auſtriaco Principe Illuſtriſſimo, cum 80. triremibus regiis, navibus 22 & actuariis plurimis à Philippo fratre ire juſſo, & Pontificiis, Venetiſque copiis (ex ſacro fœdere coactis) adjuto, tam memoranda ſtrage in ſinu Corinthiaco ad Echinades oppreſſa fuit, ut ea partim capta, partim depreſſa, cæſiſque hoſtium millibus fere triginta, Turcæ maris imperio exuti turpiter fugere, & Græciam iis, quibus poterant, navibus repetere, non ſine ſumma trepidatione coacti fuerint. Accidit inſignis hæc, & ad omnem poſteritatem tranſmittenda victoria, ipſis nonis Octobr. anno 1571. Locus autem

Digitized by Google



Digitized by Google

autem, in quo tam acriter pugnatum eſt, mediterranei maris ſpatioſus eſt ſinus, Albaniam ſive Epyrum à Septentrione, Peloponeſum nunc Moream ab Oriente, à Meridie Zacynthum nunc Zante, Cephaloniam ab Occidente Inſulas habens, quibus à cætero mari ſeparatur, in eam formam, ut natura Theatrum ibidem ad tam funeſtum & cruentum Barbaris ſpectaculum edendum collocaſſe & fabricaſſe videatur. Qui locus à me triremibus illac ante aliquot annos vecto, non ſine manantibus præ gaudio lacrymis, & gratiis omnipotenti numini actis, ſumma animi mei voluptate diligentiſſime circumſpectus fuit. Sed ad Philippum revertamur: cui his nondum ſitis expleta eſt. Turcis enim invicti animi Princeps ſemper infeſtus, Joannem Auſtriacum fratrem cum valida claſſe in Africam mittit, ac Tuneto urbe iterum occupata, & Biſarta per deditionem accepta, firmoque præſidio munita, Muleaſſem juniorem legitimum hæredem in regno confirmat: Amidam verò Tyrannum cum uxore & liberis in Siciliam ablegat. Portugalliæ regnum, Sebaſtiano Rege in Africa nulla relicta prole cum exercitu deleto, & Henrico Cardinali Regio terris adempto, ratione matris Iſabellæ, quæ Joannis III. Regis Sebaſtiani Avi, erat ſoror, cæteris Hiſpaniæ regnis adjunxit: atque ita tota Hiſpania ei hæreditario jure ſoli ceſſit. Magnas & inauditas victorias in Peruanâ, Mexicana & cæteris novi Orbis Provinciis per Legatos obtinuit. Verum ut erat Chriſtianæ Religionis propagator avidiſſimus, non tantum auxiliaribus militum copiis perſæpe miſſis, novo Imperio inhiabat, quantum miſerorum hominum veræ fidei cognitione privatorum animas Chriſto acquirere ſtudebat, religioſorum hominum coloniis eo deſtinatis. Præterea aliud pietatis opus divino Numine afflatus (ne quid præclariſſimis Chriſtianarum virtutum ſplendoribus deeſſet) cæteris regiæ ſuæ benignitatis, & gloriæ ornamentis addidit: Quotannis enim ingentibus divitiarum theſauris in hoc abſumptis, per certos inviolatæ fidei miniſtros in Africam miſos, Chriſtianos homines miſera ibidem ſervitute, omnique crudeliſſimorum cruciatuum genere afflictos, à ſæviſſimis Barbarorum manibus liberavit. Quem morem tam Chriſtiano Principe, & populo dignum, numquam ſatis laudata, perque omnium mortalium ora cantata Hiſpania ſine intermiſſione in hodiernum uſque diem obſervat; id laudis ſibi ſoli præ cæteris Chriſtiani orbis regionibus, & Provinciis jure vindicans. Cujus tam egregiæ pietatis præmio in hoc ſeculo, aliud majus in futuro exſpectans, non caruit: Deus enim religioſiſſimi Chriſtianiſſimique Regis Philippi conatus, perpetuo victoriarum & trophæorum curſu mirè fortunavit. Quocirca meritò doctiſſimus quidam Poëta ſuo more cecinit:

Magne Philippe ſuas de cælo Jupiter urnas
Miſit, & humanas ſortes tibi credidit uni.

In hæreditariis tamen Belgicis Provinciis horrendos, cum divinarum humanarumque rerum confuſione, tumultus expertus eſt, ita ut ad multos annos pluſquam tragicam manus in ſe vertentis Belgii viderimus faciem: ad quos ſedandos non opibus, non ducibus, vix ſanguini ſuo pepercit; horum motuum bellorumque civilium finem tantopere exoptatum Rex piiſſimus non vidit, fatis, ut ita dicam, tanti mali medelam alteri manui reſervantibus. Tandem, omnium Rex Regum Deus, Regem Philippum, ad Univerſi ſui gubernationem quaſi Vicario ſuo ſatis uſus, ſenio confectum ad æternæ beatitudinis fruitionem, tot laborum pro divino, & incomprehenſibili ſuo nomine ſuſceptorum præmium, ex infima hujus mundi miſeriarum abyſſo vocare decrevit. Igitur in auguſtiſſimo S. Laurentii Monaſterio, nunc Eſcuriale appellant (quod vivens extruxerat, vetera orbis miracula non jam æmulans, at exſuperans) morbo correptus, Deo ſpiritum reddidit, Dominica 13 Septembris, anni 1598, Regnorum ſuorum quadrageſimo ſecundo: ætatis item ſeptuageſimo ſecundo. Verè Chriſtianiſſimus Princeps fuit, & cui mundus annos adhuc longiores optaret, etenim iterum eæ mœſtæ voces (quod & Ferdinando accidiſſe meminimus) exaudiebantur. O utinam talis Princeps, aut non naſceretur, aut non moreretur. Et item iſtæ:

- - - - Philippo rebus adempto,
Nec color Imperii, nec frons erit ulla Senatus.

Verum omnium moderator Deus orbem terræ nondum internecioni deſtinans, alium Philippum magni hujus ex Annâ Auſtriacâ filium Mundo Regem dedit, qui inviciſſimorum Principum Avi & Patris virtutum unicum exemplar, dum vi-

viveret, extitit. Cujus filius Philippus nominis IV, eos populis de ſe fructus dat, quales plerumque homines ſummis votis à ſuperis ſolent exoptare. Cujus vitam & regnum, præclariſſimamque prolem, Orbis ſpem, Deus Optimus Maximus fortunet. Porrò ex uxore Iſabellà Henrici ſecundi Gallorum Regis natu majori, reliquit filias duas, præſtantiſſimas hujus ſeculi Heroinas *Iſabellam* & *Catharinam:* Hanc Sereniſſimo Carolo Emmanueli Sabaudiæ Duci, illam Potentiſſimo Archiduci Alberto, Maxæmiliani ſecundi filio, Ferdinandi I. Romanorum Imperatorum nepoti, duorum Cæſarum fratri, nuptas.

Æternum CAROLO & PHILIPPO Caroli filio Monarchiam vovet

GULIELMUS CRIPIUS Geldriæ Cancellarius.

ATtraxit Caroli pietas, virtuſque, pudorque
Atque pio ſuperos uſſit amore deos.
Jupiter ante alios, & qui regit æquora frater
Certatim Carolo maxima dona parant.
Imperium latè terris regnator Olympi,
Et mundi hanc voluit fræna tenere domum.
Utque novis ſemper ſic floreat aucta triumphis,
Aucta novis titulis, exuviiſque novis.
Aemulaque ante alios ſubmittat Gallia ſceptra,
Atque truces diſcat ponere victa minas.
Tuque abjurata quæ relligione paterna,
Ritibus implicita es terra Britanna novis,
Et tecum quæ infecta pari Germania labe,
Omnibus heu quam non eluat Iſter aquis!
Clara olim regio dum ritus ſervat avitos.
Nunc ſanctum nihil eſt, faſve piumve nihil.
Nec contentus eo eſt, junxit quæ Maurus Hyarbas.
Et queis jura dabat dives Eliſa plagis,
Et qui nunc lato Thraces dominantur in orbe,
Et dura populos conditione premunt:
Quo male ſunt uſi regno, diſcedere mandat,
Tradereque Auſtriacis Imperium omne ſuum.
Cumque Aſiæ regnis Parthos, Orientis honores,
Elatamque Pharum ac ultima Bactra jubet.
Denique quacunque eſt terrarum habitabilis orbis,
Auſtriadum voluit cuncta ſubire jugum.
Prodiga diſplicuit Jovis hæc profuſio fratri,
Viſaque Neptuno eſt ambitioſa nimis.
Et vinci metuit donis æqualis amore;
In magno eſt magnus ſemper amore metus:
Commotuſque animo mæſtis ſic vocibus inquit,
Offenſam vultu non ſimulante ſuam:
Cerno equidem haud facilis, frater, mihi palma parata eſt:
Nec te ſi liceat vincere, poſſe velim.
Cum mihi vix reliquum, quod dem, tua dona relinquant,
Sollicitam mentem res habet illa meam.
Noſtra licet celſo non ſit par regia cælo,
Nec prompti tot ſtent ad mea juſſa dii;
Non attrita tamen mea, quamvis parva, poteſtas,
Aut factum ſic eſt nomen inane meum:
Ut nullis liceat nobis feciſſe benignè,
Præmia nec ſi qui commeruere ferant.
At tua me terrent ampliſſima munera frater,
Nec dare quid deceat, quidve negare ſcio.
Si portus, ſi dein, tutâ ſtatione manere,
Si dem velivoli ſceptra tenere maris;
Omnia ſordeſcent, & nil donaſſe videbor:
Præque tuis fuerint vilia muneribus.
Hæc tamen, & longe quod ſit præſtantius illis
Noſtro orbi nunquam cognita regna dabo.
Mundum alium terramque dabo, dabo divitis auri
Splendentes venas, auriferumque ſolum.
Non opus eſt altæ penetrare in viſcera terræ,
Illaque quæ ſtudio condidit eruere,
Sollicitéque auri venam indagare latentis,
Ut vix ſit merces ſumtibus æqua ſuis.
Tange ligone ſolum, pro glebis aurea ſurget
Lamina, proque nigro ſplendida maſſa luto.
Forſitan hæc aliquis dicet (nec pugno lubenter)
Inferiora tuis munera muneribus.
Si tamen hæc Danaë ſimilis formoſa videret
Dona, tuus Danaë judice victor ero.
Dixit, & iratus laxavit vincula rerum,
Et pelagi pandit regna repoſta ſui.
Et ne qui fluctus, ne qua vada cærula tardent,

Aequo-

Digitized by Google


ALBERTUS ARCHIDUX
AUSTRIÆ, DUX BURG: BRAB: &c.
33 Comes Flandriæ.

Aequora mox fecit pervia cuncta rati.
Sic ſimul ut fractis patuere repagula clauſtris,
Inque novos populos, & nova regna petunt,
Et prope jam mediâ factus parte auctior orbis,
Quæ imperio ceſſit tota Philippe tuo.
Nec ceſſatur adhuc ſucceſſu, audacia crevit:
Degenerem pridem dedidicere metum.
Aſſiliant fluctus, tabulæ feriantur ab undis,
Quaſſatæ pateant undique membra ratis:
Spernere jam ventos dudum didicere furentes,
Sævaque non illis ulla timetur hyems.
Quam bene habet, cæli quod diſſita mœnia longe,
Nec volucres poſſint aſtra ſubire rates:
In cæli tutus ſtaret vix Jupiter arce;
Forſitan & regni pars quoque capta foret;
Regia ni pietas audacia comprimat arma,
Atque piâ doceat mente timere deos.
Quod facit, & divûm non eſt reverentior alter,
Vitaque cognomen relligioſa dedit.
Nomini ineſt omen: quod es quoque diceris: orbis
Rex es: nonne polus paret uterque tibi?
Quocunque ingreditur toto ſol aureus orbe,
Auſtriacæ cernit nil niſi regna domus.
Fortunata domus, aquilo tibi ſervit & auſter,
Et cadit in regnis ſol oriturque tuis.
Terra ſinus aperit, famulas mare ſufficit undas.
Dantque tibi afflatus ventus & aura ſuos.
Dii facite, æternum maneat domus illa ſuperſtes,
Et ſemper mundi ſceptra tenere date.

ALBERTUS & ISABELLA.
XXXIII. Comites.

Elogium Alberti, ſcriptum ab Auberto Miræo.

Albertus naſcitur anno 1559. ALBERTI, quem laudatiſſimum Belgica Principem nuper habuit, natale ſolum fuit Neapolis, urbs Auſtriæ, Epiſcopali dignitate & palatio Archiducali clara. Id loci natus eſt X Kal. Decembreis, anno reparatæ ſalutis quinquageſimo nono ſupra milleſimum & quingenteſimum.

Ex ſtirpe XII Cæſarum parente. Majores habuit Rudolphum I, gentis Auſtriacæ conditorem, Albertos duos, Ferdinandos totidem, atavum Maximilianum eo nomine Primum, patruum majorem Carolum Quintum, avum Ferdinandum Primum, patrem Maximilianum Secundum, fratres Rudolphum & Matthiam, patruelem Ferdinandum II, nunc imperantem, omnes continuata pænè ſerie Romanos Cæſares.

Piè educatur. Mater Maria, Philippi II, cognomento Prudentis, Regis Catholici ſoror, raræ pietatis matrona, puerum ſumma cura diligentiaque educavit, & una cum lacte ea virtutis ſemina infudit, quæ in omnem poſtea ætatem adhæſerunt.

Inſtruitur. Vix decenni formator morum datus eſt Augerius Giſlenus Busbequius, natione Flander, vir prudentia, legationibus Conſtantinopolitana & Gallica, itemque liberis editis clariſſimus. Huic additi Nicolaus Corettus & Matthæus Othenius, patria Lovanienſis, origine Danus: ex quibus poſterior, poſitis Latinæ linguæ fundamentis, eum ingenuis diſciplinis erudivit. Singuli porro præcipuam & maximam procurationem ſibi demandatam putantes, ut muneri ſatisfacerent, dies noctesque advigilarunt. Quod rectæ inſtitutionis caput eſt, prima iis cura fuit turpitudinis & improbitatis omnis arcendæ, atque in ipſis etiam itineribus. Principem namque, cum ſorore Anna, Philippo II, Regi Catholico deſponſa, ex Germania per Belgicam noſtram in Hiſpaniam, anni ſuperioris ſæculi ſeptuageſimo proficiſcentem tres illi inſtitutores ſunt proſecuti. *In Hiſpaniam tranſit, an. 1570.*

Busbequio, à Maximiliano Cæſare ad legationem Gallicam evocato, Joannes Ayala, ſumma vir modeſtia ac prudentia, ab eodem Philippo II, Rege eſt ſuffectus: Corettus in Germaniam redux Tergeſtinus apud Iſtros Epiſcopus eſt renuntiatus: Othenius Alberto, quamdiu in Caſtella ac Luſitania vixit, Secretarii munere functus, adhæſit, ac demum Toletanus Canonicus obiit.

Philoſophico ac Theologico ſtadio decurſo, adoleſcentem annos fere XVIII natum, inſigni doctrina ac pietate præſtantem, Gregorius XIII Papa ſacro purpuratorum Patrum collegio adſcripſit, Tituli ſui baſilicam, quæ S. Crucis Hieroſolymitanæ dicitur, ipſe inſtaurandam, & ſacellum adhærens tabulis elegantiſſimè *Fit Cardinalis an. 1577.*

mè pictis exornandum curavit.

Fit Prorex Luſitaniæ.

Subacto Luſitaniæ regno, ab avunculo Philippo II, primus Prorex conſtitutus, anno 1584, Mancium & Michaëlem Japoniæ legatos, Romam tendentes, indeque in patriam redeuntes regio ſumptu excepit. Hic in pretio habuit Ludovicum Granatenſem, celebrem ex ordine Dominicano Eccleſiaſten, & Hieronymum Coneſtagium, cujus de unione Luſitaniæ cum regno Caſtellæ, & de bello Belgico exſtant commentarii.

Secuta eſt gravis illa belli apud Luſitanos tempeſtas, Antonio notho, qui regnum ſibi vindicare conabatur, & Franciſco Draco, cum numeroſiſſimis ex Britannia copiis, terra marique irruentibus. Ac tunc quidem, Alberte, quantus eſſes, apparuit, tunc illud fortiſſimum animi tui robur ſe prodidit, quod adverſis arguitur. Videor mihi imaginem illorum temporum coram intueri, quando in denſiſſima velut nocte ſolus clavum torſiſti. Tollebant ſe fluctus undique, ſæviebant turbines, atque procellæ hoſtiles, nec deerat domeſtica quorumdam provincialium conjuratio; cum tu animo non es lapſus, nec ſtationem deſeruiſti, ſed hoſtem aggreſſus, ab Olyſipone regni urbe primaria atque emporio nobiliſſimo eum fortiter repuliſti.

Olyſiponem defendit 1589.

Madritum revocatur.

Placuit hæc tua virtus magno illi Philippo, qui è Portugallia Madritum Carpetanorum te quadriennio poſt evocavit, ut veluti fidus Achates Philippo III, filio adderetis. Qui etiamnum adoleſcens regnorum pondera, ſenis patris humeris importuna, ut Atlantis onus alter Hercules, cum excepiſſet, publicarum omnium curarum ipſi comes, magno Reipublicæ Chriſtianæ bono, exſtitiſti.

Fit Archiepiſcopus Toletanus 1595.

Cæterum Gaſpare Quiroga, Toletano Antiſtite & Hiſpaniarum Primate, ad meliorem vitam tranſlato, Albertus ea in dignitate ſucceſſit. Neque tamen ſacratus eſt, ob nuntium de Erneſti fratris, qui Belgis præerat, morte paulò poſt allatum.

Erneſto defuncto, rem Belgicam aliquamdiu geſſit Petrus Henricus, Comes Fontanus, vir ſtrenuus, qui poſt diuturnam obſidionem Cameracum Gallis anno 1605, menſe Octobri abſtulit.

Gubernator in Belgicam venit 1596.

Anni ſequentis initio, Albertus Erneſto ſuccenturiatus, in Belgicam, magno provincialium applauſu, advenit. Eo ipſo tempore Henricus IV, Galliæ Rex Feram, medias inter paludes opidum, VII à Cameraco milliari ſitum, obſidebat. Prorex noſter, inſigni ſtrategemate, ſimulat de ſolvenda obſidione ſe cogitare, copiarum parte Valentianas & Cameracum præmiſſa. Converſo mox itinere Caletum, urbem Oceano adſitam (quæ veteribus Geſſoriacum aut Portus Iccius fuit) excurrit, obſedit, & XV. Kal. Maii expugnavit, Gallis, Britannis, atque ipſis etiam Batavis ac Mattiacis quodammodo ſpectantibus, fruſtraque indignantibus. Eadem felicitate Arderam paucos intra dies iiſdem Gallis ademit.

Caletum & Arderam capit.

Inter Audomaropolim Arteſiæ urbem, & Claram Paludem, monachorum Ciſtercienſis inſtituti Abbatiam, lacus viſitur prodigioſus, cui inſulæ exiguæ arbuſtis conſitæ innatant. Qualem Plinius Junio deſcribit proſoceri ſui Fabati nomine Vadimonis in prædiis Amerinis: in quo narrat vidiſſe ſe herbidas paſcuaſque natantes inſulas, quæ interdum junctæ copulatæque irent, interdum diſcordantibus ventis digeſtæ, nonnunquam deſtitutæ tranquilitate, ſingulæ fluitarent. Simile prorſus Naturæ miraculum ſua in vicinia ſpectat Audomaropolis: qua in urbe victor Albertus cum dies aliquot, inſtaurando exercitui, ſubſtitiſſet, ut erat rerum naturalium, ſed moderatè & piè, curioſus atque intelligens, patrui ſui majoris Caroli V, Cæſaris exemplo, prodigioſas iſtas inſulas magna voluptate luſtravit atque conſcendit.

Inſulas natantes luſtrat.

Inde verſis in Batavos armis, Flandria peragrata, partem exercitus trans Scaldim in Brabantiam, Hochſtratum uſque miſit, quaſi Bredam aut Bergas ad Zomam obſeſſurus. Hoſte itaque diſtracto, inſulam unam alteramve, prope Hulſtum Waſiæ opidum, Cornelii Janſenii primi Gandenſium Epiſcopi & ſummi Theologi natalibus clarum, invaſit, atque ipſum demum opidum menſe Auguſto expugnavit.

Hulſtum expugnat.

Taceo Ambianorum civitatem, inſigni atque inaudito hactenus aſtu occupatam: omitto opida minora ac propugnacula varia hoſtibus fortiter erepta.

Ambianum occupat 1597.

Philippus II, Rex Catholicus, anno 1598, pridie Nonas Maji Belgicas provincias XVII, & Comitatum Burgundiæ, ſuis cum appendicibus, filiæ majori Iſabellæ Claræ Eugeniæ dedit, quam Alberto uxorem deſtinabat. His aliiſque rebus prudenter conſtitutis, tandem gravi ætate oppreſſus, in Scuriaco, ſodalium Hieronymianorum cœnobio, à ſe exſtructo, Idibus Septembris deceſſit, ibidem conditus, cum annos unum & ſeptuaginta vixiſſet. Sub mortem, Clemente VIII, Pont. Max. hortante, & Alberto adnitente, cum Henrico IV, Gallorum Rege pacem ſanxit, quæ à loco conventus Verviniana nuncupatur.

Al-

Purpuram deponit.

Albertus igitur ad aliud vitæ genus, conſideratione publici boni, tranſiturus, purpuram & Cardinaliciæ dignitatis inſignia ad eundem Pontificem, tunc Ferrariæ agentem, per Ferdinandum Ryæum, Veſontinum Archiepiſcopum, remiſit ac depoſuit. Hallas, quod eſt Hannoniæ opidum, cultu Deiparæ miraculiſque à tribus amplius ſæculis celebre, ipſe profectus, veſtem mutavit, & gladium ſumpſit. Bruxellis XVIII Kal. Octobreis, iter in Hiſpaniam per Germaniam arripiens, & Margaretam Caroli Archiducis filiam, Philippo III pactam, cum Maria Bavara, puellæ matre, ingenti apparatu in Italiam deduxit, ut bina nuptiarum commercia uno tempore per Clementem VIII celebrarentur. Quanta pompa paſſim excepti ſint, quiſque æſtimet: non eſt operæ pretium minuta hæc & mera aulicorum oblectamenta perſequi. Ut tamen verbo hoc dicam, cetera omnia honoris à Principibus Italiæ præſtiti argumenta, noſtrorum aulicorum judicio, vicit ſcenicus Tragicomœdiæ apparatus, Vincentii Mantuæ Ducis juſſu ac ſumptu inſtructus. Argumentum erat Myrtilli paſtoris fides, qui pro ſua Amaryllide diis devoveri & immolari cupiebat, addita Mercurii & Philologiæ fabula. Quo ſpectaculo nullum umquam illuſtrius aut admirabilius tota Europa viſum memorant.

Margaretam Hiſp. Reginam comitatur.

Utroque matrimonio Ferrariæ à Pontifice per internuntios ingenti apparatu celebratis, Genua per Maſſiliam in Hiſpaniam eſt navigatum: confectiſque Valentiæ nuptiis, Principes noſtri in Liguriam delati, inde per Inſubriam, Helvetiam, & Lotharingiam, anno 1599. Nonis Septembris Bruxellas appulerunt, ingenti ſpectaculorum apparatu ibidem, & alibi paſſim, per urbes ac provincias, Deo ſuiſque Dominis fidas, excepti.

Bruxellas redit an. 1599.

Sequentibus annis, ut eſt incertus belli eventus, atque inconſtans rerum humanarum fluxus, opida nonnulla capta, amiſſa, feliciter, infeliciter eſt dimicatum; ut in illo ad Neoportum prælio, in quo adverſæ Fortunæ victor Albertus, levi vulnere in facie perſtrictus, ducis ac militis fortiſſimi ſpecimen dedit. Adeo ut non haberent quod de Cadmæa ſibi victoria Batavi gloriarentur. Neoportus namque capiendi ſpe dejecti, multis ſuorum millibus amiſſis, ne fundi quidem ſeſquipede in Flandria obtento, poſt dies aliquot, conſcenſis navibus in Neptunianas ſuas latebras tranſmiſerunt.

Pugna ad Neoportum.

Subſecuta eſt illa toto orbe famoſa obſidio Oſtendana; in qua annos tres ac menſes totidem, magna utrimque animorum pervicacia, pugnatum eſt. Canant poëtæ & fabulis attollant Trojæ obſidium decennale, Tyri expugnatione Alexander Magnus glorietur, Lacones in obſidenda pertinaciter Meſſana annos viginti collocarint: una Oſtenda, commune omnium pænè nationum Europæ ſepulchrum, illuſtribus Trojanorum, Græcorum & Italorum factis tenebras offundit. Neque enim ibi de parva area, neque de tumulis, aut ſterili tantum de pulvere, ut Joſ. Scaliger ſuo in epigrammate volebat, ſed de ſuprema inter Hiſpanum & æmulos Reges dignatione ac gloria, imò de Europæ quodammodo imperio certatum eſt.

Oſtendana obſidio.

Dum ad Oſtendam noſtri pervicaciter hærent, Ordines fœderati, duce Mauritio Naſſavio, Silvam-Ducis anno 1600 fruſtra tentatam, ſecundò obſident, atque ingenti militum naviumque numero cingunt. Urbem ſoli cives tuebantur, abſque omni præſidio militari. Ipſemet itaque Albertus, ut fideliſſimæ civitati ſuccurreret, eò cum exercitu feſtinavit, & milite immiſſo ſibi ac ſucceſſoribus eam aſſeruit. Hoſpitio excipiebatur in palatio Epiſcopali, & quotidie ſub horam undecimam, ad vicinæ baſilicæ cathedralis odeium, aulicis ſuis ſtipatus, ibat, ut ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, more ſuo, intereſſet. Reſcivit id hoſtis, æneorum tormentorum copia validus, & ſub illam ipſam horam plurimos globos majores, ferreamque grandinem in odeium quotidie jaculabatur. Omnia igitur ictibus pervia erant, & ad latus Principis ac tergum lapides tormentis dejecti concidebant, cum ille nec locum, nec ſtatum, nec vultum mutavit. Quin etiam monentibus aulicis, ut ſibi, atque omnibus in ſe parceret, ſubridens dixit, Confiderent, neminem Ducem tormenti majoris ictu periiſſe. Simile quid Carolum V Imperatorem, cum in Germania copias & caſtra ad Ingolſtadium haberet, atque ipſum etiam tentorium Cæſareum hoſtes majoris machinæ globo perforaſſent, protuliſſe accepimus.

Ejus fortitudo & conſtantia.

A prima adoleſcentia Divæ Virginis amorem & cultum Archidux induit, eamque ſibi patronam adoptavit, & ducem in bellis, periculis, moleſtiis, omni denique vitæ curſu elegit. Exemplo priſcorum Regum ac Principum, ejus effigiem, ut & Chriſti crucifixi, in labaro prætulit, his verbis additis; Sub tuum præſidium confugimus, S. Dei genitrix. Gratum hunc ſibi adfectum ac cultum fuiſſe, Deus & Virgo plurimis in Colle-aſpero, loco antea ſilvis ac dumetis horrido, Miraculis patratis, comprobarunt, quæ manda-

Cultus Deiparæ.

to Antiſtitum explorata, Juſtus Lipſius, & Erycius Puteanus, magno bono, poſteris tradenda exiſtimarunt. Neque enim poſſumus alia re efficacius frangere & calcare Hæreſim, quam hoc Miraculorum fulmine; ubi non verbis ſed factis diſputamus, & impudentiſſimorum etiam oculos atque animos iſta rerum majeſtate perſtringimus. Ceterum in Colle-aſpero, innumerabili hominum multitudine, ex provinciis etiam diſſitis, confluente, ſacellum primo exiguum eſt excitatum, quod Matthias Hovius, Machlinienſis Archiepiſcopus, anno 1604 dicavit ac conſecravit. Huic poſtea Albertus baſilicam rotundam ex candido lapide ſubſtituit, cujus ſtructura trecentis plus minus aureorum millibus conſtitit, & inter Belgicæ miracula merito numeratur.

Baſilicam in Colle-aſpero ædificat.

Eliſabetha Angliæ Regina Londini MDCII obierat, cum annos ſeptuaginta vixiſſet, & circiter quadraginta quatuor regnaſſet, Vatiniano in Hiſpanos odio & atroci Catholicorum inſectatione infamis. Succeſſit Jacobus VI, Scotiæ Rex, jure ſanguinis, quippe Margaretæ pronepos, quæ Henrici VIII, Anglorum Regis ſoror major fuit. Is vocabulo veteri in uſum revocato, Regem majoris Britanniæ ſe dixit, nempe totam eam latam lautamque inſulam, una cum Hibernia, ditione complexus; & regni ſui initio edixit, velle ſe cum omnibus Chriſtiani orbis Principibus pacem atque amicitiam colere. Alberto itaque procurante, miſſiſque legatis, qui de pace cum ea gente agitarent, anno 1604, tandem Londini IV. Kal. Septembris fœdus cum Britannis ſancitur, armis utrimque poſitis. Sciebat nimirum, quanti intereſſet, finitimos Reges habere pacatos.

Pax Anglica.

In lætitiæ ſignum, ob pacem Anglicanam, dum ludicra Bruxellis certamina, Britannico præſente Legato, exercentur, Batavi aggerem Waſianum perrumpere, & Antverpiam obſidere tentant. Sed mandante Alberto, Ambroſius Spinula mox adfuit, & Scaldim fluvium ponte ſublicio ſtravit, copiis noſtris commode ultro citroque trajiciendis. Quo prudenti conſilio Brabantiam Flandriamque ab omni metu liberavit, hoſteſque, multis cæſis, vela ac tergum vertere coëgit. Exinde eodem Spinula trans Rhenum miſſo, ut totam belli molem eo traduceret, Oldeſaliam, Lingam, Wachtenduncam, Cracaviam, Lochemium, Grollam, Rhenibercam, aliaque opida Batavis eripuit.

Antverpiæ ſuccurrit Albertus.

Lingam & alia opida Batavis eripit.

In gratiarum actionem, anno proxime ſequenti, jactis fundamentis, Deo Opt. Max. ejuſdemque matri Virgini regium in urbe Bruxellenſi cœnobium ac templum excitavit, quod familiæ Carmelitanæ, à B. Tereſia reformatæ, monialibus, ampla cum dote, tradidit. Saxo fundamentis ſubſtrato hic titulus, rei apud poſteros teſtandæ, inſcriptus:

Carmelitanis virginibus cœnobium ædificat Bruxellis.

Albertus & Eliſabetha Clara Eugenia, Hiſp. Infans, Duces Burgundiæ: Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi, Luxemburgi & Geldriæ, Comites Habsburgi, Flandriæ, Arteſiæ, Burgundiæ, Tirolis, Palatini Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurci & Sutfaniæ, Marchiones S. Imperii Romani, Domini Friſiæ, Salinarum, Tranſiſulanæ, opidorum & territoriorum Machliniæ, Trajecti, & Groningæ, dedicarunt, anno MDCVII, *Deo Opt. Max. B. Mariæ Virgini, Annæ atque D. Joſepho.*

Ex hoc regio monaſterio plurimæ poſtea velut ſacræ virginum coloniæ in Germaniam noſtram inferiorem ac ſuperiorem, atque in ipſam quoque Poloniam, Sigiſmundo Rege, ejuſque conjuge evocantibus, ſunt deductæ ac propagatæ.

Reſtabat tertia veluti palma, & poſt Gallos ac Britannos pacatos, ſolo bello Batavico miſera noſtra Belgica æſtuabat. Albertus itaque, ut ſuum illud emblema, PULCHRUM CLARESCERE UTROQUE, univerſæ Europæ teſtatum redderet, ſeque & bello & pace præſtantem oſtenderet, duodecennalibus Induciis pactis, poſt bellum annorum quadraginta, Jani ferrea clauſit limina, & quietem publicam, optataque cum vicinis populis commercia noſtratibus reſtituit. O gloriam verè illuſtrem, & omni præconio majorem! Eat, eat nunc & triplici Pompejus curru laureaque glorietur; multo certe præſtantius fuit terna graviſſimorum bellorum incendia extinxiſſe, quibus non tantum Belgica, ſed tota pæne Europa, atque ipſa etiam utraque India conflagrabant. Jactet ſui oſtentatrix antiquitas magna illa nomina, devictarum gentium cædibus cruentata, Nicatoras, Poliorcetas, Dominatores, Triumphatores, Domitores: omnibus illuſtrior, Deoque & hominibus longe gratior eſt titulis Pacatoris. Et vero populi omnes dari ſibi malunt Auguſtos, Trajanos, Antoninos Pios, Conſtantinos, Juſtinianos, Ludovicos itidem Pios, Philippos Bonos, quam Alexandros, Hannibales, Julios, Philippos aut Carolos Audaces.

Induciæ Belgicæ.

Salvius Julianus, Mediolanenſis Jureconſultus, Ælio Hadriano imperante, Edictum perpetuum concinnavit, quod Pandectarum Juris archetypon fuit. Juſtinianus Imperator Triboniano mandavit, ut

Edictum perpetuum publicat 1611.

Jus omne Romanum ex veterum libris collectum, unum in corpus digereret. Sic tollendis, aut ſaltem minuendis & abbreviandis litibus, Albertus inter alia Edictum perpetuum, à Conſiliariis ſuis Jureconſultis digeſtum an. 1611. publicavit, quo ambiguas Juris quæſtiones partim definivit, partim Jus novum ex uſu publico conſtituit.

S. Alberti oſſa transfert.

Conſtantinos, Theodoſios, Juſtinianos, Heraclios, Carolos, Ludovicos, Alfonſos, alioſque Imperatores, Reges, Principes laudat antiquitas, quod ſacrata Divorum oſſa pie quærenda curarint, inventa honorifice exceperint, excepta religioſe in templis collocarint Sic & Philippi II, Regis Catholici zelum ſuſpicit ac prædicat Hiſpania, qui pari pietatis exemplo, pompa atque apparatu incredibili, S. Eugenii Toletani Antiſtitis, & S. Leocadiæ virginis reliquias, è Gallia Belgioque allatas, in urbem ac templum Toletanum ſuccollans intulit. Horum religionis ardorem æmulatus noſter, S. Alberti Leodicenſis Epiſcopi corpus ex urbe Remenſi Bruxellas transferendum curavit. Fuit is Godefridi III, Lotharingiæ Brabantiæque Ducis ex Margareta Limburgica filius, pro defenſione libertatis Eccleſiaſticæ, ut antea Thomas Cantuarienſis, apud Remos in Gallia, anno 1192, martyrio coronatus. Sacra ejus oſſa Melchior Demarovaius, Epiſcopus Briocenſis, Ludovici Lotharingi, Archiepiſcopi Remenſis, juſſu, magna ſolemnitate è terra poſtridie Kal. Novembris elevarat. Inde magno comitatu in Belgicam, ac demum Bruxellas tranſlatum Divum ſibi cognominem, ſanguineque junctum, in Carmelitanarum virginum diſcalceatarum cœnobium ſuis ipſe humeris invexit; Guidone Bentivolo, tunc Internuntio Apoſtolico, nunc S. R. E. Cardinale, Hovio Machlinienſi, Richardoto Cameracenſi, Archiepiſcopis, Requeſenſio Roſonenſi in Dalmatia Epiſcopo, Abbatibus, & aulæ proceribus univerſis comitantibus. Et profecto auguſti illius monaſterii, quod regio plane ſumptu nuper à fundamentis excitarat, ampliſſimeque dotarat, magnificentiæ ac ſplendori unicum iſtud deerat ſacrorum lipſanorum decus atque ornamentum. Quo quidem facto, Deo immortali in primis gloriæ, beato martyri honoris, populo Belgico pietatis, baſilicæ ipſi religionis, civitati denique Bruxellenſi lætitiæ facta eſt acceſſio ſingularis. Argumento fuit incredibilis hominum omnis ætatis, omnis ordinis multitudo, quæ ad ſolemnis pompæ ſpectaculum, atque ad ſacras reliquias honorandas, religionis ergo, confluxit. Pietati porro augendæ, Clemens VIII. peculiari diplomate fortiſſimum martyrem Albertum catalogo cælitum adſcripſit.

Aquila index Imperii 1612.

Aquilam, Jovis armigerum, ut poëtæ fabulantur, Imperii ſignum apud veteres fuiſſe, apud nos eſſe nemo ignorat. Sub id tempus, quo Rudolphus II, Imperator ad plures abiit, haut procul à Trajecto Moſæ, in fundo Præpoſiti Servatiani, Aquila, rara avis apud Belgas, capta eſt, Imperii per Septemviros deferendi haud dubium præſagium. Aquilam pro læto augurio ad ſe miſſam Albertus, in area palatii Bruxellenſis, amplæ caveæ cancellis clauſam, ſervari atque enutriri mandavit. Imperium vero, eo ipſo anno, itemque octennio poſt, cum Matthias pariter Cæſar ac frater deceſſiſſet, à Joanne Suichardo, Archiepiſcopo Moguntino, aliiſque Electoribus oblatum, laudabili exemplo, reſpuit. Quo facto oſtendit Modeſtiam & Majeſtatem, virtutes ſpecie inter ſe diſpares, uno in homine (quod certe rarum eſt) reperiri & convenire poſſe. Majeſtatem enim plerumque Ambitio comitatur, & pauci Majeſtatem, ſalva Modeſtia, aſſumpſerunt.

Albertus reſpuit Imperium.

Majeſtatis ſtudioſus.

Fuit autem Albertus Majeſtatis ac dignitatis Principalis tuendæ in geſtu, cultu, aulæ pompa, miniſteriorum varietate ac copia, itemque ſatellitio ſtudioſiſſimus; haut ignarus ceſſante admiratione opum & potentiæ, quæ plebeis animis hoc adſpectu inſeritur, vilem & contemni facilem reddi Principatum. Periclem Plutarchus laudat, & narrat fuiſſe vultu ſerio, nec ad riſum facili; inceſſu moderato; voce & ſermone ſedato. Talis plane noſter fuit, moribus prorſus compoſitis & gravibus, utpote quem (præterquam quod ſuapte natura multa majeſtas inerat) adornabat habitus corporis, non cultus munditiis, ſed virilis; quod de P. Scipione Africano Livius prædicat. (*Lib. 28.*) Ad venerationem augendam faciebat ſeceſſus & abductio; neque tamen nimia, quæ munus aut officium Principis tolleret.

Controverſia Clivenſis & Juliacenſis.

Joanne Guilielmo, Guilielmi filio, Clivenſi Duce, an. 1609, ſine liberis maſculis defuncto, multæ ac magnæ de hæreditatis jure controverſiæ ſunt exortæ, quæ univerſam pæne Europam in partes traxerunt. Guilielmus Wolfangus, Comes Palatinus Neoburgicus, matris ſuæ, Annæ, Guilielmi filiæ ſecundo quidem genitæ, ſed adhuc ſuperſtitis, nomine, ſibi tamquam propinquiori, juxta leges Imperii, ditionem omnem deberi contendebat. Joannes Sigiſmundus, Elector Brandeburgenſis, (cujus uxor matrem habuit

Mariam Leonoram, ejuſdem Guilielmi natu maximam) jure primogenituræ hæreditatem ſibi vindicabat. Chriſtianus II, Saxoniæ Elector, ob defectum hæredis maſculi, ad ſupremum dominum, hoc eſt, ad Cæſarem feuda rediiſſe aſſerebat, & diplomata producebat, ſibi ſuiſque majoribus per varios Imperatores, cum donatione, ſi quando proles maſcula deficeret, conceſſa. Nivernenſis Cliviam, Mauleurius Marchiam, progenitorum ſuorum quiſque titulo, repetebant.

Bello tot inter competitores exardeſcente, Ordines provinciarum, de quibus quæſtio, indictis Duſſeldorpii comitiis decernunt, Brandeburgico & Neoburgico Principibus adminiſtrationem junctim dandam, donec controverſia definiretur. Diverſa parte, Rudolphus II, Cæſar, ut ſupremus dominus, judex, ſequeſter & arbiter, per Leopoldum Archiducem, egregio ſtrategemate, Juliacum opidum cum arce occupat. Saxo per oratores à Cæſare juris poſſeſſionem impetrat, feudumque Ducatus Juliacenſis accipit, & Winendaliam in Flandria, aliaque bona apud Belgas ſita, actione prius inſtituta, arripit.

An. 1610. die 7 Julii.

Brandeburgicus & Neoburgicus, qui univerſas pæne ditiones communi manu occuparant, Batavicis, Gallicis, Britannicis, ac Germanicis auxiliis undequaque advocatis, anno M DC X Juliacum obſident, & pulſo milite Cæſareo tandem expugnant. Sed ut nec regna nec tædæ ferunt parem, omniſque poteſtas conſortis eſt impatiens, miles Brandeburgicus, triennio poſt, inſigni perfidia, Neorburgici Principis cohortem Juliaco expulit, opidumque cum arce Batavis tradidit. Eodem ipſo tempore, Ordines Belgici confœderati pro Brandeburgico ſtantes, Duſſeldorpium ad Rhenum, ubi tunc Neoburgici conjux agebat, tentarunt; ſed fruſtra. Cumque tractatu Veſalienſi (ubi de concordia utrimque agi cœptum) interrupto, alia multa more ſuo ſeditioſa molirentur, Albertus, Matthia Cæſare rogante, exercitum, paci publicæ aſſerendæ, omnium opinione celerius conſcripſit, & Spinula ſupremo belli duce conſtituto, Aquas-Grani, urbem Imperialem, à multis retro annis rebellem, ad obedientiam compulit.

Albertus occupat Aquas-Grani, Veſaliam & Duram.

Exinde Veſaliam, veterem illam Calvinianorum ſentinam, & Rhenenſem Genevam, Duram Caroli V. obſidione nobilem, aliaque ditionis ejuſdem opida, ad opus jus habentis, occupari juſſit. Edixit autem poſtea in priſtinum ſe ſtatum omnia reſtituturum, ubi Batavi, ut priores offenderant, ita priores militem ſuum ex provinciis iſtis controverſis eduxerint, ſeque non amplius offenſuros nec invaſuros ſpoponderint ac caverint.

Biennio poſt, Henricum Comitem Bergenſem, ducem ac militem ſtrenuum, trans Rhenum cum copiis miſit, & Lippiam, Suſatum, Eſſenum, Dortmundam, Hinsbergam, Gladbacum, Sittardum, Eiſliam, Suſterenum, Siburgum, aliaque opida præſidiario ſuo milite muniri mandavit.

Lippiam item, Suſatum & alia opida.

Ad initium ſilvæ Soniæ, medio fere inter Lovanium ac Bruxellas ſpatio, Fura ſita eſt, arx vetus, municipium amplum, & locus perquam amœnus; venatum Ducibus Brabantiæ à multis retro ſæculis exhibere ſolitus. Conſtat certe S. Hubertum, Leodicenſis urbis Antiſtitem ac conditorem, hunc locum ut patrimonialem ante clericatum in delitiis habuiſſe, atque in ipſa arce Furana an. 727 obiiſſe. Conſtat item Henricum I, Joannem II, Antonium I, Joannem IV, Philippum I, & alios Principes noſtros hic vixiſſe aut vivere deſiiſſe. Arcem temporis bellique injuria magna ex parte collapſam Albertus inſtauravit, ædificiis auxit, & novum à fundamentis facellum, eo ipſo loco, quo S. Hubertus expiravit, à fundamentis exſtruxit. Sacellum ipſum, & tria in eo altaria, ſe præſente, an. 1617, à Matthia Hovio Machlinienſi Antiſtite conſecranda mandavit. In baſilica parœciali, Joannis IV, Brabantiæ Ducis, qui an. 1425 Academiam Lovanienſem inſtituit, aliorumque duorum Ducum tumulo, antea muto, Elogium hoc inſcripſit.

Fura deſcribitur.

Furanam arcem inſtaurat Albertus.

Deo Optimo Maximo.

Antonius, Joannes, Philippus,

Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgi Duces, ille pater, hi filii, cum Joanna Sanpaulina, matre, commune hoc monumentum habent, parvum magni, ſed vel ideo magnum.

Brabantiæ Ducibus, Furæ ſepultis, epitaphium ponit.

Antonius, *juſtus, acer, ac militaris, pugna Azincurienſi cæſus,* VIII *Kal. Novembris* M CCCC XV, *cadaveribuſque hoſtium obrutus, triduum, & pulcherrima morte, velut ſepultus jacuit, ut majorem huic gloriam tumulo inferret.*

Joanna *Antonii uxor, Valeriani Comitis Sanpaulini filia, pulcherrima forma, caſtiſſimis moribus, ſed ante maritum exſtincta, pridie Eidus Auguſti* M CCCC VII.

Joannes *natu major, pietatis ac doctrinæ amans,* XIII *ætatis anno Dux,* XVI *maritus, at infauſto mox conjugio,* XXIII *Academiæ Lovanienſis conditor, diem haut*

mul-

multo poſt obiit XV *Kal. Majas*, M CCCC XXVI.

Philippus *natu minor*, *tribus annis rerum potitus*, *cum ſponſam è Sicilia*, *Ludovici Regis filiam*, *expectaret*, *Lovanii in arce fatis conceſſit*, *pridie Nonas Auguſti* M CCCC XXX.

Sic pater, *mater*, *filii*, *quem vivi amarunt locum*, *mortui illuſtrant. Sed Sereniſſimi* Albertus & Iſabella Clara Eugenia, *Archiduces Auſtriæ*, *Duces Burgundiæ*, *Brabantiæ*, *&c. mutum hactenus monumentum non paſſi ſine ſcriptura eſſe*, *patris*, *matris*, *filiorumque nomina inſcribi voluerunt.*

Tumulum item Bruxellis.

Simili pietate, ſed majore munificentia ac ſumptu, Baldrici Comitis Bracbatenſis (hoc titulo vetuſtiores noſtros Principes olim uſos ex diplomatibus didici) qui auguſtum SS. Michaëlis & Gudilæ templum Bruxellis in monte conſtruxit, & collegium ibi Canonicorum, Oda conjuge adjutante, fundavit ac dotavit, itemque Joannis II, Brabantiæ Ducis memoriæ tumulum marmoreum, in ejuſdem templi odeio, poſuit, & gentilicio Brabantiæ inſigni, Leonis, inquam, æreo ſimulacro, affabre facto atque inaurato, illuſtrem reddidit. Utque ſuum erga gentem Luxemburgicam, quæ tot Germaniæ Cæſares, Bohemiæque Reges dedit, affectum poſteris teſtatum faceret, Joanni Cæco, Bohemiæ Regi, ſepulchrum pariter marmoreum, in Monſterienſi Benedictinorum Abbatia, intra muros urbis Luxemburgenſis, hæc epigraphe addita, ſtatuit.

Joanni Bohemiæ Regi epitaphium ponit Luxemburgi.

Joannes, *Rex Bohemiæ*, *Comes Luxemburgi*, *Henrici* VII, *Imperatoris filius*, *Caroli* VI, *Imperatoris pater*, *Wenceſlai & Sigiſmundi Imperatorum avus*, *Princeps animo maximus*, *ſed uno corporis vitio infelicior*, *quod cæcus*, *in Britannos auxilia pro Rege affini ducens*, *prælio Creſciaco cecidit*; *acie diſrupta*, *rebuſque deſperatis in victores irruit*, *& cum videret hoſtem*, *feriit*, *non pugnando tantum*, *ſed occumbendo fortis*, M CCC XLVI, III *Kal. Septembris. Tantum heroëm jacere ſine epitaphio*, *magnus Belgarum Princeps* Albertus *non paſſus*, *liberalitate & munificentia ſua monumentum hoc fieri voluit*, *& iniquæ ſortis*, *ſed invictæ virtutis memoriam æternitati commendavit* M DC XIII.

Bohemorum rebellio.

Anno 1618 proceres conjurati (quorum princeps erat Matthias Comes Turrianus) globo armatorum facto, arcem Pragenſem, cum armamentario ac curia regia, menſe Majo, occupant, inque conclave vi irrumpentes, Guilielmum Slavatam, Cameræ Bohemicæ Præſidem, Jaroſlaum Borzitam, regni Mareſcallum, & Philippum Fabritium, de feneſtra deturbant. Barbarum facinus, & quod omnes omnino nationes, ſi Calvinianos excipias, ſunt deteſtatæ. Bohemis rebellibus poſtea acceſſere Moravi, Sileſii, Luſatii, Auſtriaci ſuperiores, ac demum Hungari, Gabriele Bethlemio, Tranſilvaniæ Principe, Turcarum cliente ac vaſallo, ad ſpem regni evocato. Matthias Cæſar ejuſque ſucceſſor Ferdinandus, miſſis primum legatis ac litteris rebelles ad obſequium reducere ſunt conati: quod cum fruſtra tentaſſent, ad apertum utrimque bellum ventum eſt, totaque pæne Europa in partes tracta. Rebelles per ſummam injuriam abdicato Ferdinando (quem anno 1617, Pragæ coronarant) Fredericum V, Palatinum Rheni Comitem, ſibi Regem elegerunt. Proteſtantes Germaniæ Principes (quos inter eminebant Chriſtianus Princeps Anhaltinus, Joachimus Erneſtus Marchio Ansbacenſis, Mauritius Lantgravius Haſſiæ, Joannes Fred. Dux Wirtembergæ, & Georgius Fred. Marchio Ansbacenſis) inito fœdere, Palatini partibus, una cum Batavis & civitatibus XVII Imperialibus, ſeſe adjunxerunt. Joannes Georgius Saxoniæ Elector, & Maximilianus Bavariæ Dux, in fide Cæſari & Imperio debita, magno Reipublicæ Chriſtianæ bono, perſtiterunt. Albertus, ne periclitanti Eccleſiæ aut genti ſuæ deeſſet, primo Carolum Longevallium, Comitem Buquoium, fortiſſimum belli ducem, poſtea bis mille equites & peditum ſex millia in Bohemiam miſit.

Albertus Buquoium & copias in Bohemiam mittit.

His deinde & tertia noſtratium militum veteranorum legio ex Italia acceſſit, quæ, Guilielmo Verdugo ductore, ſtipendia bello Allobrogico fecerat. Nec his contentus noſter, ut hoſtem multiplicem ac potentem diſtraheret, Ambroſium Spinulam, cum florentiſſimo exercitu in Belgica conſcripto, ad Palatinatum inferiorem occupandum miſit.

Spinulam item in Palatinatum.

Is Crucenacum, Alſeium, Oppenheimium, Bacheracum, Trarbacum, aliaque ad Rhenum ac Moſellam opida, vix ullo ſuorum damno, in poteſtatem redegit. Subſecuta deinde Victoria ad Pragam vere miraculoſa, cujus gloria Albertino militi ac conſiliis magna ex parte debetur.

Perfectæ juſtitiæ ac pietatis opus eſt, egenorum inopiam ſublevare, pauperes alere, iis qui auxilio egent ſuccurrere. Præcipuum id, Deoque gratiſſimum, inter Principis munera, noſter exiſtimavit.

Digitized by Google

Hic nimirum divitiarum maximus & veriſſimus fructus eſt, non uti opibus ad voluptatem, ſed ad multorum ſalutem: hoc eſt verum Chriſtianæ humanitatis officium, copiarum promptuaria benigne egentibus ac miſeris patefacere. In divinis profecto libris, pauperum cura quam maxime commendatur. Non ignorabat hæc Albertus, ideoque non ſolum per Eleemoſynarium ſuum majorem quotidiana munificentia, ſed per alios quoque ſecreto, ne laudem apud homines captare videretur, miſerorum inopiam ſublevabat. Caroli certe Magni exemplo, non exiguam ſumptuum partem Bruxellis & alibi ſæpe ſuppeditavit, ad peregrinos hoſpitio in Xenodochio excipiendos, pauperes in Ptochotrophio alendos, ægrotos in Noſocomio curandos, pupillos in Orphanotrophio inſtituendos, ſenes in Gerontocomio ſuſtentandos, expoſitos denique infantes in Bephrotrophio, datis nutricibus, ad juſtam ætatem educandos.

Albertus erga pauperes liberaliſſimus.

Uſuras minuit.

Principatus ſui initio, cum Belgas uſuris menſariorum mire gravatos videret, ut eos quantum ratio temporis patiebatur, ſublevaret, primum ſtatuit, ut Uſurarii publici, qui duas centeſimas & beſſem, ſeu triginta annuos, & amplius in centum antea exegerant, deinceps centeſimam annuam & dodrantem, id eſt, unum & vinginti annuos tantum acciperent, millium aliquot aureorum penſione iis remiſſa, quam quotannis Principum Belgii ærario, ſive mulcta ſive vectigalis nomine, ſolvere conſueverant. Suos exinde magis ſublevare deſideranti ſuggeſtum eſt conſilium de Monte pietatis inſtituendo. Cumque gratuitum ſubſidium, ad ſortem illi inſtituto neceſſariam, non occurreret, neque ſpes affulgeret aliquid conſequendi quod tanto operi ſufficeret, propoſitus fuit hic modus, ut neceſſaria ſorti mutuatitiæ, & ædificiis comparandís, inſtruendis ac ſartis tectis ſervandis, & miniſtris Montis alendis, pecunia ſub annuo reditu ſumeretur, cujus interuſurium à mutuum accipientibus recuperaretur. Licitam porro hanc rationem Archiepiſcopi duo Machlinienſis & Cameracenſis, & Epiſcopi aliquot, qui anno 1517 Machlinæ convenerant, cenſuerunt. Cum vir induſtrius Wenceſlaus Cobergius, Alberti Principis Architectus, formulam concepiſſet totius rei conficiendæ & exequendæ, ea à Præſulibus & Theologis quibuſdam examinata, in præcipuis articulis (reliquis peritorum mercatorum judicio relictis) tamquam Reipublicæ utilis, egentibus oportuna, & à pietate commendabilis, anno 1619 eſt probata, atque ab eodem Principe, habito Conſiliariorum & aliorum doctorum virorum judicio, admiſſa. Quare hoc ipſo anno Bruxellis in uſum deducta eſt: quod exemplum Antverpia, Machlinia, Gandavum, & aliæ poſtea civitates ſunt ſecutæ. De re tota exſtat Diſſertatio Leonardi Leſſii, Soc. Ieſu Theologi, titulo Appendicis ad lib. 2, cap. 20, de Juſtitia & Jure, typis Plantinianis edita.

Mons pietatis Bruxellæ & alibi inſtituitur.

Eremus Carmelitana fundatur.

Inter Moſam & Sabim flumina, altero lapide à Namurco, ſilva Marlania admodum denſa ac peramœna viſitur, in qua anno 1619, die 29 Julii, ab Alberto jacta ſunt fundamenta primi trans Alpes conventus eremitici Carmelitarum diſcalceatorum, hortatu B. Tereſiæ virginis Hiſpanæ, ad veterem ac primævam diſciplinam, noſtra ætate, revocatorum. Eſt autem locus admodum patens, inſtar opidi ampliſſimi, muris undique cinctus, ſilvas, prata, agros, & ſtagna ſuo ambitu complectens. In medio exſtructum eſt monaſterium, cum viginti circiter cellulis (quales fere monachi Cartuſiani habent) horto, muroque à ſe mutuo diſtinctis. Præter has, ſunt & aliæ cellæ laxiores ſeu domunculæ plus minus viginti, ad jactum teli ab invicem, & ab interiore monaſterio diſtantes, in quibus ſinguli monachi, more veterum Ægypti & Syriæ anachoretarum, dies nocteſque Deo vacant.

Matthiâ Imp. mors.

Annus volvebatur hujus ſæculi decimus nonus, cum Matthias Cæſar, die 20 Martii, Viennæ, nulla ſobole relicta, deceſſit. Auſtriæ & provinciarum annexarum hæredem ſcripſit unicum fratrem ſuum Albertum: quarum ipſe poſſeſſionem per Leopoldum Archiducem, dato mandato, cepit. Poſtea tamen vivens ac valens (quod vix pater filio præſtet) inaudita hactenus liberalitate, ditiones univerſas, per obitum fratris ad ſe devolutas, patrueli ſuo, Ferdinando nunc Imperatori ceſſit; cui ex paterna hæreditate non niſi Stiria, Carinthia, & Carniola obvenerant. Ceſſit autem pro majore Dei gloria, Eccleſiæ ac Reipublicæ Chriſtianæ, gentiſque ſuæ Auſtriacæ bono. Tantum porro beneficium ne poſteritas ignoraret, juſſu Sereniſſimæ Iſabellæ Claræ Eugeniæ, vidua cum eſſet, Currus Liberalitatis, regio ſumptu ac magnificentia, eſt conſtructus, qui vexillis atque inſignibus provinciarum, quas Ferdinando ceſſerat, exornatus, & equis ſex per urbem tractus, pompam illius funebrem Bruxellis anno 1622, menſe Martio mirifice decoravit.

Albertus cedit Ferdinando Auſtriacas ditiones.

Currus Liberalitatis.

Nihil illo ævo magnum, nihil ad Rempublicam Chriſtianam juvandam excogitatum uſpiam aut inſtitutum eſt, in quo partem

tem

rem Albertus non haberet. Antonius Albergatus, Vigiliarum Epiſcopus, & per Rheni tractum tunc Nuntius Apoſtolicus, nunc S. R. E. Cardinalis, Itelio Frederico, Comite Zollerano, nunc itidem Cardinale, & Franciſco Lavallino, Capucino, nobili apud Hibernos familia nato, adjutantibus, Coloniæ Agrippinæ Sodalitatem S. Crucis anno 1612 inſtituerat. Sodalitatis hujuſce finis eſt, eos qui ex hæreſeon tenebris ad lumen veræ Fidei Catholicæ educti fuerint, beneficentia juvare, & favore Principum aliorumque virorum opibus affluentium, pro cujuſque ſtatu, de vitæ ſubſidiis congruenter providere: ne quis inopiæ metu (ut fieri quotidie videmus & dolemus) à converſione retardetur. Sanctiſſimum hoc collegium, quod ab utriuſque ordinis, & ſacri & politici, hominibus regitur, Paulus V Papa anno proxime ſequenti, diplomate edito, approbavit, ut & ſimile apud Sabaudos in Thononenſi opido antea inſtitutum Clemens VIII confirmarat. Albertum itaque ſodales Colonienſes (ut ſingulis fere annis mutare ſolent) Præfectum communibus ſuffragiis cum elegiſſent, nequaquam eſt aſpernatus aut dedignatus, ſed litteris humaniſſime ſcriptis gratias egit, atque inſigni munificentia, ut & annis ſuperioribus fecerat, magnam pecuniæ vim ad Converſos alendos tranſmiſit; utque Rex Catholicus ſuam pariter ſymbolam quotannis adjungeret, ſtudioſe procuravit.

Archifraternitas S. Crucis.

Illi præficitur Albertus.

Et vero plura pro Eccleſiæ ac Reipublicæ Chriſtianæ commodis meditantem, Deus Optimus Maximus, ut præmium tot præclaris virtutibus debitum in cælis redderet, acerbiſſimis chiragræ ac podagræ doloribus, quos annis multis fortiſſime tulerat, exhauſtum, ad ſe anno proxime ſequenti evocavit.

Sapientiſſimum quemque æquiſſimo animo, ſtultiſſimum iniquiſſimo mori, M. Tullius, quamquam nulla Euangelii luce illuſtratus, jam olim ſcripſit. Noſter de fatali illa hora imminente, per Reverendiſſimum P. Inicum Brizuelam, ex Dominicano ordine Doctorem Theologum, (qui à ſacris illi Confeſſionibus annos quinque & viginti fuit, & nunc Segobienſis in Hiſpania Epiſcopus, rerumque Belgicarum in aula regia Præſes eſt,) monitus, nullam omnino perturbationis aut triſtitiæ ſignificationem dedit. Quin imo è contra, ſacris omnibus muniri alacer mox voluit, atque in ſummis totius corporis cruciatibus conſuetam animi conſtantiam, æquabilitatem, magnitudinem retinuit, & ad extremum vitæ ſpiritum produxit. Itaque nec ullam querimoniæ vocem, nec ullum repugnantis aut trepidantis animi ſignum edidit: utque in vita, ſic & in ipſa morte ſibi ſemper præſens conſtitit. Adeo quidem, ut horæ quadrante, antequam exſpiraret, de graviſſimis Reipublicæ Chriſtianæ negotiis conſultus, prudentiſſime, ſeu nutu, ſeu voce faucibus hærente, reſponderit; illius elogii, quod Veſpaſiano Cæſari tribuunt, memor, Imperatorem ſtantem mori oportere. Anno igitur ætatis primo & ſexageſimo, placide ac leniter, obdormientis inſtar, exſpiravit: feliciore ſane euthanaſia, quam aut Cæſar Auguſtus olim optavit, aut habuit.

Alberti conſtantia in morte.

Morienti adfuit R P. Dominicus, Carmelita diſcalceatus, gente Aragonius, vitæ ſanctimonia celebris, qui anno ſuperiore Pragenſi prælio interfuerat, & noſtris animos ad victoriam obtinendam addiderat. Sepeliri voluit, multorum Regum Principumque piorum exemplo, in veſte monaſtica ordinis Franciſcani: qua veſte indutum corpus quatriduo jacuit in lectica inaurata, innumerabili hominum multitudine ad ſpectaculum concurrente, & ingemiſcente. Loculo plumbeo lamina ærea eſt inſerta, hac epigraphe:

Loculi inſcriptio.

Alberti *Archiducis Auſtriæ, Burgundiæ & Brabantiæ Ducis, Belgarum Domini, Imperatorum Maximiliani* II *&* *Ferdinandi* I, *Auguſtorum filii nepotiſque; Iſabellæ Claræ Eugeniæ, Philippi* II, *Hiſp. Indiarumque Monarchæ filiæ, mariti, pietate, juſtitia, clementia magni & æternum memorandi Principis exuviæ mortalitatis, immortalitatis gloriam, beata Reſurrectionis in ſpe, hic exſpectant. Vixerat annos* LXI, *menſes* VIII, *diem unum. Rexerat religioſe prudenterque annos* XXV. *Obiit verum Chriſtiani Principis exemplar, anno Chriſtiano* M DC XXI, III *Idus Julii.*

Defuncti laudes varii cum vincta tum ſoluta oratione ſunt proſecuti; nos Cenotaphium hoc, velut vitæ compendium ſcripſimus:

Cenotaphium.

Sereniſſimo Principi ALBERTO *pio, ſapienti, prudenti, Auſtriæ Archiduci; Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi, Luceburgi, Geldriæ Duci; Flandriæ, Arteſiæ, Burgundiæ, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurci, Zutphaniæ Comiti; ſacri Romani Imperii Marchioni, Friſiæ, Machliniæ, Ultrajecti, Tranſiſalanæ, Groningæ, Salinarum, & aliarum ditionum Domino, Neapoli in Auſtria*, MD LIX, *Idib. Novemb. patre* Maximiliano II, *Cæſare feliciter nato,*

nato, Madriti Carpetanorum, à teneris, in aula & oculis avunculi Philippi II, *Regis Catbolici ſancte educato: Qui primus Luſitaniæ Prorex ab eodem conſtitutus Regnum recens partum ac fluctuans ſua prudentia firmavit; Olyſiponem regni metropolim, adverſus Antonium Nothum, & Franciſcum Dracum claſſis Anglicæ ductorem terra marique irruentes fortiter defendit;* Erneſto *fratre è vivis ſublato, Belgicæ ac Burgundiæ primum Gubernator, poſt Princeps bono publico datus, Caletum, Arderam, Ambianum Gallis eripuit; Hulſtum, Oſtendam, Wachtenduncam, Rhenibercam, Grollam, Oldeſaliam, Lingam Batavis ademit: Pace cum* Henrico IV, *Galliæ, &* Jacobo *majoris Britanniæ Regibus inita, & duodecennalibus Induciis apud Belgas,* XL *annorum bello fractos feſſoſque pactis, Jani portas clauſit, pacis quam armorum ſtudioſior: Rebus in Germania deinde turbatis* Matthiæ *fratri,* Ferdinando *patrueli, ex ordine Cæſaribus, validis cum exercitibus ſuppetias tulit; Eorumdem nomine Aquaſgrani, Veſaliam, Duram, Suſatum, Lippiam, Crucenacum, Oppenheimium, Trarbacum, aliaque ad Rhenum ac Moſellam opida ſubegit; Conjuratos Unionis pſeudo-Evangelicæ Principes fregit & ad obſequium compulit; Publicam Eccleſiæ, Imperii, ſuæque gentis ſalutem ſtabilivit: Quod ſera poſteritas vix credet, Imperii Romani Coronam à* VII-*Viris bis delatam reſpuit; Regna Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Boſniæ, Serviæ, Halitiæ, Vlodomiriæ, Cumaniæ & Bulgariæ, Archiducatum Auſtriæ, Ducatum Sileſiæ, Marchionatus Moraviæ, Luſatiæ & Burgaviæ, Comitatus Habsburgi, Tirolis, & Ferretæ, Principatum Sueviæ, Lantgraviatum Alſatiæ, Marchiam Tergeſtinam, Portum Naonis & alia Dominia hereditario jure ad ſe devoluta eidem patrueli ſuo* Ferdinando II, *Imperatori, raro & inaudito hactenus exemplo donatione inter vivos ceſſit ac conſignavit: Acerbiſſimis chiragræ ac podagræ doloribus, quos fortiſſime, numquam querulus, tulit, demum exhauſtus, Bruxellis* III *Idus Julias anni* M DC XXI, *piiſſime & animo quam maxime tranquillo obdormivit.* PROVINCIÆ BELGICÆ *ob Religionem, Pietatem, Pudicitiam, Fortitudinem, Conſtantiam, Juſtitiam, Prudentiam, aliaſque Virtutes vere regias, quibus toto vitæ decurſu clariſſimus, hoſtibus etiam gratus exſtitit, in pientiſſimum patriæ parentem affectus teſtandi cauſſa*

P. P.

Pompa funebris. Corpus maxima pompa, qualem Belgica numquam vidit, ne in funere quidem Caroli V, Cæſaris, majori urbis Bruxellenſis baſilicæ, quæ SS. Michaëli Archangelo & Gudilæ virgini ſacra, menſe Martio anni ſequentis, eſt illatum. Funeri cohoneſtando, ducti ſunt equi duo & triginta, à duobus proceribus ſinguli, quibus totidem vexilla Belgicarum aliarumque provinciarum præferebantur, iis ipſis inſignibus decorata, quibus equi ſplendebant. *Liberalitatis currus.* Currum triumphantis Liberalitatis (de quo ſupra dixi) ſumptuoſiſſime inſtructum ſex equi ſplendide ornati trahebant; quibus totidem adoleſcentuli, habitu virginum veſtiti, inſidebant, ſua ſinguli inſignia manu geſtantes. Notabantur autem Nobilitas, Benignitas, Prudentia, Amor, Ratio, & Providentia. In ſuprema currus parte ſedebat Liberalitas, forma auguſtiore: in altera parte ſtabat ara, in qua jacebant Sceptra Imperiale & Archiducale, itemque Coronæ variæ, iſto elogio addito: HIS SPRETIS OBIIT. Circumcirca volitabant XXVII vexilla regnorum ac provinciarum, quas Albertus patrueli Ferdinando vivens ceſſerat.

Laudationem funebrem dixit R. P. Bernardus Mongaillardus, Abbas Vallis aureæ, ex ordine Ciſtercienſi, lingua Gallica, quæ aulæ noſtræ Burgundicæ à ducentis amplius annis eſt propria. Corpus, ut teſtamenti tabulis mandarat, conditum eſt ante aram majorem, in odeio V. Sacramenti Miraculoſi, cui fuerat devotiſſimus, majorum ſuorum exemplo.

Optimi Principis vitæ ſerie ad exitum, quam breviſſime fieri potuit, deducta, Virtutes, reliquamque ejus indolem deinceps proſequar. Sed in tanta rerum optimarum copia, admodum difficile ſit, ſtilo ſingulas complecti. Mihi ſuffecerit aliquarum dumtaxat ſyllabum texuiſſe, & quas ille prolixe habuit, compendioſe hic recenſuiſſe.

Alberti pietas in Deum. A Pietate, quæ Alberto noſtro propria ac perpetua fuit, initium ducam. Summum profecto Religionis ſtudium in ipſo fuit, ſincerus, inquam, Dei cultus, ex rerum divinarum cognitione & amore profectus, abſque omni animi anxietate & anili ſuperſtitione, quæ majeſtatem multis in Principibus polluit. Statis precibus duas fere horas quotidie, unam mane, cum ſurrexiſſet, alteram veſperi, ad quietem ſe comparans, impendebat. Diebus autem ſingulis Officium, ut vocant, Deiparæ (quod illum in finem majuſculo charactere per Plantinianos edendum curarat) itemque Pſalmos ſeptem pœnitentiales, cum Litaniis, antequam ſomno ſe daret, atten-

Digitized by Google

attente recitabat. Delectabatur vero Pſalmorum omnium Davidicorum lectione, quos Argumentis & Orationibus inde hauſtis Joannes Lapidanus, Soc. Jeſu Theologus, illuſtrat.

Aug. Confeſſ. lib. 9. cap. 13.

Nullum diem, ne in mediis quidem caſtris, abire patiebatur, quo ſumma religione ſacroſancto Miſſæ ſacrificio non adſiſteret, quod ſciret *in eo diſpenſari victimam ſanctam, qua deletum eſt chirographum, quod erat contrarium nobis, qua triumphatus eſt hoſtis computans delicta noſtra & quærens quid objiciat, & nihil inveniens in illo, in quo vincimus.*

Ut de majoribus anni celebritatibus nihil dicam, in omnibus Deiparæ & Apoſtolorum profeſtis, conſcientiæ cuſtodem animique medicum advocabat, & expiatis noxis, ſi quæ fuerant, Synaxim ſacram incredibili pietate ſumebat. In quem uſum ſecretum illi Oratorium erat, variis Divorum pignoribus ac cineribus venerandum: quod & tabulæ, à Quintino Metſio, aliiſque præſtantiſſimis artificibus pictæ, mirum in modum exornabant.

In Venerabile Sacramentum.

Rudolphi I, Cæſaris, qui gentem ſceptris regniſque fatalem propagavit, exemplo, ſi quando ſacerdotem, qui myſticam ac venerabilem Hoſtiam, extremum ægris ſolatium, deferret, obvium habuit, mox equo ſeu rheda deſiliit, & capite nudo, pedes ad ipſam ægri domum deduxit, atque inde ad templum reduxit. Quibus & aliis pietatis officiis, frendente nequidquam impia Calvinianorum natione, cultum S. Euchariſtiæ apud Belgas ſuos mirifice auxit. Hinc umbellarum, & frequentiorum, publicis in ſupplicationibus, tædarum apud nos uſus invaluit; hinc pie comitantium numerus longe auctior hodie ac copioſior, quam olim.

Venerabili Sacramento Miraculoſo, quod anno 1369, à Judæis violatum, ſanguine rubuit, quodque Bruxellis in æde ſumma religioſe colitur, coronam triplicem adamantibus, unionibus, gemmiſque pretioſiſſimis diſtinctam, & alia ornamenta, multis aureorum millibus æſtimata, obtulit ac dicavit. Quotannis menſe Julio, etſi bellicis etiam expeditionibus diſtrictus forte longius abeſſet, Bruxellas excurrit, ut ſolemni ſupplicationi, qua idem V. Sacramentum per urbem religioſiſſime, incredibili hominum concurſu, defertur, manu tædam gerens, intereſſet. Et vero gratum hunc ſibi cultum, Principiſque obſequium fuiſſe, novo Deus miraculo Faverniaci in Burgundia anno 1608, comprobavit: quod à Ferdinando Ryæo, Antiſtite Veſontino, exploratum, publiciſque tabulis firmatum alii vulgarunt: nobis ſat erit digito indicaſſe.

In Deiparam.

Carolus Magnus Imperator, apud Aquas Granias, longe celeberrimum Deiparæ templum excitavit: eidem noſter, duodecim annorum ſpatio, auguſtiſſimum in Colle-aſpero ædificavit. Idem Carolus quatuor ſupra viginti cœnobia erexit, quibus ſingulis ſingulas ex auro litteras, ad ſignandum tempus & ordinem, tradidit. Noſter, præter Aſpricollenſe, itemque Bruxellenſe virginum, & Marlanienſe monachorum, cœnobia ac templa, quæ ſupra laudavimus, à fundamentis educta, amplius ducenta, à Calvinianis everſa, partim inſtauravit, partim ſacra ſupellectile, vitreis, alioque ornatu copioſo inſtruxit.

Lapides fundamentales poſiti.

Nihil illi jucundius fuit, quam primos in fundamentis templorum lapides collocare: quem honorem Patribus Soc. Jeſu Bruxellis & Gandavi; Auguſtinianis utraque pariter in urbe, & Antverpiæ; Carmelitis Lovanii, Bruxellis, & in nemore Marlianenſi; Franciſcanis natione Hibernis Lovanii; Minimis in urbe Bruxellenſi; Annuntiatis virginibus ibidem & Antverpiæ; Tereſianis monialibus iiſdem in locis ac Lovanii, itemque aliis alibi libens præſtitit; inſigni ſemper munere addito. Machliniæ inſuper fundum, vetus, inquam, ſuorum majorum palatium, Caroli V, Imp. educatione famoſum, novo Soc. Jeſu collegio condendo attribuit.

Ordines novi in Belgicam traducti.

Illo Principe, excalceati Carmelitæ, Minimi, & ſeverioris diſciplinæ moniales Carmelitanæ, pedem in Belgicam intulerunt, & ad extremos hominum Morinos penetrarunt. Illo Principe, Societas Jeſu, quæ unius antea provinciæ ſpatio continebatur, Collegia ſua in duas provincias, Flandro-Belgicam & Gallo-Belgicam, eſt partita: quod & PP. Capucini fecere.

Schola nova excitata.

Illo Principe, Eremitæ Auguſtiniani Bruxellis, Antverpiæ, Lovanii, Thenis, Diſtemii, Herentaliæ, Gandavi, Brugis, Inſulis Flandrorum, Bovinii, & Huji; Dominicani Antverpiæ, Liræ, Ipris & Braniæ Comitis; Præmonſtratenſes Furnis in Flandria; & Crucigeri Venlonæ in Geldria, ſcholas litterarias, exemplo Fratrum communis vitæ à Ger. Magno inſtitutorum, itemque Societatis Jeſu, Benedictini vero Duaci claſſes Philoſophicas ac Theologicas aperuerunt. Illo Principe, Ordines plerique religioſi, qui vetuſtate, ut fieri ſolet, aut injuria temporum collapſi, antea velut humi ſerpebant, caput extulerunt, lacertos moverunt, & reddita quodammodo juventute reviruerunt. Brevi-

ter, illo Principe, medias inter bellorum procellas, quod mireris, plura monaſteria ac templa à fundamentis excitata, aut quæ jacebant inſtaurata atque aucta, quam à tribus retro ſæculis; idque priſtino paſſim rigore ac diſciplina in uſum revocata. Adeo quidem, ut nuſpiam hodie terrarum (ignoſce Italia & Hiſpania) aut digniores Antiſtites, aut Clerus doctior ac probior, aut monachi vitæ morumque integritate ſanctiores reperiri poſſe exiſtimentur. Tantum valuit ac potuit apud omnes ſanctiſſimi Principis exemplum.

Ad Deiparæ, Divorumque cultum redeo. Quotannis menſe Majo aut Junio, Albertus ad ædem Aſpricollem ſe conferebat, & dies IX ſacris impendebat, nec umquam, niſi relicto inſigni munere, recedebat. Quotannis item Hallas ſemel atque iterum ibat: ubi & lampas argentea viſitur, pondere & opere inſignis, quam pro dono ſuſpendit, addito vectigali annuo, ut in ævum ante effigiem Virginis luceat.

Alberti pietas in Divos. Ejus porro ſingularem erga ſacra Divorum pignora venerationem deprædicare atque explicare, longum foret. Inter cetera, magno in pretio habuit Crucis Dominicæ fruſta, è Britannis ac Batavis recuperata; S. Sebaſtiani martyris manum, à Lothario Treverorum Archiepiſcopo & Electore dono datam, quam adamantibus, gemmis, aureaque theca decoravit; S. Simeonis ſenis ac prophetæ brachium, magna pro parte, ex Lisbornenſi in diœceſi Paderbornenſi Benedictinorum Abbatia tranſmiſſum: & alia plurima Cælitum lipſana, quæ prolixum eſſet commemorare.

Reverentia erga Pontificem. Pontifici Romano, ejuſque Nuntio in Belgica agenti, itemque Epiſcopis, ut ſacrorum antiſtitibus & adminiſtris, deferebat plurimum: quod probe ſciret ea ratione non minui, ſed augeri ac firmari Principale culmen. Ideoque veteres illas inter Sacerdotium & Regnum de Juriſdictione lites, quæ Europam non ſemel turbarunt, vehementer oderat. Philippum Auguſtum Galliæ Regem in eo æmulatus, qui de nimia, ut aulici volebant, in ſacerdotes propenſione ac facilitate monitus, reſpondit, *Credo equidem quod dicis: ſed quando cogito beneficia, quæ Deus mihi contulit, cui ipſi deſerviunt, & ad quem preces pro me regnoque meo fundunt, malo id pati pro Deo, quam inter me & Eccleſiam ſcandalum ſuſcitare, & eos, quorum orationes ſcio mihi profuiſſe, contra me provocare.* Hæc totidem verbis S. Ludovicum Regem, Philippi Auguſti ex filio nepotem, de avo ſuo narrare ſolitum, Joannes Pariſius in Chronico ſuo tradit.

Sapientia. Hactenus de Pietate: ſecundas habeat Sapientia. Quæ quidem M. Tullio Ciceroni eſt rerum divinarum atque humanarum ſcientia, & quæ cujuſque rei cauſſa ſit, cognitio: ex quo efficitur, ut divina ſapiens imitetur, humana omnia virtute inferiora ducat. Sapientia ſola eſt, quæ nos à libidinum impetu & formidinum terrore vindicet, atque ipſius Fortunæ injuriam modeſte ferre doceat, omneſque monſtret vias, quæ ad quietem & tranquillitatem ferunt. Sapientis animus magnitudine conſilii, tolerantia rerum humanarum, contemptione Fortunæ, virtutibus omnibus ut mœnibus ſeptus, vinci aut expugnari non poteſt. Albertus certe, quod omnes norunt, ea ſemper moderatione ac conſtantia fuit, ſemperque animo ſic excubavit, ut ei nihil improviſum, nihil inopinatum, nihil omnino novum umquam accidiſſe videatur. Adeo quidem, ut ſive læta ſive triſtia nuntiarentur, nihil prorſus moveretur, idemque ſemper illi vultus conſtaret, & quemcumque caſum Deus aut Fortuna invexiſſet, hunc apte & quiete ferret. Locuples mihi teſtis ſit illa ad Neoportum, Flandriæ oppidum maritimum, pravo quorumdam conſilio, clades accepta, qua nihil motus, mox in Deo atque in ſe ipſo omnem ſpem repoſuit ſui, reſumptoque animo Batavos, victoria elatos, exercitum Flandria educere coëgit. *Conſtantia.*

Itaque ut adamas, nobiliſſima inter gemmas, vim infractam, ſic noſter robur animi infractum habuit, qui nec læta Fortuna attolleretur, nec altera deprimeretur. Quo factum, ut ſeu proſperæ, ſeu adverſæ res fluerent, nulla umquam in vultu ejus conſiliorum aut affectuum veſtigia deprehenderentur.

Prudentia quid. Poſt Probitatem ac Virtutem cujus caput eſt Religio ſeu Pietas, Prudentiam in primis neceſſariam eſſe Principi, veteres Philoſophi docuerunt. Hæc non eſt aliud, quam rerum eventuumque notitia, recto cum judicio conjuncta, quam Natura, Uſus, ac Doctrina parere ſolent. Tria iſta in Principe noſtro quam maxime viguerunt, & terrarum imperio dignum, vel Septemvirorum judicio, fecerunt. A puero humanioribus artibus imbutus, mox in Ethicis & Politicis, aliiſque Philoſophiæ ſtudiis, quæ Principem formarent, præceptorem habuit, ut dixi, magnum illum Busbequium: felix quidem tanto doctore ac directore, ſed ingenio ac conſtantia felicior. Neque enim, ut plerique, leviter iis diſciplinis animum imbuit, neque ſtatim, ut ad grandiorem ætatem venit, eas faſtidivit;

vit; ſed & doctos prudenteſque viros in familia ſua perpetuo habuit atque audivit, & ipſe, cum per graviſſima negotia licuit, aſſidue legit. Idque Hiſtoricos & Politicos ſcriptores maxime; quibus ad extremam uſque ætatem mirifice eſt delectatus. Quapropter ſingulis nundinis Francofurtenſibus, vernalibus & autumnalibus, Indicem librorum recens editorum ſibi tranſmitti juſſit; minio ad marginem notare ſolitus, quos emi ſuum in uſum volebat. Habuit item perpetuo ante oculos, in menſa muſei ſui, Catalogum codicum præſertim manuſcriptorum, qui jam inde à temporibus Philippi Boni, & Maximiliani I Auſtriaci, in Bibliotheca Palatina Bruxellis aſſervantur.

Mathematices ſtudioſus Albertus.

Ex ingenuis artibus maxime Mathematicas, atque in iis Geometriam coluit, cujus uſus latiſſime patet, & Principi convenit. Nam dimetiendis agris, condendis ex diſciplina arcibus, collocandis ædibus, muniendis rite caſtris, fluminibus ſternendis Geometria ſervit: in pictura item, ſtatuaria, aurificina, & in reliquo omni artificio vitæque elegantia dominatur. Atque hæc quidem omnia artificibus noſter relinquebat, ſed eorum induſtria ſi quando utendum erat, de ſingulis optime dijudicabat: ut ex Wenceſlao Cobergio, Architecto, & Michaële Coigneto, celebri Mathematico, quem Antverpia ſæpe ad ſe evocare ſolebat, non ſemel audire me memini. His enim elegantiis, ſumpto prandio, libenter vacabat; ne tempus Reipublicæ debitum inutiliter conſumere videretur: adeoque otii & negotii diſcreta habebat tempora.

Picturæ amans.

Inter pictores porro, præter Cobergium, æſtimavit Othonem Vænium, Petrum Paulum Rubenium, & Petrum Breugelium, quos horis, ut dixi, à Reipublicæ vacatione liberis non raro evocabat, & ad honeſtam oblectationem libenter audiebat. Atque horum quidem ex viventibus artificum tabulis potiſſimum delectabatur, ſic tamen ut Joanni Malbodio (cujus opus eximium, grandi ære à Gerardimontano Abbate redemptum, in ſacello palatii Bruxellenſis collocavit) Quintino Metſio, Hieronymo Boſchio, Alberto Durero, Lucæ Leidano, Holbænio, Franciſco Floro, & aliis vetuſtioribus plurimum tribueret. Teſtes magno numero tabulæ, quæ amplius ducentæ in ſola arce Furana numerantur: ut de palatio Bruxellenſi & Mariæmontano nihil dicam. Tria enim hæc loca ut potiſſimum incoluit, ſic & ædificiis atque omni ornatu maxime inſtruxit.

Ad Prudentiam redeat oratio, quam (ut mutos nunc magiſtros, libros dico, ſeponamus) Albertus ab avunculo ſuo Philippo II, Rege Catholico, vere Prudente, velut cum lacte hauſit. Ut quiſque perſpicit maxime quid in re quaque veriſſimum ſit, quique acutiſſime & celerrime poteſt videre & explicare rationem, is prudentiſſimus & ſapientiſſimus rite haberi ſolet. Id noſter in primis præſtitit, qui in tanta rerum varietate, tamque incertis hominum ſtudiis ac voluntatibus, maxime cavit, ne inſidiis ſuorum, ad ſua commoda pleraque rapientium, caperetur. In aulis Regum ac Principum multi ad gratiam loqui ſolent, & vituperare quos odio habent: nihilque eſt in rebus humanis quod periculo vacet. Quapropter ne fallacibus quorumdam conſiliis deceptus in præceps ferretur, res ſingulas ad ſua tribunalia diſquirendas ac dijudicandas dimiſit, auditiſque Senatorum ſententiis, quod in rem ſeu publicam ſeu privatam eſſet, magno ipſe judicio ſtatuit.

Cavit autem quam maxime, ne quis tantum ſibi arrogaret, ut aliquam Reipublicæ partem, nedum univerſa de Republica conſilia ad ſuum arbitrium revocaret. Indicium non magni Principis eſt, ait ille neſcio quis, magnos & in regimine potentes habere aulicos. Suum olim Alvarum Lunam, & nuper Calderonium habuit Hiſpania, Concinium Gallia, Eſſexium Britannia, Cleſelium Germania: Sejanos alios, velut aulæ ac Fortunæ quædam ludibria in orbis theatro ſpectanda, provinciæ aliæ propoſuerunt. Hæc talia nos Belgæ auditu quidem aliunde accepimus, ſed domi non ſpectavimus aut ſenſimus, Alberto rerum, ut Principem decebat, ex toto potiente.

Sejanum non habuit Belgica.

In vicinis regnis ſcimus & homines nulla virtute inſignes, repente quaſi è tenebris in lucem productos, ab obſequiis domeſticis & aulæ ſordibus ad ſummos honores tranſlatos fuiſſe, non ſine invidia provincialium, magnoque animorum motu. In aula Albertina virtuti quidem militari ac togatæ, itemque eruditioni eximiæ nihil denegabatur: ſed ut in equis & canibus propriam cujuſque indolem potius quam ſtirpem conſideramus, ſic gradibus quibuſdam præmia meritis atque induſtriæ prudentiſſimus Princeps exæquabat.

Liberalitas in pauperes.

Nemo pius eſt, qui non ſit & liberalis in egentes, cum ſacræ litteræ doceant, humanis opibus cæleſtes theſauros comparandos, eiſdemque in miſeros effuſis, noxas expiandas. Copioſe id noſter præſtitit, in omnes benignus, non ſubditos tantum, ſed toto orbe remotos Britannos, Hibernos, Germanos, Gallos, ceteros,

teros. Hinc illa Lovani, Duaci, Audomaropoli, & alibi Anglorum, Scotorum, & Hibernorum Seminaria, quos omnes beneficentia ſua juvit ac fovit. De liberalitate Eccleſiis præſtita non reperio: unum tamen exemplum, quod ſit inſtar omnium, ſubjungam, quodque Julius Cæſar Bulengerus, homo Gallus, in libris hiſtoriarum noſtri temporis non tacuit. Anno itaque CIↃ IↃC IX, ut ſuum noſter in Virginem Lauretanam adfectum teſtaretur, Lauretum, una cum conjuge ſua, Sereniſſima Iſabella Clara Eugenia, dono miſit Chlamydem inauratam, cui unum & viginti margaritarum majorum millia, præter adamantes & alias gemmas pæne innumerabiles, erant intexta. Quam Chlamydem aurifabri Itali ad triginta aureorum millia (nam taxari eam Paulus V, Papa mandarat) cum admiratione liberalitatis & pietatis, æſtimarunt. Id ex ore viri honeſtiſſimi, Joannis Silviæ, qui Lauretum à Principibus miſſus donum tulit, accepi.

Lauretanum donum.

Quod in ædificiis lignorum ac lapidum compages & ordo valet, quod in exercitu diſciplina militaris; id ipſum in Republica eſt æquitas legibus ſancita, judiciis munita, præmio ac ſupplicio vallata. Alioqui ſi de medio Juſtitiam aufers, quis probitati locus erit, quis honeſtati? quid non audebunt improbi & ſcelerati? Quapropter innocentiæ tuendæ, caſtigandæque pravitatis ſtudium Principi noſtro fuit ſemper commendatum maxime: cujus rei multa exſtant exempla: quæ odioſum ſit hic commemorare. Hoc publice conſtat, cædium ac libidinum vindicem acerrimum extitiſſe: ſic tamen ut iracundiæ locum daret numquam. A teneris nimirum aſſuefactus atque edoctus cupiditates commotas voluntatemque frangere, haut facile, imo nunquam irritabatur. Vehementior certe animi concitatio, omniſque iracundia contraria eſt imperio ac dignitati.

Juſtitia.

Manſuetudo.

Manſuetudini adjunxerat Clementiam; qua virtute nihil eſt excellentius, nihil quod magnos Principes Deo magis ſimiles faciat.

Clementia.

Cum Juſtitia Fides conjuncta eſt, neque probus aut juſtus Princeps eſſe poteſt, qui fidem datam violare non dubitat. Albertus fidem datam quam maxime coluit, nec unquam vel hoſtem fefellit, ne commodo quidem grandi propoſito. Dicere ſolitum accepimus, Omnia ſe potius, quam Fidem amiſſurum: eſtque magnum mihi in mente exemplum ac teſtimonium, quod nunc premo, alibi fortaſſe dicturus.

Fides.

Sciebat autem hautquaquam ſatis eſſe, Principem omnes habere virtutes, pietatem, prudentiam, conſtantiam, pudicitiam, continentiam; ſed eſſe circumſpiciendum, ut bonos Eccleſiæ Antiſtites, & probos Reipublicæ miniſtros præſtet.

Summi Pontifices, Chriſti in terris Vicarii, qui moderandis & diſpenſandis Eccleſiæ theſauris ſunt præpoſiti, ſolent in poteſtatis ſuæ partem Reges ac Principes bene de Eccleſia meritos, aliave de cauſſa, adoptare. Sic Leo X, anno 1517, Franciſco I in Gallia, & Hadrianus VI, Carolo V, Cæſari in Hiſpania anno 1523, poteſtatem fecit legendi Epiſcopos ac præſentandi. Simili beneficio à Clemente VIII, anno 1600, donatus Albertus, nihil antiquius habuit, quam ut cathedralibus Eccleſiis optimos Antiſtites, & monaſteriis probiſſimos Abbates præficeret; ratus, quod res eſt, ea cura neglecta, Religionis ſanctitatem, morum integritatem, publicamque ſalutem conſtare non poſſe. Præfecit itaque viros probitate, doctrina, ac prudentia claros, ætate graves, quique à multis retro annis functionibus eccleſiaſticis fuiſſent addicti; Deum in conſilium vocare ſolitus, expiata primum conſcientia, & ſacra Synaxi ſumpta, ſi quando electio eſſet facienda.

Epiſcopi integerrimi electi.

Parem in Judicibus conſtituendis, Senatoribus creandis, & magiſtratibus nominandis diligentiam adhibuit. Magiſtratus porro nullos venales eſſe voluit; Alexandri Severi Imperatoris exemplo, qui dictitare ſolebat, fieri non poſſe, quin vendat qui emerit; nec poſſe à Principe in eum animadverti, qui vendat quod emerit.

Magiſtratus gratis mandati.

Ad aulæ miniſteria ex omni Nobilitate deligebat eos, quos vitæ innocentia, prudentia, modeſtia, aliæque virtutes commendabant; perverſo homines ingenio, juvenes item luxu aut libidine perditos à familia ſua prorſus arcebat. Quapropter cujuſque indolem, vitam ac mores ſecreto excutiendos, per homines idoneos ac fidos, curabat, priuſquam ad obſequia domeſtica admitteretur. Si quis opinionem de ſe conceptam fefelliſſet, aut mores mutaſſet, is mox dimittebatur, ne ſua pravitate quaſi peſte aulam, alioqui ſanctam, inficeret. Sanctam voco, nec blandior aut adulor; utpote quæ monaſterii potius religioſiſſimi, atque ab omni contagione liberi ſpeciem referret, quam aulæ Principalis: quales ſcilicet eæ plerumque eſſe ſolent.

Aula ſancta.

Macedonum in Græcia, & Gothorum in Hiſpania Regibus olim in more poſitum fuit, ut Principum liberi in aula regia educa-

Digitized by Google

Digitized by Google


ISABELLA CLARA EUGENIA
ARCH: AUSTR: DUC: BURG:
BRABANT: ETC
33. Comit: Flandriæ.

carentur. Filii quidem ad privata obſequia adhibebantur, inter epulas miniſtrabant, venantem Regem, quibus per ætatem licebat, comitabantur, & ad bellum armati proſequebantur. Hoc velut ſeminarium ducum ac præfectorum apud utramque gentem fuit. Filiæ autem in gynæceo Reginæ miniſtrabant; ubi Minervæ artes, & alia, quæ nobiles decerent virgines, edocebantur: moris omnis gnaræ ac nubiles viris illuſtrioribus tradebantur. His moribus Macedones in Indiam uſque penetrarunt, & Gothi latiſſime imperium propagarunt, Romaniſque rerum dominis Hiſpaniam eripuerunt. Laudatiſſimum iſtud inſtitutum ſecutus Albertus, præter pueros honorarios, habuit in aula ſua, & magno quidem numero, primariorum procerum, utriuſque ſexus, liberos, quos Meninos & Meninas voce nuncupant. Qua ratione Nobilitatem Belgicam & pietate optimiſque moribus præſtantiorem, & Principi ſuo, cujus virtutes à tenera ætate imbiberant, longe addictiorem reddidit. Hoc certe conſtat, numquam plures noſtrates, Principum, Marchionum, Comitum, Baronum genere natos, adoleſcentes & virgines, quam Alberto regnante, ad ſeverioris etiam diſciplinæ monaſteria, velut ad ſalutis portum, ſe contuliſſe.

Menini. Meninæ.

Sed ſtilum ſiſto, memor non univerſam Alberti Hiſtoriam, ſed Elogium tantummodo ſcribendum me ſuſcepiſſe. Erunt alii, qui majore otio & fecundiore oratione res ejus præclare geſtas explicabunt: eas velut exigua in tabella adumbraſſe ſeu digito indicaſſe, haut leve operæ pretium putavi. Qualiſcumque tamen hic labor, honori Principis ac domini mei deſtinatus, profeſſione pietatis, apud æquum Lectorem, ut ſpero, aut laudatus erit, aut excuſatus. Publice enim intereſt, ut tantarum virtutum fama maneat in animis hominum, atque æternitate temporum.

DE ISABELLA CLARA EUGENIA divinis prædita virtutibus HEROINA, quæ Miræus ſcripſit, ad ejus huc elogium adduco pauca verbis, multa exemplis. Aliorum enim mox induſtria, & dives calamus id uberius aget.

NOMINIBUS fatale quid aut ominoſum ineſſe credidit Antiquitas; & ea plerumque cum rebus ipſis convenire, poëta neſcio quis prædicat. ELISABETHAS tres Regum filias, vitæ inſtituto pares, & Cælitibus adſcriptas, Faſti Eccleſiaſtici memorant; *Eliſabetham* Haſſiæ Landtgraviam, Andreæ Hungariæ Regis filiam, *Eliſabetham* Luſitaniæ Reginam, Petro Aragoniæ Rege genitam, & *Eliſabetham* Ludovici VIII, Francorum Regis filiam, S. Ludovici, Regis IX, ſororem. Ex his Eliſabetham *Hungaricam* Gregorius IX, Pontifex, *Luſitanam* Leo X, & Urbanus VIII, *Francicam* Leo item X in Cælites retulerunt. Et vero ſi divinare vel augurari licet, erit aliquando tempus, cum ELISABETHA noſtra Auſtriaca (cui hodie parentamus, & juſta perſolvimus) ordine quarta inter vos Cælites, ô ISABELLÆ Regum filiæ, numerabitur. Favete itaque, & vobis benevolentibus ac benigne adjuvantibus (nec enim invidere poteſtis) vitæ actionumque veſtrarum comparationem ad examen vocari permittite. Et vos Reverendi admodum atque Ampliſſimi Viri, mihi de ſanctiſſima Principe, deque communi omnis ætatis, omnis ſexus, omnium denique ordinum Matre dicenti, benignas, ut cœpiſtis, ac faciles aures præbete.

Tres ſanctæ Eliſabethæ Regum filiæ.

ISABELLA CLARA EUGENIA in Regio ſilvæ Segobienſis prætorio nata eſt anno ſuperioris ſæculi ſexageſimo ſexto: quo anno & menſe Calviniana rabies Antverpiæ, Gandavi, Tornaci, Valentinianis, & alibi templa ſacraſque imagines deteſtabili ſcelere violavit. Voluit nimirum Divina bonitas ac prudentia Viraginem hanc turbulentiſſimis iſtis temporibus naſci, quam ſciebat adultam ad Principatum Belgii aliquando perventuram, Baſilicaſque & monaſteria ab Iconoclaſtis everſa inſtauraturam. Curioſi veteris hiſtoriæ ſcriptores notant, quo die Pelagius hæreſiarcha in Britannia publico damno natus eſt, eodem ipſo die *S. Auguſtinum*, velut ſalutare quoddam ſidus, in Africa emicuiſſe. Cum Brabantiam, Zelandiam, aliaſque vicinas provincias Tanchelinus Adamitica & Sacramentaria ſua hæreſi infeciſſet, opportune *S. Norbertus*, candidi Ordinis Præmonſtratenſis conditor, advenit, ut peſtem illam Antverpiæ & alibi graſſantem, cum per ſe tum per ſuos, opprimeret. Sic & Albigenſibus *S. Dominicum*, & noſtro ac majorum ævo impiis Lutheri, Zuinglii, Calvini, Mennonis, aliorumque hæreſiarcharum inſultibus, fortiſſimam *Societatis* JESU legionem, duce *S. Ignatio Loiola*, Deus Opt. Max. oppoſuit. Ut ad alterum ſexum tranſeat oratio, *S. Tereſia*, monaſticæ vitæ inſtauratrix, iis ipſis temporibus Abulæ in Hiſpania nata eſt, quibus Lutherus, abjecto cucullo, in Germania

1566. Annus natalis Principis Iſabellæ.

mania virus ſuum cœpit effundere. Hæc itaque altiſſima cæleſtis Providentiæ ratio fuit, ut Sectariis, funeſto ac fatali illo anno, Belgica templa vaſtantibus, MULIEREM hanc vere FORTEM, & futuram aliquando violatæ Religionis inſtauratricem, objiceret.

Ejus Pater. Patrem porro ISABELLA noſtra habuit PHILIPPUM II, Hiſpaniarum Indiarumque Regem, cognomento Prudentem, *Avus.* avum vero CAROLUM V, Imperatorem, quo poſt Carolum Magnum rerum geſtarum gloria illuſtrior non extitit. Ut *fortes creantur fortibus & bonis*, à patre prudentiam, ab avo animi fortitudinem, Genti Auſtriacæ propriam ac perpetuam, accepit.

Mater. Mater ipſi fuit ISABELLA VALESIA cognomento Pacatrix, HENRICI II, Francorum Regis filia, FRANCISCI II, CAROLI IX, & HENRICI III, trium ex ordine Regum ſoror: cujus & nomen induit. *Nomen triplex.* Dicta eſt & CLARA, quod in profeſto S. Claræ virginis in lucem eſſet edita, cujus & veſtem religioſam vidua aſſumpſit. Tertium EUGENIÆ nomen debetur S. Eugenio Archiepiſcopo Toletano; cujus ſacra oſſa, ex Dionyſiano agri Pariſienſis cœnobio à Carolo IX, Rege in Hiſpaniam tranſmiſſa, Philippus II, Rex Catholicus, Conſtantini, Theodoſii, aliorumque laudatiſſimorum Imperatorum exemplo, in urbem ac templum Toletanum illo ipſo tempore ſuis humeris intulit.

Iſabella Valeſia defuncta, idem PHILIPPUS Rex anno MDLXX, ANNAM Auſtriacam, Maximiliani II, Imperatoris &
1570. Mariæ Auſtriacæ filiam duxit: ſub cujus ſanctiſſima diſciplina ac regimine noſtra Heroina adolevit; *Educatio.* Alphonſo Oroſco, ex Ordine D. Auguſtini Eccleſiaſte Regio, præeunte & adjuvante. Eminebat jam tum in teneris illis annis major quædam ad virtutem indoles; & integerrimi illius ætatis mores ſignificabant, quæ ſanctitatis eſſet futura maturitas, omnibuſque ſpem ſummæ probitatis ac ſapientiæ faciebant. Quo fiebat, ut Proceres ac Matronæ aulicæ ſingularem in virguncula modeſtiam ac prudentiam mirarentur, ſummumque juvandi ac ſublevandi omnes ſtudium prædicarent, atque incredibili benevolentia complecterentur. *Gratioſa apud Patrem.* Apud Philippum quidem patrem, propter exſpectationem quam de ſe ſummam concitaret, tanto in amore ac pretio erat, ut quodam quaſi augurio ſæpe dicere ſoleret, illam aliquando fore decus ac lumen feminarum omnium, quæ umquam ex Auſtriaca familia prodiiſſent: quoad & eventus comprobavit. Sua porro ſponte currenti adoleſcentulæ ad pietatem omnemque virtutem calcar ac ſtimulos addidit MARGARETA Auſtriaca, Annæ novercæ ſuæ ſoror germana, quæ raro exemplo in Madritenſi S. Claræ cœnobio id temporis monaſticen eſt amplexa.

Id porro curioſi notarunt, etſi à natura ad modeſtiam facta videretur, à tenera tamen ætate non puellaribus crepundiis, *Exercitiis Heroicis addicta.* aut muliebribus nugis, ſed aucupiis, venationibus, arcuum tenſilium & ſagittarum tractationi, aliiſque id genus exercitationibus virilibus atque Heroicis ISABELLAM, *Diana altera.* velut alteram Dianam, deditam fuiſſe; quaſi genium loci natalis tenella hauſiſſet atque imbibiſſet.

Ætate grandiorem ac maturiorem filiam ſeneſcens pater in partem imperii ac curarum publicarum adhibuit: *Conſors Imperii paterni.* à quo illa prudentiæ ac conſtantiæ præcepta hauſit, quæ in omnem poſtea ætatem adhæſerunt. Fuitque tanta ipſius in rebus publicis adminiſtrandis ſupra ſexum facilitas atque induſtria, ut ipſe Philippus, quidquid proſpere feliciterque geſtum eſſet, id filiæ ſuæ conſiliis ac probitati magna ex parte referret acceptum. Adeo quidem, ut non raro profiteretur, ac prædicaret, quod Regna ſua in utroque orbe florerent, quod fines Imperii latius in dies propagarentur, quod bella cum Chriſtianæ religionis hoſtibus feliciter gererentur, quod pax domi conſervaretur, id omne ejus potiſſimum probitati ac dexteritati eſſe tribuendum.

Filiæ itaque prudentiam Philippus Rex agnoſcens, utque ſuos ſibi Belgas magis
obſtringeret, anno MDXCVIII, pridie 1598.
Nonas Maji, ISABELLÆ (cui ALBERTUM Maximiliani II, Imperatoris filium, Belgas tunc moderantem, deſtinabat maritum) *Fit Belgarum Princeps.* Belgicas Provincias XVII, cum Burgundiæ Comitatu, vivens valenſque attribuit ac ceſſit. Albertus, Philippi avunculi ſui voluntate cognita, ex Belgio primum in Germaniam, & inde cum MARGARETA, Ferdinandi nunc Cæſaris ſorore, in Italiam profectus, Ferrariam ſe contulit, ubi CLEMENS VIII, Pontifex tunc agebat. *Matrimonio jungitur à Clemente VIII.* In ea urbe celeberrimo apparatu, primum Margaretæ cum Philippo III, Rege Catholico, poſtea Iſabellæ cum Alberto matrimonium (prælectis in publico mandatorum tabulis) ab ipſo Pontifice, XVII Kalend. Decembris, eſt celebratum. Idem Pontifex exinde ALBERTUM enſe inaurato ac galero Principali, ISABELLAM vero Roſa aurea, ipſa nocte Dominici Natalis ſacrari ſolita, honoravit ac donavit.

Anno proxime ſequenti Valentiæ in Hiſ- 1599.
pania, XIV Kalend. Maji, utræque nuptiæ Regia pompa ac ſumptu ſunt confectæ. In ſuam inde Belgicam cogitantes Prin-

Digitized by Google

Principes, VII Idus Junii ex Hiſpania ſolverunt, & triremibus regiis Genuam vecti, inde per Liguriam, Inſubriam, Helvetios, Alſatiam & Lotharingiam cum nobiliſſimo ampliſſimoque comitatu progreſſi, tandem Namurcum appulerunt. Utque Deo ac Deiparæ pro itinere feliciter confecto gratias agerent, & ſui Principatus exordia utrique ex animo commendarent, *Hallas* (quod eſt Hannoniæ opidum, Virginis Matris cultu ac miraculis famoſum) ſeſe contulerunt. Votis precibuſque ſolutis inde digreſſi, menſe Septembri, Bruxellis primum, poſtea Lovanii, Antverpiæ, Gandavi, Brugis, Inſulis Flandrorum, Montibus Hannoniæ, Valentinianis, & alibi, ingenti ſpectaculorum apparatu, atque incredibili omnium lætitia, ſunt excepti.

In Belgicam venit.

Lovanii cum eſſet, ut ſuum erga Academiam toto orbe celebrem, ac litteratos affectum Isabella teſtaretur, VII Kalend. Decembris, poſtridie auſpicalis diei, cum marito, atque univerſo ſexus utriuſque cœtu aulico, Athenæum ingreſſa, in ſcholis Theologicis exercitationi Academicæ (Diſputationem vulgo nuncupant) quæ per *Petrum Richardotum*, Joannis Præſidis filium, monachum Vedaſtinum, poſt Abbatem Epternacenſem, tunc forte habebatur, interfuit; & eodem ipſo in loco *Juſtum Lipſium*, de Clementia ex Annæo Seneca diſſerentem audivit. Factum ſane illuſtre in femina Principe, & quale apud omnem retro ætatem non legas.

1599.

Lipſium docentem Lovanii audit.

Quanto autem litteras ac litteratos amore proſecuta fuerit, cetera ut taceam, pulcherrimum & tanta Principe dignum apophthegma luculenter oſtendit, quo illa eundem Lipſium ad ſe venientem, & de felici in Belgicam adventu gratulantem ornavit; *Maxima*, inquiens, ***animi gratitudine à patre Rege Belgicarum provinciarum Principatum accepi; ſed te, talem tantumque virum, in iis me repperiſſe, præcipui id beneficii ac felicitatis loco ego habeo, atque æſtimo.*** Quod apophthegma cum vir nobiliſſimus Petrus Toletanus, Alberti & Iſabellæ Archiducum Romæ Legatus, Clementi VIII, Pontif. Max de evocando in Italiam Lipſio fatagenti, retuliſſet, is ab omni ulteriore conatu abſtinuit. Cumque Toletanus ab ea legatione in Belgicam redux, Pontificis ſtudium atque affectum erga Lipſium Iſabellæ explicuiſſet, illa iterum amare ſeſe atque æſtimare Lipſium profeſſa, atque ***ut aurum incluſa gemma, ſic Belgicam illo viro illuſtrari*** dictitans, numquam ſeſe permiſſuram aſſeruit, ut alio migraret. O dicta Alfonſis Regibus, eadem ſtirpe ſatis, digniſſima!

Eumdem amat & æſtimat.

Peractis auſpicalium dierum triumphis ac cæremoniis, prima Alberto Archiduci cura fuit, Religionis noſtræ orthodoxæ & Regii nominis hoſtes bello acriter aggredi. In quo bello Isabella ut laboris ac ſollicitudinis, ſic & gloriæ partem non exiguam meruit; abaviam ſuam Isabellam Hiſpaniæ Reginam, animi & curæ virilis feminam, æmulata: quæ Ferdinandum maritum ſuum etiam ſub armis comitari ſolita, confecto bello Granatenſi, Mauros Hiſpania expulit, & Chriſtophori Columbi opera Novum orbem detexit. Sic & militiæ non conſilio tantum, ſed opera Isabellam noſtram interveniſſe, vel me tacente teſtis eſt famoſa illa triennalis obſidio Oſtendana. Qua quidem durante, aut in munimento quod S. Alberti nuncupabant, hoc eſt, in ipſis caſtris cum marito, aut in vicina urbe Brugenſi, conſtanter perſtitit; ſolita non raro per media etiam caſtra (ut noſtro militi animum adderet, & regia ſua liberalitate ſuccurreret) ſummo cum periculo obambulare, cum hoſtes, æneorum tormentorum copia validi, globos majores ferreamque grandinem noſtra in caſtra continenter jacularentur. Adeoque conſtans fuit atque imperterrita, ut ſi quando ad latus ejus aut poſt tergum tormento quis ictus fortaſſe caderet, illa nec locum nec vultum mutaret.

1601. & ſeqq. In caſtris agit ad Oſtendam.

Oſtenda capta, & Eliſabetha Anglorum Regina è vivis ſublata, cœptum eſt agi de pace cum Jacobo majoris Britanniæ Rege, qui Eliſabethæ jure ſanguinis ſucceſſerat. A multis retro annis miſera noſtra Belgica duplici bello, Anglico ſcilicet & Batavico, æſtuabat, & univerſam pæne Europam in partes trahebat. Itaque ut Belgas à tot bellorum incommodis liberaret, fratri ſuo Philippo III, Regi Catholico, & marito Alberto Isabella auctrix fuit, ad pacem cum Britanno & Inducias cum Batavis paciſcendas. Clauſis ergo Jani oſtiis, poſt horridas quadraginta amplius annorum tempeſtates bellicas, tandem aliquando pax & quies publica non ſolum nobis, ſed univerſæ Europæ fuit reſtituta; ut Orbis Christiani Pacatrix Iſabella optimo jure paſſim nuncuparetur.

1604. Auctrix Pacis cum Anglo.

1609. Induciarum cum Batavis.

Pacatrix orbis Chriſtiani.

At pace firmata, quid moliris, quid agis Heroina? Non de vanis tripudiis, magnificis conviviis, profanis hiſtrionum tragœdiis, aut aliis id genus voluptatibus, quales aulici plerumque captant & expetunt, ſed de Dei ac Deiparæ cultu augendo dies noctes-

Templa ædificat.

que cogitans, totam te mox dediſti cum ad nova templa ac monaſteria à fundamentis excitanda, tum ad vetera, quæ Calvinianus furor olim vaſtaverat, priſtinum in ſtatum reſtituenda. PULCHERIAM Marciani Imperatoris conjugem laudat Græcia, quod Conſtantinopoli in Blachernis auguſtum Virgini Matri templum ſtruxerit, ut Eutychetis & Dioſcori hæreſim, quæ huic bellum indixerat, velut in herba opprimeret. CAROLUM re & cognomento MAGNUM in cælum laudibus effert Gallia, quod ædem Aquis-Grani eidem Virgini rotundam condiderit, auro, argento, columnis item marmoreis Roma & Ravenna advectis, cancellis denique ac portis ex ære ſolido ornaverit: quod opus, ab Eginharto Caroli præcone ac Cancellario graphice depictum, magna omnium admiratione hodieque ſpectatur; & nos ipſi aliquando ſpectavimus. Pulcheriæ & Caroli æmula ISABELLA, in COLLE-ASPERO, ſilvis ac dumetis horrido, ſed utriuſque ſexus hominum pie peregrinantium frequentia famoſo, baſilicam rotundam, atque inſtar ſtellæ radiatam, ex candido lapide à fundamentis ædificandam, ſtatuis item marmoreis, pictis tabulis, tapetibus, lampadibus, calicibus, omni denique ſacra ſupellectile, aurea, argentea, ærea, copioſiſſime inſtruendam curavit: ut inter Belgii Miracula hodie merito numeretur. Cui quidem auguſtiſſimæ fabricæ duodecim annorum ſpatium, & trecenta amplius aureorum millia impendit.

Pulcheria Imp. & *Caroli Magni exemplo.* *In Colle-aſpero baſilicam exſtruit.*

1610. Exinde ad Monaſticos Ordines, quorum nonnulli lapſu temporis ac ſenio debilitati apud Belgas jacebant, & velut humi ſerpebant, in integrum reſtituendos, atque è veterano excitandos verſa, ex Gallia duas magnæ illius Tereſiæ in terris ſocias, ANNAM A JESU, & ANNAM A SANCTO BARTHOLOMÆO (quarum prior Bruxellis, altera Antverpiæ, utraque magna ſanctitatis opinione, deceſſit) itemque virum religioſiſſimum P. THOMAM A JESU ex Italia evocavit; ad Carmelitana utriuſque ſexus cœnobia, ex veteri formula ac diſciplina, in Belgio conſtituenda, & ad ferventiorem illum religioſos inter homines ſpiritum in uſum denuo revocandum. Regio itaque ſumptu ac munificentia primum virginibus *Bruxellenſe* haut procul à Palatio, monachis deinde Carmelitanis *Marlanienſe* in agro Namurcenſi, mediis in ſilvis, non longe à Moſa, utrumque à fundamentis exſtruendum curavit, & annuis vectigalibus opime dotavit.

S. Tereſiæ ſocias in Belgium evocat. 1621. 1626.

Bruxellenſe & Marlanienſe monaſteria ædificat.

Ex vetuſtis porro Ordinibus BRIGITTINUM ſexus utriuſque cœtum, & ANNUNTIATAS moniales potiſſimum juvit ac fovit. Brigittinis à Clemente VIII, Papa facultatem impetravit colonias ſacras deducendi: quas ſine ſpeciali Pontificis Romani conſenſu deducere non licebat. Quo factum, ut apud Atrebates (qua in urbe S. Brigitta, pro Chriſto in terris peregrina, maritum ſuum amiſit) apud Inſulenſes, Armenterianos, Bruxellenſes, Poperinganos, & alibi, non pauca illius inſtituti monaſteria conderentur. His aliiſque exemplis Annuntiatæ Virgines, quas JOANNA Galliæ Regina, Ludovici XI Regis filia, inſtituit, velut è ſomno excitatæ, in hac urbe noſtra Antverpienſi, Bruxellenſi, Nivellenſi, Namurcenſi, Trajectenſi ad Moſam, & alibi domicilium collocarunt. Longum eſſet ac tædioſum ſingula hic proſequi: illuſtriora paucis perſtringam. *Societas* JESU, *Franciſcani*, *Capucini*, auctum in Belgio provinciarum numerum, *Auguſtiniani*, *Dominicani*, *Præmonſtratenſes*, *Crucigeri*, gymnaſia ſua litteraria, *Benedictini* ſuas in Academia Duacena Philoſophicas ac Theologicas ſcholas, reliqui vero Ordines religioſi omnes alteram quaſi vitam ISABELLÆ meritis ac favoribus debent. Præter Carmelitas porro excalceatos, & Carmelitanas ſtrictioris pariter diſciplinæ virgines, *Presbyteri*, ut vocant, *Oratorii*, ſive vitæ communis, itemque ſodales *Minimi*, & alterius generis virgines *Annuntiatæ* (quas Maria Victoria Genuæ anno MDCIV, Clemente VIII probante, inſtituit) huic uni acceptum referunt, quod pedem in Belgicam & Comitatum Burgundiæ intulerint.

Brigittinas & Annuntiatas moniales juvat. *Ordines omnes religioſos [illegible].* *Novos quoſdam evocat.*

Nec eſt quod CANONICI, illuſtris hodie portio gregis Chriſti, ſeſe præteritos aut omiſſos querantur. ANTVERPIENSI noſtro MARIANO Collegio ducenta amplius Flandrenſia terræ jugera, partim prope munimentum, vulgo Saſſum Gandenſe, partim in paludibus Morinorum, induſtria Wenceſlai Cobergii Architecti Regii nuper exhauſtis atque exſiccatis, ſita, liberaliter contulit. BRUXELLENSIBUS Canonicis, præter alia beneficia plurima, centum plus minus pratorum jugera, quæ Scaldis noſter prope *Valentinianas* alluit, dono dedit. REMENSI, AQUISGRANENSI, LOVANIENSI, aliiſque cum noſtratibus tum exteris Collegiis, lampades, caſulas, aliaque plurima ornamenta ſacra liberaliſſime tranſmiſit.

Nec munificentiam erga Canonicos omittit.

Venio ad funeſtum ac luctuoſum illum diem, qui noſtro & univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ damno graviſſimo, ALBERTUM Archiducem è vivis ſuſtulit. Aderat ISABELLA marito animam agenti, illumque mœ-

1621. 13 Julii *Alberto morienti adeſt.*

Digitized by Google

mœſtiſſima intuebatur, quocum multis annis conjunctiſſime vixerat, & cujus vitam redemiſſet ſua. Quis dubitet quin animo conceperit dolorem, quantum cogitare poſſumus maximum? Continebat ſe tamen, animique motus reprimebat; lacrymas, etſi nonnumquam erumperent, cohibebat, & ad meliora abeuntem ardentiſſimis verbis confirmabat. Cumque judicio Medicorum qui aderant, jam conclamatum eſſet, ſeceſſit nonnihil, & *R. P. Andream à Soto* Franciſcanum; quo ut conſcientiæ magiſtro ac arbitro utebatur) modeſte compellans, eidem injunxit, ut veſtem talarem monaſticam, qualem moniales ſanctæ Claræ geſtant, mox confici juberet. Altero itaque poſt Alberti obitum die, ſua ſponte, nemine hortante aut ſuadente (ut ab eodem P. Andrea ipſemet accepi) comam omnem ornatumque depoſuit, capillitium per unam, quæ à cubiculi cura erat, ſibi præſciendi juſſit; Principales, quas habebat veſtes, exuit, medioque in luctu de ſua magis ſalute quam de hominum ſermonibus aut judiciis ſollicita, cineritiam S. Claræ tunicam induit; funiculo, monialium more & inſtituto, ſe cinxit; & ex funiculo Roſarium, ut nuncupant, ad penſum Deo ac Deiparæ quotidie ſolvendum, velut monile quoddam pretioſum ſuſpendit. Nec his contenta, anno proxime ſequenti, menſe Octobri, tertio Ordini S. Franciſci nomen dedit, ſeque talem eſſe profeſſa eſt. O præclarum fortis & excelſi animi facinus, quod in Annales atque in omnem retro ætatem ibit ac celebrabitur!

Principalem veſtem deponit.

1622.

Non defuit tamen una ex matronis nobilioribus, quæ ut ab incœpto illam revocaret: Quid paras, quid agis Domina? Ergone in hac vili abjectaque veſte in publicum prodibis, & legationes Principum, à noſtris ſubinde ſacris alienorum, excipies? Ubi majeſtas priſtina, ubi ſplendor familiæ Auſtriacæ, ubi exiſtimatio tot annorum laboribus collecta? An non ſatius erit communi matronarum veſtitu occultare virtutem, quam tunica iſta abjecta omnium in ſe oculos atque ora convertere? His aliiſque vocibus nihil mota Heroina, generoſe reſpondit: *Multas etiam Reginas in ſimili veſte non modo in publicum, ſed etiam in caſtra prodiiſſe.* Manſitque ea in re conſtans uſque ad extremum vitæ ſpiritum; quin imo & in humili ac paupercula illa S. Franciſci veſte ſepeliri voluit. O raram in tam alto Principatus culmine modeſtiam ac demiſſionem!

Quid vidua egerit.

Quid porro poſt mariti obitum ISABELLA, Deo & ſibi relicta, egerit, nunc videames. Viduitatis ſuæ memor, continuit illa ſe domeſticos intra parietes menſibus fere novem; partim precibus rebuſque divinis, partim negotiis publicis (nequid interea detrimenti Reſpublica caperet) dies noctesque continenter intenta. Nec è latebris in publicum prodiit ante menſem Martium anni ſequentis: quo menſe, ut affectum erga maritum defunctum orbi univerſo teſtatum redderet, pompa funebri vere regia, qualem Belgica numquam vidit, corpus illius ex Palatio ad majorem urbis Bruxellenſis Baſilicam, S. Gudilæ ſacram, nobiliſſimorum Procerum humeris transferendum curavit. Pompæ funebri interfuerunt, præter Nuntium Apoſtolicum, Archiepiſcopi duo, Mechlinienſis & Cameracenſis; Epiſcopi VIII, Atrebatenſis, Ruremondenſis, Antverpienſis, Iprenſis, Namurcenſis, Tornacenſis, Audomaropolitanus, & Gandenſis; Abbates mitrati XXXIII; Equites Velleris aurei XI, præter Carolum à Lotharingia Aumaliæ Ducem, Guilielmum Marchionem Badenſem, & alios viros Principes plurimos. Funeri item cohoneſtando, ducti ſunt equi phalerati duo & triginta, à duobus Proceribus ſinguli: quibus totidem fercula ſeu vexilla Belgicarum aliarumque Provinciarum fuere prælata. Currum inſuper triumphantis LIBERALITATIS equi ſex generoſiſſimi traxerunt: quem Currum ISABELLA regio ſumptu ac munificentia conſtrui juſſerat, teſtandæ apud omnem poſteritatem Liberalitati, qua ALBERTUS Auſtriam, ceteraſque Provincias per obitum fratris ſui MATTHIÆ Imperatoris ad ſe devolutas, patrueli ſuo FERDINANDO II, poſt Imperatori, vivens valenſque ceſſerat; ut in ejuſdem Alberti Vita, typis Plantinianis edita, fuſius commemoravimus.

1621. Pompa funebri maritum honorat.

Duodecennales porro Induciæ jam exſpiraverant, & Batavi, poſt obitum Alberti inſolentiores facti, Rhenum atque accolas ſubigere moliebantur. Ut hoſtium conatibus obſiſteret Iſabella, velut altera *Zenobia* à Trebellio Pollione laudata, AMBROSIUM SPINOLAM, fortiſſimum belli ducem, menſe Auguſto anni ejuſdem quo Albertus vivere deſierat, cum exercitu inſtructiſſimo trans Moſam miſit; hac pia monitione addita, ut verſiculum iſtum Litaniis Lauretanis præmitti ſolitum, SUB TUUM PRÆSIDIUM CONFUGIMUS SANCTA DEI GENITRIX, quotidie cum attentione quinies recitaret: quod & deinceps magno ſuo ac militum ſuorum commodo præſtitit. Juliaco, poſt aliquot menſium obſidionem, à noſtris ineunte Februario anni MDCXXII, ad deditionem compulſo, res noſtræ meliore loco eſſe vide-

1621. Spinolam mittit trans Moſam.

1622. Juliaci deditio.

Digitized by Google

videbantur: cum ecce *Mansfeldius* nothus, comitante *Halberſtadienſi*, cum numeroſo equitatu ac peditatu ex Palatinatu veniens, per viam militarem Romanam, quæ à Bavaco Nerviorum Tungros ducit, menſe Auguſto anni ejuſdem, in Gallo-Brabantiam irrupit. Evocante itaque Iſabella, *Gonſalvus Cordubenſis*, magni illius Gonſalvi Neapolitanorum domitoris abnepos,

1622.
Victoria Fleruenſis.

cum copiis mox adfuit, & in agro Fleruacenſi hoſtem adſecutus, univerſum pæne ejus peditatum oppreſſit; tormentis aliquot majoribus & ſignis quindecim militaribus captis, quæ Bruxellis in odeio V. Sacramenti Miraculoſi piiſſima noſtra Heroina ſuſpendi juſſit. Exinde victorem exercitum, per acies pedeſtres ac turmas equeſtres in agro ſuburbano Mechlinienſi diſpoſitum, ut altera *Victorina*, quæ *Mater caſtrorum* (teſte eodem Trebellio) nuncupata fuit, luſtravit, milites coram laudavit, & largitionibus recreavit.

Iſabella Mater caſtrorum.

Nec umquam alias magis ſe optimæ Principis egentes in milites liberalitas ac pietas oſtendit. Poſt prælium Fleruacenſe multi ſaucii ex noſtris & Mansfeldicis mixtim ad Bruxellenſe S. Joannis Xenodochium delati fuerant.

Liberalis & pia in milites.

Quos omnes, ſive hoſtes ſive noſtri eſſent, pari affectu viſitavit, lineos pannos vulneribus obligandis, veſtes, cibaria, vinum, pharmaca, pecuniam, aliaque neceſſaria coram eis præbuit, atque omni beneficiorum genere affecit.

Placuit poſtea, ad Bergizomenſem maculam eluendam, *Bredam*, urbem ſitu, natura & arte munitiſſimam, tentare. Menſe Julio anni M DC XXIV, Spinola Bruxellis in Campaniam Brabantiæ profectus,

1624.

cum Tribuni militares omnes, uno excepto, ob ſummam ſupportandi è longinquo commeatus difficultatem, aliaſque ob cauſas, omnibus modis obſidionem diſſuaderent, Gilſæ, qui vicus altero à Breda lapide diſtat, cum exercitu dubitabundus diu ſubſtitit.

Breda obſidionem urget.

Ægre id ferens ISABELLA, per literas & nuntios fortiter urſit, ut caſtris propius admotis, obſidionem aggrederetur; ſpondens Deum conatibus, non dominandi libidine, ſed religionis avitæ reſtituendæ, ditioniſque Regiæ recuperandæ ſtudio ſuſcipiendis, pro ſua benignitate adfuturum.

Deo favente & adjuvante.

Nec fefellit promiſſum: nam hiems, quam obſidio abſumpſit, ſine nivibus ac gelu fere tranſiit; & tum demum gelare cœpit, cum hoſtis ſuppetias navigiis ſubmittere conaretur. Æſtus item maris ſuo more non fluxit, aut venti in contrarium ſunt verſi, cum auxiliares hoſtium copiæ aut commeatus pro obſeſſis adveherentur.

Id genus prodigia ac præſidia divina anno M DC VII, menſe Majo, & iterum anno M DC XXII, & tertium anno M DC XXIV, nos ipſi quoque *Antverpiæ* ſenſimus.

1607.
Qui & Antverpiam non ſemel tentatus.
1622.

Anno certe M DC XXII, poſtridie Kalendas Decembreis (quo die S. Franciſcus Xaverius anniverſario ritu colitur) Mauritius Naſſavius numeroſa ac valida claſſe Antverpiam petens, ingenti tempeſtate ſubito exorta, tantum non periit.

1624.

Idem anno M DC XXIV, durante obſidione Bredana, cum in arce noſtra Antverpienſi paucos milites præſidio relictos eſſe, ab exploratoribus certo accepiſſet, eam menſe Octobri clam noctu tentari juſſit. Noctis obſcuræ tenebris tecti hoſtes ad ipſam arcem pervenerant, ſcaphas in foſſam dimiſerant, ſcalas muris admoverant, malleos, vectes, reliquaque inſtrumenta ad clauſtra portaſque frangendas expediverant: cum ecce lumen ex alto emiſſum Batavos detexit, & vehemens ventorum turbo effecit, ut neque lintres firmare, neque ſcalas muris affigere valerent. Compellare mihi Iſabellam hic liceat Claudiani verſibus:

O nimium dilecta Deo! cui fundit ab antris
Aeolus armatas hiemes, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti!

Bredam circumvallatione fractam ac ſubactam reviſamus. Publica certe tunc omnium vox fuit, eam urbem, quam omnes inexpugnabilem crediderant, non armis aut ſtratagematibus Spinolæ, ſed continuatis ISABELLÆ precibus, imperatis ad templa omnia ac monaſteria ſupplicationibus, atque effuſis in egentes largitionibus recuperatam fuiſſe.

Iſabella Bredam intrat.

Bredam tamen ingreſſa, feſtos ignes aliaque lætitiæ publicæ ſigna fieri prius vetuit, quam Deo victoriæ auctori in ſummo templo eſſet litatum. Poſtridie itaque id Alfonſus Cardinalis de la Cueva, Regis Catholici Legatus, præſtitit, Iſabella, ejuſque gynæceo, ac populo univerſo præſente. Exinde *ingens animi femina* (quod Tacitus de Agrippina prædicat) *munia Ducis* continentibus aliquot diebus *geſſit*, & interna externaque valli utriuſque opera ſpectatum cum ſuis ivit; militi in caſtris ſtipendia perſolvi, & veſtes ad X millia confici, donativi nomine, imperavit.

Debbora altera.

Victricem illam viduam *Debboram* ſanctus Ambroſius libro de Viduis alloquens, ſic exclamat: *Vidua populos regis, vidua ducis exercitum, vidua Duces eligis, vidua bella diſponis.* Hæc ipſa omnia, certe rara & eximia, in Te fuerunt ISABEL-

LA

LA, eaque poſteritas omnis admirabitur, atque ipſa æternitas prædicabit, ſi URBANO VIII, Pont. Max. credimus, ut credimus. Quem quidem per litteras Tibi de Breda expugnata gratulantem lubet audire:

Ab Urbano VIII. per epiſtolam laudatur. *Triumphantes gaudio, ob clariſſimam Bredæ expugnatæ victoriam, ejuſmodi elogio alloquimur Nobilitatem Tuam, quæ muliebris virtutis laudes ſupergreſſa, ad propugnationem Religionis orthodoxæ feliciter convertit arma Auſtriacæ potentiæ. Dimicavit militia cæleſtis exercitus in caſtris Tuis; & bellicæ fortitudinis conſtantia docuit nobiliſſimas nationes, ad tam inſignis obſidionis ſpectaculum commigrantes, nullam arcem in terris tam validis opibus ac propugnaculis muniri, quam cæleſtibus auxiliis armata caſtrenſis virtus non expugnet. Decertaſtis cum hoſte periculorum contemptore, & inauditi terroris artifice. Ipſum è carceribus ſuis immittere in Auſtriacas legiones meditari videbatur Oceanum. Fluminibus ſævientibus maritima oſtia occluſit, ut caſtra Nobilitatis Tuæ, novo veluti mari ſuperfuſo, abſorberent. Ceciderunt impii in foveam quam fecerant, & Dominus regnavit. Avitis ſedibus tumultuantes fluctus cohibuit Oceanus, & abierunt in ſicco flumina. Gratulamur Tibi victoriam totius Eccleſiæ votis expetitam, cui Roma nationum omnium mater applaudit, quam Hiſtoriarum teſtimonia conſequentibus ſæculis oſtentabunt.*

1625. *Dunkercam vadit.* Breda Bruxellam redux, eadem illa æſtate *Dunkercam*, ad extremos, inquam, hominum Morinos, noſtra Debbora excurrit: atque iterum Numinis divini favor adfuit. Haut procul à ‡ Marcis in littore Saxonico (ut Notitia Imperii Romani oram illam Flandricam nuncupat) Batavorum claſſis in anchoris ſtabat, ut claſſis Regiæ ex Dunkercano portu enavigationem impediret. Et ecce tanta ſubito ventorum vis excitata eſt, ut univerſas hoſtium naves diſſiparit, Regiæ vero claſſi viam aperuerit ad LXX amplius naves Batavas in Oceano Germanico partim capiendas, partim deprimendas. Quem eventum homines impii Circæis ſeu magicis artibus, pii vero aſſiduis ISABELLÆ ad Deum ſupplicationibus adſcripſerunt.

‡ *Mardyck.*

Secuta eſt deinde nox temporum: utque incertus eſt belli eventus, atque inconſtans rerum humanarum fluxus, ſubſequentibus annis nunc feliciter, nunc infeliciter à noſtris eſt pugnatum, ſed nulla ISABELLÆ noſtræ culpa. Illa namque rectum & erectum ſemper animum habuit, ſibique perpetuo conſtans, tam adverſa quam proſpera, tamquam à Deo immiſſa, æqualiter excepit. Si quando triſtes ex Germania aut aliunde nuntii adferrentur, eos lepide *Nuntios Jobi* ſeu *Patientiæ* nuncupabat; & Jobi ejuſdem exemplo ad conſtantiam, animique in adverſis fortitudinem, ſeipſam aliosque excitabat. In qua vitæ ratione ac moderatione ad noviſſimum uſque diem perſtitit.

Sed decurſo tam laborioſo ac laudabili vitæ ſtadio, jam tandem grata pacis æternæ quies appetebat. Igitur cum VI Kalendas Decembreis anno M DC XXXIII, valetudinem ſuam tentari ſenſiſſet; die tamen proxime ſequenti, qui erat Dominicus, ut erat excelſi animi, ſacris, quæ Muſico cantu in Capella Palatii de more celebrabantur, cum ſuo gynæceo interfuit. Sub noctem morbo ingraveſcente, corpuſculum lecto committere coacta, ſupremum ſibi vitæ tempus adeſſe cognovit. Altero itaque die *R. P. Petro à Caſtro*, Ordinis Minorum (quo conſcientiæ cuſtode ac moderatore tunc utebatur) ad ſe evocato, ſacra confeſſione animum à noxis, ſi quæ ſupererant, rite expiavit, & exinde per eumdem P. Petrum ſumma demiſſione petiit ſibi à miniſtris ſuis aliiſque domeſticis omnibus ignoſci ac condonari, ſi qua in re quempiam fortaſſe offendiſſet aut læſiſſet. Extremæ ſuæ voluntatis ac teſtamenti, ab annis fere XVII ſcripti, tabulas ſibi poſtea prælegi juſſit, iiſque codicillum pietati ac munificentiæ pleniſſimum adjecit. Vetuit autem, ut eximia ſui ipſius contemtrix, in ſuis exequiis Panegyrim aut Laudationem funebri haberi; etſi Principibus is honos ex veteri more ac ritu deferri ſoleat. Feſto S. Andreæ Apoſtoli Burgundicæque Domus Patroni die, auguſtiſſimum CHRISTI CORPUS ad ſe adferri juſſit: quod etſi admodum ægra ac fracta, venerabunda tamen, non niſi flexo poplite ſumere voluit. Cumque MARIÆ MEDICÆÆ Gallorum Reginæ, ejuſque filio GASTONI Duci Aurelianenſi, Ludovici XIII, Regis fratri unico, qui coram lacrymantes aderant, conſueta animi magnitudine ac conſtantia valedixiſſet, petiit Oleo ſacro, juxta S. Jacobi Apoſtoli doctrinam, inungi. Poſt hæc ſecluſis omnibus curis, ſoli Deo intenta, de ipſa quodammodo morte triumphans, in Crucifixi effigiem animum & oculos continenter fixit, nunc JESU, nunc MARIÆ nomen ingeminans. Kalendis demum Decembribus, paulo poſt horam quartam matutinam, obdormientis inſtar, placidiſſime exſpiravit, ſeptimum & ſexageſimum ætatis annum agens: felici profecto eutha-

1633. *In morbum lethalem incidit.* *Pie moritur.*

Digitized by Google

thanaſia, qualem excelſæ ac cæleſtis illæ in terris animæ communiter habere ſolent.

Hæredem ſcripſit ex aſſe fratris ſui Philippi III filium, PHILIPUM IV Hiſpaniarum Indiarumque Regem. Sacras vero Divorum reliquias, quas auro, argento, gemmiſque pretioſiſſimis exornatas in Oratorio ſeu Sacello ſuo domeſtico habebat plurimas, Bruxellis in auguſta ſanctæ Gudilæ Baſilica collocari & religioſe adſervari voluit; addita dote annua in uſum novem Presbyterorum, qui ſacris ibidem ſunt operaturi.

Porro ut honeſtatis ac pudicitiæ erat ſtudioſiſſima, corpus ſuum ſecari aut aromatibus condiri vetuit: etſi mos iſte apud Reges & Principes obtineat. Proximo itaque poſt obitum die, corpus integrum, monaſtica S. Franciſci, ut juſſerat, veſte indutum, in Capella Palatii eſt collocatum; quod triduo in lectica inaurata ibidem jacuit.

Lugetur ab omnibus.

Ad funus ingens omnium ordinum toto illo tempore concurſus eſt factus, omniumque lacrymis eſt illi parentatum: quorum alii benigniſſimam patronam, alii ſuam altricem, heram aut dominam lugebant; ſinguli denique ſuam veluti matrem deplorabant. Nec defuerunt, qui ex funere reliquias carperent, & triplici corona inſigniendam prædicarent, quam ut *virgo*, ut uxor ut *vidua*, exemplo Eliſabethæ Hungaricæ ſupra laudatæ, jure optimo ſibi poſceret. Ut unanimi omnium ordinum conſenſu ac judicio, MATRIS PATRIÆ cognomen ipſe deferendum eſſe videatur.

Mater patriæ.

Sanctiſſimæ Principis vitæ decurſu breviter, ſed longe infra dignitatem ac merita deſcripto, paucas quaſdam ejus Virtutes deinceps proſequar: omnes namque recenſere ſi velim, dies me deficiat. Itaque ut à PIETATE (quæ omnium virtutum princeps eſt & anteſignana) ordiar;

Iſabellæ pietas in Deum.

Statæ preces.

ſtatis precibus tres fere horas, unam mane cum è lecto ſurrexiſſet, alteram poſt prandium, tertiam de nocte poſt negotia publica (quæ ultra mediam plerumque noctem protrahebantur) ad quietem feſſi corporis ſe comparans, quotidie impendebat. Diebus item ſingulis canonicas ad Deiparam preces, Pontificum Romanorum decretis probatas, cum Roſario, ut vocant, ſumma attentione recitabat. In ejuſdem Deiparæ, Apoſtolorum, & aliis per annum ſolemnioribus profeſtis; conſcientiam ſuam ſacra confeſſione apud Sacerdotem (quem ex Ordine S. Franciſci ſemper habuit) expiabat; nec Sacerdotem hominem, ſed Chriſtum eſſe, cujus tum perſonam ſuſtineret, ſerio cogitabat, & pie modeſteque reverebatur. Exinde Panem illum cæleſtem, CORPUS, inquam, CHRISTI Domini noſtri, mirifico pietatis ſenſu ſumebat.

Pietas in Chriſtum.

RUDOLPHI I Imperatoris exemplo, CHRISTUM in ſacroſancta Euchariſtia eximie coluit; nec ulli imbres, venti aut æſtus Solis ipſam à Supplicationibus publicis, quæ per urbis vicos fiebant, umquam avocarunt aut retardarunt. In Bruxellenſi S. Gudilæ templo Coronam triplicem auream, adamantibus, unionibus, gemmiſque pretioſiſſimis diſtinctam, itemque pannos aureos, variaque ornamenta argentea, centum plus minus aureorum millibus æſtimata, CHRISTO obtulit ac dicavit. Si quando extremum ægris viaticum deferenti Parocho fortaſſe occurriſſet, ſolebat ex rheda deſcendere, & ad ægri domum, indeque ad templum comitari. Quo facto noſtræ Religionis homines mirifice confirmavit, & Calvinianos alioſque Sectarios quodammodo jugulavit.

In Deiparam.

Ad Divæ VIRGINIS amorem & cultum quod attinet, illum cum lacte nutricis velut imbibit. Utque eum non Belgis ſolum, ſed & Italis, Hiſpanis ac Germanis teſtatum redderet, chlamydem inauratam, uno & viginti margaritarum millibus, bis mille centum quinquaginta octo adamantibus, mille centum amplius gemmis majoribus intextam, adeoque triginta & quatuor nummûm aureorum millibus ab aurifabris Italis æſtimatam, *Lauretum* miſit. Ad *Montem Serratum* ingentem coronam auream, adamantibus, carbunculis, ſmaragdis oculos perſtringentem; *Romam* vero, *Guadalupam*, *Aquas-Grani*, *Oetingam* (ut de *Hallenſi*, *Cervienſi*, *Lacenſi*, *Vilfordienſi*, *Foyenſi*, aliiſque religioſis in Belgica templis nihil dicam) varia id genus donaria longe pretioſiſſima deferri juſſit. Ut in orbe Chriſtiano vix ullus ſacer angulus eſſe videatur, ad quem regia ISABELLÆ noſtræ munificentia ac pietas non penetrarit.

Habebat autem in Oratorio ſuo domeſtico Divæ VIRGINIS LAURETANÆ effigiem ex Italia tranſmiſſam: coram qua ut ipſa quotidie ſtatas preces fundere ſolebat, ſic & ſui gynæcei matronas ac virgines ad eadem pietatis officia præſtanda hortabatur; gaudebatque vehementer, ſiquando exteri, ad viſendas illius loci ſacras Reliquias admiſſi, idem facerent.

Reliquiarum ſacrarum cultus.

De *Crucis Dominicæ* fruſtis, *S. Annæ*, *S. Matthæi* Apoſtoli, aliorumque Divorum capitibus, *S. Sebaſtiani* martyris manu, *S. Simeonis* prophetæ brachio, *S. Eliſabethæ* Hungaricæ, aliorumque pæne innumerabilium Divorum ſacris oſſibus, quæ auro, argento, adamantibus ac margaritis, ut

dixi,

Digitized by Google

dixi, decorata in ſuo illo Oratorio religioſiſſime adſervabat, prolixum eſſet dicere. Hoc ſuffecerit addidiſſe, illa omnia millione, hoc eſt, decies centum millibus circiter Florenorum ſeu Francicorum nummûm æſtimata, ipſam rara & hactenus inaudita liberalitate Bruxellenſi Canonicorum S. Gudilæ collegio teſtamenti tabulis legaſſe, in odeio honorifice ibidem collocanda atque adſervanda.

S. Pulcheriam

S. Pulcheriam Auguſtam laudat Oriens, S. Cunegundem Imperatricem prædicat Occidens. PULCHERIA fratrem ſuum Theodoſium juniorem Auguſtum, tres item ſorores ſuas, Flaccillam, Arcadiam & Marinam, & utriuſque ſexus miniſtros aulicos in virtute ac pietate ſic inſtituit, nihil ut à monachis aut monialibus differrent, & in religioſum domicilium aula verteretur. CUNEGUNDIS, Sigefridi primi Comitis Lutzeburgenſis filia, Pulcheriam non ſolum in tuenda virginitate, uſuque thori abſtinendo, ſed & in palatina familia ſanctiſſimis moribus imbuenda, ſerio eſt æmulata, & poſt mariti S. Henrici Imperatoris obitum, vitta ſacra loco coronæ ſumpta, in Bambergenſi cœnobio, quod condiderat, totam ſe Deo mancipavit. In ISABELLA certe noſtra Pulcheriam & Cunegundem redivivam mihi videre videor, quæ illarum exemplo, præter pueros honorarios, magno numero primariorum Procerum utriuſque ſexus liberos (quos *Meninos* & *Meninas* Hiſpana voce nuncupant) in aula ſua habuit, & utroſque, pro ſexus ſui conditione, artibus, ſtudiis, & moribus ſanctiſſimis informandos curavit. Ut aula iſta nil niſi palæſtra honoris & virtutis eſſet, & apud omnes, etiam exteros ac longe diſſitos, AULA SANCTA nuncuparetur. Quo factum eſt, ut plurimi noſtrates adoleſcentes & puellæ, ex *Croya*, *Lignæa*, *Arembergica*, *Gavera*, *Trazignianenſi*, *Villana* ſeu *Gandavia*, *Rubempræa*, aliiſque familiis illuſtrioribus oriundi (quod antea vix audiebatur) rebus ſæculi valere juſſis, ad ſeverioris diſciplinæ monaſteria, velut ad ſalutis portum, ſeſe contulerint.

& S. Cunegundim Impp. imitatur.

Iſabella aula ſancta.

Liberalitas in pauperes.

Hactenus de Pietate, quam ut comes aſſidua ſequitur BENIGNITAS in pauperes. At vero quis enumeret monachorum & ſacrarum virginum cœnobia, quibus ISABELLA non in Belgio ſolum, ſed etiam in Hiſpania, Luſitania, Germania, aliiſque regionibus longe diſſitis victum ac veſtitum ſuppeditavit? Quis commemoret, quam multas virgines, in ſumma rerum inopia & pudicitiæ periculo conſtitutas, honeſtiſſime collocarit, quam multas tantum non lapſas ſuis opibus ſuſtentarit? Quis egens aut afflictus aliquid ab ea poſtulavit, & non impetravit? Quod Templum, quod Monaſterium, quod Xenodochium, quod Noſocomium, quod Orphanotrophium, quod opus aliud vel ad excolendam religionem, vel ad homines juvandos inchoatum uſquam vidit aut audivit, in quod non aliquid de ſuo expenderit? Adeo quidem ut bis mille amplius templa ædeſque ſacræ numerentur, in quibus aut altaria, aut vitreæ, aut tabulæ pictæ ex illius liberalitate ſpectantur, aut calices, lampadeſque argenteæ, aut caſulæ, aliave ornamenta ſacerdotalia ex panno aureo argenteove adſervantur.

Unum hic ſilere nec poſſum nec debeo. In Urbe Bruxellenſi ſunt quinque honeſtiſſimorum civium collegia (vulgo *Gildas* vocant) quæ exercitii gratia arcum tenſilem, aut tormentum ferreum (barbare bombardam) tractant. Ab iſtis exercitiis caſta noſtra Diana, ut ſupra monui, non abhorrebat. Itaque à Mariano civium collegio invitata, cum pſittacum de more in pertica, ex turri ædis Marianæ in Sabulo ſitæ, ſtato die Senatus propoſuiſſet, præſente Marito, arcu pſittacum dejecit, populo univerſo plaudente atque acclamante. Cumque idem Senatus ac populus, teſtando affectui, inſigne donarium pecuniarium Reginæ ſuæ obtuliſſet, id omne in cenſus annuos verti juſſit, ad ſex virgines pauperiores in matrimonio quotannis collocandas. Eant nunc qui ſæculum hoc effœtum eſſe, & *Nicolais*, *Eliſabethis*, atque id genus Eleëmoſynariis carere, falſo clamitant & queruntur.

Benignitas in Principes.

Quanta porro benignitate viros ac feminas Principes, in his MARIAM Galliæ Reginam, ejuſque filium GASTONEM Ducem Aurelianenſem cum conjuge, *Henricum Borbonium* Principem Condæum cum ſua item conjuge, *Gulielmum Wolfangum* Ducem Neoburgicum, Eduardi Fortunati Marchionis Badenſis filios, *Emanuelem* Portugalenſem, *Caroli* Ducis Aumalii, itemque N. Vicedomini Ambianenſis filias, *Joannem* Naſſovium, *Joannem* & *Chriſtophorum* Oſt-Friſios, *Philippum* Mansfeldium, Germanos Comites, *Oneilios*, *Tirconellios*, *Argillios*, Britannicarum inſularum Comites, & alios variis è regionibus ad aulam ſuam velut ad commune quoddam aſylum venientes, exceperit, quantaque beneficentia foverit, vel me tacente res ipſa loquitur.

TITI Imperatoris benignitas ac liberalitas erga omnes à Tranquillo Suetonio eximie commendatur. Nihil cuiquam quod con-

Digitized by Google

cedi fas eſſet abnuebat, negans *oportere quemquam à ſermone Principis triſtem diſcedere.* Cum vero aliquando inter cœnandum diem illum beneficio vacuum abiiſſe meminiſſet, converſus ad ſuos, memorabilem illam meritoque laudatam vocem edidit: *Amici diem perdidi.* Adeo vitam Principibus, ad bene de mortalibus merendum, datam putabat. Proinde uſque eo carus ſummis æque atque infimis fuit, ut *Amor ac deliciæ generis humani* diceretur. O quam apte, quam belle hæc omnia ISABELLÆ noſtræ conveniunt!

Iſabella deliciæ generis humani.

Sequuntur longo ordine Virtutes plurimæ, in his Modeſtia animique ſubmiſſio, quam Chriſtiano vocabulo Humilitatem nuncupamus; Affabilitas erga omnes, Morum integritas atque facilitas, Prudentia, Manſuetudo, & aliæ innumerabiles dotes vere cæleſtes: de quibus ſingulis dicere, temporis mihi conceſſi anguſtia non permittit.

Virtutes variæ ejuſdem.

PHILIPPUS TERTIUS,

Hiſpaniarum, Indiarumque Rex.

XXXIV. Comes.

IN numerum Flandriæ Comitum etſi rarò habeatur Philippus Tertius, nihilominus certum eſt eum Comitem habendum, quoniam Principes Sereniſſimi Albertus ſcilicet & Iſabella Flandriam precario poſſidere, Hiſpanis vere imperantibus, videbantur. His propè verbis de Hiſpanis conquerebantur malè ſentientes. At eorum conqueſtus ſcire & æquo fortè nitebantur. Itaque Philippi vitæ compendium in iſto Sanderi opere interponere meritò aggredimur.

Philippus Madriti 14. die Aprilis an. 1478. natus defuncto Patri Philippo II. ſucceſſit. Hæc ignorabat Albertus cum profectus eſt, depoſita purpurà ſacrà in Templo Deiparæ Virginis Hallenſis, datoque Belgii Regimine Cardinali Andreæ Auſtriaco. Tum nupſit Philippus, Margaretæ Archiducis Caroli filiæ: nupſit & Albertus Iſabella an. 1599. Alienus prorſus à bello Philippus, Regnis ſuis pacem reddere cogitavit. Nondùm ſat longà experientià & rerum uſu exercitatus quî ſolus ſubditos ſuos regeret, rerum ſummam Cæſari *Borgia*, Marchioni de Dena, gratioſo ſuo permiſit. Illum Squillacii Principis titulo decoravit. Deindè, tantà apud Principem autoritate valuit ille Toparcha, ut Lermii Ducis, Aurei Velleris Equitis, nec non primi Regni adminiſtri titulos obtinuerit. Ubi primùm publicæ rei adminiſtrator fuit, Hiſpanicam Monarchiam exhauſtam eſſe bellis à Philippo II. in Flandria ſuſceptis, & nunc ità accenſis ut an. 1600. commercia Hiſpaniæ Flandriæque fœderatis interdicta ſint, agnovit. Itaque pace cum Elizabetha Regina, ut Belgii malè ſentientes ſubjicerentur, opus eſſe judicavit. Cum Angla Fœdus exoptabat, nec non Reginam ætate provectam, & regiminis laboribus feſſam bello finem lubenter impoſituram ſperabat. Non fortè hallucinabatur, at modus quo de pace illà actum eſt Hiſpanis detrimento fuit. Infelici ſucceſſu non à Conſilio remotus Lermius, Regem ſuum Alberto & Iſabellæ ſcribere voluit eos ineundi cum Elizabetha fœderis non amittere, equidem occaſionem quærere. Belgii Principes deſiderio proſequebantur pacem. Verum ipſis Angliæ Vicinis cominus apparebant inexuperabilia impedimenta. Equidem Elizabetha levi erat auxilio fœderatis; ſed quandiù Hiſpanorum hoſtis haberetur ſociale bellum non deſineret. Itaque, Alberti judicio, debellandum fœderatos priuſquam pax cum Anglia conficeretur. Ergò ab Hiſpanis auxilium urgebat. Hoc anno 1601. Henricus IV. Galliarum Rex Caletum inſpicere ſtatuit: quod iter curà & ſollicitudine vicinos Principes affecit. Etenim Regem illum pace inquietum bellum redintegraturum, exiſtimabatur. Tum Albertus obſidio premebat Oſtendam, & obſidentis Exercitùs Præfectus Marchio Spinola patefecit ſuam militarem experientiam. Itaque de Henrici itinere anxius Albertus, miſit, ad Regem, Soranum qui Henrico occurrit propè Caletum. Re cognità, Henricus miſit cum Sorano Bruxellas Ducem Aiguillonium. Ut de Philippo Rege nunc ſit ſermo, hìc notandum opus eſt Lermium; gratiæ initio, voluiſſe factum quoddam ſplendidum perpetrare, unde aliquid boni Patriæ ſuæ eveniret. Quapropter ſtatuit, coram ſenatu, debellare tandem *Reginam Hereticam* (ſic enim nominabat Elizabetham).



Digitized by Google

tham). Claſſem inſtrui, Exercitum, inexpugnabili propè æqualem, colligi Jubet. Præfectum Claſſis & Oceani D. Martinum di Padiglia conſtituit, ea lege, ut Navigationi ſe committeret antè Menſem Auguſti anni 1602. & fugatâ Anglorum Claſſe, in hoſtiles agros deſcenſionem faceret. Attonita & irata Elizabetha, jubet Luiſſonium parare Claſſem, maturè conſcendere navem, minas littoribus Hiſpanicis intendere, & Hiſpanorum naves totis viribus aggredi. Revera, Luiſſonius benè meruerat de Regina, quæ tanto contemptu habebat Hiſpanos, ut ſæpius diceret decem ex ſuis navibus viginti ex Hiſpanicis debellaturas. Attamen quantumvis malè de ſuis hoſtibus exiſtimaret, cautè & prudenter egit. In Hollandiam Equitem Grana mitit, qui Ordines Belgii fœderati cauſam Reginæ amplecti deprecaretur. Quo monito, Ordinum juſſu, Vir Nobilis Obdamius ſolvit è portu decem Naves, ultimâ die Maii. Propè Caletum, fœderata Claſſis triginta Navibus Hiſpanicis occurrit; Data eſt pugna, & Hiſpani hoſtium numero oppreſſi fugati ſunt. Ex eorum navibus ſex Combuſtæ, octo ab Anglis captæ fuerunt. Tali clade Philippus Rex & ejus Lermius territi, belli adverſus Angliam faciendi conſilium abjecerunt; & anno ſequenti 1603. defunctâ Elizabetha cum Jacobo Rege ejus ſucceſſore pacem anno 1604. compoſuerunt. Cæterum quædam oppida in Africâ occupavit Philippus. Magiſtratus incorruptâ conſuetudine emendavit; Maruſios ex Hiſpania pepulit, & tandem pacem Belgio dedit. Quibus perpetratis, ipſe pace uſus eſt. A Regina Margareta quatuor filios & totidem filias ſuſcepit. Anna filiarum natu maxima Galliarum Regi Ludovico XIII. nupſit 18. die Menſis Octobris an. 1615. Tertia Cæſari Ferdinando III., ſecunda & tertia in pueritiâ mortuæ ſunt. Filii ſunt Philippus IV. de quo mox erit ſermo; Carolus anno 1607. natus, & an. 1632. defunctus. Ferdinandus Cardinalis, Archiepiſcopus Toletanus, & Belgii Adminiſtrator, anno 1641. defunctus; Denique Alfonſus juvenis mortuus. Montisferrati bellum an. 1615. ſuſceptum nec non Hiſpanorum in Volturrenam conſilia diſſidium in Italia diù fovere. Belli hujus ſingula, apud Marianam, eoſque Autores legas velim. Tandem poſt 22. annorum regnum illuſtre, tam in Hiſpanias quam in Belgium, Archiducum auctoritatis ſpecie, fato ceſſit die 31. Martii an. 1621. Ætatis ſuæ 43. De illo optimè quidam, alii verò peſſimè ſenſêre, ut vulgò fit de Principibus quorum auctoritas factis illuſtribus fuit celeberrima. Aſſerit Giraldus Mariana de Monetæ mutatione Libellum ſcripſiſſe, quo quidem fraudes & impoſturæ Regiorum miniſtrorum monetas publicas adulterantium detegebantur, oſcitantia & dormitatio Philippi III. Regis Catholici perſtringebatur, ingentia denique damna in univerſam Hiſpaniam ex improbiſſimo Regiorum peculatu certo exoritura prænuntiabantur: quem librum qui legat, & hodiernum Hiſpaniæ ſtatum non ignoret, abeſſe haud quaquam poſſit, quin Marianam divinum hominem fuiſſe agnoſcat (qui ea, quæ hodiè Hiſpania experitur mala tantò antè ut vates occinerit) vel certè prudentiam genus divinationis eſſe intelligat. Verum vehementes ea res Lermæum Ducem, Regiæ Hiſpanicæ Sejanum, pupugit: quippè qui fundi Hiſpanici calamitas eſſet, ſeque à Mariana deſignari ſatis intelligeret. Hominem ergò in vincula poſcit, in iiſque annum vertentem ampliùs continet. Philippi laudes Emmanuel Pimenta Luſitanus cecinit carminibus, quæ hic referam.

Fortuna & pietas certant, Rex maxime, quæ nam
Sit magis in titulos officioſa tuos.
Sors memorat titulos, memorat regna addita regnis,
Bellaque felici tam bene parta manu.
Enumerat Pietas animi ornamenta, favores
Sive tuos Mavors, ſivè Minerva tuos.
Pectora tam miris exornat honoribus, ut ſint
Quæcumque Auguſto dona minora ſinu.
Vincis Alexandrum donis, gravitate Catonem,
Virtute Annibalem, Religione Numam,
Non homines ſolum ditant tua dona, ſed ipſos,
Dona tenent Superos, ſi tamen illa tenent.
Quid referam Auguſtis cumulata altaria donis
Quid referam Auguſtâ Templa dicata manu.
Fortuna in terris, Pietas dominatur in Aſtris.
Major erit, quanto eſt ſidere terra minor.

Cæterum faciei gravis & jucundæ erat Philippus, frons ejus magna, oculi cærulei: denique labroſus erat. Oris color albus atque Roſeus; capilli ſubflavi; & licet Princeps ille, corpore brevis, tamen ad unguem factus. Vita ejus adeò integra ut ei non poſſit delictum immane exprobrari. Quarè Sanctus habetur.

Digitized by Google

PHILIPPUS QUARTUS, Hiſpaniarum Rex. XXXV. Comes.

ISabellâ Auſtriacâ, ſine Poſteritate deceſſâ, Flandriæ Comitatus ſucceſſio, PHILIPPO IV. Regi fuit devoluta. Hujuſce Principatûs adminiſtrationem Marchioni d'Ayetone commiſit Dux Aurelianus, qui ob multas à fratre ſuo Rege Ludovico XIII. offenſas, ſeſe Bruxellas receperat, Pace cum eo arcanò facta, Urbem illam, venationis ſimulatione, reliquit & in Galliam rediit. Hiſpanorum Potentiam infringere exoptantes Galli, cum Belgii fœderati Ordinibus conglutinatam concordiam retinebant. Et ut pergerent Hiſpaniam bello aggredi Fœderatæ Provinciæ, illis Gallia multa pollicita eſt per Baronem de Charnaſſé ſuum in Hollandiâ Legatum; qui cum fœderatis inſtrumentum firmavit, eâ lege ut per annum, nec inducias, nec Pacem habere tenebantur. Galli Ordinibus 1000000 præbere debebant, præter centum millia nummûm ad victum & ad cultum Legionis Pedeſtris Gallicæ. Thomas à Sabaudiâ qui, ſuadente uxore, Sueſſionum Comitis ſorore, minimè Sabaudiæ Duce contentâ, Bruxellas conceſſerat, in Flandria Hiſpaniæ exercitui præfuit. Jamdiù indicere Hiſpanis bellum exoptabant Galli. Quapropter Trevirenſis Electoris captivitate, tanquam ſpecie uſi ſunt, anno 1635. Etenim Princeps Trevirenſis validiſſimam Arcem Hermanſteinum ipſis dederat. At irrati Hiſpani Embdanum Comitem cum exercitu miſerunt. Qui, Auguſtâ Trevirorum capta, Electorem Namurcum, & indè Terneuſam apud Bruxellas captivum adduxit. Cardinalis Infans Belgii Gubernator liberare Electorem Trevirenſem negavit; qua de cauſâ Galli, inſtantibus fœderatis Ordinibus, aperto Bello Hiſpanum proſequuti ſunt. Indicato bello, Mareſchalli de Châtillon & de Brezé 25000. hominum Exercitum in Luxemburgenſem agrum deduxerunt. Fame capto Caſtello d'Orchimont, nec non urbe Marchiâ, verſùs Leodicenſem tractum progreſſi ſunt. Ibi, non longè ab Avenio, Hiſpanico Exercitui 16000 hominum, Duce Principe Thoma à Sabaudiâ, occurrerunt. A Gallis profligati ſunt Hiſpani; qui, eâ pugnâ, militum 5000. amiſerunt præter 1800. captivos, inter quos Nobiles nonnulli. Ex parte Gallorum, 50 homines nec ampliùs occiſi ſunt. Namurci obſidionem de rebus bellicis conſilio propoſuit Mareſchallus de Châtillon. At reſtitit Dominus de Brezé; ambo Duces, aulæ juſſu, ad Belgii fœderati exercitum, cujus Præfectus erat Princeps Auriacus, ſe junxerunt; deindè expugnarunt Tillemontium, & Lovanium obſidio cinxêre. Verùm inopiâ nec non ab Hiſpaniæ, & Imperii exercitu preſſi, Batavi Arſcotum, Galli Veſelium ſeſe receperunt. Quo infelici ſucceſſu Gallorum & Batavorum diſcordiis aſſignato, metum amiſêre Hiſpani. Mox, Scheinkianæ Arcis, die 26. Julii anni 1535. ſcalis admotis muros invaſit Ernshoult, Embdani Comitis Legatus, Gelriæ Hiſpanicæ Præfectus. Gubernatorem hujus Arcis, atque Præſidii milites 1500. occidit. At Auriacus Princeps, Gallorum & Mareſchalli de Brezé auxilio, anno ſequenti, 26. die Maii, Arcem illam certis conditionibus ſeſe dedentem recepit. Poſt reditum Mareſchalli de Brezé in Galliam, Galli & Batavi, ſejunctim in Belgio bellum habuêre. Interea eodem ardore ac ſtudio in Italiâ bellum habebatur. Hiſpanos, nec non Mutinæ Ducem aggreſſi ſunt Victor Amedeus Sabaudiæ Princeps, Eduardus Farneſius Dux Parmenſis, & Mareſchallus de Crequi, Regis Galliæ Tribunus militum in Italiâ. Clam reliquit Galliæ exercitum Parmenſis. At anno ſequenti ab Hiſpanis obſidione cinctâ Placentiâ, cum ipſis, mediante ſummo Pontifice, & ſupremæ Etruriæ Duce, pacem firmavit. In agro Mediolanenſi quoſdam progreſſus fecerunt Sabaudiæ Princeps & Mareſchallus de Crequi: Ibi, occiſus eſt Mareſchallus de Toiras, Vir, egregiis mentis dotibus, & ſuis, & Hoſtibus charus; at expugnatum eſt Caſtellum vulgò *de Fontané* dictum. Deindè, pugnâ datâ 22. die Junii anni 1636. Marchio de Leganez Exercitûs Hiſpanici Præfectus, *Biagras* concedere coactus eſt. Inter eà Galli, Duce Principe Condæo, in Burgundiæ Comitatum irruptionem fecerant; verum, Dolam obſidione eximere adacti ſunt. At Hiſpani in Picardia felici ſucceſſu Bellum gerentes, Capellam, Bohamium, Caſtelletum, Braium, & Corbeiam, quæ Gubernatoris ignaviâ ſeſe certis conditionibus dedit, occuparunt. Attonitis Gallis ſuccurrit Cardinalis *de Richelieu*. Hic, Exercitum 52000. hominum contraxit, quo auxi-

Digitized by Google



Digitized by Google

auxilio Rex ipſe Urbes amiſſas recuperavit, & præſertim Corbeiam, cujus Præſidium fame preſſum ſe dedit. Die 22. Decembris an. 1636. electus eſt Romanorum Rex Ferdinandus Erneſtus Bohemiæ & Hungariæ Rex, Imperatoris Ferdinandi II. filius natu major. Ipſe profligârat Sueſſios pugnâ Nortlinganâ; & famâ ibi comparatâ, invitis competitoribus, ad ſolium pervenit. Anno 1637. Comes d'Harcourt qui Navalem exercitum Ducis Parmenſis ſubſidio deducebat, cum audiſſet Parmenſem ipſum cum Hiſpanis conveniſſe, in Sardiniam Inſulam deſcenſionem fecit, ubi Oriſtanum occupavit, & indè prædam magnam attulit. Denique Hiſpanos, Stæ. Margaretæ, & Sti. Honorati ad Provinciæ marimitas oras, inſulis, an. 1635. occupatis, pepulit. Alibi Cardinalis de la Vallette, una cum La Meilleraye, Machinarum bellicarum Præfecto, Caſtellum Cameracenſe, (ſive Gallicè *Chateau-Cambréſis*) Bohamium, Landrecium, Malbodium, Bellomontium, & Capellam recepit. Mareſchallus de Chatillon occupavit in Agro Luxemburgico, Yvodium, & Damvillerium. In Burgundiæ comitatu Dux de Longueville expugnavit Fanum Sti. Amatoris, & certis conditionibus accepit Caſtellum, vernaculè *de Bleterans*. Ut reſarcirent damna ſibi illata Occitaniam bello aggreſſi ſunt Hiſpani; & obſidione cinxerunt Leocatam, Duce Joanne Sabellone. Verùm tantâ virtute contrà obſidentes ſe vindicârunt obſeſſi, ut urbi ſubvenerit Dux Halluinus, Occitaniæ Præfectus, qui Hiſpanorum caſtra vi cœpit, & amiſſis 2000. hominibus, diſcedere coëgit. Quarè Mareſchallus factus eſt Halluinus. Die 7. Octobris 1637. fato ceſſit, Vercellis, Victor Amedeus Sabaudiæ Princeps. Ætatis annum 51. attigerat; eique ſucceſſit Franciſcus Hyacinta filius ejus natu major, anno 5 ætatis ſuæ; quique non multò poſt mortuus eſt. Eodem anno Ferdinandus II. Cæſar, Rhætopoli rediens, ſtupore nervorum obiit anno ætatis ſuæ 59. & imperii 15 Omnibus Virtutibus præditus fuit, eiſque uſus erat tum in proſpera cum in adverſa fortuna. Succeſſit Ferdinandus III. Anno 1638. in agro Mediolanenſi Marchio de Leganez Bremetum à Gallis munitum obſeſſit. Subſidio accedens Mareſchallus de Crequi, tormento occiſus eſt. Ignavus Urbis Gubernator hoſtibus ſe dedit. ſed à Conſilio de rebus bellicis, Cacallæ capite damnatus eſt. Intereà Leganez, Pedemontium ingreſſus, Vercellas certis conditionibus accepit, die 4. Julii an. 1638. Cardinalis de la Valette, Exercitûs in Italià Præfectus, arte occupavit Cacallam. At Condæus turpè obſidione ſolvit Fontarabiam, crimine, ut fertur, Ducis *de la Valette*, Legati ſui, qui in Angliam conceſſit, dum in eum capitis litem inferebatur. In Arteſia Mareſchallus de Châtillon, ſanctomerum obſidione cinxit, at coacti ſunt diſcedere obſidentes, 6000. hominibus amiſſis. Felicior Du Hallier Caſtelletum expugnavit. Polichnium, Arboroſa, & Caſtellum vernaculè de *Vadans* in Burgundiæ Comitatu, ſeſe Duci de Longueville dedêre; ipſeque Dux Lotharingios, virtute Legati ſui de la Mothe Houdancour, ad Polichnium profligavit. Eodem anno, die 5. Septembris natus eſt Galliæ Delphinus, qui deinde Rex Ludovicus XIV. Franciſco Hyacintæ Sabaudiæ Principi menſe Octobris defuncto ſucceſſit Carolus Emanuel Frater ejus ætatis ſuæ anno 4. Paterque fuit Victoris Amedei. Anno 1639. bellicâ virtute illuſtris Dominus la Meilleraye, in Arteſiâ Hedinum expugnavit, & à Rege factus eſt Mareſchallus; infelicior Fouquiereus in Theonisvillæ obſidio, à Picolomini vulneratus, brevi vulneribus mortuus eſt. Salſulas in Ruſcinenſi comitatu occupârunt Galli; ſed mox amiſerunt. Cum Flandriâ ceſſiſſet Princeps Thomas à Sabaudiâ, Sabaudiæ Ducis nepotis ſuî tutelam recepturus, juvantibus Hiſpanis Taurinum cepit. In eâ Regione Gallici Exercitus Præfectus, Comes d'Harcourt, Principem Thomam & Hiſpanum Ducem Leganez oppreſſit. Anno ſequenti, Cacallam obſidione ſolvere Leganez, ipſe coëgit; & tandem, invitis Hiſpanis, Taurinum recuperavit. Illo anno, oppugnaverunt Atrebatum Galli; & urbem illam quibuſdam conditionibus acceperunt. Multùm debilitata fuit Monarchia Hiſpanica, rebellatione Luſitanorum qui Brigantiæ Ducem ſibi Regem aſſumpſerunt, nec non Catalaunorum, qui in Gallorum fidem ſe commiſerunt: quod evenit, Comitis Olivarezii Hiſpaniæ adminiſtri ſuperbiâ. Anno 1641. Marchio de Los Velez Barcelonam Gallis eripere & Regi ſubmittere fruſtrà tentavit; & Catalauni multò pervicaciores, Galliarum Regem Ludovicum XIII. Catalauniæ Comitem promulgaverunt. Hic Proregem miſit in Catalauniam *La Mothe Houdancour*, qui Hiſpanos pepulit, & Conſtantinam Urbem occupavit. Joannes IV. Luſitaniæ Rex, validè Hiſpanos retrudit, & in Galicia Urbes nonnullas occupavit; deindè ad omnes Europæ Poteſtates Legatos miſit. Adverſus Gallos, Hiſpani auxilium

lium Principi Thomæ à Sabaudiâ ſuppeditantes, Pedemontium ingreſſus eſt Comes Harcurtius, qui Clavaſio ſuccurrit, & Cuneum occupavit. De Harcurtio, & ejus factis extat celeberrimum Noſtradami Vaticinium. In Arteſia tum belli Theatrum occupavit Æriam Mareſchallus de la Meilleraye. Sueſſionum Comes Regio ſanguine natus, impatienti animo Cardinalis de Richelieu Poteſtatem ferens, cum Duce Guiſio apud Bullionem conceſſit, ibique cum ipſis conjuravit, & cum Cardinale Belgii Catholici adminiſtratore fœdus inivit. Quo fœdere ab Hiſpanis validum auxilium acceperunt, & Regium Exercitum, ad Sedanum profligarunt fœderati Principes. Sclopeto occiſo Sueſſionum Comite, Exercitûs Reliquias contraxit Mareſchallus de Châtillon, & Rex ipſe reſumpſit Doncheriacum. Attonitus Bullio ad Regis Clementiam confugit, & in gratiam receptus eſt. Æria à Gallis occupata, mox ab Hiſpanis conditionibus recepta eſt, die 1. Decembris an. 1641. Intereà Galli Lentium, & Baſſeam ceperunt. Poſt quæ Ferdinandus Auſtriacus Cardinalis Infans, Regis Catholici frater, nec non Belgii adminiſtrator, die 9. Novembris ejusdem anni, Bruxellis mortuus eſt. Antea Galli Bapalmam occupaverant; at præſidio cæſo, juſſu Præfecti Atrebati, nullâ conditionum habitâ Ratione, Ambiani capite damnatus eſt St. Preuil, cædis autor. Eodem anno, cum Urbe ſuâ pepuliſſet Hiſpanos Monœcii Princeps Galliarum Regis fidei ſe commiſit, a quo auxilium accepit. In Catalauniâ Vagabatur *la Mothe Houdancour*, at Burdigalæ Archiepiſcopi Claſſi Præfecti culpâ, non Tarraconem cepit. Mareſchallus de Brezé, tum Catalauniæ Prorex copiis Perpinianum cinxit, verum non impedire potuit quin Hiſpani intromitterent commeatum. Catalaunorum rebellatationem fovere exoptans Galliarum Rex, ut in intimam Hiſpaniæ partem pervadere poſſet, Ruſcinenſem Comitatum occupare decrevit: quod evenit poſtquam Mareſchallo de la Meilleraye Caucoliberem capere præcepiſſet. Seſe dedit Hæc Urbs die 13. Aprilis an. 1642. Dehinc Perpinianum obſeſſit: intereà Mareſchallus de la Mothe Houdancour Valentiæ Regnum ſpoliavit, & in Aragonia Montionem die 15. Junii cepit. Verùm feliciores in Arteſiâ Hiſpani, Duce Franciſco de Melo, Lentium & Baſſeam receperunt, atque Gallicum Exercitum, ad Hunni Curiam profligarunt. Fertur malè ſe defendiſſe Mareſchallum de Grammont, Cardinalis de Richelieu, tum non Regi grati aſſenſu. Plena hæc Victoria ſuſtulit Hiſpanis 100. homines, & Gallis oneri & moleſtiæ fuit. Hoc infortunio attonitus Galliarum Rex ad Cardinalem de Richelieu, Domini Cinq-Mars artibus ab aulâ remotum, refugit. Reverâ in Cardinalem coiverant Cinq-Mars, Aureliani Dux Regis frater, & Bullio, mediante Franciſco Auguſto Thuano. Verùm fœderis, nomine Aureliani, cum Hiſpanis facturi gnarus Cardinalis, omnia Regi apperuit. Quâ de cauſa in gratiam rediit, & Narbonnæ, manibus injectis Thuano & Cinq Mars, ipſi Lugduni capita amiſerunt. Idem evenit Bullioni, qui Cacallæ arreptus eſt. Interim non obſidione ſolvebatur Perpinianum: at Hiſpanis obſeſſis ſubvenire tentantibus, eorum claſſis ad Barcinonem deleta eſt, à Marchione de Brezé. Olam occupare exoptantes Hiſpani, repulſi ſunt, & majori infelicitate ſe dedit, bonis tamen conditionibus Perpinianum. Urbe Præſidium exivit 9. Septembris an. 1642. Regi dedit Sedanum, qui Majeſtatis pœnam vitaret Bullio. Omninò Ruſcinenſem Comitatum, adepti ſunt Galli, poſt quam Salſulas ceperunt; & clade à Mareſchallo de la Mothe Houdancour illata, omnem ſpem in Catalaunia amiſerunt Hiſpani. Quare eorum Præfectus Leganez Madriti redux vinculis datus eſt. Gallici Exercitûs in Italiâ Præfectus Thomas à Sabaudiâ, die Septembris 3ª. Nicæam, & deinde, adjuvante Duce de Longueville, Tertonam Hiſpanis eripuit. Interim, Cardinalis Richelæus, cui proſpera ſua Gallia debebat, obiit 4ª. Die Decembris anni 1642. Dum vixit adverſa multa experta eſt Auſtriaca Domus; & ejus agendi ratio Gallos eo magis illuſtravit quò Ducis Olivarez Regi Philippo IV. gratia fuit infelicior adminiſtratio. Reverâ, honore & gloriâ cumulatus deceſſit Richelæus, verùm diù infelicitati ſuæ ſuperfuit Olivarez, & infelicior fuiſſet niſi benignitate præditum Regem inveniſſet, quem voluptatibus oppleverat. Tertonam, fruſtrà obſtantibus Gallis, recuperavit Mediolani Gubernator. At in Catalauniâ, adverſus Hiſpanos, commeatu & præſidio Miraveto ſubvenit la Mothe Houdancour, quare à Rege ſuo Ducatum Cardonam accepit. Attamen morbo enervatus Ludovicus XIII. non multò poſt Adminiſtratorem Richelæum fato ceſſit 14ª. die Maii an. 1643. horâ ſecundâ poſt meridiem, anno ætatis ſuæ 43. & Regni 33. Ei ſucceſſit filius Quadrimatus. Tum Hiſpani damna ſua in Flandria & in Catalauniâ penſare

re

Digitized by Google

re poſſe videbantur. Ex eo quidem commoda capere conati ſunt. Verùm, Meroëm Anghianum Ducem Condæi Principis filium natu majorem, ipſis oppoſuit Fortuna; Viginti annorum adoleſcens Anghianus, Gallico exercitui, ad Rupis Regiæ auxilium præfuit. Hanc urbem, copiis validiſſimis 10. die Maii an. 1643. cinxerat Franciſcus de Melo Belgii Præfectus. E regione caſtra, obſidentium caſtris poſuerunt Galli, & die poſtera, Exercitum ordinavit Anghianus; quod fecit etiam Hiſpanorum Præfectus. Fortuna dubiâ, manus conſeruêre, at profligati ſunt Hiſpani, die 19. Maii an. 1643. Hac Pugnâ Hiſpanorum 8000. ceſſere; præter captivos circà 7000. Omnes hoſtium ſpes delevit hæc Victoria, præter quam in Arteſiâ quaſdam Urbes & Theonis Villam occupavêre Galli; nec non expugnaverunt Urbem Cirk vulgò dictam in Agro Luxemburgenſi. Eodem anno, Tridinium, & Pondeſturam in Italiâ Hiſpani amiſere; Præterea claſſem eorum profligavit Dux de Brezé, & Naves ſex cepit. Anno 1644. menſe Julii Leridam in Catalauniâ receperunt Hiſpani, & ab ipſis Terraconem obſidione ſolvere coactus eſt la Mothe Houdancour; quarè in Galliam revocato ſucceſſit Comes Harcurtius. In Flandriâ, Aureliaci Ducis Exercitu, & Batavorum claſſe cincta Gravelina certis conditionibus ſe dedit. Rhodopolim in Catalauniâ anno 1645. Hiſpanis eripuit Comes du Pleſſis Pralin; eoſque profligavit die 21. Julii Comes Harcurtius.

Proximè ſequuta eſt Ballegarii jactura, 13. Septembris; Gallique ſibi providerunt Barcinonem, apertâ conjuratione quam conſuerant cives Urbem hanc Hiſpanis tradituri. Batavorum claſſe freti, Arcem Mardicum 10. die Julii occupaverunt Galli. Idem evenit Linkiæ Arci, Burburgo, Bethuniæ, ſancti Venantii fano, & Armentariis. Quo facto, Gallorum auxilio adjutus, Waſiam occupavit Auriacus. Præterea Baronem de Beck Hiſpaniæ copiarum Præfectum profligârunt, omnes Urbes ad legiam occupârunt, & Gaſſione Duce, Comitem de Fuenſaldagne & Lambeyum deleverunt. At Hiſpani Mardicum Arcem, amiſſis tantum 20. hominibus, receperunt. Anno 1646. Aureliacus, & Enghianus, Cortracum, obſidione cinctum, certis conditionibus, præſentibus Lotharingio & Piccolomini, occupaverunt. Deinde Vinoci Bergam, Mardicum, Furnas, nec non Dunkerkam ceperunt. At in Catalauniâ Leridam obſidione ſolvere coactus eſt Harcurtius, 30. die Septembris. Sed ad Orbitellum, Hiſpanicam Claſſem fugavit Dux de Brezé, qui tormento occiſus eſt, dum Victoriam perſequebatur; & Thomas à Sabaudiâ Urbem obſidione liberare coactus eſt. Nihilominus Piumbinum die 8. Octobris, & Portum Longum, ejusdem menſis die 19. ceperunt Mareſchalli de la Meilleraye & de Pralin. Ejuſdem menſis die 9. Infans Balthazar Auſtriacus, Regis Philippi IV. filius, cujus magnæ erant ſpes, obiit. Anno 1647. Duce Enghiano, Principis Condæi nomine donato, Galli, ſucceſſu infelici, Leridam obſeſſerunt. Cortracum aggredi finxit Leopoldus, Imperatoris frater, & Belgii Præfectus; at Armentarias obſidione cinxit & occupavit; Landreciumque conditionibus 19. Julii accepit. Interim Mareſchallus de Rantzau occupavit 12. Julii Dixmudam, quam menſe Octobri amiſêre Galli. Obſiſtente Leopoldo Archiduce, Baſſeam & Lentium occupavit Mareſchallus de Gaſſion, qui ad mortem Sclopeto cæſus intrà quatriduum obiit, anno ætatis ſuæ 36. Vir experientiâ, & virtute bellicâ lugendus. Semper mulieres odio habuit, quod falſam eſſe probat eorum ſententiam qui dicunt homines ſtrenuos multùm amore commoveri. Tum in Hiſpaniæ Proregem ſe rebellarum Neapolitani, Duce Piſcatore Mazanielle d'Amalfi. Quo cæſo, Principem de Maſſa ſibi Ducem aſſumpſerunt malè ſentientes, & eum clandeſtini cum Hiſpanis commercii ſuſpectum, capite damnaverunt. Ejus loco Sclopetario, Gennaro Annezé rerum ſummam dederunt. At ipſis deerat Dux autoritate & nobilitate præſtans, quarè Henricum Lotharingium, Guiſium Ducem tum Romæ degentem advocarunt. Ut ipſe Neapolitanorum deſiderio ſatisfaceret, Phaſelum conſcendit, & per medium Claſſis Hiſpanicæ Neapolim appulit. Ubi primùm adfuit creatus eſt ſupremus Exercitûs Plebis Præfectus, & Libertatis propugnator. Richelæus Dux Hiſpanicam claſſem ad Neapolim profligavit; verum Tempeſtate coactus eſt in Galliam redire. Intereà Guiſius Hiſpanos in Caſtellis Neapoli clauſos, obſeſſit. Anno 1648. die 30. Januarii cum Belgii fœderati Ordinibus, Monaſterii fœdus inivit Rex Catholicus. Adverſus Hiſpanos Neapoli Bellum ſemper agens Guiſius, Niſitam copiis cinxit; ſed per ejus abſentiam, commercio clandeſtino cum quibuſdam civibus, Neapolim receperunt. Tum Guiſius in Abbruziam concedere exoptans, à Capuæ Gubernatore captus, Hiſpanis tra-

Digitized by Google

traditus eſt. Eum capite puniri voluit Prorex, ſed obſtitit Joannes Auſtriacus; & in Hiſpaniam miſſus eſt Guiſius. Dux Mutinenſis, qui Galliæ partes amplexus erat, nec non Mareſchallus du Pleſſis Pralin, Mediolanenſis Principatûs Præfectum Marchionem Caracenum profligaverunt, & fruſtrà Cremonam obſeſſerunt. Felicior fuit Mareſchallus de Schomberg, qui captâ Dertoſâ, & liberatâ Flixâ, à Franciſco de Melos cinctâ, nomen ſuum commendavit. Poſtquam recepit Cortracum, Furnas, & Lentium Galliam ingredi ſtatuit Archidux Leopoldus, verum Condæus cum Hiſpanis manus conſeruit die 20. Auguſti, eos profligavit, & Archiducem fugavit. Dehinc Lentium & Furnas recepit. Propter Mazarenum, ex Aulæ & Parlamenti Pariſienſis diſſenſionibus proficiens Leopoldus, Sti. Venantii Fanum, & Ipram recepit. Flandriam ingreſſus Harcurtius quî prohiberet Archiducis progreſſus fruſtrà Cameracum occupare tentavit, at facilè Condæum cepit, quam urbem, finiente expeditione, reliquit, ob retinendi difficultates. Eodem anno, in Catalauniâ, Conſtantinam, Salodium & Sirgiam receperunt Hiſpani, decreveruntque, Barcinonem terrâ Marique circumſidere: at Marſinus Provinciæ, Galliarum regis nomine, Procurator generalis, eorum conſilia abrupit. Marchio Caracenus quaſdam Mutinenſis Ducatûs Urbes occupaverat; ſed Principi reddidit eâ lege, ut Gallos ejuraret. Anno 1650. Gallorum diſſenſiones validiùs renovatæ ſunt, ergà Principes de Condé, de Conti & de Longueville, quos Rex captivos detinebat. Prudenter occaſione uſus eſt Archidux, & Capellam, Vervinum, Caſtellum Portianum, Retelium, & Moſomium occupavit. Non minùs fortunatus, Comes d'Ognate, Neapolis Prorex, Piumbinum & Portum longum recepit. In Catalaunia, Marchio de Mortare Exercitûs Hiſpanici Præfectus, Regi Catholico ſubjecit Flixiam, Miravetum, & Dertoſam. E Germaniâ in Galliam multo ſtipatus milite rediit Mazarinus, & adjuvante Mareſchallo du Pleſſis Pralin, Retelium recepit, & Mareſchallum de Turenne, qui tum Hiſpaniæ partes amplexus erat, nec non Stephanum Gamarræ Hiſpanum vicit, die 18 Decembris Anno 1651. Carcere liberatus Condæus, metu conceſſit in Bituricenſem Ducatum, & indè in Aquitaniam, quod bellum civile validiùs accenſit. Intereà cepit Bergam Leopoldus. In Catalauniâ quaſdam Urbes occupaverunt Hiſpani, & Joannes Auſtriacus Barcinonem terrâ marique clauſit. Conditionibus Gravelinam & Dunkercam accepit Leopoldus anno 1652. Mareſchallus de la Mothe Houdancour qui in Catalauniam Proregis titulo redierat Barcinonem Joanni Auſtriaco dedit 13. die Octobris. In Italiâ Cacallas Gallis eripuit Mantuæ Princeps. Guiſium liberare negaverat Hiſpaniæ Rex; quamvis libertatem ejus rogaſſet Galliarum Regina: at ſolius Condæi precibus, illum carcere ſolvit. Quanquam amiſiſſent Barcinonem, in Catalauniâ Caſtellionem, & Sti. Felicis Fanum occupaverunt Galli, & obſidione cinxerunt Gerundam cui ſubvenit Joannes Auſtriacus. At Mareſchallus d'Hocquincour Hiſpanos profligavit. In Pedemontio Mareſchallus de Grancé, Caraceni copias delevit, & Mediolanenſem agrum ingreſſus, Carpignanum occupavit. Condæus Hſpanorum partes amplexus quaſdam Urbes ipſis ſubjecit. Verum Retelium, & Moſomium receperunt Mareſchalli de Turenne & de la Ferté Senneterre. Idem evenit Sti. Menulphi Cœnobio, cujus erat Gubernator vir ſtrenuus Comes de Montal. Condæus & Comes de Fuenſaldagne Picardiam ingreſſi, Rodrinam occupaverunt, fruſtràque Corbiam tentarunt. Rhodopolim certis conditionibus acceperunt, dum à Gallis obſeſſum & captum eſt Stenacum. Obſidione invaſerunt Atrebatum Archidux & Condæus, ſed Urbi ſubvenerunt Mareſchalli de Turenne, de la Ferté Senneterre, atque d'Hocquincour, Hiſpanoſque profligârunt die 24. Auguſti. Mox Quercetum occupavit Mareſchallus de Turenne, & Mareſchallus de la Ferté Claromontem. Caſtellum ad Mare cum appuliſſet Guiſius, Neapolitanis iterùm ſubveniens, urbem hanc expugnavit. Verum à Neapolitano Prorege profligatus in Galliam redire coactus eſt. Anno 1655. Landrecium, Malbodium, Condæum & Sti. Ghiſleni fanum Galli præſente Rege ceperunt; & Princeps Franciſcus Lotharingiæ copiarum Præfectus, Hiſpaniæ partes dereliquit, & ad Gallos tranſiit. Mediolani Præfectum, Principatus ſui quaſdam Urbes occupare tentaſſe dictitans Princeps Mutinenſis Gallorum partes iterum amplexus eſt. Quarè Marchio Caracenus, eum in Lepidi Regio obſeſſit; verùm tantâ virtute ſe defendit ut diſcedere Hiſpanos coëgerit; Et cum adveniſſet ſibi à Galliâ Auxilium Principi Thomæ à Sabaudiâ; Marchioni de St. André Montbrun, & Comiti de Broglio ſe junxit, unàque Papiam obſeſſerunt, die 25. Julii, at fame

me

me preſſi, menſe Septembris obſidione hanc Urbem liberarunt. Eodem anno, Trophea Pompeii (vulgò *le Col du Pertuis*) Chierium, & Caſtilionem occupaverunt, nec non Solſonæ ſubvenerunt Princeps de Conti, & Dux de Mercœur. Finiente Anno, Oliverius Cromwel Anglorum Reipublicæ propugnator cum Gallis fœdus inivit, quo tenebatur Hiſpanos bello perſequi. Anno 1656. obſidione Valentianas ſolverunt Galli; & Mareſchallus de la Ferté captus eſt cum militum 4000. Quod ad Mareſchallum de Turenne ſpectat, optimo ordine Quercetum ſe recepit, & Capellam occupavit. In Mediolanenſi Principatu Valencia ſe Gallis dedit die 26. Junii Anno 1657. Sti. Ghiſleni fanum cepit Joannes Auſtriacus, dum in agro Luxemburgenſi, Mareſchallus de la Ferté Montem Medium occupavit, die 6. Auguſti. Intereà Hiſpani Guinenſem Comitatum ingreſſi, fruſtrà Caletum aggreſſi ſunt, & Ardræ quam obſeſſerant ſubvenit Mareſchallus de Turenne, poſtquam St. Venantii fanum occupavit. In Agro Mediolanenſi Alexandriam liberavit Fuenſaldagne, Principi de Conti, & Duci de Mercœur commeatum intercludens. In Catalauniâ, obſidione ſolverunt Urgellam Hiſpani. Anno 1658. Mareſchallus d'Aumont qui proditione Oſtendam occupare ſperaverat, ipſe proditus, cum militibus ſuis captus eſt. Quod damnum reſarcivit Mareſchallus de Turenne qui Dunkerkam cepit, & Hiſpanos, quibus præerant Joannes Auſtriacus, & Condæus vicit. Urbem, ex pacto, Anglis dedit Galliarum Rex, qui 1. die Julii morbo affectus, morti fuit proximus. At vomitorio vino ad vitam rediit. Die 24. Auguſti ſe dedit Gravelina Mareſchallo de la Ferté, & mox occupaverunt Galli Furnas, St. Vinoci Bergam, Dixmudam & Ipram, quæ coacta eſt à Mareſchallo de Turenne die 26. Septembris Gallorum ſigna figere. Eadem Fortuna Gallos in Italia comitavit, ipſi enim Mortariam ceperunt. Diuturno & tam ſævo bello tandem finem impoſuit Pax coagmentata inter Gallos & Hiſpanos, in Phaſianorum inſulâ, anno 1659. Pacem hanc conglutinavit Matrimonium Chriſtianiſſimi Regis cum Maria Thereſiâ Auſtriaca Hiſpaniarum Regis filiâ natu majore. Primo inſtrumenti Articulo pactum eſt Regem Catholicum filiæ ſuæ 500000. nummos aureos daturum, eâ lege ut nubenda Princeps Patri ſuo Hæreditatem renuntiaret. Eodem anno fato ceſſit Infans natu minor. Anno 1660. in Sti. Joannis Luſii Fano acta ſunt ſponſalia. Non diù ſuperfuit huic paci Cardinalis Mazarinus, qui de conditionibus cum Ludovico Mendez de Haro egerat. Anno 1661. Maria Anna Auſtriaca Ferdinandi III. Romanorum Cæſaris nata, & Hiſpaniarum Regis ſecunda Uxor, feliciter parturivit filium qui Abavi nomine Carolus vocatus eſt. Anno ſequenti Gallis Dunkercam dederunt Angli quibuſdam conditionibus. Pace felici utebatur tota fermè Europa, præſertim Hiſpania, cum obiit 17. Septembris die anni 1665. ætatis ſuæ 63. & regni 44. Philippus IV. infirmâ Valetudine feſſus. Humanitate, nec non ſummâ benignitate præditus, verùm gratis ſuis nimiùm addictus; quarè adverſa nonnulla experti ſunt, eo regnante, Hiſpani. Ipſi ſucceſſit filius ejus Carolus de quo nunc aliquid dicendum.

In Effigiem Regis Catholici Philippi IV.

Delicias præfert tua frons, tua mitis imago,
Æmula ſideribus lumina, labra, genæ:
Inſperſæ ſuper ora nives, quas inficit oſtrum,
Læta ſupercilii gratia, lætus honor,
Mellia vox, dulci quæ pectore funditur, undant
Unde magis ſiculis dulcia mella fovis.
Gratius ingenium, quam nectar dulce, liquorque
Ambroſiæ, divum qui cibus eſſe ſolet.
Talem te mitis finxit Clementia, qualem
Supplicii timidus te cupit eſſe reus.
Quæcunque in ſummo poſcuntur Principe dotes,
Ars natura, tibi tum Deus ipſe dedit.
Plus in te haud poſco, tantum deſidero Princeps,
Tot bona ſint populis ut diuturna tuis.

EMANUEL PIMENTA LUSITANUS.

CAROLUS SECUNDUS, Hiſpaniarum Rex, XXXVI. Comes & Nominis 4.

Usque ad annum 1667. Pax de quâ locuti ſumus perducta fuit. Tum Rex Chriſtianiſſimus Hiſpanis bellum indixit, ut ipſi traderent Provincias quas ad Uxorem ſuam ſpectare dictitabat, nulla renunciationis habitâ ratione. Flandriam ingreſſus Galliarum Rex, Caroloregium Ath, Tornacum. Die 7. Julii Duacum, nec non die 1. Auguſti Aldenardam occupavit. Poſteà Aloſtum ingreſſus eſt, & ſummâ felicitate Inſulam die 27. Auguſti ſibi ſubjecit. Marſinus qui Urbi ſubvenire fruſtrà tentaverat, Gandavum verſus rediens à Mareſchallo de Crequi profligatus eſt. Poſtquam Bergam, Furnas, & Armentarias occupaſſet Mareſchallus d'Aumont, Cortracum obſidione cinxit, & cepit die 18. Junii. Aloſtum recepit & delevit Mareſchallus de Turenne, & finiente expeditione Marchio de Bellefons, nec non Comites de Lorge & de Montal, Marchionem de Conflans, qui Bruxellas ibat, profligarunt. Anno 1668. Condæo Duce, Burgundiæ Comitatum, occupatis Veſuntio & Caſtro Salinenſi, Hiſpanis eripuerunt Galli. Tunc pacem firmavit cum Alphonſo IV. Luſitaniæ Rege, Carolus II. Rex Catholicus. Attamen Belgii fœderati Ordines Galliarum Regis progreſſibus territi, ſocietatem adverſùs Galliam coire cogitabant, cum pax inter Hiſpanos & Francos Aquiſgrani facta eſt, ea lege ut Galliarum Rex Hiſpanis Burgundiæ Comitatum redderet & ſumma poteſtate ſibi ſervaret Urbes quas in Belgio occupaverat.

Adverſus Belgii fœderati Ordines bellum paraverat Ludovicus XIV. & anno 1672. Unitas Provincias ingreſſus eſt. Intrà très hebdomadas 45. Urbes occupavit. Quarè Galli bellum habuerunt cum Imperio Rom. Hiſpaniâ & Provinciis fœderatis. Nihilominus iterùm occupârunt Burgundiæ Comitatum; nam Dux de Navailles Greiacum & Rex ipſe Veſuntium, nec non Dolam ceperunt. Item, die 30. Junii an. 1673. Trajectum ad Moſam, certis conditionibus receperant Galli. Fœderatas copias ad Seneſſam die Auguſti 11. 1674. Condæus aggreſſus eſt. At dubia fuit victoria. Indè Fœderati Aldenardam copiis cinxerunt, ſed eos fugavit Condæus. Quidquid in Germaniâ per Mareſchallum de Turenne actum eſt prætermitto, quia de regibus Hiſpaniæ, ut Flandriæ Comitibus loqui ſtatui. Februarii die 11. anni 1675. Dom Melchior de la Cueva Claſſis Hiſpanicæ Præfectus, ad Fretum Siculum à Duce de Vivonne profligatus eſt, & Neapolim ſe recepit. Dinantium, Huyum, & Limburgum occupaverunt Galli, miſeruntque Claſſem in Siciliam, ut Meſſinenſium rebellationem foverent. Anno 1676. Condæum, Bouchanium, & Ariam ceperunt Galli, ſed eodem anno, Philipsburgum amiſerunt. Attamen Quênius profligavit Batavorum & Hiſpanorum Claſſem, quæ tandem Auguſtam obſeſſit, verùm Quênius Urbi ſubvenit, obſidentes amovit & illos ad Palermam profligavit. Poſt hanc Victoriam occupaverunt Galli Taorminam, Sti. Alexii fanum, Grucem Savocam, & Scalettam. Præterea Catalauniam populatus eſt Dux de Navailles. Die 17. menſis Martii an. 1677. Rex Chriſtianiſſimus expugnavit Vatianas; & eadem fortunâ occupavit Cameracum. Aurelianus profligavit Auſtriacum ad Morinorum Caſtellum & indè cepit Audemaropolim, Aprilis die 22. Mareſchallus de Crequi, Ducem Lotharingium Gallia pepulit, in Germaniam ſe recipere coëgit, Rhenum tranſivit, & Friburgum obſidione cepit 15. die Novembris. Eodem anno, cedit Comitem de Monterey Catalauniæ proregem Dux de Navailles. Denique obſidione liberaverunt Caroloregium, & Sancti Ghiſleni fanum occupaverunt Galli. Ipſique anno 1678. Gandavum, Ipram, Puicerdam in Catalaunia, & Leeuwam in Brabantiâ ceperunt; nec non copias ſuas Meſſinenſibus abſtulerunt. Auguſti 10. die Pax facta eſt Noviomagi inter Gallos & Batavos; Verùm antequam publicaretur, Gallos oppreſſit Auriacus. Batavorum auxilio Hiſpani deſtituti, in eodem loco cum Gallis Pacem fecerunt, 17. die Septembris. Illo fœdere, Galli Hiſpanis reddiderunt Caroloregium, Binchium', Ath, Audenardam; Cortracum, Gandavum, Limburgum, Leeuwam, Sti. Ghiſleni fanum, & Puicerdam; ſibique ſervarunt Burgundiæ Comitatum, Valentianas, Bouchanium, Condæum, Cameracum, Ariam, Audomaropolim, Ipram, Morinorum Caſtellum, Bavacum & quaſdam alias Urbes,


CAROLUS II. HISPANIAR.
ET INDIAR. REX.
36. Comes Flandriæ.

Digitized by Google

bes, aut Arces. Attamen, debellatum eſt in Germaniâ uſque ad 5. Diem Februarii an. 1679. & tum pax conglutinata eſt inter Cæſarem, Imperii Principes, Regem Galliæ & Regem Succiæ. Eodem anno, Hiſpaniarum Rex Uxorem ſibi adjunxit Mariam Ludovicam, Aureliani Ducis filiam natu majorem. Pacem conglutinare credebatur illud Matrimonium, ſed anno 1683. reſtauratum eſt Bellum. Quaſdam Urbes & Regiones Hiſpanis eripuêre Galli, & Mareſchallus d'Humiéres, Regis juſſu, Cortracum obſeſſit & occupavit 7. die Novembris. Quarè ipſis indictum eſt Bellum à Marchione de Grana Belgii Catholici Gubernatore. Galli, die 3. Junii an. 1684. Luxemburgum occupaverunt. In Catalauniâ Mareſchallus de Bellefons, Ducem de Bournonville, Hiſpanici Exercitûs Præfectum profligavit. Cui bello tandem finem impoſuêre 20. an. induciæ. Proteſtantium Religio quam nonnullis Edictis aggreſſus erat Rex, tandem in Gallia, Nannetenſis Edicti reciſione, extincta fuit. Anno 1688. Servitutem metuentes Cæſar, Imperii Principes, Hiſpaniarum Rex, nec non Belgii fœderati Ordines, Societatem conſlarunt Auguſtæ Vindelicorum. Verùm inſtrumenti Exemplar habuit Gallus. Intereà, Britanniæ Rex Jacobus II. omnia movit qui in regno ſuo cultum Romanum reſtitueret. Edicta plurima promulgavit, & quidem eâ de cauſâ Epiſcopos vinculis dedit. Quâ agendi ratione feſſi ſubditi ſui, ejus Generum Principem Auriacum advocârunt. Interim Galliarum Rex in Germaniâ, filio ſuo Delphino Duce, debellare cepit. Philipsburgum, Spiram, Vormaciam, Moguntiam, Bonnam, Francodaliam, & Manhemium occupaverunt Galli. Dum in Germania bellum habebant, Auriacus ad Torbaium appulit, undè Oxonium pergit. Ad eum velut ad Liberatorem advocat, & Rex Jacobus à militibus ſuis relictus, Londinum ſe recepit: indè in Galliam confugit. Tandem, Auriaco, Corona impoſita eſt menſe Aprilis an. 1689. Statim Galliarum Rex Anglis & Batavis bellum indixit. Intereà Jacobus ad Hyberniam appulit, & Inſulam ſibi ſubjecit præter Londingderiam arcem. Attamen Galliarum Rex Jacobo ſubvenit, & copias ſuas tripartitas miſit, in Germaniam Duce Mareſchallo de Duras, in Flandriam, imperante Mareſchallo d'Humiéres, & in Catalauniam, ubi, Præfectus, Dux de Noailles Campredoniam occupavit die 17. Maii Comes de Tourville, 30. Julii die Claſſes Anglorum & Hiſpanorum profligavit. Propter ſucceſſum infelicem Mareſchalli d'Humiéres ad Vallocuriam, Jus poteſtatemque in Flandriâ exercitui imperandi habuit Mareſchallus Luxemburgenſis, qui, anno 1690. Fœderatos quibus præerat Valdekius Princeps, vicit. Anno 1691. Galliarum Rex Urbem validiſſimam copiis cinxit & occupavit Hannoniæ Montes; & Leodium ignitis bombis inflammavit; quia Leodienſes, ut dictitabat, neutrius partis ſtudium neglexerant. In Catalauniâ, idem ferè evenit Barcinoni; & finiente anno, in Sabaudiâ Gallis ſe dedit Monmelianum. Anno 1692. Elector Bavâriæ, qui in Hungariâ, Germaniâ & Pedemontio innumeris Virtutis exemplis, Marchionis de Gaſtanagæ loco, Belgii Catholici regimen accepit, ibi, tot & tanta prudentiæ & virtutis exempla dedit, ut Belgarum propugnator habeatur. Galliarum Rex ipſe Namurcum obſidione cinxit, & occupavit 5. die Junii & 19. Octobris Marchio de Bouflers & Comes de Montal Caroloregium bombis ignitis inundarunt; dein Gallorum copiæ Huyum cinxerunt; dum Furnas cinxit, & occupavit Marchio de Bouflers; quarè coacti ſunt Fœderati Dixmudam relinquere. Anno 1693. Gallis ſe dedit Huyum, Julii die 19. Tandem Mareſchallus Luxemburgenſis, ad Landas & Nervindam Fœderatorum caſtra aggreſſus, illos diſcedere coëgit, & Galli Caroloregium occupaverunt. Anno 1694. nihil memorabile in Flandria apperit, præter Fœderatorum Conſilium Scaldim, Tornacum inter & Aldenardam tranſeundi. At Galli incredibili diligentia Fœderatis obſiſtere tentaverunt. Anno 1695. relicto in Flandria, agmine, Namurcum cinxêre Fœderati, dum Mareſchallus de Villeroi Bruxellas bombis ignitis incendere minatum ivit, quodque fuit 13. die Auguſti. Anteà, occupaverat ipſe Deinſam, & Montal Dixmudam; cujus Urbis Gubernator Ellenberg, capite damnatus eſt à Conſilio de rebus bellicis, quia ignavè ſe hoſtibus dederat. Interim ſe Fœderatis dedit Namurcum. Cum egreſſus eſt Urbe Mareſchallus de Bouflers Britanniæ Regis juſſu ipſi manus injecerunt Fœderati, quia Captivos Fœderatis pecuniâ redimere exoptantibus reddere negaverant Galli. Per annum 1696. nihil memoratu dignum in Flandriâ evenit. Verum Atham in Hannoniâ, Urbem validiſſimam certis conditionibus occupavit Mareſchallus de Catinat. Licet in Flandriâ copias ſuas haberent Galli, credidit Britanniæ Rex eos Namurcum aggredi exoptare, & revera

Dominus Coehorn eos unà tantùm die prævenit. Quarè Galli Aldenardam & quaſdam alias Urbes capere ſed fruſtrà, ſtatuerunt. Quo infelici ſucceſſu, de pace egerunt ex parte Britanniæ Regis Comes de Portland, & ex Galliâ Mareſchallus de Bouflers, dum obſidione cingitur, in Catalaunia, Barcino, quam ceperunt Galli, præter Fœderatorum ſpem. Dein Europæ Principum Legati de pace acturi in Hollandiam & in Pago cui nomen Riſwick propè Hagam Comitum convenerunt, nec non fœdus inivērunt. Inſtrumento Pacis, Hiſpaniæ reddere Urbem & agrum Luxemburgenſem, Comitatum Chiniacenſem, Caroloregium, Hannoniæ Montes, Cortracum, & omnes quas occupaverant Galli civitates in Agris Luxemburgenſi & Namurcenſi, Brabantiâ, Flandriâ, Hannoniâ, &c. nec non in Hiſpaniâ. Tandem morbo feſſus Carolus II. Hiſpaniæ Rex & Flandriæ Comes codicillos ſignavit: quibus Andegavenſem Ducem ſibi ſucceſſorem nominavit, fatoque ceſſit 1. Novembris die anni 1700.

PHILIPPUS V. Hiſpaniarum Rex.

XXXVII. Comes.

DE quo loquuturi ſumus Princeps, filius alter erat Sereniſſimi Delphini, & Ludovici XIV. Regis nepos. Ut Caroli II. Teſtamenti conditiones impleret, menſe Aprili anni 1701. in Hiſpaniam venit. Septembris 11. die, Mariam Ludovicam, Gabrielem à Sabaudia, per Procuratorem in matrimonium Taurini duxit. Inauguratus eſt Bruxellis (Februari 21. die an. 1702.) Dux, Lothieri, Brabantiæ, Limburgi, nec non S. R. Imperii Marchio. Dein Martii 19. die Flandriæ Comes Gandavi promulgatus eſt. Attamen de Philippi V. ſucceſſione certatum eſt. Leopoldus I. Cæſar non poſſe hunc Principem eâ frui, eo quod id Domui ſuæ damno foret, contendebat. Quarè & Imperator & Imperium, adverſus Galliam, cum Guillelmo III. Angliæ Rege, & Fœderati Belgii Ordinibus fœdus inierunt. Tum Galliarum Rex omnia movit, quî Nepoti ſuo Philippo V. Hiſpaniæ ſceptrum ſervaret. Ejus copiæ, omnes Belgii Hiſpanici Urbes occupaverant, unâ die, ſcilicet Februarii 6. an. 1701. & ex ipſis pepulerant Belgii Fœderati præſidia. Bavariæ & Coloniæ Principes, Galliæ, & Hiſpaniæ partes amplexi ſunt. Bavariæ Elector qui Bruxellis profectus erat Martii 23. die anni ſupradicti, per abſentiam ſuam, rerum ſumma in fide Iſidori de la Cueva, Marchionis de Bedmar, depoſitâ, validum Exercitum in Germaniâ contraxit, ut Imperii immunitates tueretur dictitans. Quod initium habuerat in Italia bellum, mox per totam Europam effuſum eſt: etenim Petrus II. Portugalliæ Rex & Saubaudiæ Princeps, Cæſaris partes amplexi ſunt. Interim Britanniæ Rex Jacobus II. qui confugere in Galliam coactus fuerat 16. Septembris die anni 1701. obiit, & Ludovicus XIV. mortui Regis filium Britanniæ Regem agnovit: quod Angli velut fœderis in Pago Riswick dicto icti reciſionem habuerunt, & Britannicum Parlamentum, Majeſtatis eſſe reum Jacobum III. Decreto ſanxit. In Flandria bellum fecerunt Fœderati, licet impedimenta quædam videretur allatura Guillelmi III. mors. Anna quæ Guillelmo ſucceſſit, Comitem de Marlboroug Exercitui præfecit. Fœderati Ducatus Geldrenſem & Limburgenſem, nec non Leodienſem Principatum, atque Coloniæ Electoratum occupaverunt. Poſt hanc expeditionem, in Angliam rediit Comes de Marlboroug & à Regina ſuâ Dux factus eſt. Fœderatorum fortunâ attoniti Galli, adverſus hoſtes Brabantiam foſſis munierunt. Bavariæ Elector multis ſecundis præliis cum hoſtibus manus conſeruit in Germaniâ, & Neoburgum ad Danubium occupavit. Eum adiit, cum Exercitu, Mareſchallus de Villars, qui Rheni Pontem; propè Argentoratum reſtituerat, & Arcem Kehlum occupaverat: Deindè in Donavertiam cum Bavarienſi progreſſus eſt. Poſt hanc Urbem captam in Tirolium ivit: ſtatim ſe dedit Oenipons, hujus Comitatûs Caput, poſtquam expugnaverat Provinciæ omnia oppida. Subvenire Duci de Vendome ſtatuerat Elector, verum nullas Galliæ copias inveniens quare Rhenum verſùs redire alieno habitu coactus eſt; ipſeque & Mareſchallus de Villars Auguſtam Vindelicorum ceperunt, & præſidio munierunt. Burgundiæ Dux Gallici Exercitus in Germaniâ Præfectus obſidione cinxit, & 7. die Septembris oc-



Digitized by Google

Digitized by Google

occupavit Briſacum. Poſt hujus Principis in Galliam reditum Landaviam, die 19. Novembris cepit Mareſchallus de Tallard qui profligaverat agmen Caſſaliæ Principis. Finiente anno, filium ſuum natu minorem Carolum Archiducem promulgavit Hiſpaniæ & Univerſæ hujus Monarchiæ juris hæredem. Ille Princeps cui nomen Carolus III. Vienna profectus eſt & in Portugalliam à Claſſibus Angliæ & Hollandiæ deductus eſt anno 1704. Brittanniæ Regina, & Belgii Fœderati Ordines Bavarienſis progreſſus in Germaniâ conſpicientes, Imperii ſubſidio, multo milite ſtipatum Ducem de Marlboroug miſerunt. Qui Præfectus, Bavarienſem ad Donavertiam profligavit 4 die Julii ejuſdem anni 1704. Hanc Victoriam ſecuta eſt ad Hochſtetum pugna; in quâ Galli & Bavarienſes cæſi fuerunt; & Principatum ſuum, nec non omnia quæ in Germania habebat relinquere coactus Bavariæ Dux, Bruxellas rediit. Anno ſequenti 1705. die 5. Maii fato ceſſit Cæſar Leopoldus & ipſi ſucceſſit filius Joſephus Romanorum Rex. In Brabantiam rediit Dux de Marlboroug. Anno 1706. Gallos ipſe vicit, eique ſe dederunt Bruxellenſes, 28. die Maii. Tum, Britanniæ Reginæ juſſu & nomine Caroli III. Bruxellis Senatus ad Regionis adminiſtrationem conſtitutus eſt. Conſiliarii, vel Senatores erant Archiepiſcopus Mechliniæ. Dux d'Aremberg, Marchio de Weſterlo, Dominus Coxie, Baro de Goyck Brabantiæ Cancellarius, Dominus Vander Gothen, Rationum Regiarum Præſes, Comites d'Urſel, d'Erps, de Clermont & de Tirimond, necnon Conſiliarius Caverſon; quibus dein adjuncti ſunt Princeps de Rubempré, Comes de Lannoy & Conſiliarii Thiſquen & Vander Haeghen. Omnes Brabantiæ Civitates Fœderatis portas aperuerunt, idemque in Flandria evenit, ubi Oſtendam, Termundam, Meninam, nec non Atham in Hannoniâ occupaverunt Fœderati. Eadem in Hiſpania & Pedemontio uſi ſunt Fortuna. Philippus qui copiis cinxerat Barcinonem, quæ anno ſuperiori Carolo ſe dederat, obſidione ſolvere coactus eſt. In Pedemontio Taurinum cinxerat Galliarum Regis juſſu Dux de la Feuillade; verum cœpto renunciare ipſi neceſſe fuit, cæſis copiis quibus præerat Aurelianus. Pari fortunâ in Belgio debellatum eſt anno 1707. attamen Galli Præſidiis ſuis Italiam nudaverunt, & Cæſi ſunt Fœderati pugna Almanzana, die 25. Aprilis; nec non Sabaudiæ Dux, & Princeps Eugenius fruſtrà Telonium obſidione cinxerunt. Anno 1708. Burgundiæ Dux, in Flandriâ Exercitûs Imperium accepit, cui adjutores erant frater ejus Bituricenſis Dux, Sti. Georgii Eques, & Dux de Vendome. In Belgium venit etiam Eugenius à Sabaudiâ, & cum Duce de Marlboroug Exercitui Fœderatorum præfuit. Gandavum die 5. Julii dolo ceperunt Galli, verum paucis diebus interjectis ad Aldenardam profligati ſunt, & Fœderati occupaverunt Inſulam, Gandavum, Brugas &c. Confecta expeditione, de Pace actum eſt. Galliarum Regis juſſu, Hagam Comitum venerunt quaſdam conditiones propoſituri, Dominus de Torcy & Abbas de Polignac. Quaſdam Pacis proluſiones fecerunt, quas Aula Gallica approbare negavit, & abrupta ſunt Colloquia. Januarii 6. die anni 1709. gelu inauditum, Galliæ præſertim famem intulit; quâ Galli amiſerunt Tornacum & hujus Urbis arcem, Hannoniæ Montes, nec non St. Ghiſleni Fanum. Prælium vernaculè dictum de *Malplacquet*, in quo cæſi ſunt, 11. die Septembris, Pacis deſiderium ipſis dedit. Britanniæ Legatus Mylord Townshend, & Belgii Fœderati Ordinum Legati Hagæ Comitum adverſus Galliam, pro Belgii Hiſpanici tutela Limitum * fœdus iniverunt. Anni 1710. initio, Chriſtianiſſimus Rex, Pacis conditiones adhuc propoſuit per Mareſchallum d'Huxelles & Abbatem de Polignac, quos Gertrudenbergam miſit; eoque miſerunt Legatos ſuos, ſummâ cum autoritate, Belgii Fœderati Ordines. Utilia multa obtulit, verùm de Monarchiâ Hiſpanicâ non potuerunt convenire Legati, quam Philippo V. adimere exoptabant Fœderati, quarè abrupta ſunt Colloquia, Junii 25. die. Eodem anno amiſerunt Galli Duacum, Bethuniam, Ariam, & St. Venantii fanum. In Hiſpania, Philippus V. profligatus eſt ad Almenariam, die 27. Julii, nec non ad Cæſaream Auguſtam, Auguſti 20.; Madritumque Carolo III. ut Principi ſuo ſe ſubjecit; verum occupatâ Brihuega, & ex manu hoſtili ad Villamvicioſam, ereptâ victoriâ, Philippo, quæcumque amiſerat brevi reddidit Dux de Vendôme. Ludovicus Delphinus Ludovici XIV. Regis filius unicus Variolorum morbo fato ceſſit 14. die Aprilis an. 1711. Burgundiæ Dux, filius ejus natu Major Delphinus dictus eſt. Joſephus Cæſar Leopoldi I. filius Viennæ,

Ll 2 eodem

* Vernaculè dicitur: TRAITE' DE BARRIE'RE.

Digitized by Google

eodem morbo defunctus Barcinone profectus eſt frater ejus Carolus III. Septembris 17. die, & in Germaniam rediit. Francofurti electus eſt Romanorum Cæſar Octobris 12. die; Carolus VI. dictus, & 22. die Decembris Corona ibidem, Capiti ejus impoſita eſt. Eodem anno occupaverunt Fœderati Bouchanium, & anni 1712. initio, Delphinus & Uxor ejus Maria Adeleida à Sabaudiâ fato ceſſerunt. Britanniæ Dux, defuncti filius natu Major, ſtatim vocatus eſt Delphinus à Rege Ludovico; verùm quinque annis natus obiit, & nomen ejus Andegaviæ Duci fratri ejus datum eſt. In Belgio, Fœderatorum copiæ quibus præerant Princeps Eugenius à Sabaudiâ, & Mylord Dux d'Ormond Quercetum clauſerunt, & 4. die Julii certis conditionibus occupaverunt. Verùm Angliæ Reginæ quæ arcanò cum Gallia de Pace agebat, Exercitûs ſui Præfecto inducias cum Gallis promulgare & à Fœderatis diſcedere juſſit. Occaſione uſus eſt Mareſchallus de Villars, qui Comitis d'Albemarle copias delevit: quâ clade obſidione Landrecium ſolvere coacti ſunt Fœderati, & receperunt Galli Duacum, Quercetum & Bouchanium. Quod depopulationem Europæ intulerat bellum, tandem compoſitum eſt, Pace factâ Trajecti ad Rhenum 11. die Aprilis an. 1713. inter Galliam, Hiſpaniam, Angliam, Portugalliam, Pruſſiam, Belgii Fœderati Ordines, & Sabaudiæ Principem. Pacis Inſtrumento Philippus V. Hiſpaniæ Rex confirmatus eſt; Sabaudiæ Dux Siciliam, Regis titulo, adeptus eſt & Gallia Belgii Fœderati Ordinibus, Ipram, Namurcum, Furnas, Caroloregium & Luxemburgum dedit, ut ipſis eſſent velut Repagulum hæ Urbes, & deindè illas Cæſari Carolo VI. traderent. Nunc de Carolo dicendum.

CARO-

Digitized by Google


CAROLUS. III. HISPANIÆ REX
CÆSAR NOMINIS VI.
38 Comes Flandriæ.

CAROLUS TERTIUS, Hiſpaniæ Rex, Cæſar Nominis VI. & XXXVIII. Comes.

Filius Leopoldi I. Carolus, 1. die Octobris an. 1685. natus eſt. Anno 1707. Elizabetham Chriſtinam à Volferbyto in matrimonium duxit. Eum fratri ſuo Joſepho ſucceſſiſſe ſuprà diximus; nunc ad propoſitum venientes, Angliam & Hollandiam Legatos ſuos, qui res Dominorum ſuorum curarent, ſemper habere notabimus. Horum Senatus, Colloquium, ſeu vernacule *la Conférence* vocabatur. Maritimas Poteſtates velut ordine ſuperiores agnoſcere Senatum voluerunt ſupradicti Legati, verùm negavit Senatus, Principatum Cæſaris proprio jure eſſe dictitans. Poſt hanc recuſationem, novum Senatum formaverunt, cujus Conſiliarii erant Comes de Clermont; Dominus Coriache Conſiliarius Eccleſiaſticus, ſupremi Senatûs, & Vicarius Generalis Mechlinienſis Archiepiſcopatus; Baro d'Hovorſt Regiarum Rationum Brabantiæ Præſes; Dominus Voorſpoel, ſupremi Senatûs Conſiliarius; Dominus Dion, Flandriæ Senatus Conſiliarius; & Comes de Maldegem. Interim bellum agebatur in Hiſpaniâ adverſus Barcinonenſes, & in Germaniâ inter Cæſarem & Galliarum Regem. Eugenius à Sabaudia Cæſaris Exercitui præerat & Galliæ copiis Mareſchallus de Villars, qui Landavium & Friburgum occupavit. Finiente Expeditione, de Pace actum eſt, & ea de cauſâ miſſi ſunt Radſtadum, ab Imperatore, Eugenius, & à Galliarum Rege, Mareſchallus de Villars. Martii 6. die an. 1714. Pax facta eſt: quâ Galliâ Cæſari reddidit Friburgum, Briſacum, & Kehlium, Coloniæque & Bavariæ Principes in locum antiquum honoris & gratiæ apud Cæſarem reſtituti ſunt. Caſtelli aquarum, vernaculè *Baden* in Helvetiâ conglutinata eſt Pax 7. die Septembris. Eodem ferè tempore fato ceſſit Angliæ Regina, cui ſucceſſit Georgius Ludovicus Elector & Hannoveræ Dux; & à Mareſchallo Duce de Barwik, qui Hiſpaniæ copiis præerat, capta eſt Barcino. Pace factâ, in Belgium miſit Cæſar Comitem de Konigſeg qui Principatûs res, cum Belgii Fœderati Ordinibus, dirigeret. De limitibus actum eſt Antverpiæ 17. die Septembris ejuſdem anni, & quatuor Legatos in Urbem hanc miſerunt Ordines Belgii Fœderati, ſcilicet Comitem de Rechteren & Dominos Vander Duſſen, Geldermalſen, & Gockinga. Hac de re, Pactio facta eſt 15. die Novembris an. 1715. quâ Provinciarum Unitarum Ordines, Præſidiis ſuis nudaverunt Hanoniæ Montes, Luxemburgum, Atham, Caroloregium, Furnas, Neoportum, &c. ipſique habuerunt Venlonum, Stevensweertam arcem nonnullaque alia opida, nec non multos Pagos in Geldriâ Hiſpanica. Precario Jure, Regionis adminiſtrationem accepit Comes de Konigſeg.

Jam mortuus erat Ludovicus XIV. cui ſucceſſerat ejus Pronepos Ludovicus XV. ætatis anno 5. Quarè Regni adminiſtrationem habuit Philippus Borbonius, Aureliani Dux. Brabantiæ & Flandriæ Ordines, limitum fœdere parùm contenti, anno 1716. Legationem Viennam miſerunt, ut Cæſari offenſionem exponerent. Ipſe eâ de cauſâ miſit in Hollandiam Marchionem de Prié. Intereà, adverſus Infideles qui Inducias Caroloſtadii infregerant, & Moream Venetis eripuerant, bellum agebat in Hungariâ Princeps Eugenius, & eos delevit ad Petrovaradinum, nec non Arcem Themeſwar quam inexpugnabilem denominabant Turcæ, occupavit. Archidux Leopoldus, Aſturiarum Princeps, quam pepererat Imperatrix 13. die Aprilis, 4. Novembris mortuus eſt. Anni 1717. initio, Hagæ Comitum, per Legatos ſuos, cum Anglia & Belgii Fœderati Ordinibus fœdus inivit Gallia, quod à Cæſaris adminiſtris obſignatum, Quadruplex fœdus, ſeu vernaculè la *Quadruple Alliance* dictum eſt. Interim bellum agebatur in Hungariâ; 18. die Junii Belgradam clauſit Eugenius à Sabaudia & Auguſti 18. die occupavit. Propter bello parta ab Imperatore invida Hiſpania quam tum regebat Cardinalis Alberoni, Sardiniam occupavit, & Octobris 2. die anno 1717. hujus regni caput cepit. Finiente anno, in Belgio inauguratus eſt Cæſar Carolus VI. Cujus nomine fidei Juſjurandum Bruxellis Brabantiæ Ordinum accepit 11. Octobris die Marchio de Prié, & 18. ejuſdem Menſis Gandavi, fidem

Digitized by Google

fidem Cæſari dederunt Flandriæ Ordines; quod factum eſt etiam Hannoniæ Montibus, Namurci & Mechliniæ. Anno ſequenti 1718. ad Panormum venit Hiſpanica claſſis, quam profligavit Anglicæ Claſſis Præfectus Bingh, qui, Angliæ Regis juſſu, Cæſari ſubvenerat. Attamen Pacem cum Turcis fecerat 21. die Julii, Cæſar, qui dein copias miſit in Siciliam quibus præfuit Comes de Merci, adverſus Hiſpanos qui Panormum, Meſſinam & omnes ferè Regni Arces occupaverant, præter Siracuſam & Melaſſam. Anno 1719. Meſſinam clauſit Cæſaris Exercitus, & occupavit Comes de Merci. Galliarum Rex Ludovicus XV. qui bellum Hiſpanis indixerat, oppida nonnulla cepit in Biſcaya & Navarra. Quare ab Hoſtibus oppreſſi, Quadruplex fœdus obſignaverunt Hiſpani, anno 1720. & Pax Europæ data eſt. Utinam ea diù fruatur!

ANTO.

ANTONII SANDERI FLANDRIA ILLUSTRATA.

LIBER TERTIUS,

CONTINENS

Res profanas Gandavenſes.

Gandavi deſcriptio ſummatim ea complectens, quæ ad urbis commendationem pertinent.

GANDAVUM ampliſſima Flandrorum Metropolis, ac totius pœnè orbis inter urbes miraculum, in hanc quam videmus magnitudinem, quæ omnium ferè nobilium in Europa civitatum par, ac multarum etiam ſuperior eſt: ſuis paulatim viribus excrevit, contraque aliarum urbium fata invictam hactenus æternitatem meruit. Coluere eam primum indigenæ Gorduni, ſive Gonduni, veteres (teſte Cæſare, lib. 5. belli Gallici) Nerviorum clientes, dein Romani: quos ipſe Cæſar hîc præſidio collocaſſe conſtanti annalium memoriâ refertur. Vide Meyerum lib. 1. Annal. Inde Vandali, Franci; his poſtremò acceſſere Germani, quorum pars maxima Saxones, quos ad millia hominum ſexaginta Carolus Magnus in hanc Belgicæ partem traduxit. Urbs eſt, uti è ſequentibus patebit, non amplitudine ſolùm, & dignitate, ſed amœnitate quoque loci, quam flumina, rivi, aquæ fluentes, quales tota Europa nuſquam, prata, colles, & cœlum denique non alibi ſuavius, allicit, cum primis conſpicua. Aſpicit ab Aquilone Antwerpiam, ab Ortu Mechliniam, à Vulturno Bruxellam, à Cauro denique Middelburgum Zelandiæ, à quibus omnibus æquali ferè decem leucarum intervallo abjungitur, diſtatque ſub longitudine graduum 25. minutorum 45. latitudine verò graduum 51. minutorum 24. aſpectu ſuperbo, loco admodum ſalubri, & opportuno, quarto videlicet à mari lapide. Et ad ſitum ejus quod attinet, ſi quis totam, non dico Flandriam, ſed Europam perluſtraret: non facilè commodiorem, aut amœniorem urbi condendæ locum invenerit. Aliæ repentinis aquarum inundationibus urbes obnoxiæ ſunt, alias vicini maris vexat auſteritas, his paludes, fœtidæque camarinæ ſunt graves, illis vel aquarum penuria, vel ſoli ſterilitas, vel alia incommoda ad fœlicitatem impedimenta ſunt: à quibus omnibus liberum Gandavum, maximâ ad omnem humanæ vitæ uſum commoditate abundat. Tanta autem ejus eſt amplitudo, ut tria Germanica milliaria in ambitu continere à multis dicatur. Sed ad alia urbis ornamenta antequam veniamus, priùs de variis, multiſque ejus Fluminibus, quæ præcipua, ac æterna civitatis hujus decora ſunt, agendum eſt. Sunt autem ſive à natura, ſive ab arte facta ſex potiſſimum nunc fluenta, quibus amœniſſimè irrigatur, ditaturque hæc Civitas: Scaldis, Legia, Livia, Moera, Canalis novus, Foſſaque, quæ ſe ad oſtium, vulgò, Het Sas/ in Oceanum exonerat. Ad Scaldim quod attinet, fluvius antiquus, & Ptolemæo Tabuda dictus, celebris eſt, piſcoſus, curſu citatior, arenâ flavus, navigiis tamen idoneus, apud Hannonios non procul à Valencianis ortum habet. Legia aſpectu amœnus, pellucidus, leni fluens agmine, cum majeſtate quadam Gandavum venit. Is modò notiori nomine Liſa appellatur; cujus ortum non ineleganti carmine Moreus quidam vates cum deſcribat, verſus ejus hic ſubjiciam.

Flumina Gandenſium.

- - - Paulino ſaliens tranquillus in agro,
Diſcedens natale ſuo de nomine Burgum
Nuncupat, & Morinos, infelicemque Tarennam
Alluit, Ariacum mox divitiore tumeſcens
Amne beat, nec Mergemo, nec lætus Eterræ
Invidet, ut pleno fœcundus proluat alveo
Armenteriacas Waerneſſonioſque penates:
Cominium arcipotens, Viroviacique ruinas,
Parva etiam Menina ſibi non fœnore parvo,
Et Corturiacum placet, & vetus Harleabecæ
Gloria, Legiadas ad Deinzæ mœnia nymphas:
Mittit ovans, quæ tot circumſtipantibus undis
Gandiacis tandem meritæ connubia Scaldis.

Liviæ verò alveus non natura, ſed Gandavenſium ſtudio ſterni cœptus 1228. ſed aſſenſu Principis Margaretæ ſuffragante, litteriſque ad annum 1251. datis promota foſſio, productaque Rodeburgum, nunc Ardenburgum, & ad portum uſque Dammenſem: aſſociatis in itinere paluſtribus aliquot rivulis, & bicorni in primis Calà, ait Gramajus; is ſpatio decies mille paſſuum navigabilis univerſim, inſigne, per ea præſertim tempora, quibus mercatus Brugis vigebat, nundinantibus compendium præſtitit. Moera a Moerbeka, ditionis Waſiæ pago, per Winkelam, & Dorizelam ad nos derivatur; Amnis eſt inter obſitos paludibus, & cæno, vligineque campos cis Jani petram, vulgo S. Jan Steen / equorum mercatu nobile olim municipium, natus: ubi invento, alibi parato productior factus alveo, demum ſe ſecans hinc Durmæ fluvio Waſiano miſcetur, inde verſus Axellam Oceanum petit, rectoque flexu, & fluxu ſupra angulum Ambacti veteris, inde Winckele nomen adeptum, influit aquæductum Novi vocabulo ſignari ſolitum. Aquæductus autem ille novus, etſi manu factum alveum habet, eum tamen grandiorum etiam navium tolerantem videmus, per quem, perque jam dicta flumina quantam omnium rerum, ab omni orbis parte, accipiat copiam Gandavum, incredibile dictu eſt; ex his enim in mare patet via per eundem alveum ſive aquæductum, quæ ſe ad oſtium, vulgò Het Sas/ in Oceanum, ut antè dixi, exonerat. Cataractus in hanc rem ſtupendo artificio extructus. Hinc fit, ut nihil terræ vicinæ, nihil mare, nihil tranſmarinæ regiones gignant, quod non ut domi natum Cives parvo, aut tolerabili ſaltem pretio, ſi quieta ſint tempora, obtineant. Quin ad vicinas quotidiè urbes plurima tranſmittunt, utpote Antwerpiam, Brugas, & in Zelandiam triticum præſtantiſſimum, & butyrum laudatiſſimum, in alia loca ſal, & piſces, ut cetera omittam, cum ad ædificationem, tum ad quotidianæ vitæ uſus pertinentia. Cœptus eſt verò aquæductus ille verſus Oceanum fodi ad annum 1537. à domo rubra ad aggerem uſque marinum, qui importuno ſuo objectu anteà naves exitu, atque ingreſſu Oceani prohibebat, quod alii tamen in annum 1550. referunt, quo primum proximo ad mare repagulo lapidem ſolemniter poſuit Antonius Baenſt Eques, Senatus Gandavenſis præſes. Anno denique 1562. perfoſſus ager aquà fluviatili marinam ſupernatante. Cum in eum aquæductum Juriſdictionem Princeps anno 1561. Gandavenſibus contuliſſet. Mirandum verò; quod præter hos, quos jam nominavi, partim ab arte, partim à natura fluvios, etiam aliis, & cumpluribus quidem aquæ perennis meatibus hæc civitas alluatur, qui propinquis hinc illinc locis exorti, & vel ipſa ſui naturà, vel humanà induſtrià, grandioribus aquis mixti, Gandavum veniunt. In illis aquæductus Eclonianus eſt, is per Lembekam, Sledingam, Ertveldam, & Cluſam in celebrem novi Saſſi foſſam lapſus, non parum commodus Reipublicæ Gandavenſi, utiliſque, lignorum præſertim advectione, ſentitur. In his etiam Cala eſt, quæ gemino olim cornu in lunam, nunc in canalem novum Gandobrugenſem veniens, apud Ruſeledam Buſcamuelto vicinam ortum habet; verum ſi ex iis, quæ labore, & induſtrià hominum fiunt, aliqua ſint, quæ laudem, ac admirationem mereantur, erit profectò Canalis ille novus Gandobrugenſis, qui 1613. auſpiciis Sereniſſimorum Principum Alberti, & Iſabellæ, communi Flandrorum ære, Gandavo Brugas, & illinc Oſtendam uſque, regio plané, auguſtoque opere fodi cœptus eſt. Singulare etiam urbis beneficium eſt, quod frumenti per Scaldim invecti quadrans, per alios fluvios ſextans, in urbis uſum à Curatoribus hujus rei Gandavi retineri poſſit. Neque vero ſolum omnium earum rerum, quas uſus hominum exigit, facilitatem, & abundantiam huic urbi flumina jam memorata præbent: verum etiam magnam agrorum fertilitatem præſtant, & ad incolarum ſalubritatem non parum conferunt, dum quidquid

eſt

eſt ſordidum, fœtidumque, quo morbi graviores gigni ſolent, ſecum abripiunt, unde aër hîc purior, gratiorque, minuſque quam alibi fœtoris habens. Eadem dein flumina vario flexu, & reflexu concurrentia, ita urbem amplectuntur, perluunt, & interſecant, ut viginti ſex Inſulis factis, quæ tum publicis, tum privatis domibus occupantur, eam munitiſſimam reddant, & hactenus inexpugnabilem. Horum enim ſeptis occluſis intra primum lapidem inundatione ſe tuetur, iiſque maxime, poſt Civium virtutem confiſa, quoſvis ſolet hoſtes contemnere. Magnitudine omnes ferè Europæ urbes vel ſuperat, vel æquat, cum, ut antè dixi, tria in ambitu milliaria Germanica comprehendat: quod hinc cuivis facile eſt colligere, quod à porta Cæſarea, quæ Bruxellam ſpectat, ſive Perſellica, quæ Cortracum, ad Mudanam uſque unius horæ ſit iter. Ambitus verò intra mœnia eſt 45640. pedum Romanorum, hoc eſt, Italicorum ſeptem milliarium.

Pontes Gandenſes.

Pontes, quorum multi tribus, duobus alii fulciuntur fornicibus, XCVIII majores habet, qui juſtæ magnitudinis actuarias naves, ſive Holcades (eas Gandavi **Pleyten** vocant) annonâ mercibúſve aliis oneratas nullâ difficultate tranſmittunt.

Molæ.

Molas pneumaticas, ſeu ventis agitatas, plures quam centum, & viginti habet; earum pars maxima frumenta frangit; aliæ ex ſemine contuſo oleum efficiunt: aliquæ aquam ex uliginoſis pratis in flumina deducunt. Sex item aquarum impetu rapiuntur; ex quibus quatuor granis frangendis, quinta corticibus, ſexta papyro conficiendæ olim ſerviebat. De truſatilibus verò, vel machinariis, quas aut homines, aut jumenta verſant, quæ non facilè numerari poſſint, nihil hîc dico.

Templa.

Templa numerat circiter ſexaginta: inter ea Auguſtiſſimum Cathedrale D. Joanni Baptiſtæ olim, nunc S. Bavoni ſacrum, ſtructuræ profectò magnificentia, magnitudine, & turris anno 1602. de cœlo tactæ elegante fabrica ſpectabile. Eſt in hoc multorum Canonicorum Collegium dives, & honoratum, Sedeſque Epiſcopalis; eſtque aurei velleris celebritate ibi his peractâ, & Imperatoris Caroli V. Baptiſmo ornatiſſimum. Sita eſt ex adverſo turris Bellafortis, vulgo **Belfort** dicta, viſendum ſanè opus formâ quadratâ, ſupernè quàm infernè decem pedes latior, & ſuâ interim ſtans mole annis jam ferè trecentis. Sunt & in urbe Gandavenſi Xenodochia cumplura, in quibus mulierculæ quædam ægrotis adſiſtunt, ſollicitæque ſingulos refovent, atque ea ſubminiſtrant, quæ ad cujuſque valetudinem arbitrantur: quorum principem tenet locum, quod Biloka vocatur, totâ Flandriâ celeberrimum. Quid de Abbatiis dicam? eas quinque numerat annuis proventibus præſtantes: quarum prima, & antiquiſſima eſt B. Petri in monte Blandinio, à Dagoberto Francorum Rege anno 610. poſt annunciatam hîc à S. Amando, Trajectenſi ad Moſam Epiſcopo, Chriſti doctrinam, conſtituta. His verò nunc complures Abbatiæ tam virorum, quam mulierum foris acceſſere. Cœnobia pluſquam triginta utriuſque ſexus etiam nunc in ea numerantur. Canonicorum Collegia duo. Templa Parochialia ſeptem habet; eorum unum, quod S. Martini in Ackerghem, neque minimum, neque maximum, quinquies mille, & quindecim domos, non ita pridem ſuo ambitu concluſiſſe fertur. Refert Marcus Varnewicus ſuo ævo, hoc eſt, ad annum 1566. extitiſſe Gandavi ad triginta quinque domorum millia, in quibus multorum ædificia ſplendida, ampla, & Principum etiam habitationi idonea, etiamnum viſuntur: licet eam urbem incendia frequentia miſerandum in modum deformarint, magnaque ſui parte abſumpſerint, quale in primis illud fuit quod an. 1217. Gandavi contigit, adeò ſævum, ac horribile, ut ſeptem viri, unaque mulier præ metu illius in vicinum fortè puteum lapſi ea ſe ratione à flammis tutari conarentur, ad quos cum magna hominum multitudo, extincto, aut mitigato jam Vulcanio illo furore, accurriſſet, dehiſcente terrâ, ſuffocata eſt. Tanta autem aliquando hoc in oppido frequentia populi fuit, ut ejus æquare numerum in Belgio nulla, in Europa paucæ civitates poſſent. Froiſſardus, & Jacobus Meyerus auctores ſunt, Gandavi civium cenſu habito octoginta millia (à decimoquinto ad ſexageſimum annum) inventa eſſe, qui armis, belliſque gerendis idonei haberentur. Laurentius quoque Surius, ſtatim in hiſtoriæ ſuæ exordio, ubi multa de Gandavo, in una ſeptem Parochiarum, quæ S. Michaëlis dicitur Eccleſia, id temporis, cum Carolus V. ibi naſceretur, fuiſſe 35000 communicantium narrat. In tanta autem frequentia plurimos virtute, prudentiâ, fortitudine militari, eruditione quoque, ac litteris famam aut adeptos, aut meritos hæc urbs produxit. Ad viros autem doctrinâ, ac liberalium artium cognitione præſtantes quod attinet, mox de iis, aſpirante Deo dicturi ſumus. Natales in primis debet huic urbi invictiſſimus Rom.

De hac Eccleſia fuſius in ſeqq.

Imp. Carolus V. Principum Phœnix; debet & Joannes Eduardi III. Angliæ Regis Filius, & Theodoricus Hollandiæ Comes, Gandenſes exinde nominati, debent plures Flandriæ Comitum liberi, etſi minùs curioſè, id ab hiſtoricis annotatum ſit, olim enim ſæpius hic, quam alibi Reges, Principeſque diverſati ſunt, urbis ſitu, amœnitate, aliiſque naturæ donis nimirum allecti. Fuit & Gandavi ad annum 811 Reginone teſte, Carolus Magnus, & luſtratâ, quæ ibi adornabatur, claſſe circa medium Novembris Aquas deceſſit. Fuit & S. Ludovicus Gallorum, ac Eduardus Anglorum Rex. De aula Principis, in qua trecenta feruntur eſſe cubicula, de Curia Senatorum, intus amplo atrio, foris ſumptuoſa, & operoſa elegantia illuſtri, de ludis quoque litterariis, quæ nuper, exceptis trivialibus ſcholis, Septem, in quibus Græca, ac Latina inſtitutio erat, è quibus etiam, velut ex equo Trojano, doctiſſimi adoleſcentes prodierunt, nihil hìc, alibi quædam dicam. Ad arces quod attinet, duæ nunc eminent. In earum altera, quam Petram Comitis vulgò nuncupant, Provinciale Concilium quod vice Comitis jus dicit, & Inſula tranſlatum à Joanne Divionenſi: Gandavi ſtabilitum eſt, ſedem habet. Alterum Caſtellum ad ripam Scaldis munitiſſimum à Carolo V. extructum eſt. Multa alia prætereo: vicorum amplitudinem, tot amœnos receſſus, tot prata, tot hortos. Fora hic rerum venalium numerantur XIII. Spatioſa ſeptem, inter quæ excellit, quod vulgò vocant de Vrydach-mart/ quòd videlicet maximè diebus Veneris hebdomadario urbis mercatui deſtinatis frequentetur. In ejus fori medio, anno nuper ſæculari Sereniſſimis Principibus Alberto, & Iſabella Flandriæ Comitibus urbem primum tunc ingredientibus, ſtatuam Carolo V. Imperatori, glorioſæ memoriæ Principi, Reſpublica Gandavenſis poſuit. Habet & media Quadrageſima nundinas celebres annuas, quas Arnulphus junior Flandriæ Comes Gandavenſibus conceſſit. Fertur ſub hoc Principe à tribus Regibus obſeſſa Ganda, iiſdem domum redire coactis, invicta perſtitiſſe. Ante annum prioris ſæculi quadrageſimum per hæc nundinarum Quadrageſimalium tempora, mille cives ſplendido armorum apparatu, cum Præfectis opificum in forum prodibant; quod à Cæſare Carolo, cum aliis quibuſdam ante eadem tempora fieri ſolitis, abrogatum eſt. A pluribus ſæculis juxta ædes Palatinas, Leones alit Gandavum, tam majeſtatis urbis, in Belgio primariæ, ait Gramajus, quàm antiquitatis ſymbolum. Anno 1447. Leones hic cum Tauro duellantis, animoſum pectus, furioſo cornuum impetu proſtratum eſt. Pugnavit & fortiſſimus ille animalium 1404 cum urſo, vicitque. Anno etiam 1360. ejus vincula evadentis furor, trium hominum lanienâ ſe pavit. Ejuſdem ſub Philippo Elſatio viſi ſpectaculi arguunt longè ante Caroli V. natalem Leones, Gandavi alitos, habitoſque fuiſſe; ob id opinor, quod tempore Elſatii Leonem Gentilitium Flandriæ inſignibus primò inſculpentis; primi idipſum imitati Gandenſes ſcribantur, æquum rati Flandriæ caput vultum cum Flandria eundem oſtentare, regiique ſplendoris monumentum fovere voluiſſe. Fuit & olim in Blandinienſi Cœnobio perpetua Aquila, familiariter etiam, & aſſiduè aſſervari ſolitus ab aliquot ſæculis in Bavonenſi Urſus, quod antiquitatem non contemnendam redolere à Vandalis, quorum hoc inſigne Gramajus opinatur. Ad nobilitatem hujus urbis quod ſpectat, ſi uſquam toto Belgio, priſca eſt, & avitis opibus inſtructa, paciſque ſemper, cum inſigni hujus Reipublicæ ornamento, ac belli artibus floruit. Cives generatim ſeveri, graves, juſtitiæ, & æquitatis amantes; ſplendorem, & publicam magnitudinem laudant, odêre privatam: Magiſtratuum quoque præclara facta impenſis in cælum laudibus adtollunt; in eos etiam, ſi contra leges, & Rempublicam agere arbitrantur, libera, & erecta (quod an probare, an vituperare debeam, neſcio) exercent judicia. In omnibus aliis moderati ſunt, frugales etiam magis, quam parci. Itaque in œconomia circumſpecti, ſed cum res exigit, ſplendidi etiam, & liberales, ſumptuoſi, ac magnifici. Sunt & à faſtu, pompaque externarum gentium naturâ ſuâ alieni; olim tamen magis; nunc enim quidam communi temporum vitio abrepti, ſuique velut immemores, exterorum ſplendorem non imitari probroſum ducunt. Ingenio denique tali, ut ſi humanitate, & benevolentia eos ducas, ad quævis paratos; ſi cogere velis, obluctantes, ſaxoque invenias duriores; etiam fucos odêre, ac fraudem, nec aliud in ore, aliud in pectore habere norunt: niſi eos Aulæ peſtilentia aliunde advecta adflarit. Mercatui etiam, aliiſque non inhoneſtis artibus dediti, labore manuario induſtrii, in opificiis ſtrenui ſunt. Olim Textores præcipui, ac numeroſi fuêre, in hanc urbem primo à Balduino Comite Arnulphi filio circa 965 adducti. Quondam etiam militiam ſequebantur, ac quanta tunc eorum in armis fuerit fortitudo, ac gloria, paſſim hiſtoriæ, & Annales commemorant. Auſim dicere, ut Bellicoſi.

Digitized by Google

ut potientibus hîc rerum Romanis fortiſſimi Belgarum Nervii fuêre. ita iis abactis, adeptiſque horum locorum dominatum Francis, ac poſt Burgundis, primas Gandavenſibus dandas eſſe. Numquam armis oppreſſi, nunquam ſedibus ſuis pulſi ſunt, nunquam Gallis ceſſêre; eos etiam ſæpe vi totâ Flandriæ incumbentes repulerunt, totam quoque ſuis armis Flandriam tutati ſunt. Sub Ludovico etiam Nivernenſi, ſub Maleano, cum omnem hanc Provinciam, Arteſiam quoque, & Hannoniam infeſtam haberent, perſtitêre indomiti, intulêre clades, nuſquam victi, variè hoſtem cecidere. Etiam ſub Guidone Dampetra eorum virtus enituit, pulſo Philippo Pulchro (poſt Groningenſem victoriam, quæ eorum fortitudini præcipuè adſcribi debet) cum exercitu octoginta millium veniente, Flandroſque, ut ſibi videbatur, internecioni daturo, ab Aurora ad Heſperum in monte Pabulano acri dextera, animiſque intrepidis pugnaverunt. Exercitu etiam aliquando ſexaginta millium circumſepti, ac civitate ſua clauſi, duas urbes alias ſuo milite obſederunt. Sub eodem Maleano Principe ad annum 1380 narrat Meyerus ab anno ætatis 15 ad ſexageſimum, armatorum 80000. Gandavi reperta fuiſſe; ſub Philippo quoque Arteveldio miles Gandenſis, jure an injuria, alii dicant, tota Flandria potitus eſt. Eadem civitas cum quinque millibus, Maleanum triginta millia adducentem in fugam dedit, Brugenſium mœnia ſolo æquavit, neque caſu hæc victoria, ſed ex eorum fortitudine, prudentia, pietate obtigit; enimvero ante pugnæ initium magna rerum anguſtia, ac fame præcipuum preſſi Gandavenſes, in genua procumbere, calidis precibus obteſtari numina, divinam opem implorare. Ita quoque Carolum Audacem, utpote bellis natum, ac penitus Martialem, anno 1464 in conflictu Montherii per cuncta rerum diſcrimina ſecuti ſunt. Denique Pio Secundo Chriſtianos in Turcas commovente, cum Philippus Burgundus cognomento Bonus Antonium filium mitteret ſuppetias ſacro bello laturum, cum ipſo etiam centum, & octoginta Gandavenſes, flos patriæ juventutis, cruce ſignati, eos ducente Hectore de Coſſelier, viro forti, ac ſtrenuo, profecti. Quæ omnia ampliora profecto merentur elogia, quam quæ hîc referri poſſint. Ad ſequiorem autem ſexum quod attinet, fæminæ univerſim minus hic, quam alibi molles, caſtæ magis, honeſtoque amicæ, familiarium rerum, ac liberorum curioſæ, forma etiam elegantes, colore roſeo, corpore vegetæ, & ſucculentæ, otium oderunt, & ignaviam, gaudent occupari, domique ſemper, quo exerceri poſſint, aliquid invenire. Si deſiderio alicujus tacta ſunt, præ aliis quibuſdam, amant ſuaviter non perditè, non efflictim. Scorta Senatus non patitur, ea, ſi publicè nota ſunt, vel pellit è civitate, vel alias coërcet. At claudam rivos, ne panegyrim potius hîc aliquam, quam nudam oppidi deſcriptionem videar contexere. Quæ autem hic conglobatim urbis ornamenta recenſui, ea ſequentibus libris ἐν θεῷ enucleatius explicare contendam. Qui plura voluerit, hujus ævi Coſmographos legat.

Urbis origo, etymon, incremenmenta, inſignia.

PRIMAM urbis, certamque originem invenire difficile admodum fuit. Quæ ante Julii Cæſaris tempora de ea paſſim in ſuis antiquitatum Belgicarum libris narrat Marcus Varnewicus, omnia pænè fabuloſa arbitror, ac talia omninò, ut fidem non mereantur; à reliquis verò Flandricarum rerum Scriptoribus, quod non ſolido ſe hic niti fundamento ſentirent, vix aliquid memoriâ dignum in Annales relatum eſt, adeò, uti aliarum plurium Belgicæ civitatum, ſic & hujus initia obſcura ſunt, & abſtruſa. Fuiſſe nihilominus urbem hanc ante Julii Cæſaris tempora multi, nec in vanum opinantur, & ab arce quadam perquam vetuſta, quam quidam ejuſdem nominis Princeps Britannus Scaldi impoſitam Oduεam nominarat, urbem hanc Oduεam nuncupatam fuiſſe aſſerunt. A Gandavo etiam quodam, qui trecentis ante Chriſtum annis vixerit, ejuſque ſtirpe, Gandavum dictam; demum à Carino Belgico Rege, Carineam, vel Clarineam appellatam lib. 2. cap. 5. Belgic. earundem Antiquitat. tradit idem Varnewicus. Unde verſiculos hoſce, quos ſæpe Meyerus, & alii citant, natos dicunt,

Hanc Clarineam veteres dixêre Coloni,
Gorduni, populique truces coluêre Sicambri;
Mercurio Cæſar, Chriſto ſacravit Amandus.

Itaque licet ortum, ac primordia hujus urbis Cajo Julio Cæſare antiquiora fateamur, potiſſima tamen ejus auſpicia, ac quaſi natalem Romanis deberi præſidiis, arcique per eundem Cæſarem illic, ubi olim Divi Bavonis monaſterium fuit, ad concurſum duorum, vel tunc celebrium fluminum Scaldis, & Legiæ excitatæ, vel

vel munitæ, multorum mecum ſententia eſt. Ab eo tempore relictus ibi contra Nervios, alioſque Imperii hoſtes miles Romanus; quin & à fide dignis Annalibus traditur, cum bona exercitus parte Cajum Fabium, ac Cajum Trebonium Duces iſtic ab eodem Cæſare in præſidiis conſtitutos fuiſſe; ac ita ſenſim, quod & in aliis Europæ locis, ac præcipuis etiam civitatibus eveniſſe conſtat, numeroſior hominum; certiſque inter ſe legibus cohærens, multitudo coaluit, locuſque Reipublicæ, ac urbis imaginem, ſeu formam ſumpſit. A Cajo Cæſare arcem illam Cajam etiam nominatam tradunt, quam tamdiu Romana præſidia tenuêre, donec à Clodione Pharamundi filio Francorum Rege ad annum circiter 445. expulſa ſunt. Veniſſe etiam, & hanc occupaſſe arcem Caroci Principis ductu Wandalos paſſim Romani Imperii arcibus infeſtos ad annum circiter à partu Virginis 411. hiſtoriæ referunt, contraque, Wandalos Romanam arcem tenentes Gotthi tunc Nerviorum Domini Aldenardam, & Aloſtum nova caſtella excitarunt. In eo quoque Gandavi loco, qui olim portæ Brabanticæ conterminus Scaldi adjacet, Arx à Wandalis ſtructa, quæ vel in hanc uſque diem, etſi nulla, vel rara ejus extent inſignia, vulgò Wandelaers Caſteel audit. Ab iiſdem Gandavum Wandt appellatum, atque hinc illa nata vocabula Guandt, Guanto Italicè, Gante, Gandam, Gendt, aliaque his ſimilia, plurimorum, neque vero diſſona, ſententia eſt. Licet quidam Marchantio teſte à colle illo, qui ad D. Petri Blandinienſis in aquis circumfuſis, velut natans anſer maſculus, quem Ghendt vocamus, eminet, civitatem hanc dictam ſuſpicentur, quod argutum ego magis, quam verum exiſtimo. Quin & fanum Mercurii, ac Martis locum hunc olim nominatum fuiſſe præfatus aſſerit Varnewicus lib. 2. ca. 8. Cum enim, inquit, ſub Agrippa Sylvio Albano Rege multi Belgas, civitatem tunc in hac Galliæ parte florentiſſimam, ac Idolorum plenam, diis nimirum illis putatitiis vota facturi adirent, magnaque fames ob ingentem illuc adventantium numerum (eam illa numina cultoribus ſuis beneficentiam exhibebant) urbem premeret, Rex Aganipus quaquà verſum in vicina loca Deorum ſuorum imagines ablegavit; cum itaque Carineam nunc Gandavum Mercurius adductus eſſet, ac tum etiam in Blandinio Mars coleretur, à ſimulachro titulum locus retinuit. Mihi tamen à Julio Cæſare, juxta quod in vetere verſiculo eſt, *Mercurio Cæſar, Chriſto ſacravit Amandus*, numen hoc primum Gandavenſibus commendatum, veriſimilius habetur. Idem poſtea locus portus Ganda in antiquo pago Gandavenſi ſitus, etiam Boerheym ad S. Bavonis, Portus quoque Belgicus, Portus Morinorum, urbs in Hereheym (locus, inter Scaldem & Legiam à nobilibus præſertim inhabitatus atque inde Heerenheym dictus, ut vernaculi paſſim annales teſtantur) à mediæ præſertim ætatis Scriptoribus vocitatus eſt. Quin & Geſſoriacum navale Gandam fuiſſe alicubi cum aliis quibuſdam arbitratur Bilibaldus.

Cæterum ſub Romanis floruiſſe locum, nec incelebrem fuiſſe, vel id etiam docet, quod à Bavaco via militaris eo procurrerit, per ea quæ hic nominabimus loca; videlicet *Bellignies*, *Andrignies*, *Henſii*, juxta quem *pons Haynæ*, *Grand-Egliſe*, *S. Anne*, *Lignii*, *Montmeaux* apud Flobecam, *Overbrakel*, *Velſicke*, *Eeſſeghem*, ac inde Gandavum. Neque mirum, ob fluviorum quoque jam tum celebrium oportunum multiſque rebus utilem concurſum ſub primis etiam Francorum regibus primarius locus fuit, & ſub Carolo Magno. Qui iſtic ſæpius ſuum habuit diverſorium, regiæ, Cæſareæque monetæ officina, prout & Corturiaci, ut in Elogio ejuſdem Caroli Magni legitur. Magnam quoque partem cum Menapios alioſque populos D. Amandus Euangelica doctrina imbuit, Gandavi egit. Solebant enim apoſtolici illi viri ob uberiorem meſſem in celebrioribus locis degere.

In hoc autem loco per aliquot ſæcula dominatos fuiſſe Romanos, vel ex eo conſtat, quod in hunc uſque diem ager Gandavo vicinus varia Cæſarum, uti Neronis, Gordiani, Trajani, ac aliorum uſque ad Conſtantinum, numiſmata, aliaque Romanæ potentiæ monumenta effodiat. Hoc & ab aliquibus memoratur, Cajum Fabium, Cajumque Trebonium Duces à Cæſare relictos, poſt eos etiam Galbam, ac Cajum Caligulam ſeu arcem, ſeu urbem hanc auxiſſe; Non ſolùm verò poſtquam amplior facta eſt, urbem hanc in Pago Gandavenſi, ut ejus Metropolim, ſitam fuiſſe, ſed in collimitio quatuor diverſorum rectè docet Gramajus; Planè, inquit, ut Romanæ origini Gandenſem conferre ſolitus ſim, eò potiorem, quod illa tribus pro ratione convenarum tribubus conglutinata, hæc quatuor regionibus, naturæ glutino ad hanc totidem amnium confluentem ſociatis, conflata, elementorum numero, Urbe ſuperior, Orbi par videatur. In primis pagum Brabantenſem Scaldi tenus pertinuiſſe, in quo pars oppidi circa arcem Carolinam, id eſt, vetus

tus

Digitized by Google

tus Bavonis Cœnobium, diſertis verbis tradit Ludovici Cæſaris ad Eginhartum Abbatem diploma his verbis; *Idcirco noverit omnium fidelium ſolertia, quòd Eginhartus ex monaſterio quod dicitur Ganda, quod ſitum eſt in pago Brabantenſi, conſtructo in honore S. Petri Apoſtolorum Principis, ubi & jam B. Bavo Confeſſor Chriſti, corpore requieſcit. Datum Idus Aprilis anno* 810. *Imperii ſexto, Aquiſgrani palatio regio.* Ejuſdem Cæſaris ſed octennio poſt, datum exſtat, referens, in pago Tornacenſi ſuper Schaldim flumen locum eſſe, Blandinius mons, dictum antiquis, ubi monaſterium ſit ad honorem ſancti Petri cœlorum clavigeri, à glorioſiſſimis Regibus fundatum, unde è plano videtur montem Blandinium, ubi nunc Divi Petri Abbatia intra muros viſitur, pago Tornacenſi olim comprehenſum. Ultra Liſam occurrit pagus Mempiſcus, ſive Menapiſcus, in quo, territorio tamen Gandenſi, inchoatum Truncinium, ex monumentis ejus Abbatiæ narrat Meyerus ad annum 633, quod Chronicis Bavoniano, & Bertinenſi conforme eſt. Et ne dubitemus, vici aliquot nunc urbani, ſuburbani anteà, in Menapiſco in tabulis donationum antiquarum leguntur. Unde amplius obſervare eſt, Gandenſe opidum peculiare ſibi territorium olim habuiſſe, id eſt, locum communem (interprete Varrone libro 4.) qui propè opidum relinquitur, quod maximè teratur, dictum. Ad extremum charta donationis Trudonopolitani Cœnobii laudat villam Heverghe pago Flandrenſi anno 755. quem non dubito, inquit Gramajus, vicum in conſpectu opidi eſſe, Heverghem dictum; & proinde hac parte eum pagum quarto opidum loco occupare. Ideo autem Gandavum pagi Gandenſis, qui antè quoque pagi Flandrenſis, & Friſiæ maritimæ nomen habuit; quòd quatuor in primis urbes, ut ex Chronico Bavonenſi conſtat, videlicet Hulſtum, Axella, Haſna, & Bocholta, id eſt, ditiuncula Ambachtorum, in qua hodieque Caſtri Comes Gandenſis jura, & prærogativas quaſdam habet, illi parerent. Sed ad priora revertamur. Cùm in Nerviis agerent Gotthi, ac frequenter Gandavo imminerent, & à Wandalis fortibus, ac munitis prohiberentur; non parum bellorum inter Gotthos, & Wandalos ſævientium injuriis imminuta civitas, per Odoacrum præcipuè Balduini patrem, quintum Flandriæ Saltuarium, circa annum Domini 826. & alios Flandriæ Principes reſtituta, ac per eundem mœnibus cincta fuit; quod alii tamen Lyderico Bucano, primo Flandriæ Saltuario, qui & palatio ſuo urbem hanc ad Divi Bavonis conſtructo, & undique aquis circumſepto exornavit, adſcribere malunt. Illam verò iterum per Normannos circa annum Chriſti 851 vaſtatam, ac graviſſimas clades paſſam Arnulphus Flandriæ Comes reſtauravit. Ad annum quoque 1053. à Balduino Comite eandem urbem munitam fuiſſe aſſerit Gramajus, ſub Elſatio quoque Comite ad annum 1119 datum civibus privilegium, perque Margaretam confirmatum, quo civibus non urbem tantum, ſed & domos ſuas pro arbitrio firmare, & munire liceret. Unde ager, & vicus araticus vulgò Achergem à Dominis tum loci, Gaverorum hac parte anteceſſoribus, in conſpectu opidi vallatus eſt. Senſim itaque in eam, quam nunc videmus (cùm nihilominus quatuor tantùm portis, Toroltana, Gallica, Brabantica, Sancti Georgii, quæ & Divi Bavonis ſub Balduino Comite ad annum 1202 clauderetur) magnitudinem crevit, quam meritò omnes admirantur. Quod ex eo præſertim contigit, quòd ipſa ſitu opportuna, fluminibus dives, aëre benigna, aliiſque cœli, ſolique muneribus beata, partim etiam latifundiis per Comites ad pomœria proferenda venditis, partim immunitatibus, aliiſque Principum ſuorum beneficiis, quibus plurimos olim in ſinum ſuum alliciebat, dotata ſit. Hinc pannorum laneorum, ac lineorum textrinis, aliiſque opificiis quondam plena, ac populo undequaque confluenti, cui quoſcumque vellet fundos, foris, intra opidum ſibi comparare permiſſum erat, nimium anguſta, debuit dilatari. Gandavenſe opidum CIↃ. CCII induſtriâ ac beneficentiâ Comitis Balduini, ait in Chronico Belgico Locrius, ſuprà quàm cuiquam eſt credibile, multiplicatur. Iterùm à Ferdinando Comite, & Trigintanovem Viris, multis publicis operibus conſpicuis CIↃ. CCXXIII decoratur, nullaque non parte pomœria ejus proferuntur. Illi enim tum Triginta novem Viri regionem trans-Scaldanam, & Divi Bavonis, Caſtrum vetus, id eſt, Petram Comitis, cum area D. Pharaildis, vicum Caſtri, & Mudam civitati applicuerunt, portamque ex adverſo Mudanæ cognomento cum ponte Comitis inſtruxerunt. Rurſus ad annum CIↃ. CCLXXV. Caſtrum vetus, *Vide Meyerum, & Oudegerſtum.* annuente Margareta Comite, ab civibus opido applicatur, ejuſque foſſæ oppletæ, & lapidibus ſtratæ, viam prætereuntibus præbere occipiunt; quod iterùm ad annum Chriſti CIↃ. CCLXXVIII factum eſt. Tunc enim denuo prolati murorum limites,

Digitized by Google

tes, & quidquid agri pontem D. Bavonis, & Mudanum interjacet, rurſuſque intra foſſam nauticam, novumque alveum Legiæ fluminis ad uſque viam Brugenſem, Comes opido vendidit quater mille quingentis libris groſſorum, totumque illud ſpatium vallo obſeptum eſt, ad extremum dirutis portis antiquis, hac urbe ampliata, novæ quædam in his Cæſarea, aliæque huic vicinæ ad annum CIↃ.IↃXXIV. ædificatæ ſunt, ac pars mœnium lapideo opere ducta, denique noviſſimis hiſce turbis, præter vallum una opidi parte factum, propugnacula etiam omnibus locis diſpoſita, moleſque terreæ, & diverticula portarum novo ritu adornata ſunt. Sic ut non immeritò Gandavum modò cum munitioribus Europæ urbibus queat contendere. Et cum ſoleat exteris hæc opidi amplitudo eſſe admirationi, ſubjiciam, inquit Gramajus, dimenſiones ejus ſingulis pòſt ſæculis factas. Anno 1266. ita frequenter intra, & juxta portas habitatam Gandam tradunt Schedæ populares, ut biduum inſumere, neceſſe habuerit, volens extravagantes ejus fimbrias obire. Joannes à Curia Senatorii Ordinis vir mandante Senatu ſtationarias vices deſignaturus, anno 1397 juſſu Philippi Audacis mœnium circuitus dimenſus per Ægidium Grosherum, fertur impleviſſe 1688 perticas 14. pedum ſingulas. Et Joanne Duce volente facta dimenſio, exteriori ambitu confecit 3300 virgas 13 pedum ſingulas. Interiori autem longitudinis à Mudana porta uſque ad Lovinæam 1300 totidemque à Tenderweert uſque hoſpitalis portam ad Bavonis. An. 1427 juſſà inter Bergarum, Dieſtæ, & Weſemalæ Barones ſponſione, ſumptuque 1300 florenorum, repertum Gandam, Lovanio in circuitu tribus virgis minus, Leodico 5. Colonia 15. cæterum Lutetiam Pariſiorum 7. virgis antevertiſſe. Ad extremum dimenſio, quam abhinc 80. annis Varnewicus, an. 60. Guicciardinus, & Mercator, an. 10. Bertius, & Marchantius ex aliorum relatu inſtituêre, libriſque editis publicavêre ambitum urbis 7 Italicorum fere milliarium, (quod facit 45640 pedum Romanorum) Leucarum quatuor. Ad urbis autem hujus inſignia quod attinet, à Vandalis ſcutum nigrum, & in eo expanſam argenteam chirothecam, quam vernaculo ſermone Want vocamus, ſeu pugnæ teſſeram, olim habuit. Verum circa an. Domini 1192 ut ait Locrius ex Oudegerſto, Gandavenſes leonem argenteum, aureo collari, aureaque corona redimitum, atro ſcuto aſſurgentem, pro inſignibus ſumunt; dimiſſis iis, quæ hodie eorum Procomites gerunt; ſcutum nempe pullum ſurſum, ſeu in capite argento diſcriminatum. Quod licet ſub Principatu Philippi Elſatii contigerit, alii tamen id ad tempora Balduini Pulchrobarbi, qui Arnulphi filius fuit, referre malunt. Fertur Arnulphus ille Suſannam, alii Roſalam vocant, Berengarii Longobardorum Regis filiam, cepiſſe uxorem, atque ob fidem, ac merita eorum 500. Equites è nobilibus Gandenſium familiis creaſſe. Uſurparunt etiam Gandenſes antiquo Quiritum more, vexilliſque ſuis inſcripſere hoſce characteres, S. P. Q. G. quibus Senatus Populuſque Gandenſis ſignificatur, hodie quoque pro ſymbolo urbis Virgo ſepimento ligneo clauſa, cujus in ſinu Leo cum Flandriſi labaro cubat, auream capite coronam geſtans, depingitur. De qua re carmen non inelegans ſcriptum, hîc recitare lubet.

Ganda inter Flandras quondam pulcherrima Nymphas,
Qua propria Pallas condidit ipſa manu:
Ganda potens opibus, gelidiſque uberrima Lymphis:
Hæc in imaginibus fert duo ſigna ſuis.
Lacteolos diffuſa ſinus placidiſſima virgo
Proxima terribilis colla Leonis habet;
Scilicet ut blandos gerit hæc mitiſſima vultus,
Sic metuenda ſuis hoſtibus arma gerit.

Ante quinque etiam ſæcula Gandenſes ſcuto Caſtelli biturris ſpecie ſignato uſos fuiſſe, in cujus oppoſita ſigilli parte manus expreſſa videbatur, afferit Gramaius Antiquitatum Gandenſium capite nono.

Urbis Politia.

NOn una ſemper Gandavi Reipublicæ gerundæ forma, ſed pro diverſitate temporum, ac Principum placitis, diverſa Politiæ ratio fuit. Politiam Gandenſium ſæpe, inquit Jacobus Meyerus Lib. Annalium Flandriæ XVI. contigit mutari. Cui rei, meo judicio, magna ſubinde plebis auctoritas, cui nova plerumque arridere, vetera etſi rectè, & utiliter conſtituta parere nauſeam ſolent, quorundam etiam petulantia, & ambitio, cauſſam dedit. Ante ſæcula quatuor, & ampliùs penes nobiles quaſdam Patriciaſque familias, rerum ſummam fuiſſe, quaſi jure hæreditario ipſis debitam, arbitratur idem Meyerus, nominat eos particulatim; *Borlutios* videlicet, *Bettios*, *Serſanderios*, *Serſimonioſque*. Sed ejus, Scriptoris alioquin in Flandricis rebus accu-

Digitized by Google

curati, ſententia infirmo ſatis, debilique nititur fundamento. Ante tempora Balduini Hannonienſis (qui Byzantinus etiam Imperator fuit) ac ipſo quoque regnante, hoc eſt, circa annum Domini M. CC. perpetuis Senatoribus XIII. Reſpublica gubernabatur. Illorum è numero ſi quis moriebatur, reliqui XII. alium mox in demortui *Vide Meyerum lib. 13. Annalium.* locum ſufficiebant. E Patriciis verò tribubus perpetuos hos deſumptos fuiſſe certò, inquit Gramaius, mihi perſuadeo, & ſcio numerum ſubinde minorem fuiſſe, octonarium nimirum. Unde etiam diplomata quædam annorum M. LX. & M. CII. vocant, Acht mannen van t' Schependom te Gant. Cum autem iis temporibus in Senatu ferè ſemper aliqui ex ante nominatis ſtirpibus eſſent, putavit, ſcripſitque penes eaſdem ſolas urbis regimen fuiſſe Meyerus. Anno vero Domini M. CCXII. Ferdinandus Comes legem tulit, ut XIII. illi Senatores, qui hactenus fuerant perpetui, fierent annui. anniſque ſingulis habitis Comitiis in feriis D. Laurentii martyris innovarentur, idque per quaternos electores ſumptos ex quatuor ſacris curiis, ſeu parochiis Portus (ita oppidum nominabant) videlicet S. Joannis Baptiſtæ, D. Jacobi Apoſtoli, D. Nicolai Epiſcopi, & S. Michaëlis Archangeli, è curia ſcilicet D. Joannis quatuor, è D. Nicolai totidem, ex D. Jacobi tres, ex ſancti autem Michaëlis, quæ tum minima ſub Scabinatu erat, duntaxat duos. Tot erant tum temporis numero Parochiæ, & duplo plures oppidi regiones; necdum enim Ackerghemium cum Martiniana, Blandinium cum Mariana, & Amandica S. Salvatoris oppido annectebatur. Hoc Ferdinandi inſtitutum annos omnino tenuit XVI. nam anno CIↃ. CCXXVIII. Ferdinandus Comes è captivitate redux ordinem inſtituit XXXIX. Viratus Reipublicæ multò utiliſſimum. Foderunt illi Liviam, commodum valdè, ac opportunum per ea tempora, ob commercia Brugenſia, fluentum, emerunt inſuper, incluſaſque civitati, ſuæ poteſtati ſubdiderunt terras ultra Scaldim, Mudam & Royghem, cum loco S. Pharahildis, ac platea de Burgſtrate. Verum anno 1275. Margareta Comes, ac filius ejus Guido videntes per hunc ordinem civitatem nimis eſſe liberam, ſuâ abſoluta auctoritate eum abrogarunt, ſtatueruntque Curatores Reipublicæ tantum XXX. Scabinos puta XIII., Conſiliarios XIII. & Ærarios IV. quos in annos ſingulos pridie feriarum Decollationis D. Joannis Baptiſtæ innovari volebant: ea ratione ut XXX cedentes, alios XXX in locum ſuum eligerent, cives omnes Gandenſes, ac ſocios, ſeu fratres omnes Collegii ejus quod Comanorum appellatur (vulgo Comans Gulde.) Hi tertio gradu neceſſitudinis ſe contingere non poterant. Non fuit autem aliud hæc Comanorum Gulda, quam cætus populi ſelectioris. Verum in hanc novationem non conſentientes XXXIX viri, mox ad curiam Pariſienſem appellarunt, judicatumque eſt per Arreſtum, XXXIX. Viratum abolita nova conſtitutione, ſuum debere habere locum. Anno dehinc MCCCI. Philippus Rex Gallorum cognomento Pulcher in cuſtodia Comitem Guidonem ſervans, Gandavum venit. Ubi ut ſupremus, propriuſque Flandriæ Dominus recipi voluit, ſtudenſque componere diſcordiam, quæ gravis inter Comitem, & XXXIX. Viratum verſabatur, curavit ut ſuo ipſius arbitrio omnis permitteretur controverſia. Novam itaque ſtatuit Politiam, & Senatum, qui per annos CLXX plus minus conſervatus eſt, quanquam XXXIX longè eſſet utilitate inferior. Per hanc legem Comitia habebantur pridie Aſſumptionis Deiparæ Virginis. Comes, aut ejus legati, IV. legebant cives Gandenſes, totidem legebat Civitas, qui octo creati electores, XXVI honoratos, idoneoſque eligebant Senatores; quem numerum Comes, aut ejus Vicarii mox in XIII Scabinos, totidem & Conſiliarios dividebant. Sed hoc rerum ſtatu per temporum ſucceſſiones, inquit Meyerus, mirus ortus eſt ambitus inter cives, cum pro ſe quiſque, alius ut maneret, alius ut reciperetur in eum ordinem, decertarent; ita ut ſæpius graves, nunc contra Principem, nunc inter cives ipſos, orirentur diſcordiæ, ac turbæ, unde etiam gliſcente aliquorum inſolentia cædes Decanorum, Senatorum, ac bonorum civium emanarunt. Per illa tempora 1340
introductum eſt, ut civitas in ternas partes, nempe cives, opifices, ac textores partiretur; introductum quoque, ut non niſi è ternis illis tribubus civitatis, XXVI illi legerentur Senatores, eſſentque in utroque ſcamno cives tres, primus nimirum, quartus, ac ſeptimus: quinque ex opificibus, ſeu quæſtu, ſecundus, quintus, octavus, decimus, & duodecimus; ex textoribus item quinque, tertius, ſextus, nonus, undecimus, ac decimustertius. *Ita ſentit Meyerus, irrepſiſſe ſcilicet tum primum in Ordinem Senatorum tria hæc hominum genera, quorum ante aliqua legibus ſecluſa erant.*
Inventa eſt etiam eo tempore, ſtudio præſertim Jacobi Arteveldii, creatio Decanorum, quorum in eam uſque diem nulla 1343.
memoria fuerat. Creatus itaque Decanus civium, Decanus quæſtus, & Decanus Textrinulæ. Decanus civium primus Senator erat civitatis, civibuſquè omnibus, qui abſque ullo opificio ſuis proventibus vivebant, imperabat. Decanus quæſtus

ſtus LII. Decanis totidem Collegiorum opificum præerat, ideò Archidecarchus appellatus. Is ad medium Auguſtum in feriis B. Mariæ ad biennium creabatur. Decarchus Textrinulæ annuus erat, die octavo poſt Paſcha creari ſolitus. Imperabat viris, ſeu tribubus XXVII. qui & ſinguli ſua vexilla habebant. Decani LII opificum annui erant, perque Prætorem, ac Senatum mutabantur. Archidecani creationem confirmavit Philippus Princeps anno MCCCCXXV. alii quoque Principes in Decanorum omnium creationem aſſenſêre. Illi quoties turbatio aliqua juſta, injuſtave in civitate oriebatur, perinde ac componendi motus cauſſa cum vexillis, omnibuſque Collegiis opificum, in forum prodibant, claſſico per Campanam, Rolandus nomen eſt, dato. Sic ut primus Senator cum vexillis D. Georgii Flandriæ atque oppidi Gandenſis: ſupremus verò Decanus cum LII Collegiorum vexillis, ad XXV & XXX millia hominum ſæpenumerò ſecum aggregarent. Quod à Philippo Duce minus utile judicatum, abolitumque, per alios mox Principes reſtitutum; à Carolo demum V, Principe glorioſo, lege perpetua abrogatum eſt, qui ſe ea ratione longam quietem, ac ſalutem Reipublicæ Gandavenſi allaturum exiſtimavit. Statutum itaque anno prioris ſæculi quadrageſimo, ut quotannis decima Maii die, Magiſtratus per eos, quos in hanc rem Princeps ſolus nominaret, crearetur, neque is etiam antè poteſtatem ſuæ functionis acciperet, quam juramento ſolemni pollicitus eſſet, ſe in omnibus ad amuſſim, legem Cæſaris de Senatu in hunc modum creando, deque aliis quibuſdam ſervaturum. Sed quia proficuus in primis civitati noſtræ XXXIX. ille fuit, de quo antea, paucis quæ illius fuerit ratio & hîc dicam. Quotannis eorum XIII. (tot enim erant tum oppidi regiones) Scabinagium, alii totidem Conſilium faciebant, reliquis pari numero vocantibus, ac ſequenti anno dominaturis. Ita ut viciſſim tres hi cætus eſſent Senatores, Conſiliarii, Vacantes, alium annuatim ordinem, & dignitatis locum obeuntes. Ad tripartitam autem urbis diviſionem illam, quæ Politiâ per Philippum Pulchrum Regem mutatâ accidiſſe putatur, quod attinet, eam Gramajus non per tumultus inventam, ſed cum ſplendore aliquo, & adparatu invectam aſſerit. Diploma enim anni M. CCIV. citat ingenuos Gandavi, & miniſteriales, id eſt, Cives, ac Mechanicos: aliud item anni M. CCLX. nominat Gildas Textorum. E quibus patet eam omninò Pulchri Regis temporibus eſſe antiquiorem. Ad Decanos etiam quod ſpectat, eorum nunc inane nomen manet, & dignitatis umbra tantum. Illis Præpoſiti cooptantur quotannis Capitanei tribuum plebeiarum (Hooftmannen vocant) XXII. viri nobiles, ſine quorum auctoritate nulli opificum Collegio convenire permiſſum. Vexilla etiam olim ſingulis propria opificiis erant, cum iis Comitem ad bella cives ſequebantur. Sed eorum pariter uſus lege Carolinà interductus eſt. Paucis exceptis, quæ etiam hodie penes lectioris populi partem Sagittariorum Collegiis nomina dare ſolitam remanent, & quotannis aliquoties, cum eorum aliquis ſolemnior conventus agitur, oſtentantur.

Electorum porro Scabinalium numerus variavit ſæpe, qualitas etiam. Nunc receptum tres ex patria nobilitate creari perpetuos à Principe, quartum, qui alioquin Flandriæ Præfectus eſſet, annuatim diverſum, niſi continuetur, adjungi, & loco primum, & auctoritate præcipuum, is præcedentibus annis aliquoties fuit nobiliſſimus Eques Claudius d'Ongnyes, Dominus de Couppigny, Marchoven, Pamele, &c. à Conſiliis ſtatus Regi Catholico, regiique ærarii Præſidum unus. Alii tres perpetui ſunt, viri itidem virtute ac proſapia illuſtres, Claudius de Croy Comes de Roeux, Baro de Beaurain, Supremus ditionis & urbis Aloſti & Gerardimontii prætor. Jacobus de Noyelles Comes de Croix, Vicecomes de Nyelles, Baro de Maldeghem, ærarii regii Præſidum alter, Capitaneus & prætor Caſtelli de la Motte in Sylva de Niepes; qui cum múnere primi jam aliquoties functus eſſet, locum ejus tenuit Franciſcus Vilani à Gandavo Baro de Raſſengien & Borſtbeke, Dominus de Oordeghem, Præpoſitus Eccleſiæ Collegiatæ S. Petri Inſulenſis, & Canonicus Leodienſis. Tertius denique non minus virtute quam proſapia excellens, Dominus Joannes de Yedeghem Comes de Watou, Baro de Busbeke, Toparchus de Wieſe, Belle, Boſt, &c. Eques Ordinis S. Jacobi, magnuſque prætor urbis ac Caſtellaniæ Iprenſis.

Penſionarii.

CONſpicua cumprimis altaque dignitas apud Gandavenſes habetur, eorum munus, quos trito jam vocabulo (ab annuis crediderim honorariis, quæ à Republica capiunt) Penſionarios nominamus. Perpetui ſunt illi quidam Reipublicæ aſſeſſores, conſiliariique, ac Oratores, legationibuſque variis pro ea funguntur, & ad alia, majoriſque momenti negotia pro eadem deſti-

deſtinantur, tum in urbe ipſa, tum foris ut res & occaſio exigit. Principes vel ſolemniter in urbem, vel aliter adventantes, ſenatus populique Gandavenſis nomine ſalutant, eorumque adventui oratiuncula aliqua brevi gratulantur. Porro vigore legis Carolinæ (quæ meliorem, & a motibus magis ſecuram Reipublicæ Gandavenſi politiam induxit) auctoritate Senatus Gandavenſis qui id muneris obituri ſunt, conſtitui debent, nec habet alius quiſpiam in ea urbe auctoritatem, qua illos creare poſſit. In publicis etiam conſeſſibus, aut cum foras eundum eſt, ad actus aliquos nomine Reipublicæ exercendos, primus eorum de jure latus primi Senatoris, (qui Gandenſem gerit conſulatum) claudit: aliuſque ei proximus collega latus illius, qui proximum in Senatu locum habet. Cæterum in ea fuerunt dignitate, à Caroli præſertim Cæſaris ævo non pauci legum cognitione, prudentia, ac politicarum rerum directione nobiles viri, facundiaque clari Reipublicæ illius oratores. Mihi cogniti ſunt è gente Borlutia *Levinus*, *Maillardus Vulderius*, *Antonius Scoormannus*, *Joannes vander Mandere*, qui per annos quadraginta quinque cum egregia laude eam geſſit dignitatem, & per annos quinquaginta *Joannes Baptiſta Schoormannus*, Antonii filius. Nunc vero pari præſtantia animi, iiſdemque meritis eam tenent nobilis vir *Joannes vander Speeten*, Dominus de Eecloo, *Joannes Baers* & *Jacobus du Laury*. Prout & in ſenatu ſubſellii inferioris (qui partitionibus hæreditariis, pacique civium conſervandæ, aut ſarciendæ in Gandavenſi Republica præcipue ſervit) *Jacobus de Groote*, ea pollens iſtic auctoritate, qua apud Senatum ſubſellii altioris alii.

Juriſdictio Magiſtratus Gandavenſis.

JUriſdictio magiſtratus Gandavenſis, civiumque libertas, non ſolum intra pomœria urbis ejuſdem conſiſtit, ſed protendit ſeſe etiam ad foſſam Margareticam (dubium mihi an à Margareta Balduini Conſtantinopolitani filia appellatam) quam alii de Vrytgracht, quaſi libertatis & exemptionis civicæ foſſam, ſive limitem indigetare ſolent. Poteſtque tantum in ſuburbana hac ditiuncula prædictus magiſtratus quantum intra ipſum præfatæ civitatis ambitum atque mœnia, quod per Ammannum urbis, aliaſque ſubordinatas ſibi poteſtates exercet. Adeo ut ab omni etiam onere agrario (quod pointingen & ſettingen teutonice appellatur) liberi, teneanturque tantum cenſu ac vectigalibus urbis, qui in eadem ditiuncula domicilium fixere. Viſuntur in eadem ditiuncula prætoria nobilium quorundam, ac honoratorum civium Gandavenſium, atque inprimis ad foſſam urbanam ſplendidum eleganſque prætorium ab *Antonio Trieſt*, reverendiſſimo Gandavenſis Eccleſiæ Antiſtite, vulgo *Belveder*, domus vocata *Vaernewyck* gentis Gruſteriæ, aliaque nuper *Caroli de Cornhuyſe*, Toparchæ de Oplintere, prout & alia *Baronis de Pamele*. Juxta quoque, ſed extra limites juriſdictionis hujus, in ſuburbano tamen Gandavenſi viſitur prætorium Domini *Baronis de Iamoique*, & poſſeſſum modo à gente *Trieſtia* prætorium vulgo *het Braems-caſteel*, prætorium item Toparchæ *de Idwalle* è familia *Blaſeriorum* Gandavi patritia & conſulari, aliaque non pauca, quæ per æſtatem præſertim, amœnitatis cauſſa (quæ mira paſſim in hoc agro relucet) à dominis ſuis frequentantur.

Magni Prætores.

AMPLUM apud Gandavenſes, & dignitatis eximiæ, munus eſt Magni Prætoris. Eorum aliquos, qui reperiri potuerunt, ſequens Catalogus indicabit. Plura qui volet, legat Gandavum ante aliquot annos ante editum.

Summus Prætor Gandavi fuit *Philippus* 1070
de Baenſt, qui è Gallia redux, quo profectus erat, ad Gandavenſium Privilegia tabulis regiis inſerenda, in Sylva Nanceana à prædonibus cum Gerulfo Bette Conſule interfectus eſt. In Eccleſia primaria Audomaropoli ſepultus, M. LXXII. ſub Balduino Flandriæ, & Hannoniæ Comite decimo ſeptimo. Ita quidam, quorum meo judicio error in duo, vel tria ſæcula impingit, vel ob eam cauſſam, quod Gerulfus ille in faſtis Conſularibus Conſul ad annum 1360 notetur, ut cætera taceam.

Andreas, cujus cognomen hactenus inve- 1218
niri non potuit.

Prætor quidam nomine *Barnerus*. 1232

Ivo Ballivus Gandavenſis donavit quæ- 1239
dam Trunchinienſibus.

D. Michaël de Lombeke miles. 1252

Ægidius van Machelen per Comitem Gui- 1268
donem conſtitutus.

Philippus D. de Kienville, alias Honde- 1281
ghem, Eques.

Richardus Schandert Eques; Ad dirimen- 1316
dam controverſiam quandam inter civitatem, & monaſterium S. Bavonis, ſta-

tuit Ludovicus Nivernenſis 1322 ut qui ſummus Gandavenſium Prætor eſſet, idem quoque foret Prætor Audenburgicus, Waſiæ, & quatuor Ambachtorum; quod per alios quoque Comites ante ſtatutum erat.

1348 *Balduinus van Laerne.*

1354 *Oliverius vanden Hove.*

1378 *Rogerius van Aultrive.*

1383 *Philippus Vilain* Eques.

1384 *Jacobus Scuetelaere* origine Brugenſis.

1387 *Oliverius Deſtainbruges.*

1389 *Dankardus van Ogierlande* Scabinus Franconatium nonâ Maii evehitur in Prætorem.

Joannes de Latre circa hæc tempora à quibuſdam memoratur. Fuerat ante Scultetus Brugenſis, fors idem cum ſequente.

1411 *Joannes vanden Kerckhove.*

1413 *Cornelius vanden Eechoute* Eques matrimonio junctus fuit filiæ naturali Ludovici Comitis.

1416 *Franciſcus van Haveskerke* Prætor Cortracenſis.

1419 *Joannes Camphyn.*

1421 *Ludovicus Salart* origine Gandavenſis, Cubicularius Ludovici Comitis, Watergravius Flandriæ, & Stagnorum Præfectus.

1422 *Walterus de Merſian* D. de Lorimier: Civis erat Yprenſis.

1431 *Gerardus van Commene* F. Colardi D. de Watine, &c. ab aliis ipſe Colardus ponitur D. de Ruverſchuere. fuit & ſupremus Flandriæ Prætor.

1435 *Joannes* D. de Moerbeke.

1437 *Joannes vander Zype* D. de Waſieres Petri filius, qui primus Concilii Flandriæ Præſes fuit.

1444 *Balduinus de Vos* Eques. D. d'Axelles, Laerne, Somerghem, Lovendeghem, Gollare, &c. fuit hic vir bello præſtans.

1449 *Hector van Werbaute*; origine Gandavenſis. 28. Junii. Eodem anno *Gerardus van Giſtele* Eques D. de Bevere, & de Oeſſelghem.

1451 *Simon van Herbais* Dominus de Merchove.

1453 *Arnoldus de Govy* Eques Dominus d'Auby, familiâ Inſulenſis, Prætor primum Duacenſis, inde Conſiliar., & œconomus Ducis.

1454 *Jacobus van Hemſrode* Scutifer ex Caſtellania Aldenardenſi Conſiliarius Philippi Ducis.

1457 *Nicolaus Trieſt*, Eques Judoci filius.
alii Idem Waſiæ, & quatuor Ambachto-
1458 rum, &c. vir fuit præſtantis animi, à Conſiliis, & Cubiculis Philippo Bono Burgundionum Duci, Principi omnium Europæorum ſuo tempore Clariſſimo.

Ludovicus van Schooriſſe D. de Nokeren, 1467
& Bevere, Conſiliar. & Cubicular. Ducis Burgundiæ. Ab eo conſtitutus Gandavi Prætor minor *Balduinus Quiſtebant*, ut hoc in officio vices ſuas gereret, dum ipſe in exercitu Ducis eſſet; cepit id in Majo 1472. ac poſt hic Balduinus factus eſt Prætor quatuor Ambachtorum anno 1476. ex commiſſione Mariæ filiæ Caroli Audacis Burgundionum Ducis.

Ioannes D. de Dadizele Eq. à Conſiliis, 1476
& Cubiculis Duci, à D. de Montigny Antwerp. 1480. occiſus.

Iudocus van Belle Eq. D. de Zoeteſtede, 1478
Borre, & Steenwerck, à Conſiliis, & Cubiculis Maxæmil. & Mariæ Archiducibus Auſtriæ, &c. Mariſchalcus hæreditarius Flandriæ.

Iacobus de Govy Eq. D. d'Auby, à Con- 1481
ſiliis, & Cubiculis, poſtea quoque œconomus Archid. Maxæmiliani, & Capitaneus Caſtelli de Rupelmonde.

Georgius van Scooriſſe Eq. D. de Mule- 1483
beke, à Conſiliis, & Cubiculis Archiducib. Maxæmiliano, & Philippo.

Jacobus van Giſtele Eques D. vander Mo-
te, à Conſiliis, & Cubiculis Archidu- 1485
cis.

Joannes van Cruninghen D, de Pamele, à 1486
Conſiliis, & Cubiculis Archiducis.

Carolus van Maſſeme Scutifer, à Conſiliis, 1487
& Cubiculis Archiducis Philippi.

Judocus van Giſtele D. de Moere, Mael- 1492
ſtede, Axele, &c. à Conſiliis, & Cubiculis Regis Romanorum, & Philippi ejus filii.

Carolus van Giſtele Scutifer. 1493

Jacobus van Caſtre Eques D. de Caſtre, 1501
& Rumbeke, à Conſiliis, & Cubiculis Archiduc. Fuit & ſupremus Flandriæ Prætor.

Franciſcus de Jaſſe, ſive de Maſtaing, 1509
Scutifer D. de Maſſeme.

Ludovicus à Flandria D. de Praet, Woe- 1515
ſtyne, &c. Eques aurei Velleris, & Cæſ. Caroli Cubicularius. Caſtellanus Sluſenſis, &c. Vir fuit præſtantiſſimus, Literarum amans, ipſe etiam litteratus, & libris editis clarus.

Franciſcus vander Gracht Scutifer D. van- 1521
der Gracht.

Walterus vander Gracht Scutifer D. van- 1533
der Gracht, Huele, Couchie, &c. Duxit Adrianam vander Gracht unicam filiam Franciſci vander Gracht, D. de Leeuwerghem, Morſele, &c.

Franciſcus vander Gracht Eques D. de 1535
Scardauwe.

Adol-

1555 *Adolphus à Burgundia* Eq. D. de Wacquen, Catthem, Capelle, &c. Maris Belgici Vicepræfectus, vir præſtantiſſimus, liberalis, magnificus, Litterarum, ac omnium honeſtarum artium perquam amans. Fuit Zelandiæ etiam Gubernator ac Primas nobilitatis ejus Inſulæ. Duxit Claſſem multarum navium in Hiſpaniam ut Præfectus. Abavus fuit ei Antonius Magnus Burgundiæ nothus, qui legitimatus fuit à Cæſare, & Pontifice: & hæres fuiſſet paternarum ditionum, ſi ante eum Carolus hac vitâ exceſſiſſet ſine hærede. Ita aliqui arbitrantur.

1571 *Ferdinandus de la Barre* Eques D. de Moſcroen, etiam ſupremus Flandriæ Prætor, à Cubiculis, & Conſiliis Philippo II. Regi Catholico.

1591 *Jacobus de Langlee* Eques Baro de Pecques, & Heyne, ſupremus Flandriæ Prætor.

1617 *Jacobus de Boſſu*, alias *Hennin*, Eques, Baro d'Auchy, Joannis Equitis aurei velleris, & Comitis de Boſſu cognomento Magni filius.

1618 *Carolus à Burgundia* Eques Ordinis S. Jacobi, Baro de Wacquen, &c. vir heroicâ planè indole præditus, ac præclaris admodum animi, corporiſque dotibus à natura inſtructus. Huic ad ſuperos 1632. evocato ſucceſſit.

1632 *Gulielmus Bette* Marchio de Lede, D. Peronæ, Heros etiam eximie ornatus, & de Republica ac militia Belgarum meritiſſimus, ob nuperam præſertim Trajecti ad Moſam obſidionem fortiſſimè toleratam: poſt Gulielmum ea nunc fruitur dignitate *Valentinus Albertus de Guernoval* Baro de Ekelsbeke.

1636 *Albertus de Guernoval*, Baro de Eekelsbeke nominatus magnus Prætor litteris patentibus datis 4 Aprilis.

1653 *Nicolaus Ignatius de Beer*, Dominus de Meulebeke ſucceſſit præcedenti litteris datis 2 Septembris.

1660 *Joannes Baptiſta Dellafaille* per litteras exaratas 17 Novembris.

1684 *Maximilianus Nicolaus Dellafaille* dimiſſo per præcedentem officio ſucceſſit 11 Aprilis.

1691 *Ferdinandus Dellafaille*, conſtitutus 21 Martii.

1707 *Jacobus Joſephus Dellafaille* ſucceſſit 27 Martii; & loco ipſius ad id munus obeundum ſuffectus eſt Maximilianus Rym, Eques, Dominus de Rammelaere.

1710 *Philippus Franciſcus Serſanders* nominatus magnus Prætor Gandavenſis 20 Octobris.

Carolus Joſephus Serſanders ad magni Prætoris officio fungendum conſtitutus 16. Octobris. 1721

Hubertus Franciſcus Serſanders 27. Junii. 1722

Faſti Conſulares ab Anno Chriſti M. CCC. I.

ANNO redempti orbis milleſimo trecenteſimo primo declarati Conſules 1301

Wilhelmus de Juede.

Balduinus Parys.

Obſidetur Mechlinia à Comite Flandrorum.

Joannes ab Aveldonck. 1302

Chriſtianus de Bevere.

Hoc anno Joannes Borluyt Nobilis Gandavenſis Cortracum profectus, cum quinque millibus Gandavenſium, in campis Groningenſibus cecidit caſtra Philippi Pulcri Gallorum Regis, affecitque horribili clade: alias inſuper ducente copias Guidone Flandrorum Comite.

Balduinus Parys. 1303

Simon de Brune.

Ad Vitriacum fugatur Gallus à Flandris.

Godevardus Parys. 1304

Nicolaus Moykin.

Apud Duacum moritur Guido Dampetra XXIV. Flandriæ Comes. Ad montem Pabulanum fugatur exercitus Philippi Pulcri.

Joannes Wten Dale. 1305

Balduinus wter Ameeden.

Baſſelinus vanden Putte. 1306

Balduinus Parys.

Simon Bette. 1307

Joannes ab Aveldonck.

Balduinus Parys. 1308

Joannes van Gavere.

Hoc anno à duodecim Scabinis Conſul in exilium pulſus.

Georgius wten Meerham. 1309

Gerulfus de Pape.

Baſſelinus vanden Putte. 1310

Joannes van Coyghem.

Hyems ab hominum memoria acris, & aſpera.

Macarius van Schooriſſe. 1311

Ludovicus van Landeghem.

Balduinus wter Volderſtraete. 1312

Wilhelmus Bette.

Ghyſelbertus Reynviſch. 1313

Balduinus Borluyt.

Wilhelmus de Breere. 1314

Nicolaus vander Hayen.

Hoc anno Gandavi ſuſpenditur in Belforto maximæ molis Campana Rolandus dicta.

Digitized by Google

1315 *Henricus Boele.*
Jacobus de Ruddere.

Ingens fames per Flandriam, & vicinas regiones: quam ſecuta eſt ingens peſtilentia, tertiam hominum partem Gandavi, & alibi depopulata.

1316 *Joannes wten Dale.*
Joannes van Coyghem.
1317 *Wilhelmus de Breere.*
Segerus de Groote.

Pons Comitis, vulgò 's Grabenbrugghe / hoc anno conſtructus.

1318 *D. Wilhelmus Wenemar.*
Joannes van Coyghem.
1319 *Joannes wten Dale.*
Balduinus vanden Kerckhove.

A VII Scabinis pelluntur in exilium VI reliqui.

1320 *Balduinus vander Ameeden.*
Joannes Maſch.
1321 *Ghyſelbertus Reynviſch.*
Thomas van Vaernewyck.
1322 *Joannes Maſch.*
Nicolaus vanden Putte.

Hoc anno fundatur hoſpitale in foro S. Pharaildis pauperibus enutriendis à Wilhelmo Wenemario, & Margareta ejus conjuge. Moritur Robertus Flandriæ Comes ætatis LXXXII.

1323 *Balduinus vander Ameeden.*
Simon Sermaghelins.
1324 *Thomas van Vaernewyk.*
Nicolaus vanden Putte.
1325 *Claudius Damman.*
Joannes de Pape.

Hoc anno cœpta ædificari Halla ſub Belforto Gandenſi; cæſa item tria millia Textorum Gandenſium.

1326 *Nicolaus vanden Putte.*
Joannes Parys.

Hoc anno data Gandenſibus centum millia lib. Pariſ. à Rege Gallorum Carolo, quia Principi ſuo fidi manſerant illi, ſuppetiaſque tulerant adverſus ſeditiones Brugenſium. A Gandavenſibus Ecloniæ cæduntur Brugenſes.

1327 *Thomas van Vaernewyck.*
Joannes Wtenhove.
1328 *Joannes Maſch.*
Claudius Damman.

Conflictus Caſſetanus Iprenſis cæduntur Poperingæ.

1329 *Salomon Borluyt.*
Simon Joorys.
1330 *Thomas van Vaernewyck.*
Claudius Damman.
1331 *Joannes Maſch.*
Joannes Parys.
1332 *Salomon Borluyt.*
Joannes Wtenhove.
1333 *Thomas van Vaernewyck.*
Simon Sermaghelins.

Eligitur à Gandavenſibus Jacobus Arteveldius, vir manu fortis, copiarum ductor, contra Francos pro Anglis pugnaturus.

Petrus vanden Cautere. 1334
Joannes Maſch.
Salomon Borluyt. 1335
Claudius Damman.
Joannes Maſch. 1336
Joannes Borluyt.
Thomas van Vaernewyck. 1337
Claudius Damman.
Joannes Speliart. 1338
Wilhelmus de Meersman.

Anno 1332 poſtremus Scabinorum fuit.

Simon Parys.
Ægidius Reynviſch. 1339

Proficiſcitur Ludovicus Nivernenſis cum uxore ſua Pariſios.

Joannes vanden Voet. 1340
Joannes van Teſſele.

Tornacum ab Eduardo Angliæ Rege cum Arteveldio obſidetur. Vincitur Orchiacum, & opidum S. Amandi.

Ægidius Reynviſch. 1341
Gerulfus de Grutere.

In monaſterio S. Bavonis enixa eſt hoc anno Angliæ Regina Joannem Lancaſtrium, vulgò Gandavenſem.

Wilhelmus de Meersman. 1342
Simon Serthomaes.
Simon Parys. 1343
Petrus de Clerck.

Hoc anno conſtituuntur Gandavi à Jacobo Arteveldio LXXIII Decani opificiorum, & eorum unus Exarchus, ſive Decanus ſupremus, Decanus item Textrinulæ. Sub hoc Arteveldio maximè viguit per Flandriam Democratia, aut aliquid populari regimine deterius.

Nicolaus Wtenhove. 1344
Jacobus Arteveldius.

Occiditur hoc anno Jacobus Arteveldius à plebe. Gravis inter Fullones, & Textores Gandavi ſeditio.

Simon Parys. 1345
Livinus de Waele.

Gravis per orbem graſſatur peſtilentia.

Joannes Willade. 1346
Simon Parys.

In conflictu Crequiacenſi occubuit Ludovicus Nivernenſis Flandriæ Comes, & inſigni victoriâ contra Gallos potitus eſt Eduardus Angliæ Rex.

Nicolaus Wtenhove.
Ægidius vander Palen. 1347
Levinus van Veurne.
Simon vanden Kerckhove. 1348

Eodem anno declarati Coſſ. Henricus de Grutere, & Jacobus Reynviſch. Obſidetur

ſidetur à Gandavenſibus Aloſtum.

1349 *Ægidius Reynviſch.*
Wilhelmus vanden Putte.

Per Scabinos Gandavenſes liberatur à carcere Cameracenſis Epiſcopi Abbas Eenamienſis.

1350 *Simon vanden Kerckhove.*
Everardus de Grutere.

1351 *Wilhelmus vanden Putte.*
Ioannes Iours.

1352 *Simon Serthomaes.*
Ghyſelbertus vanden Poele.

1353 *Simon vanden Kerckhove.*
Simon van Raveſchot.

Hoc anno magnum in Parœcia B. Virginis Blandinienſis incendium: abſumptæ domus nongentæ cum variis eorum locorum incolis: alii in annum 1355. hoc rejiciunt.

1354 *Wilhelmus vanden Putte.*
Everardus de Grutere.

Horrenda Solis Eclipſis ad horas XVII. durat.

1355 *Simon Serthomaes.*
Gerulfus Bette.

Incendium magnum ad D. Bavonis.

1356 *Goſwynus Mulaert.*
Alexander Serſanders.

1357 *Ioannes Damman.*
Segerus wten Dale.

Pulſus hoc anno à Scabinis in exilium Conſul, & Ammannus.

1358 *Iordanus Serſanders.*
Hugo van Lembeke.

Gandavenſes per univerſam pœnè Flandriam curſitant populabundi. Gandavi inter fullones, & textores ſeditio.

1359 *Ioannes van Vaernewyck.*
Iacobus Bette.

Coaleſcit pax inter Anglum, & Francum, eam ſecuta peſtis graviſſima.

1360 *Gerulfus Bette.*
Petrus vanden Kerckhove.

Gandavi extra Santportam exuſtæ domus trecentæ, reliquis poſt octiduum etiam flammâ abſumptis.

1361 *Simon Damman.*
Laurentius van Weſtvelde.

1362 *Jacobus Willebaert.*
Joannes Damman.

1363 *Jacobus Bette.*
Jacobus vander Linden.

Hoc anno multati à Magiſtratu Gandavenſi, Ammannus, & Scabini Aldenardenſes, eo quod contra Jacobum van Vaernewyck, civem Gandavenſem, contra urbis ſuæ privilegia, ſententiam tuliſſent. Ex hac pecunia empta Lampas, & ad perpetuam rei memoriam ſuſpenſa in æde D. Joannis Baptiſtæ ad imaginem ejuſdem Sancti.

Simon Damman. 1364
Simon vanden Kerkhove.

Jacobus Willebaert. 1365
Claudius de Pape.

Iterum ad Divi Bavonis ingens incendium Gandavi.

Joannes Borluyt. 1366
Iacobus van Raveſchoot.

Wilhelmus vanden Putte. 1367
Iacobus Bette.

Ingens per Flandriam mortalitas.

Iacobus Willebaert. 1368
Simon vanden Putte.

Hoc anno cœptum ædificari Caſtellum in Wondelghem, quod paucis annis cum ſtetiſſet, à Gandavenſibus cum ſuppellectile Maleani direptum, incenſumque eſt, Joanne de Leeu Alborum Caputiorum ductore.

Ioannes van Sickelen. 1369
Ioannes van Leden.

Philippus Audax cum Margareta Ludovici Maleani filia init conjugium Gandavi ad D. Bavonis. Fuere præſentes Venceſlaus Dux Brabantiæ cum Joanna conjuge, aliique Principes, Magnates. Ita Locrius.

Ioannes Borluyt. 1370
Simon vanden Putte.

Inchoatur monaſterium vulgò de Groenenbriele.

Ioannes Willebaert. 1371
Iacobus van Raveſchoot.

Dominicâ Palmarum grave incendium ad D. Petri.

Simon vanden Putte. 1372
Wilhelmus Bette.

Foſſores Brugenſium pænè omnes ad novam Leyam cæduntur à Gandavenſibus.

Collocantur in Ponte vulgò d'Hooftbrugghe imagines filii, & patris æneæ. Filio patris caput amputare volenti enſis rumpitur.

Prima Abbatiſſa conſtituitur ad Viridem Brielam.

Ghyſelbertus de Grutere. 1373
Alexander van Lede.

Ioannes Borluyt. 1374
Wilhelmus Bette.

Occiditur ſummus Prætor Gandavenſium.

Simon vanden Putte. 1375
Ioannes wten Dale.

Exuritur Templum S. Petri.

Ghyſelbertus de Grutere. 1376
Ioannes van Lede.

Veniunt Gandavum Duces Andegavenſis, & Britannus, Princeps item Walliæ, & Lancaſtrius, de pace, vel longis induciis inter Reges, Gallum, & Anglum, tractaturi.

Simon vander Sickele.
1377 *Alexander van Leae.*
Ioannes van Lede.
1378 *Joannes wten Dale.*

Acre bellum inter Comitem Ludovicum, & Gandavenſes. Ingens incendium ad Divi Petri, quo abſumitur Eccleſia, Monaſterium, & quingentæ domus, alii 700 referunt.

1379 *Ghyſelbertus de Grutere.*
Simon Bette.

Obſidetur à Comite Ludovico Gandavum, obſidentibus interim Gandavenſibus Teneramundam, & Aloſtum. Aſtu capiunt Gandavenſes Aldenardam, nobilibus iſtic multis, & Comitis Ludovici aſſeclis occiſis.

Decollantur Gandavi in Junio quinquaginta perſonæ.

Eodem anno veteribus obrogatis ſtatuuntur Coſſ.

Ghyſelbertus de Grutere, Balduini F.
Henricus van Adeghem.

Conflictus inter Brugenſes, & Gandenſes; cæſis Brugenſibus, Ioannes Yoens, Capitaneus Gandavenſium, Donſam, Aloſtum, Teneramundam, aliaſque Flandriæ civitates, Caſtellanias in verba Gandavenſium cogit. Ecloniam tranſiens toxico perimitur, magno Gandavenſium mœrore.

1380 *Simon vander Sickele.*
Jacobus van Raveſchoot.

Gandavenſes Dixmudam profecti ſunt, multis ſuorum deſideratis. Iſtic creatus Eques Balduinus de Vos.

1381 *Simon Bette.*
Ioannes vanden Kerckhove.

Cæſi Simon Bette, & Ghyſelbertus de Grutere Coſſ. Aegidius item de Voldere ſupremus Gandavenſium Capitaneus. Captum à Gandavenſibus Ardenburgum, & ſpoliatum. Conſtituitur Capitaneus Gandavenſium Philippus ab Artevelda, vir fortis, & animoſus. Ampliſſima ſpolia Gandavum devehuntur. Vinum aſſe venit.

Tertia Maii à Gandavenſibus memorabili victoriâ ſuperatur Bruga. Fugit Ludovicus Comes. Portæ Brugenſes, S. Crucis, Gandenſis, & S. Catharinæ ſolo æquantur, ruderibuſque earum foſſæ implentur. Tota ferè Flandria in ditionem Gandavenſium cedit. Walterus Angianus ad portam Cæſaream occiditur à Gandavenſibus, magno Comitis luctu. Cæduntur & multi Brugenſium, eorumque vexilla ad omnes urbis portas ſuſpeduntur.

1382 *Goswinus Mulaert.*
Wilhelmus vanden Putte.

Superatur à Gandavenſibus in feſto S. Lamberti Aldenarda. Conſtituitur Gandavenſium Capitaneus *Franciſcus Ackermannus*, qui, junctis Anglorum copiis, præclara multa geſſit, in Flandria potiſſimum occidentali.

Jacobus Raveſchoot. 1383
Henricus van Adeghem.

Conflictus ad Roosbekam cæſo Philippo ab Arteveld. Moritur Ludovicus Maleanus, & piè condonat, quidquid in illum fortè Gandavenſes deliquiſſent, obteſtatus Philippum generum, & filiam Margaretam, idem ut factitarent. *Philippus Ackermannus* ſuperat Aldenardam.

Joannes de Ionge. 1384
Wilhelmus vanden Putte.

Horribilis apparet Cometes, rubeo, flavo, viridi, ac nigro colore tinctus. *Franciſus Ackermannus* cum Gandavenſibus, & Anglis proficiſcitur Dammum, idemque expugnat, & diripit. Eligitur Gandavi Capitaneus *Balduinus de Rycke*, Principi, & Nobilitati vehementer infeſtus.

Joannes vanden Kerckhove. 1385
Daniel van Vaernewyck.

Firmatur pax inter Ducem Philippum, & Gandavenſes, & pridie Natalis Domini promulgatur Gandavi.

Jacobus vanden Putte. 1386
Balduinus van Raveſchoot.
Ioannes Wtenhove. 1387
Wilhelmus de Grutere.

Franciſcus Ackermannus, in cæmiterio B. Virginis in monte Blandinio, occiditur à Claudio Baſtardo van Heerzele.

Gerulfus Borluyt. 1388
Daniel van Vaernewyck.

Proficiſcuntur Gandavenſes ad Gerardimontem

Jacobus vanden Putte. 1389
Balduinus van Raveſchoot.

In Martio venti validiſſimi molas, tectaque paſſim dejiciunt.

Nicolaus Wtenhove. 1390
Wilhelmus de Grutere.
Gerulfus Borluyt. 1391
Balduinus de Bree.

Adhærent Urbano Papæ Gandavenſes, contra voluntatem Philippi Ducis foventis partes Clementinas.

Ioannes Wtenhove. 1392
Ioannes vanden Kerckhove.
Nicolaus Wtenhove. 1393
Ioannes Slove.
Petrus Serſimoens. 1394
Gerulfus Borluyt.

Veniunt Gandavum Brugenſes, ad ſacram in Paſcha Synaxin, quia Clementinis

Digitized by Google

nis partibus adhærebat cum Comite clerus Brugenſis.

1395 *Iacobus vanden Putte.*
Ioannes Slove.

1396 *Gerolfus Borluyt.*
Balduinus Raveſchoot.

1397 *Petrus Serſimoens.*
Ioannes Slove.

1398 *Iacobus vanden Putte.*
Joannes vanden Kerckhove.

Pellitur in exilium quinquaginta annorum à Gandavenſibus Jacobus à Lichtervelde Eques, Supremus Flandriæ Prætor; quòd Joannem Perehove civem Gandavenſem propriâ, & non ex Senatus Gandavenſis auctoritate, capite mulctaſſet.

1399 *Gerulfus Borluyt.*
Balduinus vanRaveſchoot.

1400 *Petrus Serſimoens.*
Joannes Slove.

Privilegia urbis è Monaſterio FF. Minorum, ubi dudum latuerant, deferuntur ad Belfortum, atque iſtic à deputatis Regis Gallorum in cauſſa Jacobi de Lichtervelde examinantur. Antonius Jacobi filius Senatum deprecatus, patri reditum impetrat, exiliique memoriam ex actis publicis abolet.

1401 *Iacobus vanden Putte.*
Wilhelmus Serſimoens.

Pons S. Michaëlis, qui anteà ligneus, è lapide ſternitur.

1402 *Matthæus Damman.*
Joannes Slove.

1403 *Petrus Serſimoens.*
Joannes van Vaernewyck.

1404 *Claudius Damman.*
Iacobus vanden Putte.

Contra Anglos Ardenburgum proficiſcuntur Gandavenſes. Ad Dunkerckam capitur cete longum pedes 82. altum 19. Collecta ex eo vaſa adipis XXVII.

1405 *Matthæus Damman.*
Gerulfus Borluyt.

Quidam Gandavi ſeditionem concitantes, & ad arma progreſſi, juſſu Senatus capite obtruncantur, & rotis ad Mudam inſeruntur.

1406 *Petrus Serſimoens.*
Ioannes van Vaernewyck.

1407 *Ioannes Serſimoens.*
Gerulfus Borluyt.

1408 *Stephanus van Lidekercke.*
Ioannes van Vaernewyck.

Apparuit Cometes miræ magnitudinis.

1409 *Petrus Serſimoens.*
Ludovicus vander Moere.

Hoc tempore adſeſſores Concilii Provincialis in Flandria tantùm quinque, M. Daniel Alart, M. Joannes Doret, M. Judocus de Steelant, M. Goſwinus Sylvagius, M. Aegidius vander Woſtyne. Additi per Ducem Philippum quatuor, Dominus de Moerbeke, M. Simon de Formelis, M. Joannes vande Ketulle, M. Franciſcus à Gandavo.

Claudius Damman. 1410
Ioannes van Vaernewyck.

Stephanus van Lidekercke. 1411
Ioannes Serſimoens.

Ludovicus vander Moere. 1412
Ioannes van Vaernewyck.

Ioannes Serſimoens. 1413
Claudius Damman.

Wilhelmus Wtenhove. 1414
Ioannes Serſanders,

Moritur Catharina filia Joannis Burgundiæ Ducis, & ſepelitur Gandavi ad D. Pharahildis in Choro. Honoratur imago B. Mariæ Virginis apud Ledam, nunc Baronatum ditione Aloſtana, à Betticâ Gente poſſeſſum.

Stephanus van Lidekercke. 1415
Claudius Damman.

Victor vander Sickelen. 1416
Balduinus de Grutere.

Inter Anglum, & Flandros, adnitente Joanne Flandrorum Comite, pax coaleſcit.

Claudius Damman. 1417
Joannes Serſimoens.

Balduinus de Grutere. 1418
Wilhelmus Wtenhove.

Ioannes Serſimoens. 1419
Stephanus van Lidekercke.

Revocati Gandavum Exules ex gratia, & conſenſu Senatorum.

Wilhelmus Wtenhove. 1420
Victor vander Sickelen.

Incendium ad D. Bavonis Gandavi. Venit Gandavum Philippus Burgundiæ Dux, offeruntur ei aliquot honoraria munuſcula, ſeptem Piſces Lucii, & aliquot vini pocula. Pretium eorum trium librarum quatuordecim ſolidorum fuit.

Ioannes Serſanders. 1421
Balduinus de Grutere.

Creati hoc anno Equites, Adrianus Vilain, Joannes à Luxenburgo, Joannes vanden Eede, Petrus van Weſthuyſen. Moritur Michaëlis filia Francorum Regis, & uxor Philippi Comitis. Sepulta ad D. Bavonis in Choro.

Ioannes Serſimoens. 1422
Simon Bette.

Pons, vulgò de Wee-brugghe/ è lapide ſternitur.

Balduinus de Grutere. 1423
Goswinus van Vaernewyck.

Ioannes Serſanders. 1424
Wilhelmus Wtenhove.

1425 *Ioannes Serſimoens.*
Victor vander Sickelen.

Nova Halla apud Belfortum inchoatur.

1426 *Wilhelmus Wtenhove.*
Simon Bette.

1427 *Nicolaus van Hoedevelde.*
Balduinus de Grutere.

Pelluntur in exilium Gandavi in Vigilia Nativitatis Domini CLXXII perſonæ.

1428 *Ioannes Serſanders.*
Goſuardus van Vaernewyck.

1429 *Ludovicus vander Hole.*
Wilhelmus Wtenhove.

1430 *Nicolaus van Hoedevelde.*
Petrus vander Meulene.

Confirmatum à Philippo Gandavenſibus Privilegium, quo in omni per Flandriam conteſſu, ipſi primi forent, exceptis Brugenſibus qui in ſua urbe ipſos præcederent.

1431 *Wilhelmus Wtenhove.*
Balduinus de Grutere.

1432 *Petrus vanden Meulene.*
Gerulfus Borluyt.

Opificia, & Textrinulam Gandavenſem magnis honorat Privilegiis Philippus P. Seditionibus variis laborat Reſpublica Gandavenſis.

1433 *Judocus Vyts.*
Simon Bette.

Multantur graviter Brugenſes, quòd civem Gandavenſem in exilium compuliſſent.

1434 *Goswinus van Vaernewyck.*
Philippus Serſanders.

Pannus Anglicanus per Flandriam vendi vetitus. Acris, & aſpera hiems.

1435 *Petrus vander Meulene.*
Segerus Slove.

Studio Romani Pontificis, qui binos in eam rem Atrebatum Cardinales miſit, pax firmatur inter Anglum, & Francum Reges, & Philippum Burgundiæ Ducem. Venit eorum alter Cardinalis Gandavum, & oratione Latinè ſalutatur à M. Joanne Culsbrouck Præpoſito S. Pharahildis.

1436 *Levinus Damman.*
Georgius vander Moere.

Gravis inter Plebem, & Magiſtratum Gandavenſem diſcordia.

1437 *Petrus Serſimoens.*
Jacobus van Raveſchoot.

1438 *Hector van Vuerbaute.*
Joannes van Vaernewyck D. de Exaerde.

Ingens Gandavi fames. Eliguntur XIV ſpectatæ conditionis viri, qui Atrebatum ad Principem, pacis cum eo & Brugenſibus componendæ gratiâ, proficiſcantur.

1439 *Adrianus Vilain Eques.*
Stephanus van Lidekercke.

Joannes Vilain Eques. 1440
Ægidius van Grammene Eques.

Hoc anno à Calardo van Comene ſupremo Flandriæ Prætore, Duciſque Conſiliario, ab utriuſque item ſubſellii Senatoribus jaciuntur fundamenta novæ Eccleſiæ D. Michaëlis Gandavi.

Gerardus van Giſtele. 1441
Joannes Alaert.

Campana opificum in Belforto ſuſpenditur, & Mag. Gandavenſium Prætor pellitur à Magiſt: Gandavenſi in exilium.

Georgius Wtenhove. 1442
Nicolaus Trieſt Eques.

Balduinus de Vos Eques. 1443
Nicolaus van Hoedevelde.

Nicolaus Trieſt Eques. 1444
Georgius vander Moere.

Joannes vander Zype. 1445
Philippus Serſanders.

Creantur à Philippo Comite in Eccleſia S. Joannis Gandavi Equites Aurei velleris. Faſtigio Belforti imponitur Auratus Draco. Monomachia in foro Veneris Gandavi inter Equitem Siculum, & Jacobum Lalanum.

Georgius Wtenhove. 1446
Petrus Serſimoens.

Pelluntur in exilium à Magiſtratu Gandavenſi duo Provincialis Concilii adſeſſores, Georgius Schmil, & Ludovicus van Aerderyck.

Nicolaus Trieſt Eques. 1447
Jacobus Wtenhove.

Obit B. Coleta in Monaſterio Pauperum Clariſſarum. Daniel Serſanderius connubio jungitur Margaretæ Hardorens, & eximiis eo tempore muneribus ab opificiis, decurionibus, & aliis honoratur.

Philippus Serſanders. 1448
Jacobus van Raveſchoot.

Terræ motus in feſto S Georgii. Exigit vectigal à Flandris Salinum Philippus. Negant Gandavenſes.

Judocus Trieſt. 1449
Joannes vander Zype.
Hector van Vuerbaute. Eod. ann.
Jacobus Wtenhove.

Pax inter Principem Philippum & Gandavenſes componitur; & Magnus Gandavenſium Prætor creatur Gerardus Giſtellanus. Mittit ſuos Philippus Gandavum, & à Gandavenſibus exigit, ut de iis pro ſuo arbitrio ſtatuant, Danielem Serſanders virum animoſum, Levinum de Pottere, & Levinum Sneevoet.

Stephanus Lidekerckanus Eques. 1450
Joannes Wtenhove.

Variis modis infeſtat Gandavenſes Philippus.

Joan-

1451 *Joannes Alaert.*
Nicolaus vander Sickelen.

Decollatur à Gandavenſibus Prætor Waſiæ, quòd Decurionibus eorum obedire renuiſſet. Conflictus ad Gaveram.

1452 *Simon Borluyt.*
Balduinus Rym.

Grave incendium variis in locis Gandavi. Conflictus in Laerne inter Gandavenſes, & Comitem Sanpaulinum.

1453 *Joannes Rym Eques.*
Joannes vander Moere.
1454 *Petrus Serſimoens.*
Nicolaus vander Sickelen.
1455 *Ægidius Hagelyn Eques.*
Ioan. van Vaernewyck D. d'Exaerde.
1456 *Nicolaus Trieſt Eques.*
Philippus Serſanders Eques.
1457 *Petrus Serſimoens.*
Lambertus de Stoppelaer.

Ingreditur urbem Gandavum Philippus, magnoque populi adplauſu, & pompà excipitur.

1458 *Nicolaus vander Sickelen.*
Joannes Wtenhove.
1459 *Joannes de Stoppelaer.*
Balduinus Rym.

Puniuntur aliquot Seditioſi, & in Principem malevoli, acribus pœnis à Gandavenſibus.

1460 *Iacobus van Raveſchoot.*
Ioannes Wtenhove.
1461 *Nicolaus vander Sickelen.*
Joannes Huuſſe.
1462 *Petrus Serſimoens.*
Wilhelmus vander Cameren.

Venit Gandavum Patriarcha Antiochenus vectus Camelis.

1463 *Ioannes Wtenhove.*
Philippus Serſanders Eques.

Signantur aliquot è flore civium Gandavenſium rubrâ Cruce, & adverſus infideles proficiſcuntur.

Venit Gandavum Regina Angliæ Henrici Regis uxor profuga cum Eduardo filio, à Duce Philippo humaniter excepta.

1464 *Rolandus van Wedergarde.*
Cornelius de Jagere Eques.
1465 *Petrus Serſimoens.*
Chriſtophorus Trieſt.

Armantur quadringenti Gandavenſes ad votum Caroli Principis in Leodios Duce Joanne van Aſſelt, dicto de Nieulant.

1466 *Ioannes de Stoppelaer.*
Wilhelmus vander Cameren.

Venit Gandavum Carolus, & ſolemniter inauguratur.

1467 *Jacobus Raveſchoot.*
Ioannes Wtenhove.

Rolandus van Wedergrade. 1468
Balduinus Rym.
Ioan. van Vaernewyck Eques. 1469
Rufelardus van Cauwenburgh.
Rolandus van Wedergrade Eques. 1470
Philippus Serſanders Eques.
Ioannes de Stoppelare. 1471
Ioannes vander Moere.
Ioannes Wtenhove. 1472
Ægidius Wtenhove.

Conſpicitur Cometa, longo tempore, miræ magnitudinis flammeus, & inſtar Lunæ per noctem lucens, ſecutarum cladium portentum.

Balduinus Rym. 1473
Iudocus vander Meulene.

Seditioſa in foro Veneris cum pheretro S. Levini plebs ſubſiſtit ab annua ſupplicatione in Holthem redux; nec antè movetur, quam ex promiſſo D. de Gruythuyſe votorum compos fieret.

Rufelardus van Cauwenbergh. 1474
Philippus Serſanders Eques.
Joannes Wtenhove filius Jacobi. 1475
Joan. van Vaernewyck D. de Borſt.
Rolandus van Wedergrade. 1476
Gerardus Trieſt Eques.

Cæditur ad Nancejum Carolus Bellicoſus. Plexi capite in foro Gandenſi Cancellarius Burgundiæ Hugonettus, D. Imbercurtius, à populo pænè in rabiem acto, ſed non injuſtas ob cauſſas.

Inauguratur Maria Caroli Bellicoſi filia, mulier animi præſtans, & multis virtutibus clara. Omniaque Gandenſium privilegia rata habet, & confirmat.

Conſules *Adrianus van Raveſchoot* Eq. Eod. ann.
Rolandus de Baenſt Eq. Legati ad Mariam à Maxæmiliano Frederici Cæſaris filio Gandam miſſi.

Maxæmilianus Gandavum venit, & Mariam connubio ſibi jungit. Proceſſere ei obviam, Senatus, Concilium, & Palatini Nobiles. Quidam, qui non probè functi fuerant, ob peculatum, & alia crimina extremo ſupplicio afficiuntur, alii in exilium pelluntur.

Iudocus van Giſtele Eques. 1477
Ogerius van Maſſemen.

Canonici Harlebecani à Gallis pulſi Gandavum veniunt, & in capella Textorum divina peragunt officia.

Rolandus de Baenſt Eques. 1478
Gerulfus vander Hagen Eques.

Venit Gandavum Philippus Maxæmiliani filius, & à ducentis equitibus pueris læto, ac feſtivo habitu ſuſcipitur.

Adrianus van Raveſchoot Eques. 1479
Adrianus Vilain Eques, D. de Raſſegem.

Inſoleſcunt Gandavi nebulones quidam Al-

Aldenardæ nati, qui poſt cædem etiam aliquorum Gandenſium, & injurias in Magiſtratum, gabalo ad Mudam innectuntur.

Iudocus van Giſtele.

1480 *Georgius vander Moere.*

Pellitur in exilium quinquaginta annorum ob contumeliam Magiſtratui illatam quidam Jacobus Clauwaer Eques.

1481 *Adrianus Vilain D. de Raſſegem.*

Wilhelmus Bette.

Cæditur Antverpiæ Joannes van Dadizele magnus Gandavenſium Prætor. Pelluntur in exilium à Gandavenſibus, ut auctores diſſidii inter ipſos, & Principem, Dominus de Gaesbeke, Dominus à Praet, Dominus à Duzele.

1482 *Georgius vander Moere.*

Gerulfus vander Hagen.

Inauguratur Comes Flandriæ Philippus Maxæmiliani filius. Moritur Joan. van Bundere ſupremus Gandavi Decanus non ſine ſuſpicione veneni, utpote vir boni communis amans, oſor munerum, & ſimilium corruptionum, ideoque Magnatibus quibuſdam infeſtus. Arx Sluſana tenetur à Gandavenſibus.

Simon Borluyt.

1483 *Jacobus de Grutere.*

Columnæ hoc anno ſtatutæ in foro piſcario.

Daniel Onredene.

1484 *Philippus vander Sickelen.*

Diſſidia inter Gandavenſes, & Antverpienſes. Seditioſi quidam in Magiſtratum Gandavenſem inſurgunt, & Conſulem trucidant.

1485 *Joannes van Vaernewyck D. de Borſt.*

Joannes de Grutere.

1485 *Gerardus van Axpoele.*

Rolandus van Wedergraet Eques.

1486 *Judocus Giſtellanus Eques.*

Ghyſelbertus de Luu.

1487 *Adrianus van Raveſchoot Eques.*

Philippus vander Sickelen.

Gripho van Rechlen Prætor Tiletanus à Gandavenſibus decollatus ad Mudam, & corpus rotæ inſertum.

Eod. ann. *Adrianus Vilain Eq. D. de Raſſegem.*

Georgius vander Moere.

1488 *Simon Borluyt.*

Joannes de Crane.

Supremus Gandavenſium Capitaneus conſtitutus *Adrianus Vilain* Eq. D. de Raſſegem. Minatur Gandavenſibus Maxæmilianus.

1489 *Apollonius van Maſſemen.*

Gerardus vander Hoyen.

Occiditur ad Meſſebekam à Philippo D. de Raveſteyn, Adrianus Vilain Eques D. de Raſſegem.

His temporibus peſtiferà lue mortua Gandavi plusquam XL. millia hominum.

Wilhelmus vander Cameren. 1490

Gerulfus vander Hagen Eques.

Prætor Aldenardenſis Gandavi decollatur. Hulſtum à Gandavenſibus capitur 10 Julii. ſpoliatur, Præfectoque Franciſco Serſanders cervix præciditur.

Daniel Serſanders. 1491

Judocus vanden Berge.

Caſtellum d'Oydonk vi expugnatur à Gandavenſibus. Expugnatur Dixmuda à Gandavenſibus, item Gerardimontum, capto Toparcho de Boulaere, & ingenti ære redempto. Joannes & Franciſcus Coppenole quorundam maleficiorum rei, eâdem horâ nati hoc anno præciſis cervicibus, etiam eâdem horâ denati.

Adrianus van Raveſchoot Eq. 1492

Ludovicus van Maſſemen.

Ioan. vanden Ketulle. 1493

Ioan. de Grutere D. d'Exaerde.

Ludovicus van Maſſemen. 1494

Philippus de Grutere Eq.

Rolandus van Wedergrade Eq. 1495

Iudocus Trieſt.

Adrianus van Raveſchoot Eq. 1496

Judocus van Saemſlacht.

Philippus Lyræ in Brabantia ducit Joannam, & cum conjuge mox ſolemniter Gandavum venit.

Nicolaus vander Moere. 1497

Judocus Trieſt.

Nundinæ Quadrageſimales Gandavi inſtitutæ, vel reſtitutæ potius; nam ad Arnulfum eas referunt fere omnes. Subſidit pons S. Bavonis, non ſine clade multorum.

Ludovicus van Maſſemen. 1498

Ioannes de Grutere Eq.

Gandavi terræmotus.

Iudocus Trieſt. 1499

Iudocus Bette.

Nicolaus vander Moere. 1500

Joan. de Grutere Eq. D. d'Exaerde.

Naſcitur Gandavi Carolus ejus nominis V. poſteà Roman. Imp. Cæſarum gemma, & Principum decus, & in D. Joan. Bapt. Eccleſ. quæ nunc Cathedralis S. Bavonis, ſacro Baptiſmate abluitur, maximâ Gandavenſium ſolemnitate, & Aulæ pompâ.

Judocus Bette. 1501

Antonius de Luu Eq.

Philippus de Grutere Eq. 1502

Judocus van Cauwenburg.

Reformatur Conventus Fratrum Minorum Gandavi. Inchoantur Laudes quotidianæ pio, & laudabili inſtituto in laudem B. Mariæ Virginis in Eccleſia S. Joan.

Bapt.

Digitized by Google

Bapt. quæ nunc Divi Bavonis, muſico concentu dotatione annuà continuandæ.

1503 *Judocus Trieſt.*
Gerardus vander Hoyen.

Obit Eliſabeth Ferdinandi Aragonii uxor, Philippi ſocrus. Exequiæ ejus ſolemni pompà celebrantur ad D. Joan. Baptiſtæ, Gandavi.

1504 *Judocus Bette.*
Gerardus van Angereel.

1505 *Ioannes vanden Ketulle.*
Nicolaus Trieſt.

1506 *Judocus Trieſt.*
Antonius de Luu Eq.

1507 *Iudocus Bette.*
Iudocus van Saemſlacht.

Margareta Caroli Cæſaris amita, & vidua Sabaudiæ Ducis Gandavum venit, & gubernacula Reipublicæ Belgicæ ſuſcipit.

1508 *Philippus de Grutere Eq.*
Gerardus vander Hoyen.

Solemni pompà Gandavum ingreditur Maxæmilianus Cæſar, & Carolus ejus nepos Belgarum Princeps

In Haſtiludiis victor declaratus Balduinus Borluyt Nobilis Gandavenſis.

1509 *Antonius de Luu Eq.*
Nicolaus Trieſt.

Prudente Senatorum Regimine imminuta Vectigalia non ſine magno populi commodo.

1510 *Joannes vanden Ketulle.*
Wilhelmus de Wale Eq.

Haſtiludium in foro Gandenſi glacie conſtricto propoſitis præmiis inſtitutum à Domino de Fiennes.

1511 *Iudocus Bette.*
Alexander van Vaernewyck Eq.

1512 *Antonius de Luu Eq.*
Richardus Wtenhove.

1513 *Nicolaus Trieſt.*
Joannes van Caudenhove.

1514 *Wilhelmus de Wale Eq.*
Rolandus de Baenſt.

Conſtituitur à Carolo Comite Flandriæ Gubernator D. de Fiennes, & creantur Equites Nicolaus Wtenhove Flandriæ Præſes, Nicol. Trieſt, Philip. de Grutere, Carolus van Wedergraet, Joan. van Saemſlacht, Joan van Caudenhove, Jacob. vander Vichte, Stephanus van Lidekercke, Philip. vander Gracht.

1515 *Antonius de Luu Eq.*
Joannes van Saemſlacht Eq.

Perit incendio Templum monaſterii de Galilæa.

1516 *Richardus Wtenhove Eq.*
Ioannes Serſanders.

Fundatur nova domus Senatorum.

1517 *Philippus de Grutere Eq.*
Rolandus de Baenſt.

Ioannes van Saemſlacht Eq. 1518
Livinus de Grutere.

Rolandus de Baenſt. 1519
Henricus vander Cameren.

Wilhelmus de Wale Eq. 1520
Philippus vanden Kettulle Eq.

Venit Gandavum Chriſtiernus Daniæ, Sueciæ, Norwegiæ Rex.

Nicolaus Trieſt Eq. 1521
Gerelinus Borluyt.

Veſpertinis officiis in Vigilia S. Jacobi in æde ejuſdem Gandavi interſunt Cæſar, & Danus tanquam S. Jacobi Equites.

Antonius de Luu Eq. 1522
Philippus vanden Ketulle Eq.

Joannes vanden Ketulle. 1523
Ghyſelbertus de Grutere.

Joannes van Saemſlacht Eq. 1524
Ioannes Alaert.

Rolandus de Baenſt. 1525
Henricus vander Cameren.

Levinus de Somere piſtor fermento Lutheri corruptus, & clero infeſtus, Gandavi exilio quinquagenario multatur.

Philippus de Grutere. Eq. 1526
Livinus Donaes.

Ghyſelbertus de Grutere. 1527
Dominicus van Provyn.

Cornel. Bald. Aurifaber Lutheranizans Gandavi caſtigatur.

Joannes van Saemſlacht Eq. 1528
Ludovicus de Wale.

Jac. Keymeulen opifex Gandenſis per ſententiam cogitur nudo capite, flexiſque genibus, & candido lino indutus, & faculam manibus geſtans deprecari veniam ſui delicti à Magiſtratu. Uruntur inſuper ei crines, & candenti ferro crux maxillæ imprimitur, & exul ad annos quinquaginta declaratur, quia in Euchariſtia Chriſtum abſentem, non honorandam B. Virginem, Miſſas pro Defunctis ſolis prodeſſe Sacerdotibus effutiverat.

Adrianus Bette. 1529
Levinus Borluyt.

Ad eos qui lue ſudorificà Gandavi moriuntur defertur Venerabilis Euchariſtia, ſonitu Campanæ non prævio; quod antè non unquam fuerat uſitatum.

Sub pœna capitis, & bonorum, Lutheraniſmus à Magiſtratu Gandavenſi interdicitur.

Martinus de Konink Prætor Aſſenedanus acriter caſtigatur ob hæreſin Sacramentariam.

Rolandus de Baenſt. 1530
Reynerus Salaert.

Judocus de Backere Eq. Hieroſolymitanus exuritur in foro Veneris, quia hæreticus. Venit Gandavum Cæſar, & i-

Rr 2 lic

ſtic hæret per tres menſes cum Maria ſorore, Hungarica.

1531 *Philippus vanden Ketulle.*
Walterus van Eertvelde.

Apparet Cometes. Obit Levinus Portelbergius Eq. vir in Republica Clarus, Dominus de Vinderhoute, Meerendre, &c.

1532 *Ioannes van Saemſlacht Eq.*
Jacobus van Eeuchoute.

Incendium ad D. Bavonis.

1533 *Nicolaus Trieſt Eq.*
Antonius vander Vichte.

1534 *Ghyſelbertus de Grutere.*
Ægidius de Baenſt.

1535 *Adrianus Bette.*
Ludovicus de Wale.

Duce D. de Bettencourt proficiſcuntur Peronam Gandavenſes.

1536 *Philippus vanden Ketulle.*
Levinus Donaes.

Ad portam D. Levini incendium.

1537 *Ægidius de Baenſt.*
Antonius vander Vichte.

1538 *Ghyſelbertus de Grutere.*
Ioannes Damman D. van Gombergh.

1539 *Adrianus Beths D. de Scellebelle.*
Carolus Wtenhove D. de Markem.

Gravi ſeditione concutitur Reſpublica Gandavenſis. Eodem anno XXVIII. Septembris.

Iudocus de Iungii Eques D. de Pamele.
Carolus Wtenhove D. de Markem.

Cæſar Gandavi ſeditioſos caſtigat aliquot, in quorum partes meliores non iverunt.

1540 *Carolus de Grutere Eques D. d'Exaerde.*
Ioannes de Vos.

Salubria Reipublicæ Gandavenſi ſtatuta à Cæſare Carolo promulgantur. Nova arx conditur duodecimâ Maii Cæſare præſente.

1541 *Nicolaus Trieſt Eques D. d'Auweghem.*
Ludovicus Alaert.

1542 *Carolus Wtenbovius D. de Markem.*
Ludovicus Trieſt Eques.

1543 *Ægidius de Baenſt.*
Adrianus Trieſt.

Frequens hiſce temporibus Gandavi Proceſſionum Generalium uſus pro felice rerum Cæſareanarum ſtatu. Pax inter Cæſarem, & Cliviæ Ducem.

1544 *Ghyſelbertus de Grutere Eques.*
Antonius de Baenſt Eques.

1545 *Wilhelmus van Hembieze.*
Ludovicus Bette.

Ingens per Flandriam, & alia loca fames.

1546 *Nicolaus Trieſt Eques D. d'Auweghem.*
Joannes de Vos.
Antonius de Baenſt Eques.

1547 *Simon Beths.*

Foſſa, quæ Gandavo per Saſſum in mare fluit, inchoatur.

Carolus Wtenhove D. de Markem. 1548
Ioannes vander Eeuchoute.

Domus Sagittariorum S. Sebaſtiani ædificari cœpta.

Joannes de Vos Eques. 1549
Iudocus van Gryſpeere.

Ingreditur Gandavum Philippus, & magnâ civium lætitia, ſolemnique apparatu excipitur. Poſtridiè venit Cæſar cum ſororibus Eleonora Francica, & Maria Ungarica.

Nicolaus Trieſt Eques D. d'Auweghem. 1550
Joannes Rufelaert.

Antonius de Baenſt Eques 1551
Ioannes vanden Eeuchoute.

Carolus de Grutere Eques. 1552
Adrianus Trieſt.

Adolphus à Burgundia D. de Wacken cum claſſe multarum navium in Hiſpaniam proficiſcitur.

Ioannes de Vos Eques. 1553
Iudocus Trieſt.

Nicolaus Trieſt Eques D. d'Auweghem. 1554
Simon Beths.

Creatur Magnus Gandavenſim Prætor Adolphus à Burgundia.

Iudocus van Gryſpeere. 1555
Daniel van Pollinchove.

Carolus de Grutere Eques. 1556
Adrianus Trieſt.

Cæſar lectica vectus Gandavum ingreditur, & in domo Adolphi à Burgundia Prætoris hoſpitium capit. Adeſt & Philippus filius in domo de Fiennes, & duæ Cæſaris ſorores reginæ in ædibus Philippi van Overbeke & Levini Everardi hoſpitio juxta exceptæ.

Joannes de Vos Eq. 1557
Joannes Damman D. d'Oomberge.

Venti horribiles in Januario molas, & ædificia paſſim ſternunt.

Nicolaus Trieſt Eques D. d'Auwegem. 1558
Ioannes Salaert Eques.

Conflictus ad Gravelingam, ubi victor Lamoraldus Comes Egmondanus fuſis, fugatiſque Gallis. Carolus Romanorum Imperator moritur.

Adrianus Trieſt. 1559
Jacobus Beths.

Creantur in Eccleſia collegiata S. Joannis Bapt. quæ nunc Cathedralis S. Bavonis, à Philippo Rege Equites Aurei velleris.

Carolus ab Idegbem D. de Wieſt. 1560
Ludovicus à Brakele.

Inhibitum Gandavi juſſu Regio, ne quis Miſſæ, aut Veſperarum tempore in foris, aut templis obambulet.

Ioan-

Digitized by Google

1561 *Ioannes Damman Dominus d'Oombergbe.*

Ioannes de Grutere Eques D. de Loovelde.

Forum hebdomadarium in Wacken ab Adolpho Burgundo impetratur.

1562 *Ioannes de Vos Eques.*

Ioannes Beths.

Ferro, flammaque ulciſcitur hæreſin Senatus Gandavenſis.

1563 *Nicolaus Trieſt Eques D. d'Auwegem.*

Jacobus Beths D. d'Angerelles.

1564 *Wilhelmus van Ketulle D. d'Aſche.*

Ioannes de Grutere Eques D. de Loovelde.

1565 *Ioannes Damman D. d'Oombergbe.*

Joannes de Grutere Eques D. de Loovelde.

Supplicationes Gandavi habitæ pro Principum Chriſtianorum concordia adverſus Turcum.

1566 *Joannes Damman D. d'Oomberge.*

Ioannes van Hembieze.

Inſaniunt Gandavi & paſſim per Flandriam Iconoclaſtæ, Motus Antverpiæ ob Religionem graves. Incipiunt tribulationes Belgarum.

1567 *Ioannes Damman D. d'Oomberge.*

Ioannes van Hembieze.

1568 *Nicolaus Trieſt Eques D. d'Auweghem.*

Petrus Cortewyle.

Moritur Middelburgi in Zelandia Adolphus Burgundus Eques D. de Wacken, &c. Magnus Gandenſium Prætor.

1569 *Nicolaus Trieſt Eques D. d'Auweghem.*

Petrus Cortewyle.

Ad Decimam bonorum coguntur per Albanum Belgæ.

1570 *Wilhelmus vanden Ketulle D. d'Aſche*

Ioannes de Grutere Eques D. de Loovelde

1571 *Ioannes Damman Dom. d'Oomberge*

Levinus van Secleers Dominus de Gotthem.

1572 *Wilhelmus de Ketulle D. d'Arſche.*

Jacobus Beths D. d'Angerelles.

1573 Conſules hoc anno, & Senatores iidem.

1574 *Ioannes Damman Dom. d'Oombergbe.*

Ioannes de Grutere Eques D. de Lovelde.

1575 *Ioannes Damman D. d'Oomberge.*

Petrus de Vos.

1576 *Jacobus Beths D. d'Angerelles.*

Petrus de Vos.

Arx nova à Gandavenſibus obſidetur, ac mox in eorum poteſtatem venit.

1577 *Philippus de Grutere D. d'Axpoele.*

Judocus Donaes.

Antiqua Privilegia ſibi Gandavenſes reſtituunt.

1578 *Joannes van Hembieze.*

Ægidius Borluyt Eques.

Profligantur Catholici; Templa, & Monaſteria Gandavi expilantur, multaque deteſtanda, & luctuoſa contingunt.

1579 *Ioannes van Hembieze.*

Iacobus vander Hagen D. de Gotthem.

Carolus Wtenhovius. 1579

Franciſcus Provyn.

Judocus Borluyt Eques D. de Boucle. 1580

Judocus Trieſt D. de Lovendeghem.

Franciſcus de Provyn Dom. de Lanenburgh. 1581

Franciſcus van Hembieze.

Iudocus vander Hagen D. de Gotthem. 1582

Iudocus Trieſt Dominus de Lovendeghem.

Joannes van Hembieze. 1583

Franciſcus Trieſt.

Præciditur caput Joanni van Hembieze. Stipendia peccati mors.

Joannes Beths. 1584

Gerardus de Blaſere.

Pulſis hæreticis, Laus Deo, regnant Catholici. Gandavum cogitur ad deditionem.

Iidem Coſſ. & Senatores.

Gerardus de Blaſere. 1585

Philippus Trieſt D. d'Auweghem.

Magna per Flandriam caritas annonæ. 1586

Gerardus de Blaſere. 1587

Philippus Trieſt D. d'Auweghem.

Gerardus de Blaſere. 1588

Philippus Trieſt D. d'Auweghem.

Ioannes Beths. 1589

Iacobus Taccoen dictus Zillebeke.

Gerardus de Blaſere. 1590

Philippus Trieſt D. d'Auweghem.

Gerardus de Blaſere. 1591

Philippus Trieſt D. d'Auweghem.

Gerardus de Blaſere. 1592

Philippus Trieſt. D. d'Auweghem.

Obiit Atrebati Alexander Farneſius Parmæ, & Placentiæ Dux, de Rege Catholico, & Republica Belgica bene meritus.

Antonius Trieſt Dom. de Ruddershove. 1593

Philippus Trieſt D. d'Auweghem.

Erneſtus Archidux Auſtriæ Bruxellam venit, ditionum Inferioris Germaniæ Gubernator.

Philippus Trieſt D. d'Auweghem. 1594

Ghyſelbertus Cortewyle.

Philippus Trieſt D. d'Auweghem. 1595

Ghyſelbertus Cortewyle.

Albertus Archidux Auſtriæ Bruxellam Gubernacula harum Ditionum arrepturus appellit. Caletum expugnatur.

Antonius Trieſt D. de Ruddershove. 1596

Franciſcus Rym D. d'Hundelghem.

Deditione ad regias venit partes Hulſtum, armis Alberti Archiducis, ac S. R. E. tum Cardinalis preſſum.

Antonius Trieſt D. de Ruddershove. 1597

Franciſcus Rym D. d'Hundelghem.

Ioannes Beths. 1598

Philippus Trieſt D. d'Auweghem.

In æde Cathedrali S. Bavonis celebrantur exequiæ Philippi II. Hiſp. Regis Catholici.

Digitized by Google

1599 *Joannes Beths.*

Philippus Trieſt D. d'Auweghem.

1600 *Philippus Trieſt Eques D. d'Auweghem.*

Antonius Trieſt Eques D. de Ruddershove.

1601 Iidem Conſules, & Senatores Principum juſſu.

1602 Iidem Conſules, & Senatores eorundem Principum juſſu.

1603 *Antonius Trieſt Eques D. de Meerelbeke, &c.*

Robertus Hellin D. de Waſſenhove.

Turris S. Bavonis fulmine percuſſâ ſuperiore parte uritur.

1604 Per univerſam Flandriam idem Magiſtratus.

1605 *Robertus Hellin D. de Waſſenhove.*

Joannes de Vos.

1606 *Antonius Trieſt Eques D. de Meerelbeke.*

Robertus Hellin D. de Waſſenhove.

Venti horribiles paſſim, turres, tecta, molas dejiciunt, arbores radicitus evellunt.

1607 *Robertus Hellin D. de Waſſenhove.*

Antonius Trieſt Dominus de Meerelbeke.

1608 *Joannes Baptiſta Rodoan D. de Bieſe.*

Joannes van Havre D. vanden Walle.

1609 *Antonius Trieſt Eques D. de Meerelbeke.*

Philippus de Seclyn D. de Herpelghem.

1610 *Robertus Hellin D. de Waſſenhove.*

Philippus Steelant D. de Haſſelt.

1611 *Joannes Baptiſta Rodoan D. de Bieſe.*

Joannes de Vos.

1612 *Antonius Trieſt D. de Merelbeke.*

Joannes van Havre D. de Walle.

1613 *Robertus Pellin D. de Waſſenhove.*

Joannes de Vos.

Synodus Diœceſana Gandavi habita ab Henrico Franciſco vander Burch Gandavenſium Antiſtite. Inchoatur Regium, & Auguſtum opus Novi Canalis ab urbe Gandenſi Brugas, & inde ad Oſtendam 16. Auguſti à Brugenſibus, & 3 Septemb. per Gandenſes.

1614 *Ioannes Baptiſta de Rodoan Eques D. de Bieſe.*

Jacobus van Zillebeke.

1615 *Philippus van Seclyn D. d'Herpelghem.*

Carolus de Grutere D. de Vaernewyck.

1616 *Nicolaus Trieſt D. d'Auweghem.*

Iudocus Trieſt Eques D. de Ruddershove.

Solemniter in urbem devehuntur Reliquiæ S. Macarii ex Hannonia. Partem S. Crucis donat Eccleſiæ Sancti Michaëlis, & confratribus Sanctæ Crucis ibidem Sereniſſima Domina Iſabella Clara Eugenia, Alberti Auſtriaci uxor.

1617 *Antonius Trieſt Eques D. de Lovendeghem, &c.*

Ioannes de Vos.

Philippus van Steelant Eques D. de Haſſelt, &c. 1618

Guilielmus de Blaſere D. d'Hellebus.

Joannes van Havre D. de Walle. 1619

Ludovicus de Blaſere D. de Idewalle.

Nicolaus Trieſt Eques D. d'Auweghem. 1620

Joannes Baptiſta de Rodoan Eques D. de Bieſe Wolfhage, &c.

Philippus de Seclyn D. d'Herpelghem. 1621

Joannes de Vos D. de Harlebaut.

Moritur Regum Catholicorum optimus Philippus Tertius. Bruxellæ etiam terris excedit 15 Julii Albertus Archidux Auſtriæ, piiſſimus, & clementiſſimus Belgarum Princeps. Scholæ pauperibus maſculis, & fœmellis erudiendis Gandavi eriguntur, ſancto, & ſalubri inſtituto.

Guilielmus de Blaſere D. d'Hellebus. 1622

Michaël de Seclyn D. de Heyne.

Nicolaus Trieſt Eques D. d'Auweghem. 1623

Joannes de Vos D. de Herlebaut.

Icta fulmine turris Eccleſiæ Parochialis D. Nicolai Gandenſis 19 Januarii 1624. ſupremâ ſui parte amburitur, ac mox pia Senatus, Populique Gandenſis liberalitate reſtauratur.

Judocus Trieſt Eques D. de Ruddershove. 1624

Philippus Lanckhals Eques D. d'Olſene, Dentergbem, &c.

Guilielmus de Blaſere D. d'Hellebus. 1625

Philibertus Rym D. de Bellem.

Breda longa obſidione preſſa poteſtati regiæ cedit.

Nicolaus Trieſt Eques D. d'Auweghem. 1626

Philippus de Seclyn D. d'Herpelghem.

Ioannes Baptiſta de Rodoan Eques D. de Bieſe Wolfhage, &c. 1627

Judocus Trieſt Dom. de Ruddershove Eques.

Guillelmus de Blaſere D. de Hellebus Eques. 1628

Ioannes Baptiſta de Rodoan D. de Bieſe Wolfhage, &c.

Nicolaus Trieſt Baro de Auweghem Eques. 1629

Philippus Lanckhals D. de Olſene Eques.

Guillelmus de Blaſere &c. 1630

Philippus de Seclyn &c.

Ludovicus de Blaſere D. de Idewale Eques. 1631

Philippus Lanckhals D. de Olſene Eques.

Guillelmus de Blaſere &c. 1632

Ludovicus de Blaſere, &c.

Guillelmus de Blaſere &c. 1633

Philippus Wyts D. de Schothoucke.

Iudocus Trieſt D. de Ruddelshove, Lovendeghem, &c. Eques. 1634

Ludovicus de Blaſere D. de Idewale Eques.

Guillelmus de Blaſere &c. 1635

Ioannes Baptiſta de Rodoan &c.

Guillelmus de Blaſere, &c. 1636

Nicolaus Serſanders.

Guil-

1637 *Guillelmus de Blaſere*, *D. de Hellibus Eques.*
Gillis vander Meere, *D. de Aſperen & Singhen.*
1638 *Philippus Wyts*, *&c.*
Louys de Blaſere &c.
1639 *Guillelmus de Blaſere*, *&c.*
Philippus Wyts, *&c.*
1640 *Guillelmus de Blaſere D. de Hellibus Eques.*
Charles Allagambe D. de Baſſingien.

Hoc anno cum male cuſtodito & infelici igne auguſta Gandavi baſilica S. Bavonis conflagraſſet, omneque ejus tectum, paucarum horarum ſpatio, cum turricula, quæ medium ejus Eccleſiæ occupabat, exuſtum eſſet: anno eodem, ſeu menſibus duodecim nondum elapſis, inſigni liberalitate ac ære Reverendiſſimi Gandavenſium Antiſtitis Antonii Trieſt, & Canonicorum ejuſdem Eccleſiæ penitus, nullaque aliorum collatitia ope, inſtaurata eſt.

1641 *Judocus Trieſt* Eques, Dominus de Ruddershove, Lovendeghem, Merelbeke, &c.
Ægidius vander Meere, Dominus de Hoyen.

Anno 1642.
Iudocus Trieſt idem.
Carolus Rym, Dominus de Bellem, Schuervelt, Eeckenbeke.

Anno 1643.
Lodovicus de Blaſere, Eques, Dominus de Ydewalle.
Nicolaus Serſanders.

Anno 1644.
Iidem Conſules.

Anno 1645.
Iudocus Trieſt, *Carolus Rym* } ſupra memorati.

Anno 1646.
Iudocus Trieſt idem.
Iacobus le Norman, Eques, Dominus de Oxelaere Sanctæ Aldegundis.

Anno 1647.
Iidem Conſules.

Anno 1648.
Carolus Rym, Eques, Dominus de Bellem.
Carolus Allegambe, Eques, Dominus de Baſinghien.

Anno 1649.
Iidem Conſules.

Anno 1650.
Carolus Rym, idem.
Emanuel de Courteville, Dominus de Laeke.

Anno 1651.
Iudocus Trieſt, Eques, Dominus de Ruddershove.
Ioannes de Gruytere, Eques, Dominus de Avyn.

Anno 1652.
Ludovicus de Blaſere, Eques, Dominus de Ydewalle.
Emanuel de Courteville, Dominus de Laeke.

Anno 1653.
Ludovicus de Blaſere idem.
Joannes Borluut, Eques, Dominus de Aſſenbourgh, Noordoncq.

Anno 1654.
Ioannes Borluut, Eques, Dominus de Aſſenbourgh, Noordoncq.
Joannes de Gruytere, Dominus de Avyn.

Anno 1655.
Carolus Allegambe, Eques, Dominus de Baſinghien.
Nicolaus Serſanders, Eques.

Anno 1656.
Iidem Conſules.

Anno 1657.
Carolus Allegambe idem.
Dionyſius de Vaernewyck, Dominus de Diepenbroeck.

Anno 1658.
Emanuel Ballet, Eques, Dominus de Leewenburch, Schilde &c.
Dionyſius de Vaernewyck, Eques, Dominus de Lemsbeke.

Anno 1659.
Iidem Conſules.

Anno 1660.
Theodorus de Camargo, S. R. Imper. Baro, Dominus de Hertfelt.
Petrus Dellafaille, Eques, Dominus de Eecloo, Hermays.

Anno 1661.
Iidem Conſules.

Anno 1662.
Joannes Borluut, Eques Dominus de Aſſenbourgh, Noordoncq.
Joannes Baptiſta Dellafaille, Dominus de Barleiteyn.

Anno 1663.
Iidem Conſules.

Creati 10 Februarii Anno 1664.
Petrus Dellafaille, Eques Dominus de Eecloo, Hermays, Galathas.
Georgius de Bracle, Dominus de Willecomme.

Anno 1664.
Petrus Dellafaille idem.
Emanuel de Gruytere, Dominus de Anvain, Boulaere.

Creati 10 Maii Anno 1665.
Petrus Dellafaille ſupra memoratus.
Georgius de Crombrugghe, Eques, Dominus de Looveldé.

Anno 1666.
Iidem Conſules.

Anno 1667.

Lodovicus Trieſt, Dominus de Meerelbeke.

Petrus Dellafaille, Eques, Dominus de Eecloo &c.

Annis 1668 & 1669.

Iidem Conſules.

Creati 28. Septembris Anno 1670.

Antonius Ferdinandus Volckaert Eques Dominus de Welden.

Carolus Maes.

Anno 1671.

Iidem Conſules.

Iidem denuo continuati 4. Januarii Anno 1672.

Creati 13. Novembris Anno 1672.

Petrus Dellafaille, Eques, Dominus de Eecloo, Aſſenede.

Antonius Ferdinandus Volckaert Eques, Dominus de Welden.

Anno 1673.

Iidem Conſules.

Iidem denuo continuati 13 Februarii Anno 1674.

Creati 10 Decembris Anno 1674.

Antonius Ferdinandus Volckaert idem.

Carolus Maes, Eques Dominus de Noortvelde.

Creati 25. Maii Anno 1675.

Ludovicus Trieſt, Dominus de Meerelbeke.

Antonius Ferdinandus Volckaert, Dominus de Welden.

Creati 17 Junii Anno 1676.

Antonius Ferdinandus Volckaert idem.

Carolus Maes, Dominus de Noortvelde.

Anno 1677.

Iidem Conſules.

Creati 11 Maii Anno 1678.

Antonius Allegambe, Dominus de Baſinghien.

Jacobus Philippus Borluut, Dominus de Noortdonck.

Creati 13 Martii Anno 1679.

Georgius de Bracle, Eques, Dominus de Willecomme.

Carolus Damman, Dominus de Hemelveerdeghem.

Creati 26 Maii Anno 1680.

Georgius de Bracle idem.

Ludovicus Trieſt Dominus de Meerelbeke.

Creati 29 Junii Anno 1681.

Ludovicus Trieſt
Georgius de Bracle } Supra memorati.

Creati 21 Maii Anno 1682.

Carolus Maes, Eques, Dominus de Noortvelde.

Ludovicus Trieſt, Dominus de Meerelbeke, Lamberghe, Weſthove.

Creati 30 Auguſti Anno 1683.

Ludovicus Trieſt
Carolus Maes } Supra memorati.

Anno 1684.

Iidem Conſules.

Creati 10 Maii Anno 1685.

Carolus Maes idem.

Guilielmus Villain, Dominus de Dumpele.

Creati 27 Maii Anno 1686.

Maximilianus Antonius Rym, Dominus de Rammelaere, Humbeke.

Ludovicus Trieſt, Dominus de Meerelbeke, Lemberghe, Weſthove, Apolieu, Bourſeule.

Anno 1687.

Iidem Conſules.

Iidem denuo continuati 9 Maii Anno 1688.

Creati 30 Julii Anno 1689.

Carolus Maes, Eques, Dominus de Noortvelde.

Joannes Guilielmus Villain, Dominus de Dumpele.

Annis 1690 & 1691.

Iidem Conſules.

Creati 22 Junii Anno 1692.

Maximilianus Antonius Rym, Eques, Dominus de Rammelaere, Humbeke.

Ludovicus Trieſt, Dominus de Meerelbeke, Lemberghe, Weſthove, Apolieu, Bourſeule.

Iidem Conſules continuati 8 Maii Anno 1693.

Creati 19 Maii Anno 1694.

Anthonius Baro de Pottelberghe, Dominus de Boulanchy, Elſtvelt, Wienenbourgh.

Carolus Maes, Dominus de Noortvelde.

Creati 26 Maii Anno 1695.

Anthonius, Baro de Pottelberghe idem.

Joannes Franciscus Dellafaille, Baro Oppidi & Territorii de Nevel.

Creati 10 Maii Anno 1696.

Carolus Maes, Eques, Dominus de Noortvelde.

Maximilianus Anthonius Rym, Dominus de Rammelaere, Humbeke.

Iidem Conſules creati 12 Junii Anno 1697.

Iidem continuati 6 Junii Anno 1698.

Iidem denuo Conſules annis 1700. & 1701.

Creati 8 Julii Anno 1702.

Carolus Maes, Dominus de Noortvelde.

Theodorus Trieſt, Dominus de Meerelbeke, Lemberghe, Ruddershove.

Iidem Conſules Annis 1703, 1704. & 1705.

Creati 21 Auguſti Anno 1706.

Anthonius, Baro de Pottelberghe, Dominus de Bolancy, Elsvelt.

Maximilianus Anthonius Rym, Eques, Dominus de Rammelaere, Humbeke.

Creati

Creati 6 Julii anno 1707.

Alexander Georgius du Faing, Comes de Haſſelt & de Liberchies, Baro de Jamoigne, Dominus de Hauterive, Markegem, Tangry.

Anthonius, Baro de Pottelberghe, Dominus de Boulancy, Elſvelt, Wienenbourgh.

Creati 22. Octobris Anno 1708.

Antonius Baro de Pottelberghe idem.

Theodorus Trieſt, Dominus de Meerelbeke, Lemberge, Ruddershove.

Creati 11 Maii Anno 1709.

Alexander Georgius du Faing, Comes de Haſſelt & Liberchies, Baro de Jamoigne, Dominus de Hauterive, Markeghem, Tangry, qui non præſtitit juramentum.

Guilielmus Dominicus de Courteville, Dominus de Oudenhove, Sancti Dionyſii Steene, Roodepoorte, Laeke, Heuverhuys, Wanneghem, Lede.

Anno 1710

Iidem Conſules.

Creati 12 Maii Anno 1711.

Theodoricus Trieſt, Dominus de Meerelbeke, Lemberghe, Ruddershove.

Joannes Joſephus Rodrigues d'Evora y Vega, Regiæ Hiſpaniarum Majeſtatis nobilis Domeſticus Territorii & Marchionatus de Rhodes Marchio hereditarius, Baro de Berleghem, Dominus de Cnappenhaerde, Terweeden, Broeckſtraete, Terzaelen, l'Ecke, Flandriæ Archidapifer.

Anno 1712.

Iidem Conſules.

Creati 29 Maii Anno 1713.

Guilielmus Dominus de Courteville, Dominus de Oudenhove, Sancti Dionyſii Steene, Roodepoorte, Laeke, Heuverhuys, Wanneghem.

Joannes Georgius de Vilain, Dominus de Dumpel.

Iidem Conſules Annis 1714, 1715 & 1716.

Creati 25 Februarii Anno 1717.

Hubertus Franciſcus Nieulant, Dominus de Pottelsberghe, de Termeerſchen, de Baſſevelde.

Theodorus Trieſt, Dominus de Meerelbeke, Lemberghe, Ruddershove.

Iidem Conſules Annis 1718, 1719 & 1720.

Creati 27 Octobris Anno 1721.

Anthonius, Baro de Pottelsberghe, Dominus de Boulancy, Elſvelt, Wienenbourgh.

Theodorus Trieſt, Dominus de Meerelbeke, Lemberghe, Ruddershove.

Iidem Conſules Annis 1722, 1723 & 1724.

Anno 1625.

Theodorus Trieſt idem.

Ægidius Franciſcus de Lichtervelde, Dominus de Vrylande.

Iidem Conſules Anno 1726.

Creati 16 Maii Anno 1727.

Ægidius Franciſcus de Lichtervelde idem.

Antonius Baro de Pottelsberghe, Dominus de Boulancy, Helſvelt, Wienenbourgh.

Franciſcus Philippus de Ruyſſchen, Dominus de Marquette.

Franciſcus Albertus Dellafaille, Dominus de Huyſſe, Oycke, Ten Hove.

Jacobus Ignatius Peeters, Dominus de Weſterghem, Nieuwerkercke, Walhove.

Joannes Franciſcus Borluyt, Dominus de Hooghſtraete, Beelwoeſtyne.

Sebaſtianus Maria Joſephus de Groufs d'Erkelens.

Claudius Bonaventura de Vaernewyck, Dominus de Lembeke, Belleghem.

Petrus Ludovicus vander Varent.

Joannes Guilielmus Hauwaert J. U L.

Ferdinandus vander Haegen J. U. L.

Jacobus de Groote.

Joannes Baptiſta Stalins.

Dictatores ſeu Penſionarii.

Joannes Baptiſta Amey.

Ludovicus Joannes Meys J. U. L.

Chriſtianus Joſephus Walwein J. U. L.

Joannes Guilielmus Hauwaert J. U. L.

A Secretis.

Albertus Xaverius Trieſt, Baro d'Auwghem, Comes Sancti Remigii, Herbais, Petermaele.

Paulus Franciſcus de Lampreel J. U L.

Franciſcus Leopoldus Joſephus van Hulle J. U. L.

Adrianus Jacobus Helias J. U. L.

Philippus Franciſcus Fredryckx.

Enumeratio quarundam nobilium & honoratarum Familiarum, origine vel incolatu Gandenſium.

Non aliter quam cælum ſidera, & terram flores, ita Provincias ac urbes Nobilitas ornat; quæ uti prima à virtute, & honeſtis actionibus, ita altera à partis bello facinoribus, ac militari functione enaſcitur; ac quamvis magna eximiæ

miæ cujuſdam eruditionis ſit dignitas, ſummuſque ab eminente litterarum ſcientia, ac togæ muniis ſplendor; Martia tamen illa fortitudo præcipua nunc, maximoque in pretio habetur. Honoratiores itaque aliquas, nobiles item, ac etiam illuſtres ſive nunc, ſive olim Familias, pro coronide hujus libri dabo, liberaque voce profitebor, vix ullam in Belgio urbem eſſe, quæ inquilinam nobilitatem avitis opibus, antiquitate, aliiſque ſtirpium prærogativis ſpectabilem magis jactare poſſit. Tu verò quiſquis hic & tuum nomen, Majoreſque tuos, viros fortes, ac præſtantes agnoſcis, ab iiſdem tibi dictum puta:

Diſce puer virtutem ex me, verumque laborem,
Tu facito mox, cum matura adoleverit ætas,
Sis memor, & te animo repetentem exempla Tuorum,
Et pater Æneas, & avunculus excitet Hector.

Eandem, quà illi præiverunt, ſemitam tene, non neſcius augeri pulchris, minui verò, ac deperire etiam factis turpibus omnem parentum gloriam. Illos igitur hic, ac ne de ordine diſputetur, & pro honore dedecus ſibi quiſpiam illatum putet, non ex merito vel dignitate, hos, vel illos prius, aut poſterius; verum ſecundum ſolam Alphabeti feriem, aliquibus, qui nuper cives facti, & hic Magiſtratu functi ſunt, adjectis, nominatos arbitrare.

Alaert, Angerelis, vander Ameede, Anchemant, Aveldonck, Axele, Axpoele,

De Baenſt, Bette, de Backere, Bavieres, Baeſdorp, Biſcop, de Beer, vander Beke, Beaufremes, van Bruan, Boſt, Borluyt, Bernage, Braem, Buridan, Boele, Brakele, Brune, vanden Berghe, vanden Boſche, Bevere, Blomme, Boſſier,

Cauwerburch, Caſele, Caſtillo, vander Camere, Cabillau, de Clerck, Colbrant, de Crane, Coorenhuyſe, Coudenhove, Coyghem, Cortewijle, Clocman, Claiſſone, Crombrugghe, Cleuterinx,

Damman, Damaſt, Deckere, Diericx, Dixmude, Dierkins, Donaes, Dullaert.

Eveldonck, vanden Eeuchoute, Eetvelde, Everwijn, Eſpinoy, Foreeſte,

Gavere, Ghendt, Giſtelles, Goetghebuer, Goethals, Grammen, de Groote, Gryſpeere, Grutere,

Haesbyt, Harduyn, vander Haghen, Hertoghe, van Hoyen, van Hoven, Hoedevelde, van Hole, van Huyſſe, Herzele, van Huele, Heyman, Hueriblock, Heylinck, van Heurne, van Havre, vander Heede, Hellijn, vander Hoyen,

Ideghem, Imbieze, de Jaghere, Joigny, Jooris, de Juede, Jours,

Vanden Kerckhove, Ketulle, van Landeghem, Laurijn, Lanchals, van Lede, Lidekerke, vander Linden, Lotten, de Luu, van Lake, van Leyns, Lautens, Loetz,

Van Maſch, Mulaert, de Moere, van Munte, van Merſch, van Maercke, Montoje, Mazin, vander Meere, Meganck, Maſculier, Martins, Maſſeme, vander Meulene, Maſtaing, Morſlede, La Mote,

Nieuwenhuyſe, Norman, Nieuwenhove, Nieulant,

Onredene, Ooſterlinck, Oudegheerſt,

De Pape, Paſcharis, vanden Pitte, Prevoſt dict Baſſerode, Pottelberghe, Potellis, Prouijn, Pollinchove, Parmentier, Quevijn,

Raveſchot, Rijm, van Royen, Rodoan, Reynviſch, Rooſe, Riddere, Rybeke, Roeſelaere, Ruſſelaert,

Serſanders, Serſimoens, Sermachelin, Serthomaes, Sloove, Schoutete, Smuls, Stoppelaere, Saemſlach, vander Schagen, Sickele, Schooriſſe, Storme, Steelant, Sanders, Saman, vander Sare, Seclyn, Stercke, Sicleers, Salaert, Stalins, Steenſele, Schoorman, Snouckaert,

Trieſt, Villain, vander Vichte, Wtenhove, Vos, Wtentendaele, Wtervolderſtraete, Vaernewijck, Vloet, van Vuerne, vander Voorde, Vyts, Vuldere, Vuerhoute, Wyts, Vrient, Viron, Wielant, Wenemaere, de Waele, Weſtvoorde, Waesberghe, Willebaert, Wedergraet, Winter, Wychuys, Winckelman, Wouters, vander Woeſtyne,

Zillebeke dict Taccoen, Zevecote, Zoete, vander Zype, van Zuylen.

Harum, & his ſimilium aliquot Familiarum inſignia, Nobilis ac eruditus vir Philippus de l'Eſpinoy, Burgravius Terovannæ, partim proprio labore; partim induſtriâ, ſtudioque Domini Chriſtophori van Huerne, viri optime de patriis antiquitatibus meriti, concinnata, ærique inſculpta, publico dedit.

Arx Ottonia.

OTTO inter Germanicos Cæſares ejus nominis *Primus*, & ob illuſtria facta cognomento *Magnus*, Henrici Aucupis filius fuit, & anno Chriſti (uti teſtatur in Chronico Joannes Carrion) 938 acceptâ Aquiſgrani ab Epiſcopo Moguntinenſi imperiali coronâ, annis 36 imperavit; egregius

gius plane, ac glorioſus Princeps. Is *Ottoniam* arcem Gandavi in fundo S. Bavonis ad annum Chriſti 949 ædificavit. Arx nova tum temporis appellata fuit, ad illius diſcrimen, quæ multis ante ſeculis à Julio Cæſare, vel condita, vel reſtaurata, ac præſidiis munita dicebatur; & alterius etiam illius, quæ ante Ottonis imperium à Balduino Ferreo conſtructa non procul ab arce Juliana putatur. Condendæ arcis variæ ac multiplices cauſæ Cæſarem impulerunt. Marchantius Dunenſem ſecutus, *Imperialis terræ metatori Scaldi ad dextram incubuiſſe* ait, arcem ab Ottone in Flandros excitatam anno 948 in Aloſti deſcriptione; Meyerus verò ex Bertinenſi Chronico in annum ſequentem idem rejicit. *Contra Gandenſes*, inquit, qui tum inter Scaldim, & Legiam incolebant, *arcem validam eduxit in ripa Legiæ, ex qua Cæſariana præſidia cum Gandenſibus implacabili odio digladiabantur, ad Balduini uſque Inſulani principatum.* Codex ſive Chronicon Cœnobii Gandenſis, teſte Gramaio cap. XII. Antiquitatum Gandenſium, ſed annum notans 936. *Otto*, inquit, *Henrici filius, Caſtellum novum, quod ad ripas Legiæ ſitum eſt, non Reges Franciæ, non Comites Flandriæ, ſed Imperatores Romanorum, in fiſco & libera poſſeſſione S. Bavonis, ad defenſionem ipſius Monaſterii & antiqui Caſtri Gandæ, propter diviſionem regni Francorum & Imperii orientalium, fines determinavit; de quo cenſum quinque ſolidorum* (eam videlicet arcem poſt adepti) *longo tempore Comites Flandriæ ſolverunt, & ſolvunt.* Habes cauſas ſtructuræ, ſitum, & tempus; niſi quod Meyeri calculus, eodem aſſerente Gramajo, vero ſit propior: cum paſſim ſcriptores vitæ Ottonis, iſto anno Belgas per eum Imperio adjunctos, ſeu tenacius adſtrictos fateantur, qui etiam anni ejus ſæculi 48. in Danos occupabatur, & XXXV necdum inauguratus erat. *Huic autem Caſtello* (verba ſunt Chronici S Bavonis) *non Caſtellani, ſed Comites* (à Cæſare videlicet primum conſtituti) *præfuerunt. Quibus quatuor villæ cum appenditiis ſuis, Aſſnede, Bocholt, Axla, Hulſta, cum tota Waſia ſubjectæ fuerunt. Horum Comitum unus nomine Wichmannus, qui in uxorem habens Lutgardim filiam Arnulphi Marchionis, Ottoni diu rebellis, Caſtrum ejus novum in Herebem vi ceperat, & tenuerat, à Miſacha (aliis Muſach) Slavorum Regulo, Ottonis amico, 967 perimitur* Sed hac in re errare cum Meyero Chronographum mox patebit. Fuit autem Wichmannus ille (uti lib 3. cap. 3. Rerum Teneramondenſium aſſerit David Lindanus) ex illuſtri Bilingiorum ſtirpe, à priſcis Saxoniæ Regibus oriundus, primus Arcis Ottoniæ Gandenſis Comes, unde ſibi ſuiſque *Gandavium* cognomen peperit, quod in hanc uſque diem in nobiliſſima Iſenghemiorum Comitum ſtirpe perſeverat. Fratrem habuit minorem natu *Herimannum* Biling, qui, dono Ottonis ejuſdem Imperatoris, primus inferioris Saxoniæ Dux factus eſt: quocirca Wichmannus offenſus, quod fratrem minorem ſibi prælatum ægrè ferret, in Cæſarem alieno fuit animo; poſtea tamen illi conciliatus, hujus arcis, quam dixi præfecturam accepit, & cum ea Comitis titulum. Virum potentis familiæ fuiſſe, vel inde liquet, quod & fratrem habuit Ducem, & ipſe uxorem duxit Lutgardim, Arnulphi Magni Flandriæ Comitis filiam, (cujus vetuſtiſſima, ait idem Lindanus, apud me effigies) & inſuper, quod *Machtildis*, ejus ex *Herimanno* fratre neptis, *Balduino* Flandriæ, indè Godefrido Arduennæ Comiti nupta; utrique provinciæ Comites, ſed Lotharingiæ Duces perit, habuitque, à marito in dotem Caſtrum *Henham*, prope Aldenardam nobile iis temporibus dominium, quod antiquis *Brachbantum*, unde ſupra Brabantiæ nomen deductum, & ibidem ſedem fuiſſe Regni Lotharingici probavimus. Illi Wichmanno inurit turpem maculam Chronographus S. Bavonis, ſed immerito, ubi ait: *Villam dictam Theſle, quæ nunc Deſſelberghe dicitur, cum Eccleſia, ſylva & omnibus appendentiis, Monaſterio S. Bavonis vi abſtulit, & Monaſterio S. Petri, pro remedio animæ conjugis ſuæ tradidit, & donavit.* In cujus facti vindictam, velut irato numine, à Miſacha cæſum inſimulat. Non enim conſentaneum eſt, aut vero ſimile, ſub pio Principe Arnulpho Magno Flandriæ Comite (qui Wichmanni donationem confirmavit) Bavonenſium amico (hujus enim patrocinio anno 949. D. Bavonis Eccleſia per Tranſmarum Epiſcopum libertate donata eſt, & à Lothario privilegiis ornata, & ipſa ab eodem Chronographo ejus Cœnobii reſtaurator dicitur) tantum poſſeſſionem uni monaſterio vi ademptam, alteri in eleemoſynam collatam eſſe. Potuere tamen Bavonenſes aliquid in Theſlam habuiſſe juris vel donatione Regum Franciæ, vel Comitum Flandriæ, & in clientela Cæſarum poſſediſſe; quod longa annorum abſentia amiſſum (cum ingenti illo incendio, quo anno 813. univerſis Abbatiæ ædificiis fortuitò conſumptis, huc illuc ſparſi ſunt, tum furore Normannico, quo ad annum 938. exularunt) ab Ottone in

Comitem novi Caſtri ſit tranſlatum. Quod verò de morte ejus Chronographus ille ſcribit, & ex eo Meyerus, refellit etiam in geſtis Saxonicis *Witichindus*; *Wichmannus*, inquit, *qui ſe primum alienavit à Rege* (*Ottone*) *audiens tantum facinus ſeditioſorum, converſus pacem fecit cum Rege, quia prudentiſſimus erat: & utilis ac fidelis in finem permanſit.* Apud eundem hoc extat viri elogium: *Wichmannus vir potens & fortis, magnanimus, belli gnarus, & tantæ ſcientiæ, ut a ſubjectis ſupra hominem plura noſſe prædicaretur.* Liberos reliquit ex Lutgarde Flandrenſi, Theodoricum de Gandavo & Wichmannum, qui ad patris diſtinctionem dictus junior. Utriuſque Witichindus meminit, ubi, *procuranti*, inquit, *Saxoniam Herimanno Duce, Theodoricus juniorque Wichmannus nepotes ejus, Saxoniæ exercitui præfuere.* Illorum hic in Saxonia degens, cum ad Gallos defeciſſet, in acie cæſus eſt: itaque in hunc quadrat, quod ex nominis ſimilitudine, patri ejus Wichmanno Chronographus ille, & Meyerus, ad annum 977. à Miſacha cæſum imputant. Ita Lindanus. Sed ut ex Gramaji opinione concedamus, arcem hanc Cæſari ereptam fuiſſe, eadem tamen poſteà in fidem Cæſarum, eodem aſſerente, venit. Unde Henricus Auguſtus anno 1007. Flandrorum defectionem ulturus, Gandenſes obſedit, & iterum anno 1010. agrum Gandenſem populatus eſt. De eo ſic Carrion lib. 3. Chronicorum: anno Chriſti 1003. delectus Cæſar eſt Henricus hujus nominis ſecundus, Bavariæ Dux. Antea diximus, ab Ottone primo Henrico fratri ſuo Bavaricum Ducatum donatum eſſe. Illius autem Henrici nepotem ex filio hunc Henricum Cæſarem fuiſſe arbitror. Nam Ottonis primi frater Henricus annos quindecim ante Ottonis obitum in fata conceſſerat. Ea autem negligentia apud noſtros hiſtoricos fuit, ut ex illorum monumentis pro certo affirmare non queam, an Henrici illius filius, aut ex filio nepos ejus fuerit. Primus hic eſt Electorum Principum ſuffragiis deſignatus Cæſar, & imperavit annis 22. prudentia, & inſignibus victoriis clarus; multa & ingentia bella mirabili felicitate geſſit: principio Bohemos & Wandalos bello fatigatos tributarios, & ſubditos ſibi fecit, Metas & Gandavum obſedit, Lotharingiam quoque, ac Flandriam vicit. Hactenus Carrion. Verum *imperialis* illius *Caſtelli* (ſic enim Meyero vocatur) jugum moleſtè ferens Balduinus Comes, quem Inſulanum nuncupant, in Cæſarem pugnanti Godefrido Lotharingorum Duci ſe adjunxit, & ea lætus occaſione arcem Gandenſem obſedit, ac virtute Lamberti militis, qui fuit Satelles & Præfectus militiæ Comitis, ſibi aſſeruit, & nolente volente Cæſare aſſervavit. Balduinus autem licet Caſtellum (certis tamen, ut arbitror, cum Caſtellano conventionibus) non tamen Caſtelli peculium, quatuor puta villas, ſeu officia pacificè adhuc poſſedit. Poſteà demum jus aliquod (ſalvo tamen in omnibus conventionali jure Caſtellani) à Cæſare in novum caſtrum anno 1110 accipiens, earum dominium, repudiato, cui obſtringebantur, Trajectino ad Rhenum Præſule, adeptus eſt. Ideoque nonnunquam Flandriæ ſe *Comitem* & *Dominum* (non Aloſtani Comitatus Imperatoribus obnoxii) ſed Ambactorum, à directi Domini obſequio emancipatorum, ratione inſcripſit. Ita Gramajus. Quo autem modo Caſtrum hoc à Comite fuerit occupatum, mox, ubi de Caſtellanis, Burgraviis ac Vicecomitibus ejuſdem agetur, fuſius dicam.

Ad annum 1010 ſecunda incurſio hoſtilis exercitus Regis Henrici in Gandavum Nonis Auguſti. Sigebert. in Chron.


Petra-Comitis Caſtellum, Arx Wandalica, Caſtrum Ganda.


QUAM capite decimo quinto Antiquitatum Gandavenſium Petram-Comitis eſſe ſentit Gramajus, hanc Ottonianam arcem, & non à Comitibus Flandriæ, ſed ab iis, quos primum Cæſar iſtic Præfectos conſtituit, nomen id vulgare nactam 's Graven Caſteel alii, quanquam non omninò ſolidis argumentis, arbitrantur. De eadem ſic loquentem Gramajum audiamus. Arcium hoc caput finiat vetus turrium Hemicyclis, formâ tetragonâ, areâ ſpatioſâ, ſpecioſo atrio oculos intuentium perſtringens, *Petra-Comitis* in vulgo nuncupatum. Petra ſaxeum eſt ædificium tribunali, & carceribus publicis deſtinatum; ſic & Prætorium Aldenardenſe & Wynociberganum, unde feuda Comiti clientelam debentia moventur, & porta Bruxellæ, turris Neomagi, domus Dieſtæ, etiam Antverpiæ carceribus ſubſerviens, *Stein*, ſive *Op-Stein:* Petra, ſive ad Petram vocantur. Hæc noſtra nihil cum *Audeburgo*, nihil cum *Novo Caſtro* Ottonis commune habens, Comitem auctorem ipſo præfert nomine, Balduinum inquam Ferreum, ſi vera referunt Annales, & amplius ſimiliter *Novi Caſtri* nomine appellatam fuiſſe, nimirum veteris Caſtri Ganda, ſive Audeburgi intuitu, fuiſſe etiam ante Ottonis Imperium, & alterius, de quo ſupra, ſtructuram, ſatis arguunt verba Chronici à Meyero ad annum 912 exſcripta, quæ referunt, tum juxta novam

Error.

Qui Annales?

Digitized by Google





Digitized by Google

Digitized by Google

vam Arcem Gandavi ſtructum D. Pharaildis Templum; narrat & idem ad annum 940. Reliquias D.Bavonis & aliorum è Nigella relatas Gandavum. *Ad Arcem*, inquit, *opidi* (obſervata verba) *noſtri*, *quia ejus Monaſterium in deſertum redactum fuerat*; unde cum in idem Monaſterium jam refici cœptum à D. Gerardo referendæ eſſent, *Arnulphus Comes Eccleſiam ſuam in novo Caſtello ædificatam cernens tantis pignoribus viduari*, *impetravit à Beato Gerardo articulum S. Bavonis*, & *Reliquias Sanctæ Pharaildis:* eâ conditione, quod Eccleſiæ Clerus annuam peregrinationem ad D. Bavonis perſolveret. Eccleſiam hic intelligit, quæ Petræ-Comitis vicina conſpicitur, Divæ Pharaildis venerationi dicatam; ea fuit domeſticorum Comitis & incolarum atrii Palatini ab antiquo Curialis, ut nullatenus ſenſu, ſtatu, ſituque reclamantibus, queat de Ottonia hoc Arce intelligi. Cæterum etſi auctores non habeam, dubitare nollem (inquit Gramajus) à Normannorum receſſu haud dubie deformatam, ab Arnulpho Marchione ſplendidiore ſchemate adornatam, ab Inſulenſi Balduino duabus inſtructam turribus, à Philippo Elſatio contra civium faſtum valida munitam porta, inſcriptione annum milleſimum centeſimum octogeſimum primum præferente, ſub Joanna, non ut alii, Margareta Conſtantinopolitana, mœnibus, incluſa (anno 1275. Gandavi *Caſtrum vetus*, reſpectu videlicet arcis Ottoniæ recentioris, annuente Margareta Comite, à civibus opido adplicatur, cjuſque foſſæ oppletæ, & lapidibus paviatæ, viam prætereuntibus præbere occipiunt. Ita Locrius ex Meyero & Oudegerſto) ſub Ludovico Nivernenſi (qui, uti & Guido Dampetræus, in ea habitavit) reparatam, à Joanne Divionenſi exornatam, ex hiſtoriarum collatione didici. Cæterum quod ad inſcriptionem Romanis characteribus in ſuperliminari portæ hujus arcis etiam nunc exiſtentem attinet: non deſunt, inquit Gramajus, qui Wandalicam opinentur, non *G. ANT.* prout nobis apparet ſed *S. ANT. SCANT.* ſecundo charactere eliſo aut eraſo legentes: derivatum ſcilicet à Scandianis, unde colluvies illa Barbarorum erupit, Inſulis; addentes, quemadmodum Gothis, quaqua verſus Imperium extenderent, ſolemne fuit turrium faſtigia inſigni gentis ſuæ gallo coronare: ita Wandalis, Suevìſque proprium ſuperliminaria portarum aut ſcripto, aut urſo ſignare, & exemplum utriuſque dediſſe Gandavum, hujus in veteri Blandinienſi, illius in hujus arcis frontiſpicio. Tamen demus Romanam eſſe, & *G. ANTONIUM*, ſive *ANTISTIUM* deſignari: non ideo convinces, opus Arcis hujus Romanum eſſe. Potuit enim inter quisquilias, & dirutarum à Barbaris molium reliquias hæc epigraphe reperta, à Priſcis antiquitatem propagare volentibus conſpicua hoc loco inſerta fuiſſe.

Cæterum quia nonnulla Wandalici nominis mentio à nobis jam facta eſt: obiter hic & aliud olim Gandavi fuiſſe Caſtrum à Wandalis excitatum, ad tutelam majorem veteris Caſtri Ganda, quod illi occupaverant, ſuggero; quod circa Scaldis ripam, non procul à porta Brabantina: cum locus etiamnum, & aliquod antiqui operis veſtigium iſtic perſeverans, vulgo **Wandelaers Casteel** nominetur, fuiſſe arbitror. Wandalos etiam Duce Caroco veniſſe Gandavum, occupaſſe Caſtrum Ganda, conſtruxiſſe aliud, non Gandavenſes modo, ſed Tornacenſes etiam Chronologi, Hannonum quoque, ac Francorum hiſtoriæ teſtantur. Quod autem ad antiquiſſimam omnium arcem attinet, & è qua nomen urbi inditum permanſit, illic ea quondam fuit, ubi nunc Cæſaris Caroli Caſtrum, ante Monaſterium Sancti Bavonis erat, ad concurſum Scaldis & Legiæ, ut alibi diximus, non tam à Julio Cæſare condita, quam Romanorum præſidio firmata. Inter omnia vero Scaldis Caſtella antiquitate, inquit Gramajus; portu, nobilitate, primas tenuit; ut non immerito à Wynoci-Bergano ſcriptore, *Caſtrum Scaldis, antiquis dictum Ganda*, per excellentiam puta, nominetur. Nobilitatem quoque arguit reſcriptum Eugenii Papæ datum anno Chriſti 648 ad Bavonenſes Cœnobitas, dicentis ſe rogatum, *ab Adelberto Abbate, cæteriſque fratribus de Monaſterio Beati Petri, quod ſitum eſt in Caſtro famoſo, nomine Ganda nuncupato.* Si tum famoſum, unde niſi à Romanis haud ita pridem Gallia exactis? portum autem à Julianis temporibus celebrem circa Caſtrum fuiſſe, aſſerunt Bilibaldus & alii. Geſſoriacum navale etiam hic, ſed perperam, locantes. Cœnobium vero Sancti Bavonis, quod in corde veteris Caſtri Gandæ, ſive Audeburgi à Beato Amando dedicatum fuit, ab hac arce nomen Gandæ quaſi proprium ſibi vendicavit. Ita diploma Caroli Calvi ad annum 865, ita Ottonis 976, ita Caroli Magni 794 & aliorum, non aliter, *quam Monaſterium, quod dicitur Ganda*, & *eſt conſtructum in honorem Sancti Petri Apoſtolorum principis; ubi etiam glorioſus Chriſti Confeſſor Bavo corpore quieſcit*, &c. illud indigetant. Chroniconquoque Bavonenſe ad annum 828 Reliquias Marcellini & Petri delatas ait *ad Cœnobium*

bium Gandæ, quod ſitum eſt in valle Legiæ, loco Ganda vocato, ubi idem amnis Scaldis dicto flumini Legiæ jungitur. Et jam ante annos mille, Dagoberti ævo, famoſam & antiquitatis merito illuſtrem fuiſſe arcem hanc aſſerit Gramajus cap. 9. Antiquitatum Gandenſium: nec à Francis anno 489 dominari hic incipientibus, expulſo Romanorum præſidio, repetenda ejus exordia, ſed altius. Tradunt quoque Annales, applaudente Meyero, Wandalos Duce Caroco Caſtrum Gandæ non occupaſſe tantum, ſed & à ſe denominatum poſſediſſe, fruſtra reſiſtentibus Belgis, reluctantibus Romanis, Gothis etiam idem poſtea ambientibus. Quicquid omnium ſit, Romanos, Suevos, Wandalos, Francos habuerit auctores, deletum eſt, inquit Gramajus, à Normannis; poſtea vero per neſcio quos reſtitutum, noviſſimè, bello Henricorum Cæſarum, Gandenſibus pernicioſo, funditus everſum, in uſus habitationis Monachorum tranſiit. Caſtrum verò illud etiam ante præſidio militari firmabatur, quod è tractu Aloſtano & Waſia percipere ſtipendia conſuerat. Donec id muneris in dominatum, operis in honorem converterunt Præfecti arcis Comitis Bracbantini. Remanente Caſtelli licet diruti peculio ſolum XLVI vicorum diſtrictu, qui in quatuor diſtributi membra, duobus obnoxii tribunalibus, Caſtellania Audeburgica Gandavenſis, appellantur. Ita hactenus ferè Gramajus. Cujus, quod ad arcem Ottonianam potiſſimum attinet, opinioni aſſenſum præbere non poſſumus. Quod Petram Comitis à Balduino Ferreo, ut ait, conditam, non ipſi Flandriæ Comites primum, ſed Caſtellani inhabitarint; quod in Advocatia Sancti Bavonis ſita ſit, quæ Ackerghemium uſque ſe protendens, ipſum Monaſterium de Biloka etiam complectitur. Arcem quoque illam Roberto, Flandriæ Comiti, Gerardus d'Engien Dominus de Sottengien, cum conſenſu Hugonis, qui ſe primo Burgravium, ſeu Vicecomitem ſcripſit, pro terra de Saeftingen vendidit.

Magis id de Ottoniana arce dicendum.

Concilium Flandriæ, cum indiculo Præſidum Concilii ejuſdem.

IN hàc ergò ſive Ottoniana Arce, ſive Petra-Comitis, ſeu priſco Balduini ferrei monumento, uti jam memoravi, ſuum nunc habet conſeſſum Provinciale Flandriæ Concilium, integerrimuſque, ac ſupremus Senatus, qui quidem primo conſtitutus fuit Inſulis anno 1385. in Februario per *Philippum Audacem* Burgundiæ Ducem &c. Flandriæ Comitem, per filium verò ejus *Joannem Divionenſem* ab Inſulana urbe tranſlatus Gandavum fuit (videndus in hanc rem Tomus primus edictorum Comitum Flandriæ l. 1. rubrica XII. ubi ordinata anni 1409. ab hoc *Joanne*, anni 1497. à *Philippo* Maxæmiliani filio, annorum 1522. & 1533. à *Carolo* Cæſare *Quinto* invenire datur) relicta nihilominus Inſulis Camera rationum 1409. in Auguſto, confirmatuſque per *Philippum* Joannis filium anno 1426. Verum cum anno 1449. offenſus Gandavenſibus *Philippus* Dux eſſet, idem Concilium Gandavo in oppidum Cortracenſe tranſtulit. Placatus iterùm Cortraco Gandavum venire juſſit ad annum 1456. atque inde Teneramundam. Rurſus autem orto inter illum & Gandavenſes bello, Teneramunda Ipram migravere Senatores, poſt iterùm pace Gaverenſi pacta Gandavum, anno videlicet 1463. redierunt. Anno autem 1579. cum hæretici in Belgio rebellionem concitaſſent, juſſu Regis Catholici *Philippi* II. Duacum profecti ſunt, atque iterùm anno 1584. 17. Septembris urbe Gandà, Regiis imperiis per *Alexandrum Farneſium* Parmæ ac Placentiæ Ducem, Belgicarum ditionum Proregem, ſeu Præfectum ſubdità, priſtinis laribus reſtituti. Hujus itaque Concilii Primarios Adſeſſores, ſive Præſides, quos hactenus invenire potui, ſequens Catalogus declarat.

Præſides Concilii Flandriæ.

1. Primus eorum fuit *Petrus vanden Zype*, Gubernator etiam Inſulanus, Duacenſis & Orchiacenus.
2. Sequuti ordine *Petrus à Candonca* Anno 1407.
3. *Simon de Formellis.*
4. *Goſwinus Selvagius.*
5. *Ægidius vander Woeſtine.*
6. *Adrianus Colin* Eques Anno 1465. Vocat eum Gramayus Andream.
7. *Thomas de Plaines.*
8. *Paulus de Baenſt*, Dominus de Vormeſeele 1492.
9. *Joannes Sylvagius.* Poſt Brabantiæ Cancellarius.
10. *Philippus Wielant*, Dominus de Landighem, qui aſſerente Gramajo poſt etiam privati Concilii Præſes fuit.
11. *Richardus Reniger* 1509.
12. *Nicolaus Wtenhovius* 1524.
13. *Petrus Tayſpil* 1527. hac vitâ functus 1541. etiam Sanctioris Concilii Præſes fuit.
14. *Ludowicus Hellewghe* 1541. ad meliorem vitam abiit 1556.

15. A.

Digitized by Google

ADDITIO PRO CONCILIO FLANDRIÆ
Tom. I. pag. 171.

Concilium Flandriæ & hodie 1732. *conſtitutum.*

Præſes.

D. *Franciſcus Aloyſius vanden Meerſche*, Eques auratus, Toparcha de Berlaere, Bareldonc, t'Aarros &c.

Conſiliarii.

D. *Ludovicus vander Varent*, Vice-Comes.

D. *Alphonſus vander Brugge.*

D. *Joannes Franciſcus Heubens.*

D. *Franciſcus Albertus van Goethem.*

D. *Sebaſtianus Guilielmus d'Hane*, Sacri Romani Imperii Eques auratus Hereditarius, Toparcha de Bercé, Bottele, &c.

D. *Fredericus Carolus Hubertus Varendoncq.*

D. *Ceſar Ferdinandus Coppens*, Toparcha Parœchiæ & Dominii de Swyndrecht, Curiæ Feodalis de Cleinbrugge, de la Chapelle &c.

D. *Cæſar Elbo.*

D. *Ludovicus Perſyn* & Fiſci Advocatus.

D. *Theodorus de Jonghe*, Procurator generalis & Eques Auratus.

D. *Bernardus Dominicus Cabeliau*, Toparcha de Savas.

D. *Lucas Joſephus vander Vinckt.*

D. *Matthæus Franciſcus du Bois.*

D. *Petrus Oliviers.*

Receptor Ærarii Regii.

D. *Petrus Elbo.*

Graphiarii.

D. *Joannes Baptiſta Michel.*

D. *Franciſcus Maximilianus 't Kint.*

D. *Ludovicus de Aranda.*

D. *Philippus Franciſcus Ludovicus Penneman*, Toparcha de Mariakercke, Arſchot, &c.

15. *Adrianus vander Burch*, obiit in Anglicana Legatione 1557. Vices ejus interrim gerente
16. *Jacobo de Blaſere*, fuit & Mechlinienſis Curiæ Præſes.
17. *Jacobus Martens*, extremum vitæ diem clauſit 1573. in ejus locum venit
18. *Guilielmus Pameiius* 1596. etiam poſt Sanctioris Concilii Præſes fuit. Ejus & aliorum quorundam Præſidum vitam conſcripſit Dionyſius Harduinus, habetque eam Mſc. Vir Illuſtris Emanuelis Sueyrus Eques Luſitanus.
19. *Ioannes de Blaſere*, poſt quem in Hiſpania exiſtens ad eam dignitatem aſſumptus fuit.
20. *Nicolaus Damantius*, Brabantiæ etiam Cancellarius.
21. *Iacobus Bogaert.*
22. *Ioannes Liebartius*; poſtea quoque Mechlinienſis Concilii Præſes, vir egregius & incorruptus.
23. *Guilielmus Coorenhuſius* primum Hollandiæ, poſt Flandriæ Conſiliarius, ac demum Præſes. Vir fuit æquitatis amans, & Juſtitiæ, placidis item moribus, ac modeſtus. Methodum Pandectarum, librum utilem, juris præſertim priſci ſtudioſis, juvenis evulgavit.
24. *Marcus de Hertoghe* Eques, vir probus, ac animi rectus, longoque rerum uſu excercitatus, & magnis etiam in Rempublicam meritis clarus.
25. *Guilielmus Wyts*, Præſes die 20. Januarii 1626. uſque ad obitum 28. Decembris 1641.
26. *Aurelius Auguſtinus Malinæus*, è Concilio Brabantiæ nominatur Anno 1642. Præſes Flandriæ: ſed reclamantibus Flandriæ, eo quod Brabantus eſſet, declaratus eſt primo Sanctioris Concilii Belgici apud Philippum IV. Hiſpaniarum Regem Madriti, ubi vivere deſiit Anno 1662.
27. *Philippus Guilielmus de Steenhuyſe*, Baro de Poederlè, Conſiliarius Supremi Mechlinienſis Concilii fit Præſes Flandriæ 14. Julii 1649. exin Cancellarius Brabantiæ Bruxellis mortem oppetiit Anno 1668.
28. *Ioannes Baptiſta Dellafaille*, Toparcha de Aſſenede, factus Præſes Concilii Flandrici Anno 1650. 22. Januarii.
29. *Ludovicus Errembout*, creatus Præſes Flandriæ 7. Martii 1668. Gandavo diſceſſit cum Gallis Anno 1679. atque a Rege Ludovico XIV. renunciatur Præſes ſupremi Tornacenſis Senatus ibique mortuus eſt.
30. *Antonius vander Piet*, deſignatus Præſes 2. Auguſti 1679. Obiit initio Anni 1706.
31. *Antonius Serſanders de Luna*, Toparcha de Oudemeire; fit Præſes Flandriæ 3. Februarii 1706. defunctus eſt 1721. die 30. Septembris.

Pro auguſtiſſimo ac potentiſſimo Cæſare Rege & Comite Flandriæ Carolo VI. In regio ejuſdem Flandriæ Conſilio.

Præſes.

D. *Franciſcus Aloyſius vanden Meerſche* Eques auratus Toparcha de Berlaere, Bareldoncq, t'Aarros &c.

Conſiliarii.

D. *Ludovicus vander Varent*, Vice Comes.
D. *Georgius Iacobus du Bois.*
D. *Alphonſus vander Brugge.*
D. *Ioannes Francicus Heubens.*
D. *Franciſcus Albertus van Goethem.*
D. *Sebaſtianus Guilielmus d'Hane*, Sacri Romani Imperii Eques auratus hereditarius Toparcha de Bercé, Bottele &c.
D. *Fredericus Carolus Hubertus Varendoncq.*
D. *Cæſar Ferdinandus Coppens*, Toparcha Parochiæ & Dominii de Swyndrecht, Curiæ feodalis de Cleenbrugghe, dela Chapelle &c.
D. *Cæſar Elbo.*
D. *Ludovicus Perſyn*, & Fiſci Advocatus.
D. *Joſephus Judocus dela Vilette*, & Procurator generalis.
D. *Theodorus de Jonghe*, Eques auratus.
D. *Bernardus Dominicus Cabeliau*, Toparcha de Savas.
D. *Lucas Joſephus vander Vynckt.*

Receptor Ærarii regii.

D. *Petrus Elbo.*

Graphiarii.

D. *Ioannes Baptiſta Michel.*
D. *Judocus Gerardus Ranſt.*
D. *Anthonius Bernardus Helias.*
D. *Franciſcus Maximilanus t'Kint.*

Porrò Senatus per *Joannem* Ducem conſtituti à Joanne Baptiſta Gramaio cap. XVII. rerum Gand. perſonæ memorantur hæ:

hæ: *Simon Formelius*, *Jacobus Lichterveldius*, *Guilielmus Halewyn* Equites, *Henricus Goethals*, *Daniel Alardi*, dictus *Percevallus*, *Iacobus Tenniers*, *Antonius Wiſſoc*, *Theodoricus van Royen*, *Nicolaus du Cheſne*, *Victor Bavedam*, *Rolandus de Moerkerke*, *Sivotus Boyns*. Cæterùm anno 1409. non plures, quam quinque fuiſſe hujus Concilii Aſſeſſores lib. 4. cap. 57. antiquitatum ſuarum Belgicarum narrat *Marcus Varnewicus*. Iique fuerunt, Magiſter *Daniel Alaert*, M. *Ioannes Doret*, M. *Iudocus Steelant*, M. *Goswinus le Sauvage*, & M. *Ægidius vander Woeſtyne*. Quibus quatuor adjunxit tum temporis *Philippus* Dux, qui fuêre D. *de Moerbeke*, M. *Simon de Formelis*, M. *Ioannes vander Ketulle*, & M. *Franciſcus van Gendt*. Quorum duobus poſtremis diurna merces erat XII. aſſium, *Simoni* XX. & D. de Moerbeke XVI. iis videlicet ſolis diebus, quibus cauſarum ac litium cognitioni intenderent. Nunc amplioribus, credo, ſtipendiis militant. Nec immeritò, cum juſtiſſimis rationibus majora eis & luculentiora è fiſco Principis honoraria aſſignari, tum ob aucta omnium ferè rerum ab illo tempore pretia, tum ob majores nunc muneris ſui difficultates, & labores, in Flandria præſertim, deberent. Licet enim jam duplo plures numero ſint, litibus tamen plurimum multiplicatis, diſcutiendis, judicandiſque (ea noſtrorum temporum, cum inſigni Chriſtiani nominis ignominia, ad jurgandum libido eſt) vix ſufficiunt. Ad annum porrò hujus ſæculi quinquageſimum quintum, dum hæc recudimus, regio nomine in hoc Concilio jus dixerunt, viri legum cognitione, prudentiâ, zelo Religionis, ac Juſtitiæ, aliiſque virtutibus clariſſimi, *Ioannes Baptiſta de la Faille*, Eques, Toparcha de Eecloo, Aſſenede, S. Martini Lierde &c. Præſes, Conſiliarii *Guilielmus Iacobſens*, *Michael de Gomicourt*, *Gerardus de Reux*, *Cornelius Pierin* nunc Eccleſiaſtico Ordini etiam adſcriptus, & in Cathedrali æde S. Bavonis Gandavi Canonicus, *Dionyſius vander Beke*, *Olivarius Nieulant*, *Iacobus Peeters* Procurator Generalis, *Petrus vander Beke*, *Ioannes de Guezere*, Patronus fiſci, *Antonius*, *Benedictus*, *Ignatius Pierſenæus*, *Levinus Trieſt*, *Iacobus Claiſſone*, *Florentius Bakelrode*, *Philippus Parmentier*. Poſt illos *Iacobus Felix de Coninck* Quæſtor obventionem, *Hieronymus Maſſeau*, & *Sebaſtianus d'Haene* Toparcha de Heuſden, Actuarii ſive Scribæ, denique *Iudocus Maſſeau* Tabellio, ſive Notarius.

Sed priuſquam hoc caput claudamus, non erit non operæ pretium hic etiam commemorare, quæ ſuis de Flandria Gallicana commentariis inſeruit nuper *Ioannes Buzelinus* Soc. Jeſu Sacerdos. Paulo poſt, inquit, ita diviſa eſt Inſulenſis Camera, ut *Ratiocinatores* illic ſoli perſiſterent; *Conſiliarii Iudices*, alio traducerentur. Quos modò Aldenardæ, modò Cortraci, nunc Ipræ, nunc Teneramondæ conſiſtere juſſit *Ioannes* (aliique ejus ſucceſſores) cauſſaſque cognoſcere. Cum ne ſic quidem ex animi ſententia res fluerent, Concilium Gandavi *Ioannes* ſtabilivit, ab expeditione Leodienſi in Flandriam reverſus. Ab minoribus cauſæ tribunalibus ut eo provocarentur, impetratum initio fuit, à majoribus Membrorum quatuor, nunquam. Neque prius à Tribunalibus Gallo-Flandricis eo pertractæ ſunt lites, quam *Maxæmiliani & Philippi* Auſtriacorum Archiducum temporibus, Rex Franciæ juſſit ad conſeſſum Flandriæ ab his provocari, inde ad ſupremum Pariſienſem Senatum Regium. Et perſtitit ea ratio appellandi, donec *Cæſar Carolus Quintus* ab Rege Franciæ, ejuſque Senatu Flandriæ Comitatum emanciparet. Nunc igitur, ut alii Flandrorum, ita Gallo-Flandri ad Concilium Flandriæ fixum Gandavi, indeque ad ſummum Senatum Mechliniam provocant. Exceptis D. Amati Duacenſibus Canonicis, ut enim iis prius in Caſtro bellæ quercus juxta Dorlenium, lites ſuas agitare venia Regum Franciæ licebat; ita modò iis ad Senatum Provinciale Arteſiæ cauſas perducere Principum Belgii indulto permiſſum eſt, dum litem aliis intentant. Cæterum varius Gandenſis Cameræ numerus fuit, & quæ traducerentur eo cauſſæ minus patebat, priuſquam multa in ordinem Carolus Cæſar redigeret, modò præſide uno, cui dignitatem equeſtrem officium conciliat, octo Conſiliariis, quatuor Commiſſariis, Advocato & Procuratore Comitis obventionum Quæſtore, Scriba, Notario conſtat. Quibus de rebus hæc Curia cognoſcat, judicetque *Carolus Quintus* Imperator, ea prodidit inſtitutione, quam ad annum vigeſimum & ſecundum ſupra mille & quingentos edidit. Ut quaſdam enumerem, quæ Principis auctoritatem, jura, celſitudinem tangunt; ibi agitantur, deinde quæ Baillivi Monetarii in Eccleſiam & Provinciam graſſatores, appoſitæ Principis tutelæ infractores crimina commiſerint, tum controverſiæ, quibus Urbes & Caſtellaniæ, vel inter ſe, vel cum exteris diſceptant; ab harum, & Magiſtratuum ſententiis provocationes indultarum à Comite criminibus gratiarum & remiſſio-

Digitized by Google

ſionum verificationes. Ita Buzelinus lib. 3. Gallo-Fl. cap. 18.

Additio. Cum, Anno 1678. Gandavum occupaverunt Galli, Brugas ſe recepit Senatus, undè Gandavum, eodem Anno, rediit, Urbe Hiſpanis redditâ, Pacè Neomagenſi. Indè ſex Conſiliarii præcedentibus additi ſunt.

In hac Petra Comitis ad annum 1445. ſub Philippo Bono ſeptimum celebrata fuére Comitia Ordinis Aurei-Velleris, eoque Equites convenerunt: rem fuſe narrat Oliverius Marcanus lib. I. cap. XV.

In Petram Arcem Comitis, ſeu Ottoniam ita Maxæmil. Vrientius.

Arx præcelſa, vetus Lizæ oportuna fluento,
Aut Juli, aut magni credor Othonis opus.
Lis penes hiſtoricos, nimis obſoleta vetuſtas
Non ſinit auctoris me meminiſſe mei.
Quiſquis at ille fuit, Cæſar fuit, hoc ſatis, illo
Glorior, & Regum me juvat eſſe domum.
Bello olim illuſtrem, Burgi inviolabile ſaxum,
Gandæ præſidium, finitimiſque metum.
Tempore poſt longo, dum tandem Aſtræa Gradivum
Expulit, & ſolium fixit in Arce ſacrum.
Concilio tunc partus honos, gentique Togatæ
Gloria, tunc Baldus venit in oravirum;
Tunc legum decus, & linguarum plurima merces,
Tunc tenuit regnum Cauſidicina ſuum.
Jamque etiam tenet, & prope Marte calentius ipſo,
Pace vel in media, prælia rauca ciet.
Adſpice murorum rimas, & hiantia ſaxa,
Immani ſtrepitu diſſiliere fori.

Comites Gandavenſes.

COMITES Caſtelli novi, ab Ottone primo conditi, cum aliunde non poſſim clarius, hic è luculentis Davidis Lindani, viri doctiſſimi, de Teneramonda commentariis (quæ tamen hinc inde ob rerum noſtratium tenebras erratula quædam habent) recenſebo. Eorum primus *Wichmannus* è Bilingiis, ſeu Bilingianis, clariſſima Saxoniæ familia, natus fuit; à quo Gandavenſis, ſeu Villana domus, quæ nunc illuſtrium Iſenghemii Comitum eſt, originem ducit, (quam rem ut credamus, multa nos hactenus argumenta movent.) Illa dudum cum maxima gentis ſuæ gloria huic Caſtello Gandavenſi, agro Waſiano, Comitatui Aloſtano, Dominio Teneramundenſi, quatuor Ambactis, & ditioni Bornehemiæ præfuit.

Theodoricus Wichmanni primi Comitis filius, & alterius Wichmanni, frater, poſt patrem Comitatu novi Caſtri potitus, conjugem *Hildegardim*, Theodorici Hollandiæ Comitis filiam accepit, & filium reliquit *Arnulphum*; cui Gandavium nomen Sigebertus quoque tribuit; eumque à Friſonibus interemptum refert. Id accidiſſe veró, dum Staveram ab illis repetit, avitam urbem (cui adhuc Gandaviæ gentis inſignia cum cruce rubea) Annalibus proditum eſt. Ibidem illi uxor datur *Lietgarda* Cliviæ. Quod etiam Blandinii archiva adſtruunt, donatione Eccleſiæ in villa Materne an. 998. Liberos habuiſſe Theodoricum & Adelbertum de Gandavo, ex eodem diplomate conſtat, ubi ſunt *ſigna Theodorici & Adalberti filiorum Arnulphi Comitis.* Hic locus tenebras offudit Petro Oudegherſto Annalium cap. XXXI. ubi aliis prælucere nititur, ratus, hunc Arnulphum Comitem, illum eſſe, qui inter Flandriæ Comites quinto loco numeratur, filium Balduini tertii, Arnulphi magni nepotem. Alii Arnulphum Hollandiæ Comitem arbitrantur quod & vero ſimile. *Theodoricus de Gandavo* in Comitatu patrem excepit, quem etiam ulciſci conatus eſt: ſed fruſtra utrumque Sigebertus notavit. *In Freſonia*, inquit, *Theodorico Comite, filio Arnulphi Gandavenſis, debellante Freſones, in vindictam patris ſui ab eis occiſi, Godefridus Dux ad eum debellandum ab Imperatore mittitur, & conſerto prælio, repente voce, neſcitur unde, emiſſa, fugite, fugite. Cunctis fugientibus, multi à paucis Freſonibus perimuntur, Dux vero capitur.* Meminit Baldericus in Chronico, & Aegidius Aureæ Vallis monachus cap. 67. qui hos Hollandiæ Comites fuiſſe exiſtimant. Eſt autem veriſimile, ipſos Comitatum hunc nuptiis cum Hildegarde initis adiiſſe, quorum poſteri dein Caſtellani Gandavenſes, Domini de Bornhem, & Comites Aloſtani fuere & Domini Teneramundæ. Hic Theodoricus uxorem duxit filiam Comitis de Luſignan. Patri ſucceſſit *Adelbertus* Comes in Comitatu Aloſtano; legoque, Hermengardim illi conjugem fuiſſe, filiam Comitis Lovanienſis; fratres habuit *Henricum & Lambertum*, quem Bornhemii Dominum fuiſſe credimus; filium verò *Rodulphum* Comitem Aloſtanum. Per ea tempora vixit & *Rengotus de Ganda*, qui Lamberti (quod non vanè conjicitur) nepos ex fratre & Teneramondæ Dominus. Cui poſtea in Comitatu & Caſtellania Gandavenſi filius *Folcardus*: Dominus de Bornhem, ſucceſſit, mor- Ita Lindanus.

mortuus Hui, ut inferius patebit. Huic quoque Comitis titulum dant Bavonenſis ille Chronographus & Sigebertus. Idem eſt qui poſtmodum primus Caſtellanus. Ea tempeſtate inter Henricum Cæſarem & Balduinum Inſulenſem, Flandriæ Comitem, acre bellum erat. In eo occupatum à Flandro novum Caſtrum Gandenſe, (quod tum ab Imperatoribus occupatum inquit Meyerus, tempore Balduini Barbati à Cæſare captum Petrus Oudegherſtus tradit.) Quod ſi verum eſt, ut nihil vetat, alios ibi Præfectos, quam Comites illos, quos dixi, Cæſarem habuiſſe oportet. Hos enim pacatos ea tempeſtate fuiſſe, & Flandro conſanguineo ſuo amicos, ex donationibus eorum & tabulis, quibus Flandriæ Comites ſubſcripſere, non eſt obſcurum. Itaque hac ratione factum credere licet, quod *Lambertus*, Arnulphi filius, omnem operam adhibuerit ad arcem illam & majorum dignitatem recuperandam. Illud autem hac ratione factum [a] Chronographus D. Bavonis (ſed ad annum Chriſti 936 non bene, ut in pluribus aliis) in hæc verba commemorat:

[a] Vixit ille ſub Cæſare Maxæmil. I. mentionem enim facit Abbatis Tritemii.

Prædictum Caſtellum in manus Comitum (Flandriæ) poſtea redactum eſt. Nam Comes Flandriæ Arnulphus Magnus imperialia vaſtare, & Caſtellum capere militibus ſuis commiſerat; qui per denſiſſimam ſylvam, irruptione ipſum Caſtellum, caſſo labore fatigabant. Cumque in vanum laborarent, Comes coacto in unum exercitu, in loco qui Herebem tunc vocabatur, ubi necdum habitatio erat hominum, erectis lodiis, fixiſque tentoriis, longo tempore obſedit Caſtellum. In ſancto autem Sabbatho Paſchæ, petente exercitu diſceſſum, & ad ſua reditum, monuit Comes, ut priùs contra opidanos non ſegnem facerent impetum. Quo facto, opidani conſciſſo in particulas dimidio bacone (quem ſolum, nec quidquam amplius in cibo habebant) fœdabant ſcuta pugnantium. Quæ res exanimavit Comitem; eo quod eos abundare cibariis, nec capi poſſe, niſi per famem, exiſtimaret. Itaque incenſis lodiis diſceſſerunt. Quidam Lambertus, aliis feſtinantibus, ſe ſubtrahens, ſæpiuſque reſpiciens, vidit de ſuburbio Caſtelli, mulierculam cum vaſe hauritorio ad Legiam deſcendere, concitato equo reverti volentem præripuit, diligenter quid ageretur in opido ſciſcitatus, cumque perterrita diu hæreret; promiſſo ei tandem pretio, confeſſa eſt, nec unius diei cibum eis ſuperfuiſſe. Muneratâ mox muliere, Comitem ſubſequitur: adjunctiſque ſibi fautoribus, poſtulat Comitem, quod nec habuit, nec ſortè habiturus erat. Conclamantibus aliis, id facilè & ſine damno poſſe dari, quod nec haberetur, nec haberi poſſet; aſſenſum præbuit Comes. Igitur Lambertus Caſtellum nondum captum, ſibi & poſteris hæreditario jure, ſub hac conditione poſtulavit: quatenus Caſtelli ſuo labore acquiſiti Comes eſſet Comes, & Dominus, ipſe vero Procurator, & Caſtellanus. Ordinata igitur lege & quæ deinceps inter eos tenenda eſſet Juſtitia, Caſtellum necdum habitum Comes tribuit, Lambertus ſuſcepit. Hæc Caſtellania per totam Flandriam ſola tum erat hæreditaria. Lambertus petitis & acceptis quibuſdam militibus, tubiſque quaſi ad pugnam interciſo ſonitu clangentibus, revertitur: lodias inſtaurat; armat milites in pugnam; inſultationes magnificat; ſuis geſtibus Comitem rediiſſe & adeſſe inſimulat. Opidani autem fame capti, nec ullum ſperantes ſubſidium, maximè timore Comitis, quem reverſum arbitrantur, perterriti, accepta pace & libertate egrediendi, Caſtellum reddiderunt.

Caſtellanorum origo, & eorum quis primus.

Quo etiam ipſe poſtmodum Henricus Cæſar ceſſit, legibus pacis an. CIↃ LVII. Hæc ad illius Chronographi mentem origo *Caſtellanorum Gandenſium:* ita enim ſe poſteri inſcripſere, ad Hugonem Sottenghemium uſque, qui *Burghgravium* id eſt Burgi Comitem, ſe appellavit; donec *Vicecomitis* nomen poſteri adſumpſerunt, nunquam Caſtellani titulo utentes. Quomodo autem *Comitis* nomen omiſſum ſit, non omnino conſtat: ſive illud ex pacto fuerit ante deditionem, cujus Chronographus meminit, ſive poſt pacem cum Cæſare: quando ea Arx conceſſit in poteſtatem Comitis Flandriæ, incertum; etſi veriſimile. De tempore autem illius obſidionis, & deditionis ab hoc ſcriptore in diverſum abit Meyerus: dicit enim ſub *Balduino Pio*, ſive *Inſulenſi*, eveniſſe, anno CIↃ XLVI. (cui accinit Jacobus Marchantius) quod noſter ille Chronographus *Arnulpho Magno* tribuit, an. IↃ CCCC XXXVI. quæ narratio toto ſæculo diſtat. Sed pro Meyero verum ſtare, primum inde ſuſpicatus ſum: quod non temere fuerit diſceſſurus ab illius Chronographi auctoritate à quo multis locis adjutum, paſſim ejus annales loquuntur. Dein etiam rationes quærenti, hæc occurrerunt: Primo, quod novum illud Caſtrum ſtructum demum eſt ab Ottone, anno IↃ. CCCC. XLIX. Itaque non potuit à Lamberto, ſub Arnulpho Magno, anno IↃ. CCCCXXXVI ſuperari, dein quod Bavonenſis ipſe Chronographus ſcribit: *huic novo Caſtello non Caſtellanos primo, ſed Comites præfuiſſe, & ex iis fuiſſe quendam nomine Wichmannum:* quem paulo poſt ad annum IↃ CCCCLXVII vixiſſe dicit. Nunc quod ad *Lambertum* illum attinet, virum fuiſſe è primatibus hujus ævi, certis notis

Digitized by Google

notis ex Chronographi narratione liquet. Nam & familiarem Flandriæ Comiti fuiſſe oportet, & amicos apud Comitem Summates habuiſſe. Belli inſuper gnarum magnæque auctoritatis hæc oſtendunt, quod & exercitum ad obſidionem reduxit, & rebus gerendis cum imperio præfuit. Quæ omnia noſtro illi Arnulphi filio conveniunt; quem eo facilius impetraſſe, quod voluit, putare æquum eſt, quod Flandriæ Comiti ſanguine junctus eſſet, conjugiis Lutgardis Flandrenſis cum Wichmanno, Herimanni fratre, Lamberti proavo, & Machtildis Saxonicæ Herimanni filiæ, cum Balduino Flandriæ Comite Arnulphi filio. Cæſus tandem eſt ab Henrico tertio Cæſare circa Tornacum; ubi Flandrorum ductor illum à noſtris limitibus arcere nitebatur. quod ad an. CIↃLIII eveniſſe ex Meyero videtur. Chronographus tamen Bavonenſis, & cum eo Sigebertus, in annum CIↃLIV ejus mortem refert, eumque uterque Comitem vocat (quo titulo ante dictam conventionem, aut leges pacis, uſum credibile) & Balduini Comitis Satellitem. Inter vero Lamberti ſucceſſores multi vulgò referuntur, quos in Schedis Harduinianis vidi (inquit Lindanus) quas is ſe nactum profitetur apud N. V. Franciſcum Rym, Hundelghemii Dominum, & aliis item eadem ſerie, quas mihi V. N. Lancilotus van Royen, Ghyſeghemii Dominus, communicavit; quorum pleroſque nunquam Caſtellanos fuiſſe, aliquos etiam nunquam natos, variè comperi. Quos autem in probæ notæ Tabulis deprehendi, hic dabo. Lamberto filius fuit *Folcardus* Caſtellanus Gandenſis. De Folcardo nullum mihi dubium. Hujus enim ad annum CIↃ LVIII. Chronicon D. Bavonis meminit: ubi dicitur novi Caſtellani in portu Caſtellanus. Idem an. CIↃ LXXII in Archivis Blandinienſibus inter teſtes legitur Tabularum Roberti Comitis, in confirmatione bonorum Eccleſiæ; & rurſum anno ſequenti teſtis fuit tranſlationis Reliquiarum D. Pharahildis: quod ſcio ex tabulis, quas mihi recitavit CL. V. Leo de Meyere ad D. Pharahildis Præpoſitus Gandenſis. De *Rengoto* autem nihil ego certi inveni, niſi quod legerim in tabulis Roberti Comitis Flandriæ apud Trunchinienſes, mentionem fieri Rengoti; ſed de illis non judico, quas non vidi, alibi anno CIↃ LXVI. Caſtellanum fuiſſe memorant, quod mihi vel maximè ſuſpectum, quum *Folcardus* ab an. CIↃLVIII. Caſtellanus fuerit, & eundem ad an. CIↃLXXIII. Caſtellanum manſiſſe conſtet. Hunc autem Rengotum illum ipſum fuiſſe exiſtimo, quem ſupra inter Teneramondæ Dominos retuli, maritum Adelwidis, hac præſertim ratione: nam neque tempus repugnat; & illum Advocatum fuiſſe Cœnobii Gandenſis validiſſimâ conjecturâ probavi, quam Advocatiam Gandenſis fuiſſe familiæ nemo negat: unde fortaſſis hic error, ut qui *Advocatus* dictus ſit *Gandenſis*, id eſt Cœnobii Gandæ, (ita antiquitus D. Bavonis Cœnobium dicebatur) exiſtimetur idem fuiſſe Caſtellanus Gandenſis. Quod autem ad Rengoti inſignia attinet, quæ ſupra dedi, potuere ea fuiſſe non plena familiæ: ſed ad diſtinctionem aſſumpta, qualia & *Alexandrum Villani de Gandavo*, & alios minores natu gentis Gandaviæ geſtaſſe, variis ſigillis ipſe vidi. Uxorem habuit *Folcardus Landradam*, quam Balderici Comitis Lovanienſis filiam fuiſſe volunt. Ex qua filium reliquit Lambertum.

Henric. III. imperare cœpit an. 1040. & regnavit annos 17. Vid. Carionem l. 5.

Ita Lindanus.

Plures uno eodemque tempore Caſtellani titulum, ſed diverſa ratione geſſerunt.

Fertur & alius quidam Rengotus auctor familiæ de *Talbotz* in Anglia fuiſſe, ex qua Comites Saliſberienſes.

Hic *Lambertus* à morte patris fuit Caſtellanus Gandenſis, qui duos filios reliquit, *Wenemarum*, *Sigerum*. Conjugem habuit Machtildem, filiam Gulielmi Caſtellani Audomarenſis, & Meliſendæ, Arnulfi Pincianenſis filiæ, ex ſtirpe Caroli Magni fuit filius hujus Wenemari.

Lamberto II. ſucceſſit *Balduinus filius, IV. Caſtellanus Gandenſis*. Hic an. CIↃ LXXX ſubſcripſit diplomati Folcardi Abbatis de Advocatione villæ Harnenſis. Hunc *Wenemarus* filius Caſtellanus, Gandenſis, excepit; quod docent Tabulæ Eggoberti, Razonis, &c. Quas cum Gerardo de Sottengien, Waltero de Durle, Balduino & Godefrido ejus fratribus, Everardo de Ganda, & hujus fratre Balduino, *Wenemarus Caſtellanus* ſignavit anno CIↃCXVIII. hunc ab an. CIↃ CI. Caſtellanum fuiſſe docent Tabulæ Manaſſis Epiſcopi Cameracenſis. Idem Eccleſiam apud Bornehem (cujus erat Dominus) fecit libertate donari: qua de re diplomatis exemplar vidi, ſed ſine anno. Prima ei fuit uxor Lutgardis, altera Giſla de Ghiſnes, ex qua Comites Ghiſnenſes.

Poſt hunc invenio *Sigerum VI. Caſtellanum Gandenſem*, fratrem Wenemari & Balduini. Hic an. CIↃ CXX confirmavit diploma Caroli Dani Flandriæ Comitis, *conventione inter Arnulphum Abbatem & Everardum de Gandavo*. Eodem anno ſignavit Tabulas ejuſdem Comitis de libertate Cœnobii; ubi inter teſtes recenſentur Balduinus Aloſtenſis, Razo de Gavera, & Gerardus Camerarius. Idem Sigerus legitur cum Gerardo de Sottengien, in alio quodam ejus Caroli diplomate, quod

datum anno CIↃ CXXIII. Filiam reliquit Aliciam, quæ nupta eſt Hugoni de Pickers militi.

Non ſucceſſit ei Wenemarus ſed junctim cum fratre Sigero Caſtellanus fuit.

Wenemarus Caſtellanus Gandenſis qui cum Ywano Aloſtenſi, Daniele de Teneramonda, & Everardo de Gandavo ſubſcripſit diplomati Theodorici Elſatii. an. CIↃ CXXXIII. Et rurſum eodem anno legitur in altero ejuſdem diplomate, cum Ywano Aloſtenſi, hic idem ille fuiſſe potuit, aut ſaltem ſuperior, de quo ad annum CIↃ CXXVII. Anſelmus Abbas: *Ibi*, inquit, *Legati Comites Morinorum* (id eſt Flandriæ) *Caroli ſcilicet, Caſtellanus Gandæ & Abbas S. Petri ad eum venerunt, nunciantes Dominum ſuum Comitem ſubjectionem ei facturum.*

Error. Vide proxima in ampliore noſtra ſtirpis Gandaviæ deſcriptione. Vivianus tantum ut Præfectus Caſtellaniam gubernavit.

Wenemaro vita functo, *Vivianus* fuit etiam *Caſtellanus Gandenſis*, ut in diplomate Theodorici Elſatii anno CIↃ CLVI. legitur *de terra de Oudevelde, & quadam ſylva Mentach nuncupata, & earum appenditiis, cum omni juſtitia, quod Vivianus Caſtellanus Gandenſis* ſignavit. Fratres habuit Arnulphum, filium Lamberti Caſtellani; patruos, *Wenemarum, Sigerum, Caſtellanos*; Huic Viviano tutorem faciunt Ywanum de Aloſt: qui ea ratione ſe Caſtellanum Gandenſem inſcripſerit diplomate Theodorici Elſatii anno CIↃ CL. de decimis Ooſtburgi. Uxorem Viviani lego fuiſſe filiam Saſſuwali Caſtellani Inſulenſis, qui etiam ex gente Gandavia putatur originem ducere. Creditur enim frater fuiſſe Folcardi, Lamberti primi Caſtellani filii Fratrem habuit Aſchericum, qui Theodorici Elſatii diploma anno CIↃ CLVI. ſignavit, & Gulielmum; quod alterum ejus Principis diploma docet datum anno CIↃ CXLV.

Ghiſnenſis & Gandavo.

Rogerius IX. Caſtellanus Gandenſis & Cortracenſis, Margaretæ ex familia Cortracenſi maritus: qui cum Steppone Aloſtenſi legitur in diplomate Theodorici Elſatii *de indulgentiis teloneorum* anno CIↃ CLVI. & rurſum diplomate Philippi Elſatii ſine anno *de CCC. menſuris Mori inter Calf & Wulfroeck.* Idem ejuſdem diploma ſignavit *de decimis Ooſtburgi* anno CIↃ CLVIII. rurſum anno CIↃ CLXXX. de Bannitis S. Petri. Et denique anno CIↃ CLXXXV. ejuſdem diploma, quo declarat, *quod Comes nihil juris habeat de Gandavo in villa S. Petri.* Filium habuit Rogerium, ut familiæ archiva habent; & inſuper Walterum & Ghiſelbertum, ut liquet ex tabulis Philippi Elſatii anno CIↃ CLXXI donatione terrarum à Lancdam ſecus Cattelegavere: ubi dicuntur filii Rogerii Caſtellani. Quod per excellentiam de Caſtellano Gandavenſi intelligendum nemo neget, quum hæc Caſtellania & potiſſima ſemper fuerit & ſola principio perpetua, idque factum ad imitationem Comitum novi Caſtri, qui abſolute Comites ſe inſcripſere ſine ulla adjectione.

Habent archiva familiæ Sigerum, & Rogerium Cortracenſes.

Rogerium ſecutus eſt Sigerus II. *Caſtellanus Gandenſis*, ut liquet ex diplomate Balduini Comitis, anno CIↃ CXCVIII. *donatione cujuſdam ſylvæ.* Hunc paulo poſt Caſtellania ceſſiſſe, & aulicam vitam monaſticâ mutaſſe locuples teſtis eſt Balduinus, qui anno CIↃ CCI. diplomate, quo *Blandinienſibus legat quatuor bonaria terræ nemoroſæ, pro ſua, & uxoris Mariæ ſalute.* Hunc donationis ſuæ teſtem vocat *fratrem Sigerum quondam Caſtellanum Gandenſem.* De hoc ita Meyerus: *Conſurrexit & Sigerus Gandenſis, vir admodum locuples, & amplæ cognationis, arcemque Gandavenſem contra civium, ut ferunt, ſuperbiam, ab Elſatio Philippo munitam, ſibi ſuiſque libere retinere contendebat.* Indubitatum eſt autem, hanc arcem Gandaviæ gentis fuiſſe ex permutatione cum arce Saſtingana, quam pro Ottonis illa mole Gerardus Sottengemius, Mariæ Caſtellanæ maritus, poſtmodum à Roberto Betunio accepit. Uxorem habuit *Petronillam* quam ad annum CIↃ CCXV, ſuperſtitem fuiſſe ex Tabulis conſtat eo anno datis, quarum hoc initium: *In nomine Patris, &c. Ego Petronilla uxor quondam nobilis viri Sigeri Caſtellani Gandenſis, &c.* Ex hac ſuſtulit Arnulfum, Sigerum, Theodoricum, Danielem, Walterum & Aegidium. Hic ille Aegidius eſt, qui Gandenſi nomine omiſſo, cognomen **de Claeyhout** aſſumpſit, atque ita novæ quaſi familiæ originem dedit.

Patri *Sigerus III.* ſucceſſit Caſtellanus Gandenſis ut docent Tabulæ anni CIↃCCXVI, *quibus Machtildis Domina Teneramondæ, & Sigerus Caſtellanus eligunt arbitros, ad finiendam controverſiam de Tenura, Advocatiæ S. Bavonis, quam parentes* (*id eſt majores*) *eorum tenuerant.* Unde etiam illud liquet, hanc Machtildem noſtram ex Gandavia familia fuiſſe, an paterno genere, an materno, incertum de illo ſuſpicor; quod in Villanæ familiæ Archivis de Heuſden nuncupatur, quod Dominium Gandaviæ gentis fuiſſe plures Tabulæ fidem faciunt. Idem Sigerus dat anno CIↃ CCXVIII, Overbecanis poteſtatem ſtruendi pontem: anno dein CIↃ CCXIX, confirmat donationem patris, quoad decimas, in Bochaut. Idem legitur in diplomate Joannæ Comitiſſæ anno CIↃCCXXI, unde

Digitized by Google

unde & hoc didici, filium habuiſſe Gerardum; & denique Tabulis anni CIↃCCXXVII, largitur Cœnobio Divi Bavonis *decimam, quæ dicitur Smaltiende, in Weveſwale.* Hic ille eſt, quem *inter eminentiſſimos aulæ Proceres* Meyerus ponit. Uxorem habuit Beatricem de Huſdinio, & ex ea liberos, Hugonem, Gerardum (qui Diabolus dictus eſt) Sigerum, Ferdinandum, & Bernardum, hos familiæ archiva ſuggeſſerunt. Tabulæ Bavonenſes ſextum adjiciunt Wilhelmum nomine. Monumentum quod Bornhemii viſitur eſt Sigeri Caſtellani fratris Wenemari Caſtellani.

Sigerus hæredem reliquit *Hugonem Caſtellanum Gandenſem*; quod oſtendunt tabulæ Roberti Betunii Teneramondæ Domini: *ubi, affuerunt*, inquit, *huic negotio cum fieret, homines mei, videlicet Hugo Caſtellanus Gandenſis, & Rodulphus miles de Roden, & Ægidius miles de Morſca, & Dominus Adam de Herdineſſem.* Actum anno CIↃ CCXXVII & aliæ *Sigeri fratris Hugonis Caſtellani*, quibus *oppignorat Cœnobio D. Bavonis decimas in Nieuwenoteneᐧ, ejuſque rei obſidem dat Dominum ſuum Robertum Teneramondæ Dominum anno* CIↃ CCXXXI. Idem cum fratre Sigero recenſetur inter teſtes fundationis Abbatiæ Swivecanæ. Hunc Hugonem Robertus Teneramondæ Dominus, *Caſtellanum Gandenſem Huſdinii Dominum, conſanguineum ſuum* vocat. Uxorem habuit *Odam.* Hæc marito fuit ſuperſtes, ut tabulæ Du-

Fuit Oda de Rodio, vulgo de Roeux, Hannonienſis.

nenſes docent, quarum hoc initium. *Oda Domina Caſtellana Gandenſis, relicta bonæ memoriæ Domini Hugonis quondam Caſtellani Gandenſis, & Domini de Huſdinio.* Hæc anno CIↃ CCXXXII, liberos reliquit, Hugonem Villanum (cujus nomen ab Alexandro filio ad poſteros, ut gentile, tranſmiſſum eſt) Eglinam, & Joannem, cui agnomen Burgundio.

Patrem ſecutus eſt Hugo II. *Caſtellanus Gandenſis*, quod docent Tabulæ, quibus *dat Cœnobio D. Bavonis decimas ſuas in Adendycke, abſque jure feudali, & omni ſervitio liberas, anno* CIↃCCXXXVIII, & aliæ, quibus *Hugo Caſtellanus Gandenſis remittit jus ſuum, quod habebat in quodam foſſato, quod Eccleſia Bavonenſis fodi fecerat in ſuo fluvio, circa locum dictum Oydonck, in alodio Eccleſiæ de Mendonck.* Tertiæ item, quibus *quitat diſcordias inter ipſum & Eccleſiam* motas, ratione ſuæ Advocatiæ Parochiarum de Mendonck, Wondelghem, Everghem, & Eckerghem. Actum anno CIↃ CCXL. Idem legitur inter teſtes Tabularum Guidonis Flandriæ Comitis & Joannis Dampetræ, Toparchæ, S. Deſiderii, ſuper emptione oppidi Baliolani cum appendentiis, anno CIↃ CCLXXXVIII. Minorennem fuiſſe, cum pater vita defungeretur, ex prædicto *Odæ* matris ejus diplomate liquet, *ubi, ipſam quoque conventionem*, inquit, *dilectum filium meum Hugonem, dum ad annos diſcretionis pervenerit, faciam approbare.* Tutorem habuit Gerardum de Gandavo, dictum *Diabolum*, patruum ſuum. Uxorem duxit Mariam (erat hæc Raſonis Gaverani filia) quod teſtantur tabulæ, quibus, *cum uxore Maria vendit Blandinienſibus omne jus, quod habuerat, vel habere potuerat, quoquo modo, in Waſtinis jacentibus in Parochia de Tamiſia; excepto Dominio, & forefactis ibidem contingentibus & per Scabinos adjudicatis.* Hic ille eſt, qui Margaretæ Flandriæ Comitiſſæ vendidit Bornhem Caſtellum pretio trium millium quingentarum & quindecim librarum Pariſienſium: quod ratum habuit uxor ejus Maria. Filiam reliquit Hugo *Mariam Caſtellanam Gandenſem XIV.* Huſdini Dominam, quæ nuptiis in externam familiam hanc dignitatem tranſtulit. Maritum habuit Gerardum d'Engien, Dominum de Sottengien. Utriuſque communes tabulas & ſigilla vidi indicio doctiſſimi viri Antonii Sanderi, in Archivis Equitum Melitenſium Gandavi: quibus *Gerardus Eques, Dominus de Sottenghien, & Hodain, Caſtellanus Gandenſis, & uxor ejus Maria Caſtellana Gandenſis, & Domina dictorum locorum, dant equitibus S. Joannis* (qui vulgò Templarii) *partem terræ ante domum templi* (id eſt Templariorum ædem) *ſuper Brielo* (loci id nomen Gandavi.) *Actum anno Domini* CIↃ. CC.XCIII. *Dominica Lætare.* In ſigillo, quod integrum, ſpectantur mariti inſignia gentis d'Engien, conjugis vero Gandaviæ ſive Villanæ. Iidem ceſſere Roberto, Guidonis filio, Flandriæ Comiti, arcem Ottonianam Gandavi, facta mutatione cum arce Saftingana, qua de re exſtant Tabulæ datæ anno CIↃ. CCC. Huic Mariæ, uti & parenti ejus, tutorem dant *Gerardum de Gandavo*, qui ſe etiam *Diabolum* inſcribit, *Sigeri Caſtellani* filium, fratrem *Hugonis Caſtellani*, qui fuit avus hujus *Mariæ*; Filium reliquit *Maria Hugonem*, qui à morte matris *Burchgravium* ſe *Gandenſem* & *Vicecomitem* inſcripſit: quod & alibi obſervavi, & in Tabulis, quibus *Ioannes de Naeldewyck* (Hugonis cognatus) *largitur Ioanni Mendonck hæreditariam ſuam portionem in bonis Gerardi Diaboli, quas Hugo Dominus de Sottengien, Burggravius Gandenſis, confirmavit* anno CIↃ. CCCXVI. Hactenus ita ferè Lindanus. Itaque è Gandavenſi, ſeu Villana Comitum Iſenghemiorum familia Comites Gandavenſes, ſive Caſtri Ottoniani, Wichman-

mannus, Theodoricus, Arnulphus, Lambertus. Ex iis vero oriundos plures Comites Aloſtenſes, idem recenſet Lindanus. *Derivatum* etiam *hunc Comitatum ex Comitibus Caſtelli novi Gandenſis ab Ottone Cæſare ad Gandavum anno* 948. (ſic ipſe ſentit) *ædificati, & à ſplendida Germanica familia, cui deinde à Gandavo nomen fuit, manſitque, adminiſtrati*, aſſerit Marchantius. *Nam illius*, inquit, *Arcis Ottonianæ Præſidibus, terra Brachanta, quæ poſt Aloſtana audiit, cum quatuor Ambactis aſſignabatur, ut ſtipendia alimoniamque præſidiariis militibus illinc providerent, quam auctoritatem in dominatum verterunt. Cæſarum beneficio Aloſtani Comites dehinc nuncupati*. Inter eos, eodem Lindano teſte, Adalbertum, Arnulphi filium, Theodorici nepotem, Wichmanni pronepotem, primum Comitis Aloſtani titulum accepiſſe, ex archivis ejuſdem familiæ & hiſtoriis colligitur. Filium putatur & reliquiſſe Adalbertus, quem *Rodulfum* Chronographus Affligemienſis vocat, Fulgentius Abbas in diplomate *Adolphum*, qui in familiæ Villanæ Tabulis anno CIↃ. LXX. vixiſſe dicitur. Illum *Balduinus* filius excepit: qui conjugem habuit *Odam*, unde ſuſtulit Balduinum Craſſum, (qui Niceæ ſaxis obrutus periit) Rodulphum, qui Comiti Flandriæ fuit à cubiculis; Ghyſelbertum, qui Foreſtenſis juxta Bruxellam Cœnobii auctor; Gertrudem, quæ Arnulphum Bergenſem maritum habuit; & Leodegardin, quæ in fraterno Cœnobio cum Oda matre vitam Deo ſacravit. Hic ille Balduinus eſt, cujus, & Ghyſelberti filii, Lotbertus Abbas meminit in diplomate Foreſtenſi anno CIↃLXXXVIII. & illum ibidem Gandenſem vocat. Patre vita functo, filius *Balduinus* Comitatum adiit, habuitque uxorem Remavinden (ita Meyerus ad annum CIↃ. C. eam alibi Reynevinden vocat) unde nati Balduinus, Ywanus.

Lib. 1. Commentar. in deſcriptione Aloſti.

Vide Miræum Origin. Benedict. cap. 57.

Fuit Balduino uxor Lutgardis de Grimberga.

Balduinus ætatis privilegio hanc ditionem accepit, fuitque adhuc ſuperſtes anno CIↃ. C. XXV. ut liquit diplomate, *quo cum fratre Twano reddit Eccleſiam de Herenbaldeghem in manus Epiſcopi ad opus Eccleſiæ Affligemienſis*. Hujus diplomatis initio Aloſtenſi cognomine utitur, in ſigillo autem Gandenſem ſe vocat: quo nomine etiam ſuperiores illos uſos conſtat. Filiam reliquit Beatricem, quæ nupta eſt Theodorico Burburgenſi, alii ſororem ejus Adam nomine, uxorem Dixmudani faciunt.

Meyerus 1140.

Mortuo Balduino fratre, *Twanus*, excluſa Beatrice illius filia, hunc Comitatum occupavit, præſidio Theodorici Elſatii, cujus filiam Laurettam uxorem duxerat. Ex illo conjugio natus Theodoricus, qui à morte patris, *Dei gratia Dominum & Principem Aloſtenſem* ſe inſcripſit; donatione quadam Affighemienſibus facta anno CIↃ. C. XLIV. Hic ducta uxore Laurentia, Balduini Hannoniæ Comitis filia, cum nullam reliquiſſet ſobolem, *Philippus Elſatius* Flandriæ Comes, nequidquam reclamante *Theodorico Burburgenſi*, Comitatum accepit, & ad poſteros Flandriæ Comites in hoc uſque ævum transmiſit. Hugo Sottenghemius à morte matris primò ſe Burchgravium, ſeu Vicecomitem inſcripſit. Is, Lindano teſte, ad annum uſque CIↃ. CCC. XX. ſuperſtes uxorem habuit Beatricem de Putte & Stryen; unde filiam ſuſtulit, & hæredem Iſabellam, quæ in flore ætatis extincta eſt anno CIↃ. CCC. XXVIII. Hæc maritum habuit *Hugonem de Antoing*, Eſpinoyæ Dominum, hereditarium Equitum Flandriæ Magiſtrum. Hæredem reliquit *Iſabellam de Antoing* Vicecomitem Gandenſem (ita, Caſtellani nomine plerumque omiſſo, poſteri ſe vocavere) quæ prioribus maritis, *Henrico Lovanienſi*, Herſtalli & Gaesbekæ Domino, & *Alfonſo de Caſtella*, ſine hærede mortuis, tertium nupta eſt *Joanni de Meleun*, Monſtrebelai Domino, qui Carolo ſexto Gallorum Regi à Cubiculis fuit, à quo modernus *Vicecomes Gandavenſis* originem ducit. Hoc enim conjugio natus eſt *Hugo*, cui conjux *Beatrix de Beaufort*, quorum filius *Joannes* Eques aurei velleris ſuſtulit ex *Joanna de Abbeville*, Caumontii Domina, *Joannem*, maritum *Mariæ de Sarrebruſſe*, filiæ Comitis Rouſſy, patrem *Joannis*, qui uxorem habuit *Eliſabetham de Luxenburgo*. Hunc filius *Franciſcus* excepit, *Ludovicæ à Foix*, Candalæ Comitis filiæ, maritus, pater *Hugonis* primi Eſpinoyæ Principis, cui conjux *Jole de Werchin* Hannoniæ Seneſchalla, ex Barbançoniis oriunda. Unde natus *Carolus* Eſpinoyæ Princeps, *Petrus* Hannoniæ Seneſchallus, *Robertus* Vicecomes Gandenſis, *Helena*, & *Maria* quæ *Lamoraldo* Principi de Ligne nupta, præter plures liberos, peperit *Florentium* Marchionem Robacenſem. Ex prædicta Hugonis & Joles ſobole Petrus ex Hippolyta Montmorenciaca liberos ſuſtulit, Guilielmum, Henricum, Henrico-Annam & Petro-Hippolytam: qui dum in Gallis per nupera Belgarum diſſidia ſeceſſum habuere; morte *Roberti Vicecomitis*, qui ſine prole deceſſerat, ad *Mariam* ejuſque filium *Florentium*, dono Regis ea dignitas abiit; pacatis vero Belgarum Gallorumque rebus, *Gulielmus* de Meleun, Petri filius, Eſpinoyæ Princeps, jure poſtliminii avitam hanc poſſeſſionem recepit, & nunc

Mutato nomine Caſtellani.

Caſtellania quomodo familiæ de Antoing.

Digitized by Google

nunc poſſidet. Hic finis Caſtellanorum novi Caſtri Gandenſis & Vicecomitum. Unde Bilingios Gandavium nomen aſſumpſiſſe manifeſtum. Cæterum cum olim ampliſſima Comitis & Caſtellani fuerit poteſtas, ſenſim majore Comitum Flandriæ potentia fracta & imminuta, nunc Vicecomes Gandavenſis labarum, ſeu vexillum Gandenſe portat, villarum aliquot cenſus percipit, & viarum vicariumque vectigal. Primatum quoque inter Vicecomites tam Imperii, quam Regni, Comitiis Flandrenſibus obtinet.

Sed ut ad ea, de quibus antea non plenè locuti ſumus, redeat eximia Gandavenſis ſeu Villanæ gentis, nullique non inter Europæas propagines comparanda nobilitas, id promeretur; plura ut hic de eadem, tum è fidelibus hiſtoriis, tum è diplomatis, aliiſque incorruptæ veritatis, quæ paſſim adhuc in cœnobiis Belgicis latent, monumentis hauſta, in medium adferamus. Illius itaque majores, à quibus Comites, & Caſtellani Gandavenſes ortum, & ab his modernus Iſenghemii Comes ejuſque liberi habuere, Catalogus hic recenſebit. Quem vel ob id jucundum civibus noſtris, lectuque ſuavem fore confido: quod non ad illius modo familiæ ſplendorem, & ornamentum, ſed ad urbis quoque noſtræ dignitatem, ac gloriam (ex ea etenim uti Conſules non paucos, quorum ſumma per ea tempora fuit in univerſa Flandrorum Provincia auctoritas, ita militarium ordinum Duces, & exercituum etiam Præfectos habere promeruit) ad iis etiam, quæ prius diximus, majorem lucem, ac fidem conciliandam momenti plurimum allaturus ſit. Ab eo itaque, qui primus è Germania in hanc Belgicæ partem venit, & gentis hujus apud Flandros quaſi fundamenta jecit, auſpicabor. Fuit autem is circa annum Domini 940.

Vide Meyborm. vind. cias Bilingian.

Wichmannus Biling Saxo. Frater ei fuit Herimannus Dux Saxoniæ inferioris, cui uxor Hildegardis de Weſterburch, dono Ottonis primi Imperatoris. Ab Herimanno venit Benno primus Saxoniæ Elector, & Machtildis uxor Balduini, filii Arnulphi magni Flandriæ Comitis, poſtea Godefridi Ardennatis. Herimanni vero abneptis nomine Gertrudis uxor fuit Florentii Comitis Hollandiæ, poſt Roberti Friſii Comitis Flandriæ ſenioris. Ejus ſtirps deſiit in Helica uxore Ottonis Divitis, Comitis Aſcaniæ, Balmſtede, & Anholt, & Wilfilde Duciſſa, uxore Henrici Bavari Guelphi, qui Niger dictus, obiit 1125, quæ ad has familias dignitatem Electoratus & Comitis Stabuli, Gladiferi tranſtulerunt. De Herimanno ſic Witichindus antiquiſſimus Saxoniæ ſcriptor: *Placuit igitur novo Regi, novum Principem militiæ conſtituere, elegitque ad hoc officium virum nobilem, & induſtrium nomine Herimannum. Quo honore non ſolum cæterorum Principum, ſed & fratris ſui Wichmanni offendit invidiam. Quapropter & ſimulata infirmitate amovit ſe ab exercitu. Erat namque Wichmannus vir pot ns & fortis, magnanimus, belli gnarus, & tantæ ſcientiæ, ut à ſubjectis ſupra hominem plura noſſe prædicaretur.* Hactenus Witichindus. Henningius verò, etiam celebris in Germania ſcriptor, Herimannum, fratrem Wichmanni, *virum nobiliſſimum* vocat. Tertius frater Udo Biling. Quartus Wichmanni frater fuit Amelingus 960. Werdæ ad Rhenum Epiſcopus. Wichmanni uxor ſecunda Lutgardis, filia Arnulfi Magni Comitis Flandriæ. Ambo in Blandinio ſepulti ſunt. Cui Monaſterio ad annum 962. Theſlam (pagus nunc Deſſelberghe vocatur civitati Gandavenſi vicinus) donavit, *pro remedio animæ ſuæ, & conjugis ſuæ Lutgardis*, ita in diplomate loquitur, quod etiamnum ibidem exſtat, & à Miræo ſuo Donationum Codici inſeritur. Titulus eſt: *Wichmannus gratia Dei, non meis meritis, Comes, &c.* Novi videlicet Caſtri Gandavenſis, cui ſuberant quatuor officia, Aſſenede, Hulſt, Axela, Bocholt, Waſia tota, & Aloſtum, juxta Marchantium. Fors & Teneramonda vicina. Ex Lutgarde liberos ſuſcepiſſe Gandenſes Advocatos & Dominos de Bornehem veroſimile, quæ obiit 961. Prius vero nuptias in Germania contraxit, & filios, Theodoricum, & Wichmannum juniorem, ita dictum ad diſtinctionem patris, habuit. Horum mentionem facit Witichindus; item auctor quidam alius nomine Ditmarus. Wichmanni itaque filius.

Lib. 2. de geſt. Sax.

Part. 2. f. 93.

Wichmannum Lotharius nobiliſſ. Com. vocat.

Vide Meyer. ann. 961, &c. Witichindum, Oudegerſtum, Lindanum.

Theodoricus Comes. Hic anno 953, fuit Dux exercitus Ottonis Imperatoris in obſidione Moguntiæ; frater ejus Wichmannus, qui conjugem habuit, &, quod veroſimile, in Saxonia Comitatum. Uxor Theodorici fuit Hildegardis, filia Theodorici Aquitani, Hollandiæ Comitis. Donant conjunctim Monaſterio Blandinienſi Cleyham in pago Flandrenſi. Ejus rei exſtat diploma in Blandinio. De Wichmanno autem juniore, hujus fratre, operæ pretium ſit, Witichindum ita loquentem audire: *Quum ex adverſo, & poſt tergum premeretur Wichmannus, fugam inire tentavit. A ſociis igitur arguitur ſceleris, quia eos ipſe ad pugnam inſtigaverat, fidenſque equo, quo, cum neceſſe foret, fugam facile iniret, coactus equo ceſſit, pe-*

De hoc vide Crantzium, Sigebertum, Meyerum, Flodoardum.

Meyer. ann. 977.

Lib. 3. fol. 48. 49.

deſtris cum ſociis certamen iniit, eoque die viriliter pugnans, &c. Optimates autem hoſtium cum eum reperiſſent, ex armis agnoſcunt, quia vir eminens eſſet; interrogatuſque ab eis, quiſnam eſſet, Wichmannum ſe eſſe profeſſus eſt &c. Ille, licet in ultima neceſſitate ſit conſtitutus, non immemor priſtinæ nobilitatis, ac virtutis, dedignatus eſt talibus manum dare, &c. Accipe, inquit, hunc gladium, & defer Domino tuo, qui pro ſigno victoriæ eum teneat, & Imperatori amico tranſmittat; quo ſciat aut hoſtem occiſum deridere, vel certè propinquum deflere: & his dictis converſus ad Orientem, ut potuit, patria voce Dominum exoravit, animamque multis miſeriis, & incommodis repletam pietati Creatoris omnium, effudit. Quod vero Theodoricus hic in Comitatu Gandenſi patri ſucceſſerit conſtare poteſt ex eo, quod filius ejus Arnulphus Gandenſis, & Comes Gandavenſis dictus ſit.

Ad an. 981. Vide Anſel. Can. Leodienſ. de geſtis Epiſc. Leodienſ.

Arnulfus, Theodorici filius uxorem habuit Lutgardim, cognatum Everardum, cui filius Balduinus Dominus de Rumminſgien. Soror quoque Arnulfi fuit Lutgardis uxor Hilduini. Arnulfus hic Gandenſis dicitur à Balderico, Sigeberto, auctoribus Synchronis, ab Ægidio verò Aureæ Vallis, qui ante quatuor ſæcula ſcripſit, Comes Gandavenſis nominatur. Eundem bona in Friſia habuiſſe, & ibidem contra Friſones dimicantem occubuiſſe iidem auctores referunt. Albericus vero auctor, qui ab annis quadringentis etiam floruit, eum Hollandienſem vocat. Quin & Annales Hollandiæ eum pro ſuo Comite agnoſcunt. Ægidius autem de Roya Monachus Dunenſis, eum de Gandavo dictum tradit, quod Gandavi natus fuerit. Quod eum fuiſſe Gandenſem Comitem pariter indicat. Ad annum 981 Arnulfus quaſdam ſui juris poſſeſſiones donat Blandinienſibus in pago Teroanenſi ſitas. Extat diploma in Blandinio. Idem ad annum 998 Roberto regnante in Francia, & Domino Abbate Rodboldo regente idem Cœnobium, donat Blandinienſibus Eccleſiam de Materne in ditione Aloſtana. Extat diploma, quod ſic habet: *Arnulfus gratia Dei Comes cum conjuge Lietgarda, & filio Adalberto conſequi cupiens portiunculam beatitudinis cum his, qui patrimoniis ſuis Domino legaliter traditis, cœleſtem pervenerunt ad hæreditatem, donat Cœnobio Blandinienſi Gandavi allodium ſuum, id eſt, Eccleſiam in villa Materne, cum omni integritate ad ipſam pertinente, in culturis, terris, mancipiis, &c. ut videre eſt in litteris ſubſignis dicti Arnulfi, Balduini junioris Marchiſi, Adalberti Comitis, filii Arnulfi, Theodorici Comitis, filii Arnulfi, &c.*

An. R. Lotharii 28, ſub regimine D. Abbatis Widonis.

An. 1018.

Arnulfus filios habuit quatuor, *Adalbertum, Theodoricum, Henricum & Lambertum. Theodoricus, Arnulfi fil. Caſtri novi Gandenſis Comes*, uxorem habuit N. de Luſignan, ſororem Oginæ, Balduini Pulcrobarbi conjugis. Ab hoc manare ſeriem Comitum Hollandorum quidam, nec immeritò, ſuſpicantur. Occubuit in Friſia mortem patris ulturus. De patre ſic Anſelmus Canonicus Leodienſis de Geſtis Epiſcoporum Leodienſium: *Arnulfus Comes Gandavenſis contra Friſones dimicans victus, fugâ ſalutem meditatus eſt, ſed præventus ab illis occiſus eſt; cujus mortem Theodoricus filius ejus ulciſci aggreſſus, totam pœnè Friſiam igni, ferro, omnique nocendi arte populatur.* De filio verò ita Sigebertus: *In Freſonia Theodorico Comite, filio Arnulfi Gandavenſis, debellante Friſones in vindictam patris ſui ab eis occiſi, &c.* Baldericus verò ſic: *Theodoricus Arnulfi Gandenſis filius, qui participium Monarchiæ Friſonum tenebat, Friſones pro morte patris, quem interfecerant, ſuſpectos habebat.* Adſtipulatur Chronicon Ninivenſe, eiſdem cum Sigeberto, unde deſumpta videntur, verbis; *Anno* 1018. *in Freſonia Theodorico Comite Flandrenſi, filio Arnulfi Gandenſis, debellante Freſones in vindictam patris ſui ab eis occiſi, Godefridus Dux Lotharingiæ ad eos debellandum ab Imperatore mittitur, ut Freſones ......qui conſenſerant. Conſerto itaque prælio, repente vox, unde, neſcitur, quaſi deſuper immiſſa ſonuit: Fugite, fugite; ſicque multis in fugam verſis, multi à paucis occiduntur, Dux vero capitur: Dux autem Godefridus, impetrata Freſonibus ab Imperatore totius injuſtitiæ impunitate à captivitate ſolvitur; & non multo poſt moritur. Frater vero ejus Goſelo in Ducatu ei ſuccedit.*

Lib. 3. cap. 19.

Extat Niniviæ mſc. auctore Balduino ante 300. & plures annos.

Theodoricus vocatur Comes Freſoniæ à Balderico, & Ægidio. *Bellum quoque geſſit contra Godefredum Lotharingiæ Ducem, Epiſcopum Trajectenſem, & alios. Conſtruxit munitionem juxta Dordracum in Meerwede;* ita Baldericus. *Pugnavit propè Vlaerdingem*; ita Ægidius. Friſia tum temporis extendebatur per Hollandiam, Zelandiam, & alias vicinas inſulas uſque in Flandriam, Teſte Lamberto Schafnaburgenſi ad annum 1071 & aliis auctoribus.

A quibuſdam ſtatuitur hic primogenitus.

Alter Arnulfi filius fuit *Adalbertus*, à quo Comites Aloſtani, qui Gandavenſes dicti, & à quibus Domini Teneramondenſes orti videntur; qui etiam ex parte Advocati S. Bavonis, uti Caſtellani Gandavenſes, fuere. Uxorem habuit *Adalbertus Ermengardin de Lovanio.*

Saxoniæ porro Duces, Electores, & Hol-

Digitized by Google

Holſatiæ Comites, è Vilingiis natos, & familiæ Gandavenſis majoribus accenſendos eſſe, non obſcure, neque inconcinne oſtendit *Henningius* Germanicarum ſtirpium clariſſimus ſcriptor, in ſynopſi ſua, Tomo primo, fol. 97. videndus & paſſim *Matthæus Voſſius* in Hollandiæ Zelandiæque ſuis annalibus, ac *Jacobus Eyndius* Haemſtedæ Dominus, in Chronico Middelburgi edito ad annum MDCXXXIV, qui & Theodoricos illos veteres Hollandiæ Comites ab ea familia oriundos non invalida ratione docent. Neque in eam rem infirma adfert argumenta in diſſertatione ſua vernacula Illmus. nuper Comes de Gomiecourt, vir acri inprimis judicio, multaque, noſtratium præſertim, ac Romanarum antiquitatum cognitione præditus. Quam, utpote accuratam, & familiæ id promerenti non exiguum decus allaturam, ſcriptis hiſce meis inſertam volui.

Rapport des premiers Comtes de Gand, avec ceux de Saxe & de Hollande de meſmes noms & temps.

Ceux qui ſe plaiſent aux recherches des maiſons illuſtres, ont des raiſons & conjectures hiſtoriques aſſez fortes pour eſtimer, que tant les Comtes d'Aloſt, que les Chaſtellains de Gand, avec les Comtes de Guines, Sieurs de Coucy, & les Villains Comtes d'Iſenghien, qui en deſcendent, tirent leur origine d'un Wicman Comte, Gouverneur du nouveau Chateau de Gand & des contrées voiſines, ſous l'Empereur Othon premier; mais comme pluſieurs eſcrivains modernes, & entre autres David Lindanus, en la Deſcription de Tenremonde, adjouſtent que leur Wicman eſtoit le Comte Wicman Saxon, frere de Herman Duc de Saxe, ſi celebre aux hiſtoires de ce tems-là, & que de plus ils attribuent à ceux de ſa poſterité les actions d'aucuns Comtes de Hollande; Il m'a ſemblé à propos en faveur de la verité d'examiner brievement ces deux points, problematiquement touttesfois, & avec proteſtation de ne vouloir prejudicier en rien à la ſplendeur de la ditte famille, à laquelle je ſuis lié d'une ſi eſtroićte alliance & parenté.

Or d'autant que ledit Comte Wicman eſt la principale matiere de ce diſcours, il eſt bon de recourir à ce que Meier, & apres luy Oudergeſt, & Marchant diſent de l'uſurpation d'une partie de Flandres par l'Empereur Othon ſur le grand Arnoult, & que pour la maintenir il fit baſtir le nouveau chaſteau de Gand, qu'il commiſt ſous la charge du Comte Wicman l'an 949, du treſpas de Lutgarde fille dudićt Arnoult & femme de Wicman à l'an 961, & de la mort de Wicman à l'an 967, avant tout leſquels auteurs la Chronique ancienne de S. Bavon de Gand en parle encore ainſi en ces termes à l'an 936: *Otho Henrici filius Caſtellum novum, quod ad ripas Legiæ ſitum eſt, non Reges Franciæ, non Comites Flandriæ, ſed Imperatores Romanorum in fiſco & in libera poſſeſſione S. Bavonis ad defenſionem ipſius monaſterii & antiqui caſtri Gando propter diviſionem regni & Imperii ſtatuit*: & un peu plus bas; *huic caſtello non Caſtellani ſed Comites præfuerunt, quibus quæſtor villæ cum appendiciis Ainethe, Bouchout, Axel, & Hulſt cum tota Waſia ſubjiciebantur, horum Comitum unus nomine Wichmannus in uxorem habens Lutgardim, filiam Arnulphi Marchionis, Ottoni diu rebellis, caſtrum ejus novum in Heuchem vi ceperat, & tenuerat, à Miſacha Slavorum regulo Ottonis amico perimitur.*

Lindanus donc & ceux de ſon opinion, pour tacher de la prouver, peuvent mettre en avant tout premierement la conformité des façon & couleurs noire & blanche des armoiries du Duché de Saxe, & de pluſieurs lieux de Weſtfalie & Friſe (qui en eſtoient membres anciennement) avec celles de l'eſcuſſon des Comtes d'Aloſt & Chaſteau de Gand.

La parieté des noms, ſiecle, & dignité de Comte de l'un & l'autre au ſervice de l'Empereur Othon.

Le nom Saxonique de Wicman & la convenance qu'il y avoit qu'un Saxon confident, & parent d'Othon ſelon Witikind liv. 3, commandat au Chaſteau de Gand.

La tradition tres-ancienne ſuivie, comme veritable, non ſeulement par les plus vieilles genealogies des heraults, & annales vulgaires du pays de Flandres, depuis qu'on a commencé à en eſcrire, mais encores par leſdits Meier & chroniqueur de St. Bavon, puis que bien qu'erronément ils penſent que Wicman, Comte de Gand, n'eſtoit qu'un avec Wicman Saxon le Jeune, qui apres s'eſtre pluſieurs fois rebellé, & fuy *in Galliam ad Hugonem Ducem*, lequel Hugues eſtoit couſin fort proche de Lutgarde femme de Wicman, Comte de Gand, fut enfin tué par les gens de Miſca roitelet Slavon ami de l'Empereur, ainſi que remarquent particulierement Wi-

tikind liv. 3. & Sigebert à l'an 997.

Et bref: que comme *Thiadericus juniorque Wichmannus* leſquels conduiſirent une armée au ſecours de leur Oncle Herman Duc de Saxe, ſelon Witikind ci-deſſus, font à tenir pour enfans du Comte Wicman de Saxe, frere dudit Duc Herman; de meſme le ſucceſſeur du Comte Wicman de Gand eſtoit auſſi appellé Thiery, dont appert tant ce que ledit Comte Thiery à ſigné la charte du Comte Wicman de Gand donnant en l'an 962, le village de Theſla aux moines de Blandin lez Gand pour l'ame de la Comteſſe Lutgarde ſa femme fraiſchement treſpaſſée, comme encores par autres lettres d'Arnould, Comte de Valenciennes, de Bauduin le Barbu Comte de Flandres, auſquelles il a ſouſcrit, & par les ſiennes propres qu'il à depeſchées en faveur de la dite Abbaye ez ans 984, & 985, peut eſtre en conſideration de ce que Lutgarde eſtimée ſa mere eſtoit enterrée audit monaſtere au dire de Meier l'an 961.

On peut reſpondre à tout cela en la façon ſuivante, & par meſme ordre. Premierement, que bien que le Duché, monnoie, & pluſieurs lieux de ladite Saxe, Weſtfalie, & Friſe, portent pour armoiries, un eſcuſſon à chef, de couleur noire & blanche, comme les Comtes d'Aloſt, & les Chaſtellains de Gand; ſi eſt ce que je doute ſi au temps dudit Empereur Othon ces Comtes uſoient d'armoiries ſucceſſives, ou pour le moins qu'elle des cinc ou ſix familles qui ont tenu le Duché de Saxe, portoit ces armoiries de blanc & noir.

Car comme d'un coſté, l'ancienne Abbaie de Corbie ſur le Weſer ornée deſdites armoiries ſemble teſmoigner leur vieileſſe, ainſi il y a d'ailleurs ſubjet de ſoubçonner qu'elles appartenoient à l'une deſdites dernieres races, d'autant que les eſpées de la mareſchauſſé hereditaire où electorat de Saxe ſont repreſentées croiſées ſur l'eſcu en queſtion; & qu'on ſçait aſſeurement, que leſdites dignitez n'ont eſte attribuées aux Ducs de Saxe à l'excluſion d'autres, ſinon bien longs temps depuis ledit Othon Empereur, premier du nom. Voiez Honufre Panvin *de Comitiis Imperialibus.* Et quant à l'Archimareſchallat, Herman Contract d'eſcrivant à l'an 1063, les ſolemnitez de la chevalerie de l'Empereur Henry IV, aſſeure que Godefroy, Duc de Lorraine fut lors pourveu dudit office. *Dux Godefridus Scutarius ejus eligebatur.* Othon de St. Blaiſe chap. VIII, eſcrit qu'à la diette aſſemblée à Beſançon par l'Empereur Frederic premier l'an 1156, *Otho Palatinus de Witilinſpach* Palatin de Baviere, *gladium majeſtatis Imperatori adſtans tenebat*, & un autre Othon Eveſque de Friſingue liv. 2, chap. v. des geſtes dudit Frederic, nous apprend que Pierre, Roy de Danemarck *coronatus gladium regis ſub corona incedentis portavit,* ne ſoit que leſdites eſpées de la mareſchauſſée ayent eſté du depuis appliquées ſur un plus vieil eſcuſſon.

Les noms, temps & qualitez ſemblables, cauſent plus ſouvent des equivoques & erreurs en l'hiſtoire, qu'ils ne ſervent à eſclaircir quelque doute: & qui conſiderera que pluſieurs Henris, Godefrois, & notament cinq Comtes principaux nommez Conradis, deſquels 2 ou 3 avoient pour peres des Everards, ont fleuri en Alemagne, ſous le regne du meſme Othon premier, advouera malaiſement l'identité des perſonnes de nos deux Comtes Wicmans par celles de leurs noms ſeulement.

Wicman eſt un nom ſi particulier à la Saxe, qu'il n'eſt preſque pas uſité hors d'icelle; & j'advoüe auſſi que le Comte Wicman le vieil pouvoit eſtre parent, ou allié de l'Empereur Othon; veu que Wicman le Jeune, neveu du Duc Herman de Saxe, qui eſtoit frere dudit vieil Wicman, eſt qualifié par Witikind liv. 3, *propinquus Othoni*, mais que ledit Wicman ancien fut confident & aimé de l'Empereur environ l'an 949, auquel fut baſti le Chaſteau de Gand, il ne le faut pas advoüer legerement. Car le meſme Witikind liv. 2, raconte qu'il ſe retira du ſervice de l'Empereur: *ſeſe abalienavit à Rege*; lors que Herman ſon frere fut pourveu du Duché de Saxe, au temps de la rebellion de Giſelbert Duc de Lorraine, l'an 939, & ne ſe reconcilia audit Empereur qu'au reuniement de Conrard, Duc de Lorraine, & ſiege de Majence en l'an 953.

Les genealogies des heraults ſont de petit poids chez les hommes ſçavans, tant pour eſtre ordinairement pleines de fables treſfautives & flatteuſes que compoſées par perſonnes non verſées en l'antiquité, & s'arreſtans ſur touttes ſortes de memoriaux & peintures; mais la tradition conſtante eſt bien d'autre eſtime, principalement quand elle eſt vraiſemblable, & confortée d'aucuns hiſtoriens judicieux & par avanture anciens: de ſorte que celle de Wicman Saxon Comte de Gand eſtant telle, on devroit faire moins de difficulté d'y preſter de la croiance, s'il n'y a quelques puiſſans ar-

Digitized by Google

arguments à l'encontre, comme ceux de l'article precedent, ou autres des ſuivants que l'on pourroit propoſer.

Aſſavoir qu'au dire de Flodoard auteur contemporain: *Anno* 934. *Arnulphus de Flandris filiam Heriberti olim ſibi juramentis alterutro datis depactam ſumit uxorem*, & perſonne n'a jamais aſſigné autre femme audit Arnould, Comte de Flandres, que Adele ou Adelye fille de Heribert Comte de Vermandois. Puis Witikind eſcrit au livre 2, *quæ militante adverſum Moguntiam Rege* (*Othone*) *Hermannus Dux Saxoniam procurabat, cum novus exercitus à Saxonia ad ſupplementum veteris mitti debuiſſet, Thiadoricus juniorque Wicmannus* (dequels il appelle le Duc Herman *Patruus*) *ei præfuere*. Ce ſiege de Majence eſt marqué à l'an 953, tant par le continuateur de Rheginon & Flodoard lors vivans; que par Lambert de Schafnabourg, Marian Eſcoſſois, & Sigebert voiſins dudit temps, voire par le dernier à l'an 952: Comment donc les enfans du Comte Wicman de Gand, & de Lutgarde de Flandres fille du grand Arnould, pouvoient ils commander en chef à une armée venant audit ſiege de Majence. Puis que Adeliſe de Vermandois n'ayant eſté mariée que l'an 934, Lutgarde Comteſſe de Gand ſa fille ne pouvoit avoir que 19 ans au plus, au temps dudit ſiege; & leſdits Thiery & Wicman pretendus enfans de la dite Lutgarde ſeulement ſix ou ſept. Witikind ſoubjoinct incontinent apres, qu'en ce voiage, Wicman le jeune eſtant corrompu par les meſnées de Lindophe fils de l'Empereur, & de Conrard Duc de Lorraine, qui s'eſtoient rebellez *patruum* (*Hermannum Ducem*) *exin arguere & paternæ hereditatis raptorem dicere cœpit*. Et au livre 3, qu'environ la victoire remportée ſur les Hongrois, & mort dudit Duc Conrard, advenue ſelon touts les auteurs ſuſdits en l'an 955, l'Empereur Othon taſchant de reduire le jeune Wicman luy remonſtra, *quia deſtitutum à patre & matre loco filii eum aſſumpſerit liberaliterque educaverit, honore paterno promoverit*. D'ou l'on peut recueillir, que le pere & mere dudit jeune Wicman eſtoient lors decedez; & luy pourveu de l'honneur, c'eſt à dire du Comté de ſon pere audit an 955.

D'autre coſté, cependant la charge du Comte Wicman de Gand donnée au Monaſtere de Blandin à l'an 962, & le Chroniqueur de St. Bavon, teſmoignent qu'eſdites années, ledit Wicman jouiſſoit encores de la lumiere du monde, & du Comté de Gand plus de ſept ans apres ladite bataille des Hongres, & mort du Duc Conrard de Lorraine, & Meier note la mort de la Comteſſe Lutgarde à l'an 961 ſeullement.

A quoy il eſt encores loiſible d'adjouſter que Witikind parle par tout deſdits Thiery & Wicman, comme Seigneurs nez & adomiciliez en Saxe; au contraire de ce que nos annaliſtes Flamens les font demeurer à Gand.

Mais il y a quelque ſorte de replique à tout cela; ſi on reſpond que par avanture Wicman de Gand avoit eu encore une autre femme auparavant qu'il eſpouſa Lutgarde de Flandres, & que du premier mariage pourroient eſtre ſortis leſdits Thiery & jeune Wicman nez & eſlevez au pays de Saxe, ou bien que le grand Arnould Comte de Flandres fut pere de ladite Comteſſe Lutgarde avant eſtre marié, auſſi bien que d'Elſtande, ravie par Sifrid uſurpateur de Guines, l'an 930; comme eſcrivent Iperius & Meier; & il n'y a pas de honte pour la famille de Gand de le prendre de ce ſens la, veu qu'eſdits ſiecles prochainement poſterieurs les enfans naturels eſtoient encores tant honorez que Aldolph fils de Sifrid & de ladicte Elſtande fut fait Comte de Guines; Guillaume baſtart parvint à la ſucceſſion du Duché de Normandie, & Guillaume de Loo baſtard d'Othon puiſné de Flandre, fut Comte de Kent en Angleterre, eſpouſa la niepce de Clemence, Comteſſe, doüaire de Flandre & tant de ſon aide que celle d'autres Princes querella puiſſament l'heritance dudit Comté de Flandre.

Quant aux motz de *deſtitutus à patre & matre & de honor paternus* il faudroit les interpreter benignement comme ſi l'Empereur Othon euſt voulu dire à Wicman qu'aiant eſte mal partagé & quaſi oublié de pere & de mere, il l'auroit receuilly en ſa Cour, & advancé aux Comtés & biens que Wicman ſon pere, avoit autresfois poſſedez en Saxe avant ſa retraitte, ou d'autres charges de pareille dignité.

Meſmes comme le temps auquel l'Empereur tint ces propos au jeune Wicman, eſtoit environ la deſcente des Hongres l'an 954: & que Wicman le vieil ſe reconcilia à la conjoncture du ſiege de Majence, l'an 953, on pouroit par avanture aucunement preſumer, que l'ancien Wicman vivoit encore quand le jeune Wicman fut induit à ſe rebeller la premierefois, ſous pretexte que le Duc Herman s'eſtoit ſaiſi d'aucuns biens que ſon pere avoit delaiſſés, peut eſtre durant ſaditte retraitte.

Ces charges donc & honneurs conferez

Digitized by Google

au jeune Wicman, l'auroient obligé auſſi bien que ſon frere Thiery, lequel je remarque chez Witikind, mentionné entre les Gouverneurs dudit Duché de Saxe, faire quelque reſidence audit pays, qui pouvoit veritablement eſtre tenu pour leur patrie, à l'occaſion, & raiſon de leur origine, & patrimoine.

Quant au ſecond point; le Comte Thiery de Gand, ſucceſſeur de Wicman eſpouſa une Dame nommée Hildegarde, avec laquelle, ſelon Meier, il aumoſna au monaſtere de Blandin, l'an 977. *Cleiham in pago Flandrenſi,* (c'eſt Keim pres de Dixmude) *conſentiente Arnulpho filio Theoderici Comitis.* Et depuis cet Arnould, & ſa femme Lutgarde donnérent au meſme monaſtere, l'an 998, *Eccleſiam in villa Materna* (Matere près d'Aloſt) par lettres gardées audit Blandin, eſquelles ſe voient *ſigna Theoderici & Adalberti filiorum Arnulphi Comitis.* Or comme en meſme temps Jean de Leyden, Beka, & devant eux le Chroniqueur de l'Abbaye d'Egmond, avec le reſte des Hiſtoriens d'Hollande, nous propoſent Thiery II, Comte d'Hollande, & Hildegarde ſa femme, puis Arnould leur fils auſſi Comte dudict pays, marié à une Lietgarde, & pere d'un autre Comte Thiery: quelques uns pouroient douter, ſi Hildegarde femme de Thiery de Gand, ſucceſſeur de Wicman, n'auroit point eſté fille du premier Thiery, Comte d'Hollande, & ſœur du ſecond, comme les heraults & memoires de la famille de Gand aſſeurent, & qu'en ſuitte de cet Arnould de Gand leur fils, auroit ſuccedé au Comté d'Hollande, à Thiery deuxieſme ſon Oncle maternel, mort en ce cas ſans hoirs, au lieu que par erreur, il auroit eſté eſtimé fils dudit Thiery II, d'Hollande & d'Hildegarde ſa femme, à cauſe qu'il eſtoit auſſi fils d'un Thiery, & Hildegarde, mais Comte & Comteſſe de Gand.

Cette conjecture eſt merveilleuſement confirmée par Baldric liv. 2, chap. XIX, & Sigebert à l'an 1018, ou ils appellent *Arnulphum Gandavenſem patrem Theodorici Comitis,* cet Arnould Comte d'Hollande, qui fut tué par les Friſons à Winkel au recit de touts les annaliſtes dudit pays, & Gilles moine d'Orval, ancien pres de quatre cens ans dit encore plus expreſſément au chap. 67, ſur le Chanoine Anſelme que *Arnulphus Gandavenſis Comes contra Friſones dimicans victus fuga ſalutem meditatus eſt, ſed præventus ab illis occiſus eſt, cujus mortem Theodoricus filius ejus ulciſci aggreſſus, totam pene Friſiam igni, ferro, omnique nocendi arte populatur.* Laquelle entrepriſe de Thiery en vengeance de la mort de ſon pere, vous trouverez pareillement remarquée par touts les auteurs ſuſdits.

Voila les fondements de ceſte opinion, & qui ont porté pluſieurs eſcrivains & genealogiſtes à confondre les perſonnes & actions des ſuſdits, entre autres Jean Douza attribue à ces Thiery 2, & Arnould Comte d'Hollande, les donations faictes à l'Egliſe, par les Comtes Gantois; & au contraire Lindanus raconte les guerres que firent les Comtes Hollandois à Winkel, & Merweden comme ſi elles euſſent eſté exploittées, par les Comtes Thiery & Arnould de Gand, pour recouvrer la ville de Stavere en Friſe, qui ſelon leſdits genealogiſtes leur eſtoit patrimoniale, & porte encore aujourd'huy les armoiries de la maiſon de Gand.

Pour deſmeſler ces doutes, il faut conſiderer avant tout, que les Comtes & Chaſtellains de Gand, n'ont jamais pretendu rien à la ſucceſſion du Comté de Hollande, ny les Hollandois au Comté de Gand. Puis touttes les Chroniques dudit pays generalement font leur Comte Thiery 2, fils d'un autre Comte Thiery & non de Wicman; & donnent pour fils à Arnould ſon ſucceſſeur, une fille nommée Arlinde, ou Adelheide, & un ſecond fils nommé, Egbert Archeveſque de Treves; ce qui eſt encore aſſeuré au regard dudit Egbert. Arnould ſon frere & leſdits Thieris leurs pere & aieul par un moine contemporain dudit Egbert, traittant des miracles de St. Adelbert d'Egmont; teſmoignage aſſeuré, ce diroit on, que Arnould de Hollande n'eſtoit pas arriére-fils de Wicman; outre ce qu'il n'y a memoire aucune que l'Archeveſque Egbert ny ſa ſœur Adelheide ayent appartenu au ſang des Comtes de Gand; Touttes fois nous ne voions rien de plus frequent en nos Hiſtoires que nos beaux peres, & gendres appellez *pater & filius,* & je ne puis diſſimuler en ce lieu, que tant les Chronicques manuſcrites, qu'imprimées des Eveſques & ville de Treves, qualifient ledit Archeveſque *Egbertum de Britannia Theoderici Comitis filium*: mais je ne ſçay ſi le mot de *Britannia* ne ſeroit point vitieuſement tranſcrit de *Batavia*, ou ſi ledit Egbert auroit eſté partagé de quelque Seigneurie de Brittem ou Brittembourg; & en tout cas l'auteur des miracles dudit St. Adelbert eſt beaucoup plus ſeur, & ancien que les autres.

L'Abbé Gilles de Roie, moine des Dunes, qui paſſé 150 ans, a abregé le chronodrome de Jean Brando religieux du meſ

me

me lieu, aiant eſcrit environ 50 ans auparavant, veut nous apporter la raiſon pour laquelle Arnould Comte d'Hollande, fut ſurnommé de Gand, diſant, *porro Arnoldus alias Arnulphus Gandavenſis dictus quod natus eſſet in Gandavo cum Friſonibus, juxta Winkelmer cum multis a Friſonibus occiſus eſt*: & j'ay encores lû pluſieurs exemples pareils, & ſignamment, d'un Jean Duc de Lencaſtre, fils du Roy d'Angleterre Edoard 3, lequel de Lencaſtre eſt cogneu aux Hiſtoires du monde, Jean de Gand, a cauſe de ſa naiſſance advenue en la ville. Et celle d'Arnould d'Hollande au meſme lieu eſt un argument ambidextre pour chacune de nos deux opinions, car les Hollandois diront n'eſtre merveille que leur Comte Thiery 2, & Arnould premier aient beneficié l'Egliſe de Blandin, puis qu'ils avoient faict quelque reſidence audit Gand; & d'autre par les noſtres ſe confirmeront à croire que Arnould d'Hollande eſtoit iſſu de la famille des Comtes de Gand puis qu'il avoit pris naiſſance en ladite ville.

Finalement la mort dudit Arnould de Hollande, occis par les Friſons occidentaux à Winkel ou Winkelmer, ſemble fournir encore une autre difference entre nos Arnoulds; puis que tous les eſcrivains l'aſſignent d'un accord à l'an 993; là ou au contraire, il nous reſte une charte ſuſalleguée d'Arnould Comte de Gand, touchant le don de l'Egliſe de Matere par luy conferée à ceux de Blandin, en l'an 998, ſçavoir eſt 5 ans apres le treſpas d'Arnould Comte de Hollande, au moins ſi ſondit deces eſt veritablement annoté eſdites Chronicques, leſquelles non plus que les autres ne ſont pas exemptes d'erreurs en maints endroits.

D'abondant, ils ne cognoiſſent Arnould d'Hollande, pere que de deux fils ſeullement, de Thiery 3, & de Sifrid de Brederode, Seigneur de Stavere en Friſe, par l'alliance qu'il prit *à Tietburga filia Goſſuini de Stavrin poteſtatis totius ulterioris Friſiæ*, ce qui merite un peu de reflexion pour le droit que les genealogies donnent à ceux de Gand, en ladite ville de Stavere: mais Arnould Comte de Gand, laiſſa bien plus grande lignée que le Comte Hollandois, car il eut 4 fils pour le moins, Thiery & Adelbert, qui ſoubſcrivirent aux lettres paternelles de ladite Egliſe de Matere, & les Comtes Henry, & Lambert frere dudit jeune Comte Thiery, leſquels ſont ainſi nommez, & declarez teſmoings d'une charte par laquelle Baudouin Comte, Marquis de Flandre, & Adelis ſa femme, donnent quelques biens au monaſtere de Blandin, en l'an 1037. Neanmoins ce ne ſeroit pas grand cas que les annaliſtes d'Hollande euſſent obmis, faute de cognoiſſance, quelques uns des enfans de leurs Comtes.

Series Comitum Aloſtenſium è familia Gandavenſi.

ADALBERTI filius *Rodulfus*, creditur ex Ermangardi; ejus mentio fit ad annum 1046, 1056, 1070. Uxor ejus Comitis Valencenenſis ſoror. Hic Rodulfus ſubſcribit litteris Balduini Barbati, & Oginæ Comitiſſæ filii de ſylva pabulenſi, in qua hoſpites Eccleſiæ ligna acceperant, ad focum faciendum, vel domos reperandas, quamque Eccleſia vendere, ſuccidere, vel ad culturam redigere poterit, anno 1046. Rodulfi filius fuit

Vide Meyer. & Marchant. in Archivis Marchianenſis Cœnobii.

Balduinus Aloſtenſis Truncinii Dominus; huic uxor Oda. Illi Robertus Flandriæ Comes abſtulit Truncinium. Filius Balduino ex Oda fuit alter.

Meyer. ann. 1082; 1097. 1100.

Balduinus cognomento Craſſus, qui in obſidione Niccæ periit lapidibus obrutus. Uxor ei *Rynewydis*, (Fieri potuit, ut eadem hæc mulier duo etiam haberet nomina; quanquam illo ſæculo rarò id fuerit uſitatum) ſecundùm Lambertum Ardenſem, probæ fidei & antiquum ſcriptorem, *Lutgardis de Grimberga*. Frater Rodulfus, Gandenſis, dictus de Aloſt, Flandriæ Cubicularius. Cui filii, Lanzo, Sigerus, nepos Michaël, Ghyſelbertus Rodulfi frater, Foreſtani, vulgò te; Du;ſt juxta Bruxellam Cænobii fundator, qui uxorem habuit Gertrudem, filiam N. de Bergis; filii putantur Wilhelmus & Ghyſelbertus; nepotes, Steppo, Albaldus 1164. Engelbertus Dominus de Petinghem, Gertrudis, uxor Arnoldi Ardenſium Domini. Alii volunt Arnulfi Bergenſis. Leodegardis cum matre Oda Foreſti fuit Religioſa. Filius

Meyer. ann. 1082; 1127.

Balduini Craſſi *Balduinus Gandenſis*, Comes Aloſtenſis, dictus Luſcus & Gernobodatus, ob longam barbam. Uxorem habuit Machtildem, quam claris ortam natalibus dicit Lambertus Ardenſis in ſua Giſnenſi Hiſtoria. Ejus hoc eſt in Archivis Aſſligemienſibus diploma:

Meyer. ann. 1125; 1126.

In nomine Sanctiæ & individuæ Trinitatis. Ego Balduinus de Aloſt, & frater meus Iwan notum fieri volumus omnibus in Chriſto fidelibus: quod divina, ut credimus, compuncti inſpiratione de peccatis noſtris; & conſiderantes, quam breves ſunt dies hominis, reddidimus Eccleſiam de Hernbaldeghem in manus Epiſcopi ad opus Eccleſiæ Aſſligemienſis, pro redemptione animarum

rum noſtrarum, & patris noſtri parentumque noſtrorum: dedimus etiam eidem Eccleſiæ Affligemienſi duo curtilia Herenbaldeghem juxta molendina jacentia, & duos manſos terræ, qui jacent ante portam ipſius, &c. Inſuper allodium noſtrum in Teſtrepo, quod necdum alicui in fœdum aſſignavimus, eidem Eccleſiæ contulimus, cum omni jure libertatis, & Dominii, quo illud tenebamus, &c. Acta ſunt hæc anno Domini 1125.

Meyerus 1125, 1137, 1139, 1140, 1144, 1146.

Iwanus, vel Ivo Gandenſis frater Balduini Gernobodati & filius Balduini Craſſi, ex Reyneweide, uxorem habuit *Laurettam*, Theodorici Elſatii Flandriæ Comitis filiam. Is excluſa nepte Comitem ſe Aloſtanum fecit. Illius etiam nomine, vel tutoris titulo Caſtellanus fuit Gandavenſis 1150. Soror Ada, uxor Dixmudani, mater Theodorici Dixmudani. (*Du Tillet fol.* 215. *en ſon Recueil des Roys de France. Petrus Oudegerſt. Lindanus, Marchantius, &c*) De Iwano & Lauretta hoc in Abbatia Meſſinenſi legitur diploma:

In nomine Sanctæ & invidua Trinitatis. Ego Philippus Flandriæ & Viromandiæ Comes cunctis fidelibus in perpetuum, &c. Noverint tam poſteri quam moderni, quod Iwanus de Gandavo, & uxor ejus Lauretta, ſoror mea, dederunt in eleemoſynam per manus Theodorici Comitis Flandriæ, patris mei, Eccleſiæ Mecinenſi terram ſuam juxta Comines, quæ appellatur Ploits, cum omnibus pertinentiis ſuis, præter homines fœodarios. Sicut igitur mihi innotuit id eſſe verum, tam viva voce patris mei & hominum meorum, quam ſcripti authoritate, ejus ſigillo muniti, &c. Datum Brugis anno Domini 1176.

Aliud in Archivis Truncinienſibus.

Aub. Miræus Cod. Donat. fol. 296. *cap.* 94.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Iwanus de Gand, quoniam plurima, niſi ſcripta fuerint, &c. Notum igitur facio tam futuris, quam præſentibus, quod allodium meum in villa, quam Burſt vocant, ſeu quicquid juris inibi erat, excepta mancipatione ſervorum, ab omni noſtra vel laica poteſtate omni modo mancipatum, pro amplificando Dei nominis & laudis honore, ad uſum fratrum Trunchinienſis Eccleſiæ, Præmonſtratenſem Ordinem profitentium, Deo, ſanctæque Mariæ Genitrici ſuæ, perpetuæ Virgini, quæ loco præfato præſidet, liberè tradidi, una cum uxoris meæ Laurettæ, filiæ Thodorici, cui, quæcunque noſtræ poſſeſſionis erant, in dotem dederam, gratuita conceſſione, & devota petitione, & ipſum ſub præſentia & manu Domini Goſwini, fratribus ſuis coram poſitis, ſuper ſacrum altare Trunchinis manu propria obtuli, &c. Actum Trunchinis anno 1139. *Indictione* 2, *Epacta XVIII, Concurrente VI Kal. Octob.*

Theodoricus Gandenſis, Iwani ex Lauretta Flandrenſi filius, Dei gratia Dominus & Princeps Aloſtanus, uxorem habuit *Laurentiam*, Balduini Comitis Hannoniæ filiam. Is cum nullam haberet ſobolem, Philippus Elſatius Comitatum Aloſtenſem, nequidquam reclamantibus propinquis ac hæredibus, adiit. De Laurentia ita F. Jacobus de Guiſa:

Vide Fr. Iac. de Guiſain Hiſt. Hannon. p. 3. *l.* 13. *c.* 1.

Laurentia, quæ erat tertia filia Balduini, deſponſavit Theodoricum Comitem de Aloſt, ſed mortuus eſt ſine hærede. Quæ Laurentia, poſt mortem mariti, ad domum Balduini patris ſui reverſa eſt, & manſit in viduitate uſque ad mortem patris. Tandem maritata fuit Domino Bouchardo de Montmorency, de qua ipſe ſuſcepit filium unicum, vocatum Matthæum, qui poſtmodum notabilis miles exſtitit, & famatus.

Meyer. ann. 1166.

Comitatus Aloſtenſis ad Comites Ghiſnenſes, familiæ Gandavenſis, debuit rediiſſe de jure per Beatricem Broburgenſem, uxorem Arnoldi Comitis Ghiſnenſis, filii Balduini; quæ neptis fuit Beatricis Aloſtenſis & hæres Balduini à Gandavo, qui Luſcus fuit dictus, & Gernobodatus. Occupavit eum nihilominus Flandriæ Comes. Cum quo hanc ob rem tertio conventum fuit, ac ultimum anno 1231. à Balduino Comite Ghiſnenſi cum Ferdinando Luſitano Flandriæ Comite. Litteræ ſunt in Archivis Comitis Gandavi. (Iwanus de Gandavo, patruus Beatricis occupaverat; & poſt mortem Theodorici filii ejus ad Comitem Flandriæ Philippum ex pactis quibuſdam ditio Aloſtana pervenit.)

Lambertus denique quartus à quibuſdam Arnulfi Gandavenſis, & Liergardæ filius conſtituitur. At quæ extra controverſiam poſita ſint, & omninò certa ejus rei adferre argumenta hactenus nobis inconceſſum. Non levibus tamen de cauſſis inducimur, id ut credamus. Cùm enim contemporaneus filiis Arnulfi Comitis Gandavenſis fuerit, frater eorum vel eſſe potuit, vel patruelis & conſanguineus: cum ordinarium etiam fuerit minores familiæ habere partes & titulos Advocatiarum. Qualis & hic extitit nomine, & bonis. Lambertus autem primum ſe Caſtellanum Gandavenſem vocitavit, quaſi eam dignitatem à Balduino Flandriæ Comite hæreditario jure poſſidendam adeptus foret. Caſtellanus quoque in vita S. Macarii per Bertulfum coætaneum auctorem ſcripta appellatur anno 1010. à Meyero etiam dicitur anno 1011. Senator. Nominatur & Advocatus Blandinienſis, & pater Folcardi

Meyer. anno 1046. *Petr. Oudegerſt. cap.* 39. *Annal. Fland.*

Renzotus fr. creditur fuiſſe Folcardi. Vide Lindan. & P. Buzelin. in Hiſtor. Galloſland.

Digitized by Google

di anno 1026. Hujus rei in Blandinio exſtat diploma. Ab hoc igitur reliqui longâ ſerie Caſtellani. Vixit per hæc tempora Rengotus de Ganda, quem fuiſſe Teneramondæ Dominum non vanè ſuſpicamur. Fuit in fundatione S Petri Inſulenſis 1055. ſecundùm Meyerum 1066, ſed malè. A quibuſdam putatur etiam titulo Caſtellani Gandavenſis uſus. Sed alius à Gandavenſi fuit Rengotus anno 1087. Caſtellanus Inſulenſis. Exſtat in Truchinio diploma, quo Robertus Flandriæ Comes bona Trunchinienſium eximit. Actum in Eccleſia Iſlenſi. Invenitur & Rengoti Gandavenſis alia mentio anno 1063, in fundatione monaſterii Eynhamenſis, & ibidem anno 1064. Quando autem hæc Caſtellania facta fuerit, ſcire operæ pretium eſt, & licet omnes fateantur factum id eſſe bellis Comitis Flandriæ contra Imperatorem geſtis; diverſis tamen id eveniſſe temporibus auctores narrant. Chronicon Bavonenſe tempore Arnulfi veteris, Meyerus ſub Balduino Inſulano. Quare ad conciliandos, quantum poſſumus, auctores illos, diverſas fuiſſe occupationes caſtri Gandavenſis conjicimus. Unam ſub Arnulfo non vetere, ſed juniore, & magno Principe; qui plures habuiſſe terras dignoſcitur in Brachbanto. Vide Divæum. Vel, quod magis arridet, ſub Balduino Barbato circa annum 1000, qui & tunc temporis Valencenas, & alia ad Scaldim ſub mortem Ottonis tertii occupavit. Vide Baldericum, & alios. Tum verò amiſſo Caſtro Gandavenſi receperunt ſe Comites in Aloſtum. Et qui prius Gandavenſes dicti Comites, prima ſede & Dominio Comitatus Gandavenſis amiſſo, retento nihilominus & ad poſteros tranſmiſſo cognomine Gandavio, Comites & Domini Aloſtenſes, Principes etiam dicti fuerunt. Verum anno 1006, Henricus Imperator, cùm in Flandros crudum & acre bellum moviſſet, anno ſequenti Gandavum invaſit, aliosque Caſtri Præfectos conſtituit. Sed cùm eodem anno Comes Flandriæ Gandavum de novo occupaſſet, idque potiſſimum induſtria & ope Lamberti, in hæreditatem familiæ ſuæ (ut creditur) redire cupientis, etiam paulo poſt inter Cæſarem & Flandriæ Comitem inita eſt concordia: & reſtitutis Cæſari Valencenis, illi, propter aliquod videlicet Imperiale feudum, Comes manſit obnoxius; quod fuiſſe Caſtrum Gandavenſe commoda ratione aſſeritur: cum enim non ita diu poſt, eidem Flandriæ Comiti à Cæſare Valencenæ, imo & ipſa Walachria reſtituta ſit, nemo mirabitur, ſi ab eodem Cæſare antea Gandavum cum ſuo Caſtro Comes impetrarit. Et licet hic in Lamberto militiæ merita non attendiſſet, vel eo ſolum reſpectu, quod ipſum è primis Caſtri Gandavenſis Dominis & Comitibus noſceret, Caſtrum cum magna eorum, quæ prius ſubjecta habuit, portione tradiderit. In diplomate etiam (quod ante paucos annos in Archivis Blandinii viſum viri fidem meriti narrant) anno 1037, uti teſtes ſignant Comites *Henricus, & Lambertus, fratres Theodorici junioris Comitis.* Rodulphus, Gerardus, Hugo, &c. In illo Balduinus Comes & Marchiſus Flandriæ, cum uxore ſua Adela, Roberti Cappeti filia, donat varia bona Blandinienſi Eccleſiæ. Lamberti filius fuit

Exſtant Tituli in Archivis Afflighemienſib.

Sub Abbate Columbano 1600.

Folcardus Caſtellanus Gandenſis circa annum Domini 1072. Robertus Comes Flandriæ confirmat Abbati & Conventui S. Petri Gandenſis bona eis conceſſa à prædeceſſoribus ſuis. Inter teſtes ſunt, *S. Roberti Marchiſi, S. Folcardi Caſtellani Gandenſis, S. Lamberti filii ejus, S. Alardi fratris ejus, S. Balduini, S. Euſtachii, S. Hugonis, S. Arnulfi filii ejus. Actum anno* 1072. Idem Folcardus interfuit tranſlationi Reliquiarum S. Pharahildis ſequente anno. Uxor Folcardi fertur Landrada.

In Archivis Blandinienſibus.

In Archivis ejuſdem Eccleſiæ.

Lambertus (*Caſtellanus creditur*) *Gandenſis* filius Folcardi, ut è diplomate Roberti Comitis jam adducto patet. Creditur pater Wenemari. Uti enim Folcardus in eodem diplomate filium ſuum Lambertum, ita Wenemarus avum ſuum Folcardum vocat in Titulo ſequenti. Etiam reperitur anno 1071. Super altare S. Petri Gandenſes libertate donat ſibi ſubditos, ubi ſe Caſtellanum indigetet; credimus eum ante patrem obiiſſe, & nepotem Wenemarum poſtea Caſtellanum fuiſſe.

Wenemarus Folcardi nepos, Caſtellanus Gandavenſis, Dominus de Bornehem, duas habuit uxores Prima fuit *Lutgardis*, altera *Giſla*, filia Balduini Comitis Ghiſnenſis. De hac ſic Lambertus Ardenſis: *Ghiſlam verò poſtea uxorem habuit viribus vir incitus, & genere Gandavenſis oppidi Caſtellanus nomine Wenemarus.* (Vixit anno 1088. ex Archivis Foreſti prope Bruxellam & 1133. ex Archivis Blandinii, & 1136. ex Lamberto Ardenſi in Hiſtoria Ghiſnenſi.)

Gertrudis, uxor Roberti Hieroſolymitani Comitis Flandriæ, fundat unam præbendam in Eccleſia S. Walburgis Furnenſis, & jungit eam aliis quatuordecim præbendis ibidem fundatis. Teſtes Arnulfus Morinenſis Eccleſiæ Archidiaconus cum Canonicis ſuis, &c. *Præterea de Primatibus terræ Everardus Tornacenſis & frater*

In archivis Eccleſ. S. Walburg. Furnenſ. Affl. Lindan. in Bornhem.

Digitized by Google

ter ejus Hugo Cameracenſis, Onulfus Dapifer, Wynemarus Caſtellanus Gandenſis, Caſtellanus Bergenſis Robertus, &c. Actum eſt in Baſilica Furnenſi publicè anno ab Incarnatione Domini 1095.

Wenemarus Caſtellanus Gandenſis Eccleſiam apud Bornehem; &c. cum membris ſuis, &c. libertate donat, quemadmodum ab avo ſuo Folcardo ſub banno confirmatum erat, &c.

In archivis ejuſdem Ecleſ. & Cœnob. Marchianenſ. 1135. Pro parte, quia forſiam pater ejus Lambertus obierat ante avum Folcardum, vel partiri voluerat.

Balduinus Comes Flandriæ dat unam Eleemoſynariam præbendam Eccleſiæ Formoſelenſi, ubi inter alios teſtes *Wenemarus* Caſtellanus Gandenſis anno Domini 1117.

Wenemarus ſubſcribit litteris Theodorici Comitis Flandriarum, de redditis partibus decimæ de Ritnengis à Comite in feodo moventibus per Danielem de Teneramonda.

Sigerus Caſtellanus Gandenſis, filius ſecundo genitus Lamberti Caſtellani, quam habuerit uxorem hactenus non invenimus. Filia fuit illi *Alicia de Gandavo*, quæ nupta *Hugoni Inkers militi*.

Reperitur teſtis in quodam diplomate *Balduini*, Flandriæ & Hannoniæ Comitis, quod concernit quoſdam proventus & jura Præpoſituræ Novi Caſtelli, &c. *S. S. de Gant. R. de Gavera, &c. Actum Cortraci coram hominibus meis de Flandria anno gratiæ* 1129.

Alicia hæc ſecundis nuptiis juncta fuit *Stepponi*, dicto *de Bornhem*, quem exiſtimamus fuiſſe Stepponem de Aloſto, viduum Margaretæ de Ghiſnes.

Vivianus Caſtellanus Gandavenſis reperitur in Trunchinio 1156. & alibi. Creditur Sigeri filius, vel è filia nepos, aut potius frater. (Poſt hunc Caſtellanus invenitur Iwanus de Aloſt, ex familia Gandavenſi, & poſt illum Rogerius Cortracenſis. De quo mox.)

Comites Ghiſnenſes è familia Gandavenſi.

Meminit Meyer. Obiit circa ann. Domini 1169. Lamberto Ardenſi teſte.

ARNOLDUS, ſive *Arnulfus Gandavenſis*, Wenemari Caſtellani, filius, uxorem habuit Mathildem, filiam Caſtellani Audomarenſis. Fratres ejus fuere *Wenemarus, Sigerus, Balduinus*, à Liskenſibus occiſus, *ſoror Margareta, uxor Stepponis militis Gandavenſis.*

Wenemarum ſine prole defunctum putavit Lindanus, & alii quidam. Forte quia in familiam Ghiſnenſem ſtirps ejus tranſiit, nomenque & arma Ghiſnenſia ſequentes è ſanguine Gandavenſi Comites aſſumpſerunt. Fuiſſe autem Arnoldum hunc Wenemari Caſtellani filium, & territorii Ghiſnenſis Comitem conſtat tum è diplomatis variis, tum è Chronico Abbatiæ Andernenſis, quod olim à Gulielmo (vixit anno 1211) ejuſdem Abbate conſcriptum in membrana exſtat in poſſeſſione Collegii Societatis JESU Bergenſis. Ibi fol. XLIX. ſic loquitur: *Arnoldus Gandenſis Wenemari*, ſcilicet Caſtellani, *filius, cujus idem Comes Manaſſes fuerat avunculus, quique ab ipſo Comite* (Philippo videlicet Elſatio) *villam & Caſtellum de Tornehem, & omnia ejus appenditia ipſo vivente jure feodali fuit adeptus, &c.*

Idem fol. L. *Cujus auxilio contra Arnoldum Gandenſem ſupra memoratum, hujus Ghiſnenſis territorii Comitem, & contra filium ejus Balduinum, in eodem Comitatu hæredem, & ſucceſſorem, ita ſe ſtrenue habuit, &c.* Vide & Lambertum Ardenſis Eccleſiæ Canonicum, probatiſſimæ fidei auctorem. Nam in illo tractu circa annum Domini MCC. vixit, & rebus geſtis ſæpe interfuit, & hiſtoriam ſuam Arnoldo cuidam Comiti Ghiſnenſi dedicavit. *Andreas du Cheſne en l'Hiſtoire des Roys, Ducs, &c. de Bourgoingne l. 3. cap. 71. ita loquitur, Baudouin premier Comte de Ghiſnes, & Adele, ſurnommée Chreſtienne, ſon eſpouſe; il eut pour freres Robert, dit Manaſſes, Conte de Guines, Foulquez, Conte de Baruth en la terre Saincte, & Hugues Archidiacre de Teroane, lequel priſt depuis les armes. Ses ſœurs furent Adelis de Guines, qui par le moyen de Geofroy, Eveſque de Paris, frere d'Euſtace, Conte de Bologne ſon couſin, eſpouſa Geofroy Seigneur de Semur en Brienois, dont elle eut Geofroy Seigneur de Semur, un des plus vaillants Chevaliers de toute la Bourgoingne, & Giſle de Guines, femme de Winemar Chaſtelain de Gand, qui procrea d'elle Arnoul, Winemar, Siger, Baudouin, & Margriete de Gand.*

Ad cæteros vero longa ſerie Ghiſnenſes, è ſanguine Gandavenſi Comites, cum quantum poſſum, brevitati ſtudeam, non procedo. Sufficiens hic enim mihi labor erit, neque opera inanis, ſi non adducta eorundem Ghiſnenſium Comitum ſequela, ſeriem tantum Gandenſium Caſtellanorum, etiam ab Arnoldo Gandavenſi, Ghiſnenſi Comite, in recta linea maſculina venientium, adduxero, tituliſque certis, & ſcriptorum gravium auctoritate confirmaro. De Ghiſnenſibus autem opus plenum edidit Andreas du Cheſne, vir egregius, & quo non præſtantior alter in Genealogiis contexendis, hac tempeſtate invenitur. A Ghiſnenſibus venerunt etiam Domini de Coucy, eminens & opulenta olim

Digitized by Google

olim, in Gallia præſertim, familia. Ampliter eam rem diducit idem Andreas du Cheſne lib. 8. cap. 3. hiſtoriæ de Chaſtillon: ubi dicit, quod Arnoldus Comes, ducta uxore Alicia de Coucy, filia Engerrani tertii Domini de Coucy, & Mariæ de Montmirel Dominæ d'Oiſy, filios habuerit Balduinum, Engerranum, & Joannem Vicecomitem Meldenſem. Hic Engerranus primus nomen & arma familiæ de Coucy aſſumpſit; quod ab ejus quoque poſteris obſervatum eſt. Duxit hic Engerranus Chriſtianam de Bailloeul, filiam Thomæ, & neptem Joannis Regis Scotiæ. Tantus enim hujus familiæ ſplendor fuit, ut adfinitates & matrimonia cum maximis Europæ Principibus contraxerit. Cujus rei titulos, & teſtimonia paſſim in ſcriptis ſuis graviſſimi auctores adferunt. Videndus in primis Franciſcus de Alouette Gallus, qui de Couciaca familia volumen è profeſſo ſcripſit. Videndus & Froiſſardus, auctor celebris & fidei probatæ, Tom. 1. fol. 160, item fol. 209. verſo, veteris editionis Pariſienſis, ad annum 1530, & aliis in locis; qui varia de Engerrano, prioris Engerrani nepote, & honorifica narrat. Idem Tom. 1. fol. 81. verſo, ita loquitur: *Et là vindrent devers le Roy le Duc de Lorraine, & Meſſire Henry de Bar à belles gens d'armes. Le Duc de Lorraine fut ordonné à eſtre avec ſon fils le Sire de Coucy, & Meſſire Henry de Bar demoura de lez le Roy.* Videndus item Joannes de Tillet, Chap *de la ſeconde branche de Bourgoingne*, Meyerus variis in locis, Scævola San-Marthanus Tom. 1. lib. 8. cap. 18. Pontus Heuterus in rebus Burgundicis, Nicolaus Vigner Hiſtoriæ Luxemburgenſis cap. 37. Belleforeſt Tom. 2. lib. 5. cap. 69. fol. 125. Ludovicus denique Gollut lib. 10. cap. 14. fol. 645. qui omnes, præter alios à me hactenus non viſos, eximia multa, & præclara de Couciacis heroibus in annales, & hiſtorica monumenta retulere. Unum verò hic præ cæteris, inter hujus ornamenta familiæ ſummum, præterire non debeo; Engerranum nempe Couciacum anno 1338. ſub Philippo Pulcro, Gallorum Rege (cujus etiam ſtudio & opera res ea contigit) Catharinam, Leopoldi Auſtriæ Ducis cognomento Strenui filiam, duxiſſe uxorem. Quod hactenus de nulla, quantumvis illuſtri Principum, qui quidem ſuperiorem alium agnoſcunt, familia legimus. Vide du Tillet, apud quem contractus connubialis exſtat.

Verum nunc operæ pretium erit hic pauca de Rogerio Cortracenſi, qui ſe quoque Gandavenſem Caſtellanum ſcripſit, priuſquam ad alios procedamus, in medium adferre.

Rogerius itaque Cortracenſis, Margaretam, Arnulfi filiam, conjugem nactus, ea conditione, ut, quamdiu viveret, Caſtellani Gandavenſis officium teneret, ut Arnoldo ſpoponderat (*quod & verbo & opere firmavit*) eo titulo frequenter uſus eſt, & ſe Caſtellanum quoque Gandavenſem ſcripſit. Exſtat Ipris in Archivis Morinenſibus titulus Theodorici Comitis Flandriæ 1151. Signat Arnoldus Comes Ghiſnenſis, & Rogerius Caſtellanus Gandenſis. Anno 1150. idem ſe vocat Caſtellanum Cortracenſem. Anno 1153. in Archivis Afflighemienſibus vocatur junctim Gandenſis & Corturiacenſis in titulo quodam Theodorici, quem præ manibus habui. Sed ne quiſquam propterea hunc Rogerium exiſtimet de familia Gandavenſi eſſe, & eadem nomina, eodem licet tempore, à diverſis tamen perſonis, & diverſæ ſtirpis geſta confundat, hanc cautelam damus. Rogerius ſiquidem Cortracenſis, præter filium ſuum natu majorem, hæredem, & ſucceſſorem ſuum in Caſtellania Cortracenſi, alterum habuit filium nomine Sigerum. Patet è diplomate quodam; *ubi Philippus Comes Flandriæ & Viromandiæ, fidem faciens Rogerium Caſtellanum Gandenſem, & Sigerum filium ejus, & Sigerum de Gand, teſtes interfuiſſe cujuſdam altercationis deciſioni, quæ erat inter Gerardum Abbatem S. Petri in monte Blandinio Gandavi, & nobilem virum Gerardum de Roden, pro exactione Thelonei, quam Gerardus de Roden de navibus ipſius, & hominum ejuſdem Eccleſiæ injuſtè recipiebat, &c. Actum anno* 1160. Ubi expreſſione cognominis de Gand patet, Sigerum illum non fuiſſe Rogerii filium. Legitur & alius titulus: ubi Balduinus Flandriæ Comes ad petitionem Rogerii Caſtellani Cortracenſis, confirmat donationem viginti ſolidorum quotannis, quos de Comite Balduino tenebat in feodum apud Cortracum, factam olim à patre ſuo Eccleſiæ de Harlebeke. Ubi à Comite vocatur illuſtris Caſtellanus anno 1198. In eo Titulo Rogerius filius Rogerii, & Margaretæ antedictæ, tantum ſcribitur Caſtellanus Cortracenſis, & prædictus Sigerus de Gand Caſtellanus Gandenſis; quia ſororis ſuæ Margaretæ maritus tum obierat, & ejus morte in titulum Caſtellani ſucceſſerat, ex conventionibus ante factis, uti fuſius Lambertus Ardenſis narrat. Cæterum *Sigeri frater natu major Balduinus, Arnoldi de Gandavo filius*, pro hæreditaria portione Comitatum Ghinen-

Ex Archivis Cœnobii Blandinienſis.

Digitized by Google

Vide du Cheſne, lib. 3. fol. 52.

ſem, cum pluribus aliis bonis habuit. Wilhelmus Flandrinam duxit, Hugonis Comitis S. Pauli filiam. Manaſſes, etiam Sigeri frater, ſine liberis, & poſtremus denique Arnoldus, in adoleſcentia obiere. Quare ſi quando in variis diplomatis, etiam ejuſdem temporis, aliqui ſe Caſtellanos ejuſdem loci vocent, non ideò tamen eos ejuſdem dignitatis proprietarios fuiſſe poſſeſſores arbitrabimur: vel enim tutorio nomine eſſe potuerunt, cum proprietarius adhuc pupillus eſſet, vel alia certè conventione, & reſpectu titulum illum aſſumpſerunt. Nullus ſiquidem vel mediocriter in Annalibus, & Genealogicis præſertim hiſtoriis verſatus ignorat, multos natu minores Caſtellanorum filios & fratres, alioſque ab iis, qui hæreditarias dignitates & officia poſſidebant, originem habentes, earundem dignitatum titulis frequenter uſos fuiſſe. Ut in Caſtellanis Inſulenſibus, aliiſque contigiſſe videmus. Et quemadmodum Comitis nomen (quod olim tam officii, quam honoris erat) commune multis fuit; ita Caſtellani titulus, illis licet temporibus hæreditarius, & primogenitis alioquin pro principaliori honore, non tamen totali bonorum portione, debitus, à minoribus natu etiam fuit uſitatus.

Sed nunc ad alios Arnulfi Gandavenſis Ghiſnenſis filios, & Balduini primogeniti fratres, redeamus. Itaque ſecundogenitus fuit Wilhelmus vocatus de Ghiſnes; uxorem habuit *Flandrinam.* Tertius denique Arnulfi filius *Manaſſes*, ſine liberis defunctus. *Arnoldus* quintus, ſed ad alios etiam juvenis ivit, ut ante attigimus. Quartus verò, de quo hic agendum præcipuè, fuit Arnulfi filius, nepos Wenemari.

Caſtellani, Burgravii, ſive Vicecomites Gandavenſes.

SIGERUS *Caſtellanus Gandavenſis Dominus de Bornhem.* Uxor ei fuit *Petronilla de Courtray, filia Rogerii*, ex prima uxore Sara, *non Cociacenſis*, (ut Lindanus ex hac vocum ſimilitudine facilè in errorem lapſus) *ſed Cortracenſis.* Poſt obitum Rogerii Cortracenſis, qui ad vitam eam habuerat dignitatem uſque ad annum 1190. Caſtellaniam Gandavenſem, Dominium de Bornhem & alia bona adiit Sigerus, præmortuis forſan Gulielmo & Manaſſe, fratre tamen ſuo Balduino natu majore ſuperſtite.

Philippus Comes Flandriæ emit omnia feuda, & alias poſſeſſiones, & bona Arnoldi van Dunck, & Lamberti fratris ejus in villa de Moorſele, & eadem donat omnia Margaretæ Caſtellanæ de Cortraco, ipſoque ac marito ejus R. Caſtellano, ac liberis eorum, & Sigero de Gandavo conſentientibus, conceditur, ut eadem Margareta liberè bonis illis tanquam propriis potiatur. Anno 1187.

Originale diploma Teutonicè ſcriptum exſtat in Monaſterio de Wevelghem juxta Cortracum.

Archiv. Abb. Laudenſ.

„ In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Sigerus Caſtellanus de Gandavo tam futuris, quam præſentibus in perpetuum, &c. Quoniam facile quidlibet à mentibus hominum elabitur, niſi ſcripti beneficio ad memoriam revocetur, dignum duximus ſcripto committere, quod Dominus Philippus Flandriæ, ac Viromandiæ Comes contulit Eccleſiæ B. Mariæ de Loz, quandam terram, quæ dicitur Mur, & quæ noſtri juris eſſe dicebatur. Nos verò ſperantes ſummam remunerationem, quidquid juris noſtri eſſe dicebatur, liberè, & abſolutè prædictæ Eccleſiæ conceſſimus, adſtante uxore noſtra Petronilla, & filiis noſtris legitimis Sigero, & Daniele aſſenſum præbentibus: Inſuper bonarium prati noſtræ proprietatis, quod Caſtellani pratum vocatur, uxore noſtrâ, & filiis noſtris prædictis, quaſi de prædicta terra benignè aſſenſum præbentibus, ſupradictæ Eccleſiæ; pro anima & uxoris noſtræ, & filii noſtri Arnulfi, & prædeceſſorum noſtrorum hilariter contulimus. Actum anno Dominicæ incarnationis 1190. regnante Philippo Rege Francorum.

Creditur itaque Sigero fuiſſe filius natu major *Arnulfus*, ſed qui ante patrem obierit etiam ſine liberis. Ejus uxorem *Mariam* volunt aliqui fuiſſe filiam *Hugonis d'Engien*, cujus mater erat Joanna Luxemburgica.

In Archivis Affligemienſibus.

„ In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Notum ſit univerſis Chriſti, qui litteras iſtas ſunt viſuri vel audituri, fidelibus; quod ego Sigerus Caſtellanus Gandenſis, & uxor mea Petronilla, conſentiente & concedente Sigero filio noſtro, & reliquis filiis noſtris, in Groda, quam Affligheminſis Eccleſia habet apud Frouendic, quinque menſuras terræ, ab omni decimatione, quæ nos de jure contingebat, eidem Afflighemenſi Eccleſiæ, & fratribus in ea Domino famulantibus, quas ſibi in hoc ipſum iidem fratres elegerunt, intuitu divinæ retributionis liberas dimiſſimus, &c. Acta ſunt hæc anno Dominicæ incar-

„ carnationis 1198. Originale diploma vidi, cum aliis pluribus, ubi quatuor ordine Caſtellani memorantur, cum ſigillis appendentibus.

Aliud. „ In nomine Patris, & Filii, „ & Spiritus Sancti. Ego Petronilla, uxor „ quondam nobilis viri Sigeri Caſtellani „ Gandenſis, notum facio tam modernis, „ quam futuris Chriſti fidelibus, qui hanc „ paginam ſunt viſuri; quod Dominus „ Robertus Abbas Afflighemienſis, deci- „ mam quandam in parochia Anderlecten- „ ſi à viro nobili Oliverio de Sottenghem, „ conſenſu, Capituli de Anderlech, pi- „ gnori accepit pro centum & ſeptuagin- „ ta libris, Flandrenſis monetæ. Quas de „ fructibus decimæ de Thielt, & Ruſele- „ de annuatim collectas hic oportunitate „ acceptâ Deo obtuli,pro animæ meæ,mo- „ niumque prædeceſſorum meorum ani- „ marum ſalute, &c. Inter alios teſtes Theodoricus, Walterus; filii ejuſdem Petronillæ, Rogerius de Cortriaco, &c. Acta ſunt hæc anno Domini 1215.

De hoc Sigero Jacobus Guyſius in Annalibus Hannoniæ parte 3. lib 18. cap. 53. „ Interim Sigerus Gandavenſis Caſtellan- „ nus, qui in Flandria magnam parente- „ lam, atque homines multos, & divitias „ habebat, cuſtodiam Caſtri Gandaven- „ ſis, quod Philippus Comes Flandriæ, „ ad reprimendam hominum Gandaven- „ ſium nimiam ſuperbiam conſtruxerat, „ reclamabat; dicens de Caſtellania ſua „ eſſe. Comes autem, qui in terra Flan- „ driæ nondum ſatis radicatus erat, & ne „ Sigerus de eo conqueri poſſet, in re- „ compenſationem cuſtodiæ ipſius muni- „ tionis, libratas terræ ei aſſignavit. Spe- „ rans ab illo, & ejus filiis, magnum ul- „ terius, ac ſervicium fidele habere, & „ ne in aliquo videretur juri contraire, „ &c. Vide Meyerum anno 1191.

Ex quibus liquet, quod Sigerus hic filius Arnulphi Gandenſis Comitis Ghiſnenſis, fuerit Caſtellanus Gandavenſis anno demum 1190, nam anno 1187. tantum ſe ſcribit Sigerum de Gandavo: ſororius enim ipſius Rogerius Caſtellanus Cortracenſis munere Caſtellani fungebatur à parte Theodorici Comitis Flandriæ; & poſt ex pactis cum ſocero ſuo Arnulfo Comite Ghiſnenſi, prout hic ante narravimus.

Sigerus Caſtellanus Gandenſis, filius Sigeri prædicti ex Petronilla Curtracenſi, Dominus de Bornehem. Uxor huic fuit Beatrix, de Hoſdinio.

Frater hujus Sigeri fuit Daniel, ex quo familia de Claerhout. Cujus Rogerium alii auctorem faciunt. Circa annum 1231, ſignat Rogerius de Claerhout in Bodelo.

Soror Sigeri Petronilla prima Foreſtenſis Abbatiſſa fuit, &c. Foreſtum vulgo te; Vorſt/ Monaſterium eſt Virginum Ordinis Benedictini Bruxellæ vicinum, à Ghiſelberto Comite Aloſtano Balduini ſecundi fratre fundatum.

Notum ſit tam præſentibus quam futuris, quod ego Sigerus Caſtellanus Gandenſis dedi Monachis de Bornehem in eleemoſynam duo ſiſtaria ſiliginis, & duo ſiſtaria avenæ, &c. Ut faciant annuatim anniverſarium meum, & matris meæ Petronillæ, & uxoris meæ Beatricis, &c. Hoc conceſſit Hugo primogenitus filius meus, & Sigerus filius meus, &c. anno Domini 1218. In Archivis Affigemienſib. vidi originalia, ut hic deſcribuntur.

His litteris bina ſigilla appenſa duos exhibebant equites: primum, quod patris erat, ſuſtinebat leo, & contra ſigillum filii expanſis alis aquila.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ego Sigerus Caſtellanus Gandenſis, omnibus præſentem paginam inſpecturis in perpetuum notum facio, tam modernis, quam poſteris: quod duodecimam garbam decimæ de Hingen, & Haveſdonc dedi in eleemoſynam, pro animabus omnium prædeceſſorum meorum, ac mea, & uxoris meæ Beatricis, &c. Actum anno Domini 1223. Ibidem.

Hugo Caſtellanus Gandenſis Dominu des Houdain, Bornehem, filius Sigeri ex Beatrice. Uxor huic fuit Oda filia, & præcipua hæres Odonis Domini de Champlite, ex familia de Champaigne, qui frater fuit natu major Gulielmi de Champlite vice-Comitis Divionenſis. Hic Hugo, conſentiente uxore, vendidit anno 1228. dimidium urbis de Channite, vel Champlite, in Burgundia Gulielmo de Vergy pretio ſeptem millium ducentarum librarum Pariſienſium. *Andreas du Cheſne in Hiſt. de Vergy f.* 136. 137

Hugo Caſtellanus Gandenſis Dominus de Hoſdinio agnoſcit, quod Caſtellum ſuum de Bornehem tenet in feodum Comitis Flandriæ. Literis anni 1229. In Archivis de Rupelmonda, jam in Caſtro Gandavenſi à Cæſare Carolo condito.

Robertus Advocatus Atrebatenſis, Dominus Bethuniæ & Teneramondæ, confirmat quædam promiſſa per Hugonem Caſtellanum Gandenſem, Dominum Hoſdinii, quem vocat conſanguineum ſuum chariſſimum, de non amplius talliando homines ſuos feodatos in terra Waſiæ manentes. Litteris anni 1234. In Archivis de Bodelo.

„ Ego Oda Caſtellana Gandenſis, & „ Domina de Hoſdinio. Notum facio univerſis, tam præſentibus, quam futuris, „ quod Dominus, ac maritus meus H. „ Caſtellanus Gandenſis, ac Dominus de „ Hoſdinio, cum recognoviſſet ſe, pa- „ tremque ſuum, homines eorum feoda- tos Ibidem.

Digitized by Google

„ tos manentes in terra Waſiæ talliando „ ſive precando minus juſtè, quam ſæpius „ aggravaſſe ipſos, & ſucceſſores eorum, „ ab omni tallia, ſive precaria quitos, & „ liberos in perpetuum clamavit, &c. Pro„ miſit etiam, quod nec eos, nec ſucceſ„ ſores eorum de cætero talliaret, nec tal„ liare poſſet: niſi ad novam militiam „ ſenioris filii ſui, vel ad matrimonium „ filiæ ſuæ primogenitæ, & ad redemptio„ nem ſuam; ſi contingeret ipſum in com„ muni guerra Domini ſui captivari, & „ non niſi per pecuniam liberari, &c. A„ ctum ab ipſo Caſtellano anno Domini „ 1232. menſe Majo. Datum verò litte„ rarum mearum anno Domini 1233. men„ ſe Februario.

In Archivis Inſulis 1219. Fratres Hugonis fuere: *Gerardus cognomento Diabolus*, cujus uxor fuit *Eliſabetha.* Ambo ſepulti in crypta Eccleſiæ S. Bavonis Gandenſis. *Sigerus* frater ſecundus, à quo familia Sigerorum, qui Caſtellani & Præfecti fuere Inſulenſes. Ejus filius itidem Sigerus uxorem habuit Margaretam, Ludovici Maleani Flandriæ Comitis filiam notham. Sigerus Hugonis frater ſcutum adhuc fert Ghiſnenſe. Ut videre eſt in Archivis Epiſcopii Gandavenſis. De Gerardo hæc invenimus.

Arch. Cœnob. Afflig. *Gerardus, filius Sigeri Caſtellani Gandenſis, reſtitutionem damni factam à Sigero patre ſuo Eccleſiæ de Bornehem in Cortlande ſuo teſtimonio confirmat. Anno Domini* 1227.

Martyrolog. Tornac. *Gerardus de Gandavo miles, dictus Diabolus, menſe Junio decimas in parochiis d'Artevelde, de Capricb vendidit D. Nicolao de Brugis in uſum Cathedralis Eccleſiæ Tornacenſis.*

Arch. Cœn. Dun. 1241. *Hugo miles & Dominus de Steenlande, & Scouteta de Aſſeneda, & Eglina uxor vendidere fratribus Eccleſiæ de Dunis, Ciſtercienſis Ordinis, omnem morum jacentem in parochia de Peerboom; & ſunt litteræ venditionis munitæ ſigillis eorum, & Domini Hugonis Caſtellani Gandenſis, & Domini Sigeri patrui ejus, & Domini Gerardi, cognomento Diaboli, ſimiliter patrui, Caſtellani Gandenſis.*

Recenſetur & Hugonis frater Bernardus Præpoſitus d'Harlebeke. Lapis ſepulcri ibid. maxima ex parte integer adhuc viſitur, cum ſcuto familiæ. Is, ut in Archivis ejuſdem Eccleſiæ habetur, *tria bonaria terræ ad Præpoſituram ſpectantia in perpetuum cenſum contulit* III. *Haſtrorum ſiliginis,* & III. *Caponum,* anno milleſimo ducenteſimo.......

Hugo II Caſtellanus Gandenſis: Uxor *Maria de Gavere* filia Razonis. Vide du Cheſne lib. 8.

Hugo III. Caſtellanus Gandenſis Dominus de Hoſdinio, Bornehem, filius Hugonis ex Maria de Gavere: uxorem habuit *Mariam* Hannoniæ, dictam de Rodio, vulgò Reux, & antiquitus Rues. Quibus tres leones pro inſigniis fuere à minoribus natu ſtirpis Hannoniæ aſſumpti. Vide Balduinum Aveſnenſem illorum temporum ſcriptorem. Sub hoc Hugone ad annum circiter 1242. à Fland. Comite legibus quibuſdam ſtabilita & privilegiis ornata quatuor officia, Aſſeneda, Bocholta, Hulſtum, & Axela: in quibus cum pari ferè jure in omnibus concurrat cum Comite Caſtellanus, quantæ fuerit dignitatis apparet. Cujus rei litteræ Originales in arce Gandenſi exſtant.

Omnibus præſentes litteras viſuris, &c. Hugo Caſtellanus Gandenſis Dominus de Hoſdinio, &c. quod ego præſente & conſentiente uxore Maria legitimè & ſolenniter vendidi eleemoſynæ Afflighemienſi duo bonaria, & circiter unum diurnale, &c. Datum anno Domini 1246. *menſe Majo.* Vide in Archivis Afflighemienſibus cum ſigillis.

Hic vendidit Margaretæ Comitiſſæ Flandriæ Dominium de Bornehem anno 1250 conſentiente uxore ſua Maria, pretio 4520. lib. 12. ſol. 7. den. Vide Petrum Oudegerſtum.

Maria Caſtellana Gandavenſis, filia Hugonis hæres, nupſit *Gerardo d'Engien, Domino de Sottengien*, filio Gerardi, & filiæ Gerardi de Viane, juxta Gerardimontium, nepoti Sigeri Domini d'Engien, & filiæ hæredi Domini de Sottengien. Gerardum hunc ex familia d'Engien fuiſſe inſignia paſſim oſtendunt Et quod certum ſit majores ipſius habuiſſe dominium de Sottengien, cum filia quadam Domini de Sottengien, ut apparet è diplomate in Archivis de Harlebeke.

Hugo d'Engien Dominus de Sottengien, qui à morte matris ſuæ Mariæ Caſtellanæ hæreditariæ Gandavenſis, ſæpe titulum ſumpſit Burchgravii, ſeu Vicecomitis Gandavenſis, (ratio mutati nominis fuit, quod Caſtellum Gandenſe vendiderint, & permutaverint pro arce Saeftingana, &c.) duxit *Beatricem de Stryen Dominam de Putte.*

Hugo Dominus de Sottengien Vicecomes Gandenſis; ut proximè adgnatus, probat conventionem quandam initam inter Philippum Villain, & fratrem ejus natu majorem Hectorem; quoad ſucceſſiones parentum, & Joannis fratris eorum defuncti. Adſunt Philippus d'Axelles, Dominus de Maſmines, Dominus Sigerus de Gand, Dominus Raſo Mulart, Sigerus de Cortraco, Walterus Briſeteſte, Iwanus de Vaer-

Vaernewyck, Simon vanden Keukenen, Equites anno 1318.

„ Nous Hues Sire de Sotenghem, & „ Caſtellains de Gand, faiſons ſavoir à „ tous, que por le bon, & loial ſervice „ ke no ciers & foiaules Gillebiers d'Ou- „ denhove Sainct Gery nous a faict, & „ encore fra, nous luy avons donnei, & „ donnons deſore en avant à tous jours „ heritablement, &c. Et nous Beatrix „ Dame de Sotenghem, & de Putte, Ca- „ ſteleine de Gand à le priere de no chier „ Seigneur Monſieur de Sotteghem davant „ dict loons & greons, & tenons à bon „ toutes les coſes deſſudite fait 1320.

Adhærebant huic diplomati bina ſigilla. In primo erat imago equitis manu gladium tenentis, ante pectus ſcutum, cum inſigniis d'Enghien, & de Gandavo, cum hac inſcriptone; S. Hugonis de Sotenghem militis, & Caſtellani de Gandavo. Alterum formæ ovalis mulierem oſtendebat, diffuſa veſte indutam; in cujus dextra ſcutum cum inſigniis mariti, in ſiniſtra ſcutum, cum propriis, & hac inſcriptione; S. Beatricis de Stryen, Dominæ de Putte, &c.

Maria d'Engien, dicta de Sottengien, filia hæres Hugonis Vicecomitis Gandavenſis, maritum habuit *Hugonem de Antoing*. Per hos quomodo Caſtellania Gandavenſis, quæ poſtea Vicecomitatus titulo inſignita fuit, ad familiam de Melun pervenerit, ſupra oſtendimus.

Ab hac ſcatebra etymon familiæ Villanæ fluxit.

Villanus de Gandavo filius ſecundogenitus *Hugonis primi Caſtellani Gandenſis, Dominus de Bornehem, &c.* ex Oda de Champaigne. Huic uxor *Aveſoeta*; frater fuit *Joannes dictus Burgundio.*

Ibidem.

Aveſoeta relicta Domini Villani de Gandavo militis, & Alexander primogenitus ejus approbant donationem decimæ, ſitæ in Parochia S. Joannis de Steene factam Abbati & Conventui de Bodelo; Homagium & jus omne quitant, litteris anno 1262.

Alexander dictus Villain Dominus S. Joannis, filius Villani de Gandavo ex Aveſoeta, uxorem habuit *Iſabellam*, è familia Axellana.

Alexander approbat, & confirmat conventionem factam inter proviſores Eccleſiæ Sancti Joannis de Steene, & Monaſterium de Bodelo, quoad decimas quaſdam ſitas in eadem parochia de Steene, litteris anni 1290.

Notandum, hunc Alexandrum fuiſſe primum, qui gentilitium illud nomen Villain ſumpſit à proprio nomine paterno, aut ejus agnomine, & ad deſcendentes in recta linea maſculina modernos Iſengemii Comites, Dominii ſancti Joannis etiamnum poſſeſſores, tranſmiſit. Licet è familia quidam, non à Villano, ſed majoribus ejus orti ſolum Gandenſe nomen uſurparint. Ut in Sigeris in primis patet, titulis ejus rei paſſim exſtantibus. Ut in Archivis Magiſtratus Inſulenſis, Eccleſiæ item de Harlebeke, de quadam Margareta Boetelins, &c. relicta bonæ memoriæ D. Sigeri de Gandavo militis, &c. de conſenſu Gerardi, Rogerii, &c. liberorum dictæ Margaretæ anno 1396. Fuerunt etiam è Villani minoribus qui ſolum Gandenſe nomen tenuerunt, quique, prout libuit, alias à Gandavo dicti Villain ſcripſere, alias aliter. 1366

Ea ſtirps circa tempora Philippi Audacis, Burgundiæ Ducis, deſiiſſe videtur 1415.

Walterus à Gandavo dictus Villain, Dominus Sancti Joannis, Alexandri filius. Uxor ei fuit *Adeliza de Tamiſia*, quæ poſtea nupſit Simoni de Deſſeldonck. Frater *Jordanus*, qui fuit pater Walteri Villain & Avus Joannes Villain D. de Bouchout paterna hæreditate.

„ Univerſis præſentes litteras inſpectu- „ ris, Symon de Deſſeldonc miles, & „ Adeliza de Tamiſia Domina de S. Joan- „ ne de Stene ſalutem in Domino. No- „ veritis, quod nos propter remedium „ animarum noſtrarum, & parentum no- „ ſtrorum, & quondam Walteri dicti „ Vilains, de conſenſu, & voluntate di- „ lecti filii noſtri Joannis primogeniti no- „ ſtri, fundamus, & dotamus ex nunc „ inter vivos, & irrevocabiliter, Capel- „ laniam in Eccleſia de Tamiſia in perpe- „ tuum deſerviendam ad magnum alta- „ re ejuſdem Eccleſiæ, &c. Datum & „ actum 1306.

Waltero filii fuerunt, *Joannes* Dominus Sancti Joannis. Hic à Sicariis in Arce Rupelmondana occiſus eſt. Sed mox ob hanc cædem, juſſu Principis, honoratiores Mechliniæ cives, ad quinque millia. in præſentia Comitis Flandriæ ſtato loco comparuerunt, faſſique ſunt, ſe hujus ſceleris non fuiſſe auctores, etiam jurejurando interpoſito, dolere ſe animitus facinus hoc perpetratum eſſe, illud etiam ſibi horrori ſemper. & execrationi futurum. Inſuper compulſi pro multa decies mille florenos perſolverunt. Hujus rei exſtant tabulæ anni 1317 Gandavi in arce nova, quas vidi. Philippus hæres fratris cælebs legum peritiſſimus, Dux legum, ut gallice dici ſolitum, Chevalier de Loix.

Hector frater Joannis miles egregius, uxorem habuit Mariam de Gavera, filiam in cælibatu defunctam. Froiſſardus Tom. 1. fol. 23. verſo, vocat Hectorem Villanum inter Barones & milites, ſive equites eminentem, cum Joanne de Rodes, Wulfardo

Digitized by Google

ſardo de Ghiſtelles, Tit. de prælio Regum Franciæ & Angl. apud Vironfoſſam. De Hectore ita & Meyerus ad annum 1325 ſub Ludovico Nivernenſi: *Comes autem Namurcæus, Hector Villanus, Sigerus Cortracenſis, cæterique Principes viri, qui Gandavi ſtabant, à Comite faciendam temerè in Brugenſes eruptionem non arbitrabantur; propterea quod civibus inter ſe diſcordia laborantibus, nunquam ſatis fiderent, &c. Liberati Gandenſes obſidione, Ducibus Villano, & Cortracenſi ſtatim egreſſi, obviam ſibi inter Cortracum & Aldenardam turmam* 800 *adverſariorum, qui tranſitu quodam eos prohibere conabantur, impetumque Gandenſium fortiter ſuſtinuerunt. Sed Villani virtute peritiaque pugnandi longè inferiores victi ſunt, ac præter paucos captivos omnes interfecti, &c. Crevit eorum auctoritas, multiſque formidini eſſe cœperunt, præcipuè ob Ducum Villani, ac Cortracenſis fortitudinem, &c. numero ipſe (nempe Ratgerus Brugenſium Ductor) longe antecelluit. Concidit tamen illi animus, poſtquam Villanum Gandenſem Ductorem eſſe cognovit.* Vide & Oudegerſtum cap. 152. fol. 254. Quartogenitus fuit *Gerardus* cui uxor prima *Adwick de Borſele*; altera *Margareta de Reyngerſvliet*, ſine liberis. Eliſabetha horum ſoror fuit uxor Tillonis de Maelſtede, ex quo habuit Simonem de Maelſtede Dominum Thamiſiæ, &c. & Mariam nuptam Joanni Domino de Boecholt: & hic vero Simon reliquit filiam unicam quæ innupta obiit.

Joannes nepos Jordani filius Walteri, Dominus S. Joannis, uxorem habuit primo *Mariam de Maelſtede* filiam Tillonis & Eliſabethæ Villain. Secundo *Claram à Mirabello* 1335. Fratres Joannis; Hector Præfectus de Biervliet, qui tum erat Flandriæ Thalaſſiarchus. Prima uxor Santvordiana ex qua Gerardus Vicecomes de Biervliet, & Joannes & Guilielmus, Canonici Monaſterienſes. Uxor ſecunda erat de Coorlem, è qua binæ filiæ; una Guilielmi de Argenteau, altera Walteri de Pallant uxor fuit.

Joannes Joannis filius & Mariæ de Maelſtede, cui uxor *Margareta de Briſeteſte* ex ſanguine Gandenſi. Fratres fuere *Philippus Welle* Dominus cui uxor *Sophia Ghiſtellana*, Domina de Cauwenburgh & Crubeke; à quo Philippus Dominus de Crubeke, Walterus Dominus de Welle, Wolfardus Dominus de Sterrebeke apud Lovanium. A Philippo hoc Daniel, cujus tres fuere ſorores, Sophia uxor Danielis de Walle 1350. Ida uxor Joannis de Houthem prope Nivellam, & Catharina uxor Joannis de Oſtenda. Joannes ex Clara de Mirabello, qui puer obiit. Soror, *Ioanna* uxor Guilielmi de Cortroſin. Joannis filius.

Joannes 1426. Uxor ei fuit *Margareta à Gavera*, filia Arnoldi Domini Likerkani & Margaretæ à Bergis ad Zomam. Frater *Rogerus* qui filiam habuit Catharinam.

Adrianus filius Joannis, Dominus S. Joannis. Uxor ei fuit *Ioſina de Praet*, dicta *de Moerbeke* Domina de Merkem, filia Colardi. Frater, *Joannes* Dominus de Hunſſe, Brucht, Zwindrecht, qui conjugem habuit *Gudilam Raes*, filiam Godefridi Domini de Pamele & Leetberghe, è qua ſuſcepit filium Joannem. Joannes hujus frater, fuit Chriſtophorus junctus Joannæ de Lannoy, filiæ Antonii Domini de Mingoval. Alter Godefridus, cui uxor Iſabella van Liere, dicta d'Immerzeele, plura fundavit loca pia Mechliniæ, Hoſpitale pro ſenibus egenis, vulgo *Olivetum*: Ipſa Clariſſas, &c. Sorores habuit Margaretam uxorem Adriani de Crunighem, & Gudilam..... uxorem Joannis de Montmorency, Domini de Nevele, prius Canonica Malbodii. *Hector* frater horum miles ſtrenuiſſimus. *Philippus* œconomus & à Conſiliis ſtatus Philippi Burgundiæ Ducis, Aloſti præfectus: ſepultus Bruxellæ apud Minoritas; cujus filius etiam Philippus legitimus unicus ſine prole defunctus, & in eodem monaſterio ſepultus. Filiam habuit uxorem Philippi de Wielant Flandriæ Præſidis, viri non minus avita nobilitate, quam doctrina clariſſimi. Soror horum Margareta, uxor Joannis de Giſtelles Domini de Cauderbeeck. Obiit 1449 ſepultus Tamiſiæ.

Porro honorificè loquitur de Joanne Domino de Hunſſen, Burcht, Zwyndrecht, fratre Adriani, Meyerus, & in hanc formam: *Hac pugna & omnes quidem, qui cum Duce permanſerunt, rem fortiſſime gerebant: ſed præcipue commendatur virtus, & robur Ioannis Villani, qui genere Flandrus, equeſtri eo die donatus dignitate, nobili & antiqua prognatus proſapia, longa ſtatura, vaſto & valido corpore, forti inſidens equo, maximam ſecurim duabus ferebat manibus, primoque congreſſu, ubi maxima erat preſſura, relicto fræno equi ſui, tantis ictibus hoſtes aggreſſus eſt, ut quoſcumque attingere poſſet, in terram exanimes daret. Cum ad Pottonem Tralam terribiliter feriendo perveniret: ille, ut poſtea faſſus eſt, timore perterritus, furibundos hominis ictus, quam potuit, ociſſimè declinavit, ob horrorem tantæ ejus ſecuris. Villanos iſtos ex Gandenſibus prognatos lego.* Vide & Monſtreletum, eaſdem laudes Joanni dantem, folio 224. verſo, capite 248. An. 1421.

Digitized by Google

248. *Adonc le Ducq de Bourgoigne, qui eſtoit retourné ſur le champ, fiſt raſſembler les gens, & lever aucuns de ſon coſté, qui la avoient eſté mis à mort par l'eſpecial le Seigneur de la Vieſville, & jacoit ce que les nobles & grands Seigneurs, qui eſtoient demouré avec ledit Ducq ſe portaſſent celuy jour treſvaillament, entre les autres faut parler de Jean Villain, qui ce jour avoit eſté faict Chevalier, lequel eſtoit du pais de Flandres, bien noble homme, de haute eſtature, & treſpuiſſant du corps, monté ſur un bon cheval, tenant une forte hache a deux mains, à tout laquelle a aſſemblée ſe bouta en la plus grande preſſe de ſes adverſaires, & avoit abandonné ſa bride; ſi leur departoit de ſi grand coups, que ceux qui en eſtoient attains, eſtoient portez ſous ſans recourer.*

1461 *Martinus Adrianus filius Dominus* S. Joannis, Raſſengien, Tamiſiæ Advocatus, à Conſiliis Status Philippi Burgundi, uxorem habuit *Antoninam de Maſmines*, Joannis Calkenæ Domini filiam, & hæredem. Is Tamiſiam, cum arce dicta de Ercke, cum ſuis Jeroſolymam profectus, vendidit Abbati S. Petri in monte Blandinio juxta Gandavum 1458 pretio 4000 ſcutatorum. In hoc itinere dum redux Cyprum viſit, à Carlotta, Jeruſalem, Cypri & Armeniæ Regina, in Ordinem regalem Spathæ adlegitur, ut liquet ex tabulis anno 1459. XXIII. Julii. Frater Martini fuit *Colardus Baro de Lidekercke, Vicecomes Lombeke,* Hæc Catharina fuit hæres Dom. de Merkem, Beſte, & Boxbrie, & iſtorum feudorum, en quod Martinus, & Colardus fratres mortui fuerint ante patrem. *Dominus de Leeuwe.* Ejus uxor *Margareta de Ghiſtelles*, filia Guidonis Domini d'Axelles. Sorores fuerunt, *Catharina*, uxor *Rogerii de Halewyn* Domini de Swevegem, Vicecomitis Harlebecque. *Margareta* uxor *Jacobi à Griſperre*, Domini de Ogierlande. Filii Colardi fuere, *Adrianus* à Conſiliis & cubiculis Philippi Archiducis; cui uxor *Juſta de Romerſwalle*, filia Nicolai Domini de Lodijck; cujus filius Engelbertus ſine prole obiit. Margareta hæres uxor fuit Joannis de Hannart; cui filius Carolus de Redeghem, dictus Hannart; qui ex Maria habuit Mariam Hannart hæredem Likerckanam, uxorem Jacobi de Hennin Lietart, fratris Comitis de Boſſu. Alter Colardi filius Martinus, qui Mariam de Oſtenda conjugem habuit. Colardus ſine prole legitima defunctus, ex Martino filii duo juvenes obierunt, Colardus adoleſcens, & Adrianus Eques Melitenſis, in expeditione Algeriana cæſus. Martini filia Jacoba, primum Philippo de Cottereau ſine prole defuncto, poſtea Philippo van Royen Domino de Ghyſeghem juncta eſt.

Meſſire Martin Vilain Chevalier Seigneur de Raſſengien, & Meſſire Colart freres comparants pardevant les hommes de la cour feodale le Perron d'Aloſt, declaroient In Archivis Curiæ feudalis Aloſtanæ. *eſtre accordez amiablement par enſemble, pour la ſucceſſion des biens de feus leur pere & mere, & pour la liquider à l'apaiſement de l'un & de l'autre, ledict Meſſire Martin laſſoit ſuivre à ſon frere la proprieté des Seigneuries de Lidekercke, Leeuwe, & Lombeke, avec leurs appertenances, pour en jouyr par luy, & ſes hoirs, avecq ceſte condition, que ſi ledict Meſſire Colart, ou ſes ſucceſſeurs vendoient ou chargoient à l'advenir les parties ſuſdites, qu'en ce cas Meſſire Martin, & ſes heritiers auront droict du quatrieſme denier, à chaſque fois que l'on vendrat ou chargerat. En ſuite dequoy les hommes de Fief ſuſdits ont adherité Meſſire Colart Villaines parties cy reprinſes. Faict le* 11. *d'Augſt* 1462. Le Comte d'Iſengien & ſes anceſtres ont toujours eu ce droict en partage.

Adrianus à Gandavo dictus Villain, Baro de Raſſengien, & ut Lindanus ait, *arcis S. Joannis liber Toparcha, Dominus de Calkene, collator hæreditarius officiorum, & beneficiorum Aſſenedæ, & territorii Aſſenedani*, uxorem habuit *Mariam de Cuingien, Joannis Cortracenſis filiam*; quæ marito in dotem attulit *Lomme, Hem, Obeaux.* Hic fuit Maxæmiliano Cæſari à Conſiliis, & Cubiculis. Cujus juſſu, præfuit exercitu quindecim millium à Gandavenſibus conſcripto, ad reprimendum Gallum; de cujus irruptione paſſim rumor, & metus erat. Idem 1482 nuncupatus eſt primus Mandatarius ad innovandos Flandriæ Magiſtratus. *Vide Lind. lib. 3. cap. 3.* Mortuâ dein Maria Burgundica, cum de provinciarum adminiſtratione, & Principe pupillo ageretur; ea, ſuaſu Concilii, Principis defunctæ Conſanguineis, aſſentiente Archiduce, delata eſt. Inter eos numerantur, Philippus de Raveſteyn, Philippus de Bevere, de Gruuthuyſe, & de Raſſengien Barones. Ejus verò conſilii cum brevi Archiducem pœniteret (videbat enim hac ratione ſe in ordinem cogi) Conventu Teneramondæ indicto, hi Proceres, cum Flandriæ ordinibus, cauſſas adtulere, ob quas filii Principis tutelam gerere Archiduci non liceret: offerentes ſtare juri in Curia Pariſienſi, aut coram ipſo Rege de controverſia diſputare. Tandem à ſicariis Adrianus è medio ſublatus eſt, Philippi Clivenſis Raveſtanæ Domini imperio, qui capitalis erat Archiduci hoſtis. Cauſſam dicit *Lib. 2. cap. 4.* Oliverius de la Marche, quod *Raſſeghemius*, qui ejus arcana norat, tueri partes decreviſſet Regis Romanorum Maxæmiliani, ejuſque filii Philippi Archiducis.

Digitized by Google

In illis arcanis erat: Tutorio prætextu Principem hæreditate excludere, ſibi ditiones vendicare. Quod ubi moliri Raveſtanum, Raſſeghemius videret, neque ab inſtituto poſſe avelli, Principi ſuam fidem probare maluit, quam in ſceleris, & præmiorum partem venire. Aliam addit cauſam Crantzius, quod Ordinum Flandriæ Legatos è Gallia reduces Archiduci juſſu Raſſeghemius detinuerit. De hujus cædis expiatione etiam Archiduci cura fuit (ut in legibus pacis cum Raveſtano expreſſa mentio.) Illique tandem ſatisfactum certis conditionibus, annuentibus, defuncti conſanguineis; (Primus hic comparuit Daniel van Praet dictus de Meruwede, ſupremus Flandriæ Prætor, Judocus van Ghiſtele magnus Gandavenſium Prætor cum appenditiis, Dominus de Moere & Maelſtede, Dominus Adrianus van Raveſchot eques, Ludovicus van Maſſeme & Ludovicus de Praet filius Dominus de Moerkerke, Augerius de Maſſeme) inter quos *Engelbertus de Naſſou Comes, Dominus de Breda, Joannes Dominus de Bergis ad Zomam, Joannes Dominus de Kruninghen, & Pamele, Jacobus ab Halowino Dominus de Sweveghem, & Merkem, Dominus Philippus Villain, Nicolaus a Romerzwale, Dominus de Lodyck, Colardus de Villain, omnes Equites & adgnati, Adrianus Villain Dominus Lidekerkanus, Daniel de Praet dictus de Moerkercke, Judocus à Ghiſtella Dominus vander Moere, Georgius & Nicolaus vander Moere, Adrianus à Raveſchot, Judocus à Saemſlacht, Gerardus ab Argerellis, Carolus à Ghiſtella*, & plures alii. Ea de re ſupereſt diploma datum anno 1492. XXI. Martii. In hunc verò modum ſcelus expiatum eſt: Dolere ſe ex animo faſſus eſt Raveſtanus, ſi ea res non accidiſſet, fore, ut eveniret nunquam. Anniverſarium quotannis pro anima defuncti celebratum iri, cum ea decentia, quæ meritis Adriani reſponderet; Sacrum inſuper quotidianum. Se quoque ad limina SS. Apoſtolorum, & ad S. Jacobum in Hiſpania profecturum. Deprecari ſe veniam humiliter, & obnixè omnes Adriani amicos & adfines, velle ſe cum eis, eorumque poſteris pacem, ac dilectionem perennem.

Hæc ab amico Gandavenſi fideliter mihi tradita.

In diplomate verò erectionis Comitatus, quod apud Rybekium armorum regulum fuit, hæc honorificum in modum de Maxæmiliani nepotis hujus Adriani majoribus narrantur: *Qui ont touſiours rendu grandes & notables ſervices à nos predeceſſeurs Princes de nos dicts Pais d'embas de treſrecommandée memoire, en charges principales de gouvernement de villes, Admiralité de Mer, charges de guerre, & en Eſtats de Conſeilliers à leurdicts Princes, meſmement Meſſire Adrien Vilain, grand pere dudict Baron de Raſſengien, lequel es diſſenſions civiles en noſtre dit pays & Comté de Flandres, au temps du Sieur de Raveſteyn, à eſté lors en charge principale, y exposé ſa vie pour la querelle de ſon Prince, & eſté tué pour icelle, &c.* Sorores Adriani dicti fuere Judoca innupta altera, Gertrudis fuit præfecta Monaſterii d'Auverghem, juxta Bruxellas Ordinis S. Dominici ibique ſepulta.

Adrianus, Adriani filius, natus poſthumus, *Raſſegemii Baro, Calkene Toparcha, collator hæreditarius, &c.* Uxor ei Margareta de Stavele, Domina & hæres Iſenghemii, & Emelghemii, filia Joannis Domini Iſenghemii, Glajonne, Eſterre Haveskercke. Obiit hic in flore ætatis maximè adflictus podagra. Amita fuit Margareta, Philippi de Stavele, Glajonæ Domini, Equitis aurei velleris, qui ſub Carolo Quinto Cæſare domi, & militiæ clarus fuit. Etiam Margareta hæres eſſe debebat dominiorum de Eſtaires, & Haveskercke, ſi importunis inductionibus fratris ſui Joannis de Stavele non renuntiaſſet, in favorem nepotis ſui Philippi filii Judoci præmortui; ea tamen lege, & conditione: ut ſi quando deficeret linea de Stavele, rediret ad ſe, vel ſuos hæredes in linea directa. De his eſt adhuc controverſia. Adrianus in ipſo ætatis flore licet extinctus, ſub Maxæmiliano tamen Cæſare in Italia meruit; & cum Adolphus, Philippi Burgundiæ Ducis nothus, Dominus de Bevere, & Vliſſinghen, Belgici maris Archithalaſſus eſſet, aliquot navibus per Ordines Flandriæ inſtructis, cum titulo Capitanei generalis præfuit. Soror hujus Adriani fuit Anthonia innupta.

Maxæmilianus Iſenghemii Comes, Raſſenghemii Baro, Dominus de Calkene, Wettere, Maſmines, Lomme, Arcis S. Joannis collator hæreditarius, &c. natus eſt Gandavi anno 1530. mortuus Tornaci 1585. ſepulchrum habet in Lomme, gentilitio apud Inſulas loco. Fratrem habuit natu majorem, Adolphum magnæ ſpei adoleſcentem: huic aperta forte vena pedis inter feſtas nobiliſſimi cætus, quas ductabat, choreas, funeſto toti familiæ caſu mortem acceleravit ætatis anno XVIII. à Chriſto nato 1547. Abſque hoc fuiſſet, decreverat Maxæmilianus ad normam D. Franciſci vitam tranſigere, ſed adita fratris hæreditate, propoſitum mutavit. Uxorem habuit Philippam de Jauçe, dictam de Maſtaing, filiam Gabrielis & Catharinæ de Lannoy, filia Domini de *Molembais*, hære-

Natus Gandavi 1530.

Digitized by Google

hæredem ditionis Maſminiæ ab Andrea avo ſuo, qui filiam Roberti Maſminii Equitis aurei velleris in primis Comitiis duxerat, quam adhuc hæredem Maxæmilianus duxerat, ſi non ſocer Gabriel ad ſecundas, &c. Sorores Maxæmiliani fuere, Helena, uxor Franciſci de Montmorency, Domini de Berſees, Watines, &c. Margareta denique, quæ obiit innupta. Filii verò

Jacobus Philippus à Gandavo, dictus Villain, Iſenghemii Comes, Raſſenghemii Baro, Arcis S. Joannis ad lapidem liber Toparcha, Maſminiæ, Lommæ, Oordeghemi, &c. Dominus, Collator hæreditarius officiorum & beneficiorum Aſſenedæ, & territorii Aſſenedani, &c. Is annos natus viginti, & patre Maxæmiliano defuncto in Hiſpaniam profectus, & in Aula Philippi Secundi Nobilibus Palatinis adſcriptus eſt; poſt Philippo Tertio Hiſpaniarum Regi à Conſiliis ſtatus Belgici fuit, & mox Alberti & Iſabellæ Belgarum Principum Oeconomus, & Dux unius Turmæ Equitum cataphractorum. Hic prioribus nuptiis uxorem duxit *Odiliam de Claerhout* (quæ familia à Gandavenſibus oriunda, ut ante vidimus) filiam *Jacobi Baronis de Maldeghem*, Coolſcamp, Wtkercke, Guyſe, &c. & *Annæ de Merode* (quæ patrem habuit Richardum, Baronem de Frentzen, matrem Franciſcam de Bochout, ſororem Mariæ, à qua ad Naſſovios Baronatus de Boulaere pervenit.) Fratres Jacobi Philippi fuere, *Lamoraldus Ignatius*, qui Religioſus Societatis JESU obiit, *Ghyſelbertus Dominus de Hem*, Regi Catholico à Conſiliis belli, eques Ordinis Sancti Jacobi; cujus uxor *Franciſca de Wiſſocq*, filia Domini de Bommy, Gubernator Rentiacus, & unius Cohortis peditum ordinariæ Capitaneus. Ejus liberi ſunt, *Jacobus Maxæmilianus* Canonicus Tornacenſis, *Ghiſlebertus* puer honorarius Philippi Quarti Regis Catholici, Eques Ordinis de Calatrava, *Adrianus, Franciſcus.* Filiæ tres, *Philippa* ſenior Canonica Nivellana, altera *Iſabella* Montibus, tertia *Maria Philippa*. Plures alii immatura ætate obierunt. Alii verò Jacobi Philippi fratres, *Philippus* Societatis JESU religioſus, *Maxæmilianus modernus Eccleſiæ Tornacenſis Epiſcopus. Paulus* obiit Canonicus Atrebatenſis. Sorores, *Anna* nupta *Adriano de Noyelles*, Domino de Croix, patri *Jacobi de Noyelles moderni Comitis de Croix, Baronis de Maldeghem, &c. Helena* obiit Canonica Montibus, *Joanna* Mater Annunciatarum Duacenſium; *Jacoba* obiit Canonica Montibus, & *Adria* a puella ad ſuperos profecta. Liberi ex Odilia de Claerhout Jacobi Philippi ſunt

Philippus Lamoraldus à Gandavo, dictus Villain, Iſenghemii Comes, &c. à cubiculis Archiducis Alberti, Dux turmæ Equitum, ante ſupremus Comitatus Aloſtenſis Præfectus, nunc Gubernator, Capitaneus, & Caſtellanus urbium Inſularum, Duaci, & Orchiaci, &c. Uxor ei *Iſabella Margareta de Merode*, filia *Philippi Comitis de Middelbourg*, Baronis S. Imperii de Frentzen, qui Sereniſſimorum Belgicæ Principum nuper Oeconomus, Brugenſium Præfectus, primuſque ordinarius novandis in Flandria Magiſtratibus Mandatarius, poſt Tornacum & Tornaceſium regio nomine adminiſtravit, magnus etiam Flandriæ Venator. Et Joannæ de Montmorency, quæ filia Georgii Baronis de Croiſilles, dum viveret, Brugenſium Præfecti, &c. fuit. Alii ex dicta *Odilia de Claerhout* liberi ſunt, *Franciſcus Baro de Raſſengien Præpoſitus Eccleſiarum Montenſium, Leodienſis Canonicus, & Cortinæ ſuæ Celſitudinis præfectus, &c. Adrianus Lamoraldus* Canonicus, & Cancellarius Tornacenſis, gemellus cum Maxæmiliano, qui obiit trimeſtris, à quo partu paucis poſt diebus etiam mater oppetiit. Filiæ, *Maria*, uxor *Philippi Domini de Gomicourt, Mazieres, Lagnicourt*, &c. Præfecti Bethuniæ, diſpenſante ſummo Pontifice, cum in tertio cognationis gradu (ob Philippam de Montmorency, matrem Philippi, & filiam Helenæ, quæ ſoror Maxæmiliano fuit) ſe mutuo contingerent. Fuerat Maria ante Canonica Montibus, & *Anna* Canonica Malbodii, nunc defuncta. Ex altera verò uxore Jacobi Philippi, *Eliſabetha videlicet à Bergis, Ferrici Baronis Grimbergenſis filia, & Jacobi à Bergis, moderni Grimbergæ Comitis, ſorore.* Amita denique *Godefridi à Bergis, Baronis de Stabrouck*, &c. nati ſunt, *Gulielmus Baro Sancti Joannis ad lapidem, Dominus de Weldene*, &c. Uxor ei *Ludovica de Merode*, filia Philippi Comitis de Middelbourch, ſoror Iſabellæ Margaretæ antedictæ. *Jacobus Societatis* JESU *Religioſus. Albertina*, uxor *Philippi de Mailly, Domini du Queſnoy ſuper Deulam, Vicecomitis d'Eps*, &c. Philippo autem Lamoraldo ex Iſabella Margareta de Merode hi fuere liberi, *Maxæmilianus, Bathazar Philippus, Ambroſius*, qui infans obiit Bruxellæ, *Adrianus Joſeph Victor, Ludovicus Jacobus Franciſcus* nuper natus. Filiæ, *Iſabella Clara* Canonica Montibus, *Philippa Honorina*, apud ſuam Celſitudinem puella honoraria, *Ludovica Claudia Tereſia* Canonica

ronica Malbodii. Joanna obiit infans Brugis, *Maria Magdalena Eugenia*, *Maria Albertina Canonica Nivellæ*.

Stephanus de Gamara & Contreras Ordinis militaris Sti. Jacobi Eques, Regii Exercitus Catholicæ Majeſtatis præfectus generalis, ſupremorum Conſiliorum Belli & Status Belgii & Burgundiæ apud Perſonam Regiam Aſſeſſor, Arcis Gandavenſis Anno 1653. 26 Novembris loco Comitis de Salazar Civitatis ac Arcis Cameracenſis Gubernatoris & Capitanei generalis Caſtellanus, ad Reges Angliæ Anno 1661. Galliæ Anno 1662. Sueciæ Anno 1667. ac ad Tractatum Aquiſgranenſem Anno 1668. denominatus & ad Ordines generales Fœderatarum Provinciarum Anno 1658 Legatus ordinarius. Obiit Hagæ Comitis, 8 Auguſti Anno 1671.

Franciſcus Sanchez Pardo per obitum præcedentis nominatus Caſtellanus Gandavenſis 9 Januarii Anno 1672.

Jacobus Deſpinoſa Locum tenens Generalis, ſucceſſit ſupra nominato per litteras Regias datas 27 Novembris Anno 1681. Exin Caſtellanus Antverpienſis, ubi diem clauſit extremum Anno 1695. 24 Januarii; fuerat antea Gubernator de Baſſé, & oppidi ac portus Oſtendæ.

Joannes Antonius Sarmiento Comes Sancti Romani.

N. de Vaſtalla, Comes de Salazar, Regiorum Caſtrorum præfectus, ſucceſſit per obitum Joanni Antonio Sarmiento, Comiti Sancti Romani Anno 1690 5 Martii.

Petrus Alvarez de Vega, pugnæ primarius inſtructor 27 Julii Anno 1690 nominatus Caſtellanus Gandavenſis.

N. Comes de Graxal.

Joſephus de Manca 6 Aprilis Anno 1695. ſucceſſit Comiti de Graxal ad officium Præfecturæ generalis machinarum bellicarum in Campo, promoti.

Antonius de Andrada y Soto Major Ordinis militaris Sancti Jacobi eques 9 Maii Anno 1697.

N. Marchio de Cropani, princeps de Vintemilla 18 Februarii Anno 1706. e Belgio ad Aulam Madritenſem reverſus eſt Anno 1729.

Joſephus de Arteaga, Copiarum ſacræ Cæſareæ Majeſtatis Prætor, modernus Caſtellanus Gandavenſis.


Aula Principis Gandavi, *vulgo* HET PRINCEN-HOF.

AULA Principis, quæ nunc Gandavi conſpicitur, olim gentis *Serſanderiæ*, & antea *vander Moere*, Paludanam aliqui vocant (quæ, ut alibi oſtendimus, à Gandavenſi, ſeu Vilania originem ducit) domus fuit, *Sanderſwal*, vulgò dicta. Emit eam anno 1368. à *Simone Mirabello Ludovicus* Comes, ac ipſe, & poſt eam Flandriæ Principes aliquot eam inhabitarunt. Quodque ſummum illi quoque attulit decus, ſicut & Urbi, natus in eâ fuit Principum verus Princeps, *Carolus Quintus* Imperator, cujus in eâ auguſtæ etiamnum cunæ viſuntur. Quas eleganti carmine ſic nuper celebravit Vrientius.

Illuſtres Cunæ! Gandæ decus urbis, & orbis
In quibus ille olim, ſarcina dia, puer
Carolus has primum vagitibus imbuit auras,
Dum ruber à partu jam jove dignus erat.
Irrepſitque tener, riſuque agnoſcere matrem
Cæpit, & arguto reddere verba ſono:
Mox cælum, atque ſolum famæ creſcentis honore,
Implevitque animis Solis utramque domum.
Fælices Cunæ! quo vos ego carmine, quâ vos
Voce piâ, aut plectro conveniente canam?
Vobis Ida vetus, vobis Chironia Tempe
Cedat, & illa ſuo Roma ſuperba Remo.
Et Jove Creta potens, & clara ab Apolline Delos,
Et Thebæ, & Ducibus Sparta animoſa ſuis,
Et quæcunque alios jactant cunabula Divos,
Aut quæcunque alios ſunt habitura Deos.
Unius Auguſti concedant omnia cunis,
Illius nil majus dicere fama potes.

Intranti occurrit pons ſublicius, ingreſſus vides aream tribus inædificatam lateribus. Sacellum quoque cum editiore turricula; cujus olim faſtigium vitro tectum fuit. Ex adverſo atria, alibi Gynecæum, & ſeriatim cubicula, quæ trecenta, quod ægrè crediderim, eſſe feruntur, ſed illa ſpecie magis, quam ſpatio ſunt commendanda. Auxit domum hanc *Philippus Bonus* Burgundiæ Dux, *Philippus* etiam *Caſtellæ Rex*, ac nuper *Albertus Pius*. Circundata autem muris fuit anno 1499. In vicino Leones aluntur, alebantur nuperimè. Nunc locum Patres Ordinis B. Mariæ de Monte-Carmelo, Reformationis Tereſianæ, qui Excalceati nominantur, acceperunt, ut illi jam quadrare etiam videatur, *non erit ibi Leo, & mala beſtia non aſcendet per eam.* Non tam memoriæ *Caroli V.* hic nati, aut Majeſtati urbis, in Bel-


Digitized by Google



L'Ancienne Maiſon

Digitized by Google


Tom.1.pag.199.



de Ville de Gand.


Digitized by Google

Digitized by Google



R. Blokhuyſe .. F.

La Maiſon de Ville mode



ne de Gand.

Digitized by Google

Belgio primariæ, ait *Gramaius*, quam antiquitatis merito. Miſit anno 1535. cum Tuneti in Africa eſſet *Cæſar*, Leones quatuor, & Leænam, quos Gandavum *Dominus Houckius Petri* filius, Civis Gandavenſis adduxit. Fuerunt tamen & multis antè ſæculis Gandavi Leones, & à temporibus quidem Elſatiorum Comitum eos ibidem habitos fuiſſe opinatur idem *Gramaius*, quos Flandriæ inſigniis Leonem primo inſculpentes, id ipſum primos imitatos fuiſſe ſcribit, æquum ratos, Flandriæ caput & Metropolim, eundem cum Flandria vultum oſtentare, & rei monumentum fovere. Ita ille.

Cæterùm quomodo felicibus auſpiciis (ad ingentia orbis Chriſtiani bona) in hâc Principis aulâ Gandavi natus ſit, maximus & glorioſiſſimus ille Princeps *Carolus*, nomine *Quintus*, Cæſarum honor, nec ipſo *Carolo Magno* minor, narrat in hunc modum, & ſpeciatim in Chronico ſuo Locrius. Anno, inquit, ſæculari biſſextili 1500. ſexto kalendas Martias, Gandavi *Philippo* Archiduci naſcitur *Carolus*, poſteà Cæſar, ejus nominis *Quintus*. Nonis Martii ſacro fonti præſentatur, *Margareta Eboracenſi*, *Caroli Audacis* vidua, Infantem ulnis geſtante, cui dextrum latus claudebat *Margareta Auſtriaca* Hiſpaniarum Principis vidua, quæ non ita dudum, cum *Joanna* puerpera, ex Hiſpaniis redierat;' ſiniſtrum latus claudebat *Carolus Croyus*, Chimaci Princeps, qui Infantem è ſacro fonte ſuſcepere, accedente quarto *Joanne* Bergarum ad Scaldin Toparcha. *Antonii* primi Marchionis Patre. Antiſtes Tornacenſis Infantem baptiſmatis undâ tinxit, *Chimaius Caroli* nomen dedit, in memoriam Proavi *Caroli Audacis*. Puero apud Baptiſterium ſeptem munera donata fuere.

I. Ducatus Luxemburgenſis à Patre *Philippo*.

II. Galea argentea à Carolo Croyo.

III. Gladius aureus, à Toparcha Bergenſi.

IV. Poculum aureum lapillis pretioſis plenum à Margareta Eboracenſi.

V. Patera aurea, margaritis & unionibus plena, à Margareta Auſtriaca Philippi ſorore, Caroli V. amita.

VI. Navis argentea, quinquaginta pondo, omen futurarum opum, quas ei, ſucceſſoribuſque ejus naves ab incognitis Inſulis, ac terris repertas, eſſent advecturæ.

VII. Novum Teſtamentum (omnibus ego dico aliis muneribus ac monilibus pretioſius) ab Abbatibus, cum hac epigraphe: *ſcrutamini Scripturas.* Quibus peractis ter in populum aurea, atque argentea ſparſa fuêre miſſilia. Primum ab Archiduce Patre, dein à Senatu Gandavenſi, tertium à Mercatore panni ſerici, urbis Gandavenſis cive, qui ante ædes ſuas, qua infanti iter erat, ſcenam erexerat, in quâ quinquaginta ſtabant viri ſinguli ſingulis manibus ardentes tædas tenentes. In medio conſpiciebatur filius ejus, ac filia unica, quæ prætereunti Infanti vas aureum magni ponderis dono dabat. Addit *Philippus Meyerus* l. 2. annalium Flandriæ & Arteſiæ, Martinum quendam ſummum Artificem, ex funibus ac tenuioribus aſſeribus, viam in aere penſilem ſtupendæ altitudinis à Pyramide D. Nicolai, ad turrim uſque Civicam, vulgò Belfortum perduxiſſe, omneſque ſpectatores in ſui admirationem, perfecto opere rapuiſſe. Eam quoque ardentibus plenam facibus fuiſſe *Laurentius Surius* in Commentario ſcribit. Ita Locrius.

Ædes Prætoriæ, ſeu Curia utraque Senatorum.

AEDES PRÆTORIA, ſeu Domus Senatorum prioris ſubſellii; opere eleganti, conclavibus, atrio, ac frontiſpicio faberrimè elaborato, cœpta eſt extrui ad annum 1481 quarta Julii, auſpiciis Adriani Vilain Raſſeghemii, Equitis, & Willelmi Bette Conſulum. Aucta dehinc eſt anno 1516 Richardo Utenhovio Equite, & Joanne Serſanders Coſſ. Ad plateam vulgò de Hoochpoorte perfectum atrium tribunalis 1517. Philippo de Grutere, & Rolando de Baenſt Coſſ. poſt anno 1533 Nicolao Trieſt Equite, & Antonio vander Vichte Coſſ. Sacellum columnis æneis, ferreiſque trabibus, ac vitro pereleganti inſtructum. Anno dein 1563 pavimentum atrii, in morem labyrinthi, albo, cæruleoque lapide ſecto ſtratum, alio Nicolao Trieſt Equite Auweghemio, & Jacobo Bette Domino d'Angerelles Coſſ. anno 1580 Judoco Borluyt Equite, Domino de Boucle, & Judoco Trieſt Domino de Lovendegem Coſſ. ſplendido opere inchoatum latus dextrum, quod novum opus vocitant, cùm decennio antè decimâ Aprilis, Sacellum ejuſdem Curiæ dedicatum eſſet, per Cornelium Janſenium primum Gandavenſis Eccleſiæ Antiſtitem immortalis memoriæ virum. Senatorum verò inferioris ſubſellii, quod Partitionum vocant Curia, quæ nunc auguſto, ſplendidoque opere priori contigua, viſitur, cœpta primum ædificari circa annum ſecularem proximè elapſum, Philippo Trieſt Equite Auweghemio, viro optimè de Gandavenſibus

rebus merito, & Antonio Trieſt Domino de Ruddershoven Coſſ. Denique eadem perfecta moles, cum inſigni Patriæ ornamento, ac Senatorum commodo ad annum 1610 Nicolao Trieſt, Philippi filio, Auweghemio, & Ioanne Baptiſta de Rodoan Domino de Bieſe, & Wolfshagen Equitibus Coſſ. Varia, magnaque ſunt in eo conclavia, quæ præclaris Bibliothecæ publicæ uſibus, aliiſque Senatus placitis deſtinantur: nonnullum autem fuerit hîc operæ pretium recenſere, quod non in vanum alicui animadvertiſſe ſe narrat Marcus Varnewicus: *Sunt*, inquit, *in conclavi Senatorum prioris ordinis candelabra è metallo facta, ſub unoquoque eorum humana facies, ac os ſerâ clauſum: nimirum ut Senatores, ac Syndici, aliique, in quorum præſentia publica res tractatur, arcani ſemper, ac ſilentii meminerint. Lucet metallum; ita & illi virtutibus, & honeſto fulgeant. Sonus æris gratus, acceptuſque eſt: talis quoque eorum fama ſit. Durat metallum, ſibique conſtat, nec in hanc facilè, vel illam flectitur partem: ita & illi, nec odio, nec amicitiâ, aliiſque pravis paſſionibus huc, vel illuc inclinent, omnibus æqui ſint, juſtitiam dirigant. Non patitur rubiginem metallum: ita nec illi munerum corruptelis ſint obnoxii.*

Belfortum.

PRæclarum in primis oppidi Gandavenſis ornamentum eſt, ac Reipublicæ commoda ob pulſum, & indices horarum, turris illa, quæ in urbis meditullio ſita, Belfortum, ſeu Bella fortis, vocitatur. Eam annis jam ferè trecentis ſtrui cæptam, anno videlicet 1313 in Majo Ghyſelberto Reynviſch, & Balduino Borluyt Coſſ. ac 1380. ſequente impoſitum ei faſtigium aſſerit Gramajus; antiquiorem tamen hanc eſſe molem, & anno Chriſti 1171. à Sigero Vilain Caſtellano Gandavenſi conditam, quorundam ſcripta tradunt. Nomen Belforti priſcis Francorum legibus non incognitum aſſerit idem Gramajus, turres eas eſſe, è quibus ære campano claſſicum denuntiari, ac plebs ad ſigna, vel comitia vocari conſuevit. Unde Imperatores inſoleſcentem Cameraci, & Epiſcopo rebellem plebeculam repreſſuri, inter prima ſuſtulerunt Belfortum litteris anni M. CC. ne ullum videlicet populi conciliabulum coaleſceret. Gandavi eadem propter anno 1317 Wilhelmo de Breere, & Sigero de Groote Coſſ. (quod alii tamen 1314 factum putant) ſuſpenſa undecies mille pondo gravis campana, cui Rolandus nomen eſt, ſcriptumque in ambitu;


Roelandt / Roelandt / als ich kleppe / dan
iſt brandt:
Als ich luye / dan iſt ſtorm in Vlaender-
landt.

hæc alias horarum nuntia (cui ſoli rei nunc inſervit) ſi tum inſonaret, plebs armata cum vexillis forum petebat, Decanoſque ſuos, velut belli duces, audiebat. Eſt in eadem turri ſuſpenſa ad annum 1441 Gerardo van Ghiſtele, & Joanne Alaert Coſſ. alia campana 6972 pondo gravis, tum aliorum Opificum, tum Textorum præſertim operis definiendis. Ad ejus pulſum etiam portæ urbis nunc patent, & clauduntur. In faſtigio turris eminet auratus Draco, qui proſpero rerum ſucceſſu, cum publica lætitiæ ſigna civitas edit, vomit ignem. Hic captâ à Balduino Conſtantinopoli Brugas delatus, illinc pro ſpolio Gandavum venit; circa annum verò 1445 Ioanne vander Zype, & Philippo Serſanders Coſſ. primum in vertice turris poſitus, dein poſt annos ferè centum depoſitus, iterum ad annum 1542 auratâ pelle coruſcus, in eodem loco, Carolo Utenhovio, & Iudoco Trieſt Equite Coſſ. rutilavit.


Halla.

DOmus publica eſt Belforto attigua. eam Gramaius Fallas vocat, ac in omnibus Veterum ſcriptis tam Lovanii, quam Gandavi, Ypris, & alibi Falas appellari aſſerit, cenſetque probabili conjectura derivari eas, à Faillen / ſive ut modo lenita prima loquimur, Vailen / id eſt, venum exponere. Sunt enim, inquit, loca ſpatioſa, & velut Prætoria Arachnes, ubi officinatim pannos ſuos, venditioni deſtinatos reponunt. Uſibus itaque Textorum olim præcipuè ſervierunt, atque ex ejuſdem ſententia anno 1228 erecta ſunt. Alibi tamen ego domum hanc ædificatam lego anno 1425 Joanne Serſimoens, & Victore vander Zickele Coſſ. hanc videlicet, quam adhuc modò conſpicimus, deſtructa vetere illa, quæ ad annum 1228 cœperat, nunc mercibus quibuſdam condendis ſervit; in ea etiam publica bilanx, ac rerum ponderatio, exulantibus jam pœnè omnibus cum magno Reipublicæ detrimento, non ab hac domo ſolum, verum ab urbe tota Textoribus, qui cum olim potiores in plebe partes facerent, & circa Blandinium incolerent, ſub Guidone Dampetra in certas tribus diviſi ſunt, pro regionum urbis numero quas viginti ſeptem occupabant. Aucta dein opibus; & commerciis urbe: tertium cœperunt facere membrum civitatis, ſuumque, inquit Gramaius

Digitized by Google



Belfortum





Macellum Maius

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google





Digitized by Google

maius, habere Præfectum, quem Decanum textrinulæ, ſæpè Meyerus vocat. Feruntur extitiſſe quadraginta ſubinde textrinarum millia, ad ſtructuram item ædis Marianæ, illuſtrem illam, ac ſumptuoſam ſingulæ groſſorum libellum duntaxat tuliſſe, ſufficienſque nummorum ad tantam molem congeſſiſſe; feruntur etiam frequente tumultu ſub Maleano Principe, ferventibus nihilo ſecius operis, armati excurriſſe textores, fullones, & id genus lanariam exercentes, ad millia virorum octodecim.

Macellum majus & minus.

MAcellum majus ampla, & ſi uſquam alia per omnes Europæ regiones, magnifica Lanionum domus, ad ripam Scaldis & Legiæ mixtis aquis iſthac prælabentium fluminum, ædificata eſt ad annum 1408 Stephano Lidekerckio & Ioanne van Vaernewyck Coſſ. Sacellum habet D. Antonio Eremitæ ſacrum. In eo quotidianum offertur Sacrificium, quo conveniunt Laniones. Poſita etiam in fronte ejuſdem Macelli elegans imago B. Virginis, quæ puſionem JESUM ſcripturientem geſtat. Foris illi adhærent ſexdecim domunculæ quæ anno 1542 ædificatæ ſunt. Adjacet eidem forum piſcatorium commodum, ac ſpatioſum, ad cujus quaternos angulos anno 1483 Simone Borluyt & Jacobo de Grutere Coſſ. ſtructis columnis impoſiti Leones inſignia Auſtriæ, Burgundiæ, Flandriæ, & Gandavenſia habent. Macellum minus olim ad portam Brabanticam Scaldi ſuperpoſitum, ac molis aquaticis contiguum, nunc non procul ab Hippodromo, eorum præſertim civium uſibus ſervit, qui longius à majore diſtiti, in monte Blandinio, illique conterminis locis agunt.

Novum Caroli Cæſaris Caſtellum.

UBI S. Bavonis Monaſterium erat, anno 1540. auſpicalem eodem Principe ponente lapidem, conſtructum eſt. Præſidiariis ex fiſco regio ſtipendium conſignatur, & præficitur ex Hiſpanica ferè nobilitate vir primarius. Quales in primis Mondragonius, Salinas, Auguſtinus, Dherrera, Ferdinandus de Giron, Ludovicus del Villar, Joannes d'Aranda, viri bellica virtute ſpectabiles fuere: nunc eidem præeſt Dominus Caſpar de Valdes Eques Ordinis S. Jacobi Regi Catholico à Conſiliis belli, Baro de Herderſem vir fide ac prudentia clarus.

Pontes Gandenſes.

UTI Gandavum præ cæteris Europæ civitatibus magna fluentium aquarum abundantia irriguum eſt, ita plurimis quoque pontibus, per quos eadem flumina ſuperari poſſint, nobilitatur. Eorum aliquos, quorum origines invenire potui, in medium adducam; tantæ pleroſque magnitudinis, ut quod ante commemoravi, ſub illis holcadibus, ſeu navibus altis, quas vulgò Pleyten vocant, tranſitus ſit. Primus occurrit is, qui non procul à Petra Comitis & area Divæ Pharahildis ſitus, vernaculo ſermone de Hooftbrugghe vocatur, quod iſtic civibus id promeritis cervix præcidi ſoleat, eum perantiquum eſſe, & ante ſæcula aliquot ſaxo ſtratum gemina illi impoſita ſtatua ſatis declarat, in quarum altera, quæ filium caput patri amputare volentem exhibet, & in cujus manu (quod non ſine numine Divûm eveniſſe Gandavi creditur) enſis ſubito ruptus eſt, hæc inſcriptio legitur balteo inſculpta:

Ae Gandt le Enfandt frape ſou pere ſe taet deſnu,
Mais ſe beppe rompe, ſi grace de Dieu.

Pectori verò ejuſdem impreſſum:

Dits de wettelichede der Stede van Gendt
Die boets hem die hier is ontrent.

Contigit ea res ad annum Chriſti 1371. Joanne Willevaert & Jacobo van Raveſchot Coſſ. Illo etiam antiquior eſt ponsille Macello vicinus, vulgò s' Grabenbrugghe dictus, qui à triginta novem viris inchoatus, ad annum 1318. Coſſ. Gulielmo Wenemario & Joanne van Coyghem perfectus eſt. Ad annum verò 1542. impoſitæ illi quaternæ ædiculæ, quæ hodie ibi viſuntur. Pons ille, qui Legiæ ſuperpoſitus, à Divo Michaele, quod ejus nempe templo vicinus ſit, nomen habens fundatur 1406. Coſſ. Petro Serſimoens, & Joanne van Vaernewiick. Pons, vulgò de Veebrugghe, à pecore olim iſtic venum exponi ſolito nominatus, ſaxo ſtratus eſt 1424. Junii 24. Joanne Serſanders, & Wilhelmo Wtenhove Coſſ. Pons, qui poſticum videt domus furioſorum, factus è lapide anno 1534. Coſſ. Ghyſelberto de Grutere, & Ægidio de Baenſt. Pons, qui vulgò te Minnemen brugge audit, inchoatus 1563. Coſſ. Nicolao Trieſt Equite Auweghemio, & Jacobo Bers Domino d'Angerellis. Ad annum 1415. ca-

taractæ, & pons, vulgo De vijf Wintgaten/ ubi ab alto Scaldi ad inferiorem lapſus eſt, inſtaurantur Stephano Liedekerckio, & Claudio Damman Coſſ. Cataractæ vero ad rubram turrim albi lapidis pavimento ſtratæ anno 1421. Joanne Serſanders, & Balduino de Grutere Coſſ. delatus tum ſolemni ſupplicatione per eaſdem, cum aliis Divorum Reliquiis, S. *Livinus* Gandavenſium Patronus. Pons apud forum, vulgò Den Hoyaert/ ante ligneus fuerat, fit marmoreus 1424. Joanne Serſanders & Wilhelmo Wtenhove Coſſ. Alius vero apud Recollectos, Gandavenſium omnium ampliſſimus, 1500. Nicolao vander Moere & Joanne de Grutere Coſſ. ligneus vero apud Poſternam factus è lapide 1516. Richardo Wtenhovio Equite, & Joanne Serſanders Coſſ. Is vero, qui juxta locum, vulgo Den Wyenaert/ quo olim appellere vina ſolebant, 1526. Philippo de Grutere Equite, & Livino Donaes Coſſ. Pavimentum turrium, vernaculè Het Cuppgat/ ſolido ſaxo fundatum 1479. Coſſ. Adriano de Raveſcot Equite; & Adriano Vilain Equite, perque illud eodem anno religioſè cum aliis S. S. Reliquiis delatus etiam Divus Livinus. Pontis vero illi vicini, qui antea quoque ligneus fuerat, lapis auſpicalis poſitus an. 1558. Coſſ. Nicolao Trieſt Equite Domino d'Auweghem & Joanne Salaert Equite, uti ad oſtium novæ Foſſæ, quæ in Oceanum Gandavo fluit, quod vulgo Het Sas vocatur, auſpicia cæpere 1560. per illuſtrem virum Adulphum à Burgundia, magnum opidi Gandavenſis Prætorem, Coſſ. Carolo ab Ideghem Domino de Wieſe, & Judoco à Brakele. Anno denique 1563. Nicolao Trieſt Equite Auweghemio, & Jacobo Bette Coſſ. dextrum Legiæ latus, ad quod frumentariæ naves appellere, & exonerari ſolent, quadrato lapide ſtratum eſt, ac ita conſtitutum, ut facili negotio frumenta aliæque merces efferri in urbem, vel navigiis condi poſſint. Aliorum initia variè quæſita non inveni.

Portas Gandavenſes.

AD portas vero hujus civitatis quod attinet, quibus hodierno tempore ad eam acceditur, numerantur Brugenſis, quæ vi aquarum nuper dejecta majori ſplendore nunc aſſurrexit. Huic vicinus eſt alveus, qui Gandavo Brugas fluit. *Mudana*, quæ ad portum Gandenſem ducit, quem *Saſſum* appellant. *Dammenſis* eſt tertia arcinovæ ad D. Bavonis adjacens: *Cæſarea* quæ in ditionem Aloſtanam tendit & Bruxellas. *S. Levini*, quod in Holthem & Heſcham S. Levino nobilem iter monſtret; à qua non procul ſitum eſt amœniſſimo loco, ac cum variis juribus privilegiiſque dominium de *Raveſcot*, poſſeſſum nunc à nobili & generoſo viro *Carolo Trieſt* Domino de Quevyn, equitum duce, qui quamvis ſtudiis Martialibus occupetur, liberales tamen diſciplinas excolit, & omnes elegantias admiratur; à quo etiam nunc prætorium de Raveſcot majori ſplendore conſtruitur. Paulo altius ab hac, ultra Scaldim, viſitur porta, Blandinienſi cœnobio ferè attigua, quæ vernacule audit de Heuverpoorte Zubinardam ducens celebrem ejus Abbatiæ Toparchiam. Hic pons conſpicitur nuper à Gandavenſi Senatu inſtauratus, miræ altitudinis, & in fornices plures diſtinctus, Romanis etiam operibus comparandus. Ultima *Perſellica* nominatur, quæ Corturiaco & Aldenardæ ſemitam pandit, à qua amœniſſimus in vicina prata deſpectus.


Dominium de Raveſchot.

DOminium de Raveſchot in urbe Gandavo ſitum, tenetur à curia feudali Teneramundana, ut agnoſcit in litteris ſuis feudalibus ad annum milleſimum quingenteſimum trigeſimum nonum, Adrianus Trieſt ejus loci Dominus. Habet ædes per æſtatem præcipuè amœnas cum hortis, pomariis, pratis, paſcuiſque, quæ foſſa cingit, & fluviolus è majore Scaldis alveo per vicina ductus. Pars etiam fundi Dominio huic ſubjecti extra portam & mœnia D. Levini ſe protendit, habetque proventus & alia emolumenta annua, quæ iiſdem litteris continentur. Prædictum porro Dominium nunc poſſidet *Carolus Andreas Trieſt*, *Maxæmiliani* & *Catharinæ Trieſt filius*, præſtanti vir indole ac virtute, pro Catholico Rege Equitum lanceatorum ductor. Habuit ea *Catharina* patrem *Carolum*, matremque *Margaretam de Ooſterlinck*, avum verò *Adrianum Trieſt* itidem Toparchum de Raveſchot, cui conjux fuit *Catharina de Grutere*. Cæterum quod nunc Dominium de Raveſchot appellatur, olim quoque dictum fuit *Feudum vander Oyen*, illudque de conſenſu filii ſui *Simonis* ad annum 1345 vendidit *Henricus de Grutere Simoni de Raveſchot*, qui cum uxore ſua *Margareta* tranſtulit illud anno 1349 in *Joannem van Raveſchot*, is ex *Catharina vander Scaeghen* filiam habuit *Eliſabetham van Raveſchot*, cui ex *Simone Borluyt* natus *Simon*, ejuſdem etiam Dominii Toparchus fuit, ſed cum hic improles obiiſſet, devoluta


Digitized by Google

Digitized by Google

Tom. 1. pag. 203.



DOMUS GILDÆ S. GEORGII
Vulgo S. Ioris Hoff.



voluta eſt eadem Toparchia ad *Levinum Trieſt* ejus nepotem ex ſorore *Eliſabetha*, quæ in manus venerat cum *Chriſtophoro Trieſt*, *Judoci*, & *Mariæ de Lovendeghem* filio. Prædictus verò Levinus ex *Antonina Spruyts* filium habuit *Adrianum*, qui uxorem duxit *Catharinam vander Moten*, habuitque ex ea filium itidem *Adrianum*, qui parentum dono ad annum 1539 factus Dominus de Raveſchot, ſucceſſores habuit in ea Toparchia, *Philippum*, atque *Franciſcum Trieſt*, modoque *Carolum Andream*, de quo ante dictum.

Domus de Raveſtyn.

NOn procul ab æde S. Michaelis domus hæc opere ſplendido ædificata cernitur, vulgò het Hof van Raveſteyn audit. Ad Cliviæ Ducem nuper, nunc ad eos ſpectat, qui bonorum ejus Principis hæredes ſunt; fuit ante nuperos bellorum motus præ foribus Bacchi ſtatua ad umbilicum uſque ex albo marmore ſculpta, cum mammis muliebribus, & cornua fronte gerens; ſic enim apud veteres depingi ſolebat. Eam Dominus de Raveſteyn in Italiam profectus, Genuâ Gandavum advexerat.

Domus de Wacquen.

DOmum de Wacquen nunc Carolus à Burgundia, ejus loci Comes, incolit, quam & magna parte auxit, dum ſplendidum ei nuper magnificumque ædificium conjunxit, varioque imaginum ornatu a præcipuis hujus ævi penicillis decoravit. In ea anno [illegible]. Cæſarem Carolum lectica vectum hoſpitio excepit Adolphus à Burgundia dominus de Wacquen, Catthem, Capelle, Zelandiæ Gubernator, ac Primas nobilium ejus Inſulæ, magnus tum temporis Gandavenſium Prætor, claſſiſque in Hiſpaniam anno 1552. euntis præfectus, etiam maris Belgici aliquando Architalaſſus.

Domus de Fiennes.

DOmus *Toparchorum de Fiennes* Bortios olim habuit poſſeſſores, ab iis familia Luxemburgica emit, heroeſque ejus gentis aliquot, cum Flandrorum Comes Gandavi præcipuè ageret, in ea habitarunt. Excepit & hoſpitio Philippum ſecundum Hiſpaniarum & Indiarum Regem Catholicum; nunc titulo emptionis ad della Faillios venit, à quibus incolitur.

Domus de Liedekercke.

LIedekerckana Domus à Proceribus ejus familiæ condita eſt ante annos fere centum, ſed opere viſitur adhuc imperfecto, nulli alioquin præcedentium ceſſura; eam nunc poſſidet Comes de Boſſu.

Domus Sti. Bavonis.

DOmus *Sancti Bavonis* propria Gandavenſium Epiſcoporum eſt, ab iiſque inhabitatur. Primo eam ſtruere cœpit Lucas Munich, ultimus Bavoniani Cœnobii Abbas, quædam adjunxit Viglius Præſes. Eam quoque hoſpitio ſuo nobilitarunt anno nuper ſæculari, & alias, Albertus & Eliſabeth Belgarum Dynaſtæ.

Anno 1638, Sereniſſimus Princeps Hiſpaniarum Infans Ferdinandus, unicus Catholici Regis frater, Belgarumque ac Burgundionum præfectus, eum Antiſtiti Gandavenſi ANTONIO TRIESTIO honorem, ob non modica ejus in Eccleſiam Dei merita eſt elargitus. Cernitur & Gandavi ad portam S. Levini prætorium Dominii de *Raveſcot*, quod poſſidetur modo à Nobili, virtutibuſque ac litteris, Martiales quamvis inter ſtrepitus, cultiſſimo viro, Domino *Carolo Trieſt*, etiam Toparcha de Quenyn, & ductore equeſtris turmæ in exercitu Regis Catholici ſtrenuo. Prætorium iſtud porro ad ripam fluminis ſitum, juxtim prata, hortos habet & arboreta jucunda, & amœniſſimos ad Blandinium montem proſpectus, à moderno Toparcha inſtauratum. Ipſa etiam Toparchia variis gaudet prærogativis ac juribus, quorum tamen hactenus particulatim ſcripta ad me notitia non devenit.

Gilda ſive Sodalitium S. Georgii.

GILDA ſive Sodalitium Gandenſe Arcubaliſtariorum S. Georgii primatum in Flandria tenet, fuitque ab omni ævo ea Sodalitas Principibus cara, ab iis quoque privilegiis ac muneribus variis adfecta; illi inſcriptus Ferdinandus, Caroli Cæſaris frater, an. 1519. pſittacum dejaculatus eſt. Domus ampla & magnifica ſub eodem Cæſare, circa quam regnorum ejus inſignia quoque viſuntur, conſtructa porticum habet cæruleo lapide ſtratam ad paſſus 110. longam, è regione ædis Prætoriæ; cujus altera pars capitolio Gandavenſi attigua eſt. Honoratiores inſcripti

Digitized by Google

Sodalitio cives, feſtis præcipuè diebus, re divinâ peractâ, in ea ſe exercere ſoliti; habet & Hoſpitale juxta Monaſterium, vulgo S. Joris-huys/ ubi nulla quoque fieri Monialis poteſt, niſi prius huic ſodalitati dederit nomen. Olim & altera Gandavi ejuſdem inſtituti Sodalitas fuit, hæc autem ætate multum ſuperior, mirum in modum à Carolo Audace, Principe bellicoſo, & militarium exercitiorum amantiſſimo, promota fuit: Maxæmilianus quoque Cæſar, ut ex diplomate ejus conſtat, eam ſingulari adfectu proſecutus eſt; quod à ſuis ab antiquo, ut ait, prædeceſſoribus factitatum quoque fuiſſe aſſeverat. Illam itaque an. 1512. in tutelam ac protectionem ſuam peculiarem ſuſcipit. In ejus etiam ſacello ſingulis Dominicis res divina peragitur. Olim ſex quotidie ſacra celebrari ſolebant, anniverſaria fieri quoque pro iis, qui de ordine bene meriti erant, alia etiam officia Eccleſiæ, & muſico quidem concentu. Cæterum cum illi quiſpiam inſcribitur, munus ferè aliquod eidem, ſed poſthumum, quod à morte videlicet, qui addicit, præſtandum eſt, polliceri ſolet. Illuſtria & alta nomina in Cod. Don. recenſentur, inter ea ſunt, Maxæmilianus Imperator, Margareta Caroli Burgundi uxor, Adolfus Clivenſis Dominus de Raveſteyn, Philippus Clivenſis Dominus de Raveſteyn, Engelbertus Naſſavius Dominus de Vianen & Breda, Philippus à Burgundia Dominus de Beveren, Joannes à Cruninghen Dominus de Pamele, Joannes à Traſegnies Capitaneus Hannoniæ, Antonius de Luxemburgo Comes de Rouſſye, Arnoldus ab Horne Dominus de Gaeſbeke, Chriſtophorus Marchio de Baden, Balduinus Inſulanus Dominus de Lovendeghem, Joannes Mommorenciacus de Nevele, Carolus de Croy Princeps Chimacenſis, Judocus Giſtellanus, Joannes Herzelenſis, Adrianus Vilanus à Gandavo Dominus de Lidekercke, Joannes de Stavele Dominus de Iſeghem, Antonius Rouiin magnus Hannoniæ Prætor, Joannes à Gruthuyſe, Walterus vander Gracht, Judocus Blondel Dominus de Pamele, Jacobus Halewinus Dominus de Roosbeke, Antonius Brabantiæ nothus Dominus de Crubeke, Georgius à Scornaca Dominus de Muelebeke, Ludovicus à Prato, dictus de Moerkercke, ſupremus Flandriæ Prætor, Colardus de Halewyn Dominus de Boeſinghen, Judocus de Halewyn, Carolus de Halewyn Capitaneus Dunkerckanus, Joannes Giſtellanus Dominus vander Moten, Walramus de Bredenrode, Adrianus van Cruninghem, Antonius de Maſtaing Dominus de Machelen, Franciſcus de Maſtaing Dominus de Maſſemen, Antonius Burgundiæ nothus Comes de la Roche en Ardenne, Joannes van Heurne eques, Franciſcus van Heurne, Joannes vander Gracht Dominus de Scardau, Richardus Wtenhovius Ægidii filius, Joannes de Beaufort, Jacobus Dominus vander Vichte, Simon Bette Dominus de Bottele, Carolus van Wedergraet,

Philippus Rex Caſtellæ, Caroli Cæſaris pater, Ferdinandus Philippi filius, Caroli Cæſaris frater, Florentius ab Iſelſteyn, Henricus Comes à Naſſau Dominus de Breda, Jacobus de Luxemburgo Comes de Gavre, qui trinis continuo vicibus pſittacum dejaculatus, an. 1524. Cæſar, & iterum hujus Gildæ Rex fuit. Vincentius à Swanenburch, Hermanus à Lichtenſteyn, Jacobus Carondelet Oeconomus Archiducis Philippi, Joannes de Grutere, Antonius de Helfaut eques,

Philippus ſecundus Hiſpaniarum Rex, Lamoraldus Comes Egmondanus, Philippus Mommorenciacus Comes de Hornes, Joannes Marchio Bergenſis, Philippus à S. Aldegonde Dominus de Noircarmes, Florentius Montmorenciacus, Dominus de Montigny:

Georgius Comes de Ligne, Carolus de Grutere Dominus de Wallebeke, Nicolaus de Rymerſwale Dominus de Lodycke, Ferdinandus de la Barre Magnus Flandriæ, & Gandavenſium Prætor, Levinus vanden Brande Dominus de Morſele, Becelaere, Judocus de Woeſtyne, Henricus à Coorenhuyſe, Joannes van Coudenhove, Nicolaus d'Aubremont Dominus de Freſnes, Petrus Lanchals Dominus de Pottere, Olſene, Maxæmilianus de Borſele, Maxæmilianus de Vilain Dominus de Raſſengien, Joannes de Baenſt, Philibertus Zelandiæ Burgravius, Jacobus de Cortewyle, Gulielmus Borlutius, Jacobus Trieſt, Carolus de Claerhout Dominus d'Ardoye.

Albertus & Eliſabeth Sereniſſimi Belgarum Principes, Philippus Princeps Arenbergicus Dux Arſcotanus, Rodericus Ninus Laſſo de la Vega, Comes d'Anjouer, Magnus Principum Oeconomus,

Maria vidua Hungariæ, Cæſaris Caroli ſoror, Iſabella Cæſaris ſoror, Regina Daniæ. Inſcripti & eccleſiæ Præſules, Antonius Trieſt Gandavenſium Epiſcopus, Petrus Damantius, Giſlenus Temmermanus Abbas Blandinienſis, Ægidius Baes Abbas Trunchinienſis, Viglius Zwichemus Præſes, Præpoſitus Bavonianus, Franciſcus Helfaut Abbas Blandinienſis,

Hugo

Hugo d'Engien Abbas Eenamenſis, aliique plures viri, quà dignitate, quà genere conſpicui.

Cæterum Gildæ ſeu Confraternitates illæ ſub patrocinio, & titulis Sanctorum quorundam inſtitutæ, ad honeſta jucundaque civium exercitia, ad concordiam eorundem, & mutuum amorem, ad Reipublicæ contra vim adverſantem præſidium, ad religionis denique tutelam plurimum valent, ut à Politicarum rerum ſcriptoribus rectè notatur.

Gilda ſeu Collegium S. Sebaſtiani.

DOmum habet elegantem in Hippodromo, campum ad ducentos & amplius paſſus longum; illum à Meridie flumen, ab Aquilone murus claudit, jaculationi, & exercitui ejus Sodalitii aptiſſimum, variiſque arboribus conſitum. Cœpta domus ædificari anno 1548. Carolo Wtenhovio Domino de Markem, & Joanne vanden Eechoute Coſſ. Gildam inſtitutam circa annum Domini M CCC. auctoritate ſua mox comprobavit Ludovicus Maleanus Flandrorum Comes. Gubernatur autem primum ab eo, qui pſittacum, quem quotannis in conſpicuo ponere ſolent, ſagitta dejiciendum, dejaculatus eſt, & ab ea re nomen Regis habet, Decano item ſupremo, exin Decano alio, & ſedecim proviſoribus. Ab illo Rege Prætor etiam conſtituitur, cui jus mulctandi illos, qui contrarium quidpiam ſtatutis hujus Societatis, & ordini jaculationis admiſere. Unoquoque ſexennio ſupremus eligitur Societatis Decanus, eoque nunc officio fungitur vir nobilis, & Reipublicæ noſtræ amantiſſimus Jacobus Borlutius Schonberghæ Toparchus, Bavoniani quoque Dominii Prætor, à quo hæc habemus. Sub illo Decanus Laurentius vander Haghen, cui jus conſtituendi quoque ordinis illius ſcribam perpetuo manentem, is nunc eſt Laurentius à Foreſto, vir bono loco natus, Euſebii à Foreſto filius. Supremus autem Decanus, & alius ſub eo à proviſoribus eligitur, qui & ipſi quotannis, ad arbitrium Regis, ſupremi, & alterius Decani innovantur. Ordo hic per univerſam Flandriam ſupremus eſt, mulctare etiam poteſt alias ejus nominis Gildas, ſi quando abſque conſenſu hujus dejaculari pſittacum præſumpſerint: ea autem venia tabulis à ſcriba datis conceditur. Rex per biennium ab oneribus publicis liber eſt. Si quis autem trina vice continua avem dejecerit, Cæſar appellatur, & per omnem vitam eam immunitatem habet.

Anno 1300. Gilda hæc apud Merchten ſeptem cantharos argenteos jaculationis præmium accepit; eodem anno cantharum argenteum in Caſtello de Peteghem, & ſeptem alios Hulſti.

Anno 1560. profecti Wacquenium cum labaro D. Sebaſtiani imaginem habente (locus eſt is totâ Flandriâ amœniſſimus, & Comitatus titulo nunc inſignis) quadringenti Sodales cum equis quingentis, omnes rubrâ byſſo induti. Duxit eos Adolphus à Burgundia, ejus loci Dominus, & præmia jaculationi iſtic propoſita Gandavum retulere.

Anno 1618. quinta Auguſti Sereniſſimi Belgarum Principes, Albertus & Iſabella, Sodalitio nomina ſua inſcribentes, idem inſigni cantharo deaurato donaverunt.

Collegium ſeu Gilda S. Antonii.

PRimum conſenſu Senatus, ad petitionem Petri de Moerlooſe, Architecti Gandavenſis, Joannis Ghiſelmi, aliorum quorundam civium inſtituta circa annum Domini milleſimum quadringenteſimum octogeſimum nonum XIV. Maji. Ejus rei diploma habent Collegæ ſigillo urbis manuque publici Tabellionis notatum. Sclopo præcipuè ſe excercent. Eam tum variis privilegiis honoravit idem Senatus. Confirmata verò poſtmodum fuit hujus Gildæ inſtitutio, & amplioribus aucta privilegiis per Carolum Hiſpaniarum tum Principem, & Flandriæ Comitem; ut è diplomate in hanc rem conceſſo XIX. Aprilis M D XV. anni poſt Paſcha patet. Signavit & appendit Cæſaris ſigillum Secretarius Verderue.

Alia eidem Gildæ ſtatuta privilegiaque conceſſit Senatus Gandavenſis anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo nono Kal. Febr. Signavit urbis Secretarius Vriendt.

Alia item XIII. Martii anno 1537. Signavit urbis Secretarius Joannes vander Haghen. Alia quoque Philippus Secundus Hiſpaniarum Rex Catholicus XXIII. Octobris 1562. Bruxellæ. Signavit Vlierden.

Quæ omnia denique confirmata, multumque aucta fuere per Sereniſſimos nuper Belgarum Principes, Albertum & Iſabellam, anno 1611. XVII. Januarii, qui

Digitized by Google

qui Collegii Patrono ſacer eſt, ut è literis ejus rei in Sanctiore conſilio Bruxellis datis conſtat.

Collegium ſeu Gilda S. Michaelis Archangeli.

VT hæc Gandavi Gilda inſtitueretur ſub titulo, & patrociniis B. Michaelis Archangeli, apud Principem primi inſtitere Petrus van Hoorebeke, Petrus Boſchaert, Petrus Commelin & Joannes Ryckaert, cives omnes Gandavenſes. Eorum cauſſam ſuſcepit Jacobus van Zeveren, in Comitio Flandriæ tum Advocatus, nunc Principibus ibidem Procurator generalis. Ejus itaque rei conceſſum diploma XXVI. Martii, anno 1613. variis inſtructum privilegiis, & univerſim in viginti articulos diſtinctum. Illo permittitur, ut eidem Gildæ centum inſcribantur cives, & à ſolitis tutandæ civitatis excubiis immunes ſint. Primus ejus Collegii ſupremus Decanus fuit Philibertus Rym, priſcâ vir familiâ natus, Toparchus de Bellem, &c. Decanus inferior Petrus Boſchart. Secundus fuit collegii Decanus ſupremus, Gulielmus de Blaſere Dominus de Hellebuſch, & ſub illo Petrus Romanus, nunc præeſt Franciſcus Borlutus Dominus de Boucle, cum Ghiſelberto van Campt, & aliis Gildæ curatoribus. Acceſſit diplomati Principis, conſtitutio Senatus Gandavenſis 66. articulis diſtincta, 19. Aprilis, anno 1616. Sacellum habet in eccleſia Parœciali Divi Nicolai. Collegæ pugiles ſunt, & gladiatoriam exercent.

ANTO-

ANTONII SANDERI FLANDRIA ILLUSTRATA.

LIBER QUARTUS, CONTINENS Res Sacras Gandavenſes.

Prima Epiſcopatus Inſtitutio.

PHILIPPUS Bonus Burgundiæ Dux, Imperii Belgici Princeps, cum multa ad novi in Belgica Imperii dignitatem verſare in animo conſilia conſueſſet, tum illud agitare ſolitum fuiſſe accepimus, uti cum tot Provinciis (verba ſunt Florentii vander Haer lib. 1. de cauſis tumultuum Belgicorum) unum modò haberet Epiſcopum Atrebatenſem, loca cætera peregrinis Epiſcopis parerent, novos ſuis Provinciis dari à Romano Pontifice Epiſcopos poſtularet. Verum cum perficere rem eam Philippus non potuiſſet, neque filio Carolo à bellis otium extitiſſet, factum eſt uti Cæſar Carolus hoc abavi ſui conſilium animo ſæpenumero ſecum repeteret, tum quod ad Imperii dignitatem, tum quod ad religionis procurationem (cujus ingenti ſtudio tenebatur) perutilem eam rem futuram judicaret. Verum cum neque ipſe à bellis otium inveniret, & modò Cardinalis Erardi à Marca, modò Georgii ab Auſtria patrui nothi Epiſcoporum Leodienſium gratia atque auctoritate impediretur, factum eſt uti, antequam imperio decederet, conficere rem eam Cæſar non potuerit. Suſcepta inde ejus cogitatio à filio Philippo, tum quod patris monita conſiliaque plurimi facere conſueſſet, tum quod Religionis Catholicæ ita ſtudioſus exiſteret, uti hujus unius rei ſtudio omnem imperii, atque ſuam dignitatem metiretur. Mandata eſt itaque à Rege ea res Legato, quem Romæ apud Paulum Quartum habebat, miſſus etiam è Belgio, qui Legato operam in eo negotio præſtaret, *Franciſcus Sonnius* Theologus Lovanienſis & Canonicus Ultrajectinus. Propoſitam ſibi rem Pontifex ſeptem Cardinalibus examinandam committit, referunt delecti Cardinales licitam eam eſſe diviſionem, tum quod eæ rationes ſeſe offerrent quæ (Extravag. Salvator noſter &c. De præb.) jure ſcripto continentur, tum quod hæreſibus ea pars Germaniæ infecta eſſet. Expedire quoque uti ea trium videlicet Archiepiſcopatuum & tredecim novorum Epiſcopatuum inſtitutio ac diviſio, cum Atrebatenſi & Tornacenſi quoad limites aliqua facta mutatione admittatur: eſſe enim per ea loca eam territoriorum atque idiomatum diverſitatem, ut neque extra ſuas provincias in jus vocari, neque vocati niſi per interpretem intelligi à ſuis Epiſcopis homines poſſint; eam quoque provinciarum atque urbium multitudinem, eam doctorum hominum copiam iſtic reperiri, uti eccleſiæ univerſæ hominumque per ea loca ſaluti utiliſſima ea res ſit futura. Ob illas itaque rationes Paulus Quartus anno MDLIX hoc diploma, quo præcipua ac jam dicta ſanctæ hujus inſtitutionis motiva etiam continentur, ad Regem & Provincias Belgicas miſit.

Paulus Servus ſervorum Dei: ad perpetuam rei memoriam. Super univerſas orbis eccleſias, eo diſponente, qui cunctis imperat, & cui omnia obediunt, quanquam ſine noſtris meritis conſtituti, levamus in circuitu agri Dominici oculos noſtræ mentis, more pervigilis paſtoris, inſpecturi, quid Provinciarum & locorum quorumlibet ſtatui & decori, quidve illorum

Digitized by Google

rum incolarum animarum ſaluti congruat, ac deſuper hoc prætertim tempore quo humani generis hoſtis omni conatu, ad ipſarum animarum perniciem, & fidei Catholicæ everſionem incumbit, diſponi debeat, divino fulti præſidio, dignum, quin potius debitum arbitramur, in irriguo militantis eccleſiæ agro, novas Archiepiſcopales & Epiſcopales ſedes, & eccleſias plantare, ut per hujuſmodi novas plantationes, popularis augeatur devotio, divinus cultus effloreat, & animarum ipſarum ſalus ſequatur, ac loca inſignia, ea præſertim, quorum incolæ, benedicente Domino, multiplicati noſcuntur, dignioribus titulis, & condignis favoribus illuſtrentur, ut propagatione novarum ſedium, venerabiliumque Præſulum aſſiſtentia, regimine & doctrina ſuffulti, cum Apoſtolicæ auctoritatis amplitudine, & Orthodoxæ fidei augmento, populi ipſi proficiant ſemper in Domino: & quod in temporalibus ſunt adepti, non careant in ſpiritualibus incremento; præſertim cum id Catholicorum Regum, & Principum expoſcit devotio. Cum itaque mentis noſtræ aciem convertiſſemus in eam inferioris Germaniæ partem, quæ chariſſimi in Chriſto filii noſtri, Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici, ditioni hæreditario jure ſubjecta eſt, ſcientes meſſem quidem multam ibi eſſe, operarios autem paucos; propterea quod cum ea regio antiquitus erectionis cathedralium eccleſiarum ſuarum tempore ſparſim & infrequenter admodum inhabitaretur, nunc à tot tantiſque populis, & gentibus incolatur, ut pro oppidorum celeberrimorum quibus ubique referta eſt, frequentia, & caſtellorum pagorumque multitudine, paucæ ibi ſunt admodum eccleſiæ Cathedrales, quo fit, ut tam pauci Epiſcopi, non ea qua opus eſſet diligentia, tantam animarum multitudinem regere poſſint, quod quibuſdam eorum hoc etiam eſt difficilius, quod ipſorum Diœceſani linguæ idiomate, inſtitutiſque differunt, & quidam eorum etiam hujuſmodi privilegia habent, ut ipſos ad ſedem epiſcopalem non liceat evocare, ita ut nec fidei doctrina, & piè vivendi præceptis commodè inſtrui, nec ſi quid deliquerint, facile corrigi ab Epiſcopis ſuis poſſint. Ad ipſos vero Epiſcopos viſitandos, admonendos & in officio continendos, ne una quidem in tota illa celebri, & tam longe lateque patente regione eccleſia eſt Metropolitana. Sed illæ quibus ſubjectæ ſunt, extra fines ipſius Philippi Regis ſunt, earumque Archiepiſcopi propter multa & varia impedimenta nulli ſuffraganeis ſuis uſui jam pridem fuerint; ad quæ tanta incommoda, cum hoc quoque accedat, quod cum ea regio omni fere ex parte cincta ſit & obſeſſa à populis hæreticis atque ſciſmaticis, propter aſſiduas hæreticorum inſidias, dolos & fraudes, peſtiferaſque doctrinas, Catholica illic fides & animarum ſalus, in maximo diſcrimine, ac periculo verſantur. His cauſis aliiſque quæ animum noſtrum impulerunt, adducti, precibus etiam annuere volentes, tamque pio deſiderio ſatisfacere ipſius Philippi Regis, qui pro ſua pietate, & Catholicæ fidei ſtudio, hac de re nobiſcum, & ſæpe, & perquam diligenter, per litteras & Nuntios egit, habita, ſicut rei magnitudo poſtulat, cum venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ eccleſiæ Romanæ Cardinalibus, deliberatione matura, tam graviter periclitanti in illis partibus fidei Orthodoxæ, & animarum ſaluti aptiſſimum eſſe remedium duximus: Si veterum eccleſiarum in illa regione poſitarum Diœceſes commodioris regiminis cauſa divideremus, noviſque erectis Cardinalibus eccleſiis, ejuſmodi præficerentur Epiſcopi, qui tum exemplo, tum verbo commiſſas ſibi oves paſcant, ac proborum eorundemque doctorum virorum copia muniti, idoneorum opera Miniſtrorum adjuti, illas adverſus inſidiantem luporum rabiem tueantur, atque cuſtodiant: Et Metropolitanæ aliquot eccleſiæ oportunis ejus regionis locis erigantur, ad quas commodè adiri poſſit, quibus qui præfuturi ſint, ſuffraganeos ſuos in officio contineant. Ex certa igitur noſtra ſcientia de eorundem fratrum noſtrorum conſilio, ac de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, & ad Dei omnipotentis honorem; & ſanctæ ipſius eccleſiæ utilitatem, Cameracenſem, Trajectenſem, Atrebatenſem, & Tornacenſem, eccleſias, civitates atque Diœceſes, à Remenſi, Colonienſique, quibus ſunt Metropolitico jure ſubjectæ, ac Mechlinienſe, Antwerpienſe, Harlemenſe, Daventrienſe, Leewardienſe, Gruningenſe, Middelburgenſe, Buſcoducenſe, Ruremundenſe, Namurcenſe, Audomarenſe, Iprenſe, Gandavenſe, & Brugenſe, celeberrima Cameracenſis, Trajectenſis, Leodienſis, Morinenſis & Trajectenſis, Diœceſum opida, à ſua quoque eorum diœceſi & provincia: præterea ab eccleſia Cameracenſi (quam nuper ab omni poteſtate & juriſdictione Remenſis Archiepiſcopi (cujus ſuffraganea erat) liberavimus, eam ipſius diœceſis partem, quæ in Brabantiæ Ducatu, & Flandriæ Comitatu exiſtit, itemque ab eccleſia diœceſique Leodienſi, eam ipſius diœceſis Leodienſis partem, quæ eſt in Namurcenſi & Hornenſi Comitatibus, ac Brabantiæ & Geldriæ Ducatibus, ditionis ipſius

Digitized by Google

ipſius Philippi Regis; itemque ab eccleſia diœceſique Tornacenſi eam partem ipſius diœceſis Tornacenſis, quæ à Roesbeke pago & Aldenardæ oppido ad Oceanum vergit ipſo pago & oppidis incluſis, itemque ab eccleſia & diœceſi Trajectenſi eam partem diœceſis ipſius Trajectenſis, quæ in Flandriæ Comitatu exiſtit & Inſulis Selandiæ, ac totam Hollandiam aquaticam & partem illam Hollandiæ, quæ firmior appellatur, uſque ad oppida, Leydenſe excluſive, & Amſtelredamenſe, & Inſulas Vlietlant, & Texel, ac Wiringem, & totam regionem Tranſiſſellaniam, ac Gruningiam, & Phriſiam cum magna parte Ducatus Geldriæ, quæ inferior appellatur, uſque ad Hardewicum & Schembergem, oppida incluſivè, & uſque ad Arguem & Wergeningem oppida, ipſis tamen excluſis, nec non partes quas habet ultra Waliam flumen ad ipſum Geldriæ Ducatum pertinentes ad magnam aquam Dordracenſem verſus Brabantiam. A dilectis autem filiis Capitulo ipſius eccleſiæ Trajectenſi, ſeu illius menſa capitulari, omnem juriſdictionem, omniaque jura Epiſcopalia ipſius Capituli quæ habet in regione Weſtphryſiæ vocata, & Oſnaburgenſi, & Monaſterienſi, ac Colonienſi, & Padebornenſi, eccleſiis & diœceſibus, & à Colonienſi Provincia eas partes Oſnaburgenſis, & Monaſterienſis, ac Colonienſis, & Padebornenſis, Diœceſum, quæ intra fines Regis Philippi exiſtunt, cum omnibus & ſingulis earum terminis, & territoriis, ac Cleris, populis, ac perſonis, monaſteriis, eccleſiis, ac piis locis, ac beneficiis Eccleſiaſticis, cum cura, & ſine cura ſæcularibus, & ordinum quorumcumque regularibus. Ab ipſa autem eccleſia Morinenſi per obitum bonæ memoriæ Franciſci de Crequy olim Epiſcopi Morinenſis ab hinc circiter ſeptennium defuncti, & paſtoris ſolatio deſtituta, eam partem ipſius diœceſis Morinenſis, quæ in Artheſia exiſtit, & Flandriæ Comitatibus, ditionis ipſius Philippi Regis, cum ipſius terminis, caſtellis, territorio, pagis, & locis, clero, populo, & perſonis, monaſteriis, eccleſiis & piis locis, & beneficiis eccleſiaſticis cum & ſine cura ſæcularibus, aut ordinum quorumcumque regularibus, fructuſque, redditus, proventus, decimas, jura, & emolumenta, quæ Epiſcopus Morinenſis, jura quoque quæ Archiepiſcopus Remenſis in parte diœceſis Morinenſis, ac terminis ac territorio, caſtellis, pagis, ac locis prædictis, ſeu ratione viſitationis, ac quovis alio jure, & cauſa accipere conſueverunt à menſa Archiepiſcopali Remenſi, & Epiſcopali Morinenſi, authoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuo eximimus, ſegregamus, dividimus, & ſeparamus, ac ab omni juriſdictione, poteſtate, & Remenſis, & Colonienſis Archiepiſcoporum, ac Cameracenſis, Trajectenſis, Leodienſis, Morinenſis, Tornacenſis, Oſnaburgenſis, Monaſterienſis, & Padebornenſis Epiſcoporum, ac dilectorum filiorum Capitulorum Remenſis, Colonienſis, Trajectenſis, Leodienſis, Morinenſis, Tornacenſis, Oſnaburgenſis, Monaſterienſis, & Padebornenſis eccleſiarum, atque à ſolutione decimarum, & quorumvis aliorum jurium, eiſdem Archiepiſcopis, Epiſcopis, capitulis ac clericis & aliis prædictis, ratione juriſdictionis, ſubjectionis, aut legis diœceſanæ, & Metropoliticæ debitorum: ita ut poſt hac Epiſcopus Morinenſis juriſdictionem aliquam in partem à diœceſi ſeparatam, & illius territorium, caſtella, pagos, & loca, ac Clerum, populum & perſonas, & monaſteria, eccleſias & pia loca, ac beneficia exercere, & beneficia ſub hac ſeparatione ac diviſione comprehenſa, quæcunque, quotcunque, & qualiacunque ſint, quæ ad ejus collationem antea pertinebant, conferre, ſeu fructus, redditus, proventus, jura, obventiones & emolumenta, ab eo in parte in diœceſi ſeparata, terminis, territorio, caſtellis & locis prædictis ſubventionis cauſa, aut ulla qualibet ratione percipi ſolita & Epiſcopus Morinenſis, atque Archiepiſcopus Remenſis, prædicti in parte diœceſis ipſis adempta, ac terminis, territorio, caſtellis, pagis, & locis præfatis de his quæ ad eos ratione viſitationis ipſorum, & legis Diœceſanæ & Metropoliticæ pertinebant, intromittere ſe nullo pacto poſſint, eximimus & omnino liberamus. Cameracenſis vero, & collegiatam Sancti Rumoldi oppidi Mechlinienſis, & Trajectenſis eccleſias Metropolitanas, ac Cameracenſis & Trajectenſis ſedes Epiſcopales, & Archiepiſcopales easque & ipſam eccleſiam, Sancti Rumoldi Metropolitanorum Præſulum ſedes, ac provinciarum capita, ſcientia, conſilio, ac poteſtatis plenitudine, ſimilibus authoritate & tenore præmiſſis etiam erigimus, & inſtituimus.

Ex quibus Archiepiſcopis nuncupandis, Cameracenſis quidem, pro ſua diœceſi habet viginti & octo oppida, cum caſtellis pagis, & monaſteriis interjacentibus, intra ſpatium ſeptuaginta duorum millium paſſuum Italicorum in longitudinem; ſexaginta vero in latitudinem, per Nuncium propediem à nobis illic mittendum, limitanda. Trajectenſis autem pro ſua diœceſi

ceſi obtineat territorium Trajectenſe, & majoris partis Hollandiæ, magnæque partis Geldriæ, cum Dominiis de Buren, de Culenburch, de Vianen, Ormeyden, Yſelſten, triginta oppidorum, præter pagos in longitudinem nonaginta; in latitudinem quadraginta millium paſſuum ſimilium terminanda, ut dictum eſt. Iiſdem autem duobus, & tertio Mechlinienſi nuncupandis Archiepiſcopis, pallium & crucem, ſicut mos eſt deferendi, reliquiſque inſignibus omnibus, honoribus, ornamentis, privilegiis & prærogativis Eccleſiarum, ac ſedium Metropolitanarum utendi jus, & poteſtatem concedimus: Mechlinienſe autem, Antwerpienſe, Harlemenſe, Daventrienſe, Leewardienſe, Gruningenſe, Buſcoducenſe, Ruremundenſe, Namurcenſe, Audomarenſe, Iprenſe, Gandavenſe, Middelburgenſe, Brugenſe, oppida, in civitates erigimus, ac in eis ſic erectis eccleſiis Sancti Albani Namurcenſem, Sancti Audomari ejuſdem civitatis Sancti Audomari, Beatæ Mariæ Antwerpienſem, Sancti Joannis Gandavenſem, Sancti Donatiani Brugenſem, Sancti Lieburni Daventrienſem, Sancti Joannis Evangeliſtæ Buſcoducenſem, & Sancti Spiritus Ruremundenſem Collegiatas, ac Sancti Bavonis Harlemenſem, Sancti Viti Leewardienſem, Sancti Martini Gruningenſem parochiales, nec non Beatæ Mariæ Præmonſtratenſem Middelburgenſem, Monaſterii Sancti Martini, Sancti Auguſtini Canonicorum regularium ordinum Iprenſem ſub iiſdem invocationibus in Cathedrales, ſcientia, conſilio & poteſtate, ac authoritate & tenore præmiſſis erigimus, pro cujuſque civitatum creandis Epiſcopis, qui iiſdem præſint, earumque ædificia augeant, & in cathedralium eccleſiarum formam redigant, ac juriſdictionem Epiſcopalem aliaque omnia & ſingula, quæ ad Ordinem & juriſdictionem, & munus Epiſcopale pertinent, in civitatibus, oppidis, terminis, territoriis, inſulis, finibus, & partibus Diæceſum diverſarum, poſtquam terminata fuerint, reſpectivè exerceant, atque in iiſdem Metropolitanis Archiepiſcopalibus, & Cathedralibus ſic erectis eccleſiis, Epiſcopales dignitates cum ſedibus & menſis Archiepiſcopalibus & Epiſcopalibus, aliiſque Metropolitanarum, & Cathedralium eccleſiarum inſigniis, menſis, arcis, ſigillis, aliiſque capitularibus inſigniis, honoribuſque & Privilegiis, quibus cæteræ Metropolitanæ, & Cathedrales eccleſiæ de jure conſuetudine utuntur, vel uti poterunt, ſimiliter erigimus, & inſtituimus. Eccleſiis verò ſuper commemoratis, ſic in Cathedrales erectis, eiſdem civitatibus in perpetuum concedimus, & aſſignamus pro ſuis Diœceſibus Namurcenſi, Comitatum Namurcenſem, & Gallicæ Brabantiæ partem longitudinis quadraginta & latitudinis triginta novem millium paſſuum Italicorum. Audomarenſi diſtrictum decem oppida continentem, longitudinis quadraginta duorum, latitudinis triginta novem paſſuum ſimilium. Mechlinienſi diſtrictum decem & ſeptem oppidorum cum pagis interjacentibus, longitudinis ſexaginta novem, latitudinis triginta millium paſſuum ſimilium. Antwerpienſi territorium ſeptem oppidorum, cum pagis interjacentibus longitudinis quinquaginta ſex, latitudinis tringinta millium paſſuum ſimilium. Gandavenſi territorium quatuor oppidorum, cum pagis interjacentibus, longitudinis quadraginta ſex, latitudinis viginti quatuor millium paſſuum ſimilium. Brugenſi territorium novem oppidorum cum pagis interjacentibus longitudinis quinquaginta quatuor, latitudinis viginti quinque millium paſſuum ſimilium. Iprenſi territorium decem oppidorum cum interjacentibus pagis, longitudinis quadraginta duorum, latitudinis triginta trium millium paſſuum ſimilium. Buſcoducenſi territorium decem oppidorum cum pagis interjacentibus, longitudinis 60. latitudinis 30. millium paſſuum ſimilium. Ruremundenſi territorium decem oppidorum cum pagis interjacentibus, longitudinis quinquaginta millium, latitudinis 30000. paſſuum ſimilium, Comitatu Hornenſi in eis comprehenſo. Harlemenſi territorium 12. oppidorum, præter pagos interjacentes longitudinis 90000. latitudinis 30000. paſſuum ſimilium. Daventrienſi territorium viginti quinque oppidorum, præter pagos interjacentes, longitudinis 62000. latitudinis 46000 paſſuum ſimilium. Leewardienſi territorium decem oppidorum, præter pagos interjacentes longitudinis 70000. latitudinis 40000 paſſuum ſimilium. Gruningenſi territorium patriæ Gruningenſis, & Drentiæ, & Inſularum Relloing, & Rochaim. Middelburgenſi territorium decem oppidorum, pagos adjacentes, longitudinis quinquaginta ſex, latitudinis triginta trium milium paſſuum ſimilium, pro ſua cujuſque eorum Epiſcoporum Diœceſi, ſic, ut dictum eſt, aſſignanda. Perſonas vero Eccleſiaſticas pro Clero & Laicas in eis habitantes pro populis eorundem; Præterea Cameracenſi Atrebatenſem, Tornacenſem, Audomarenſem, & Namurcenſem: Mechlinienſi verò, Antwerpienſem, Gandavenſem, Brugenſem, Iprenſem, Buſcoducenſem, Ruremundenſem; Trajectenſi

Digitized by Google

ctenſi autem cum eccleſiis prædictis Harlemenſem, Daventrienſem, Leewardienſem, Gruningenſem & Middelburgenſem civitates, Diœceſeſque prædictas, eiſdem ſcientia, conſilio, & poteſtatis plenitudine, ac auctoritate Apoſtolica, & tenore præſentium attribuimus, & pro cujuſque ipſarum Metropolitanis Provinciis eſſe ſtatuimus, ipſaſque ſic erectas cathedrales eccleſias, eoſque qui pro tempore fuerunt ipſarum Epiſcopi, pro ſuffraganeis eorum qui pro tempore fuerint Cameraci Mechliniæ & Trajecti Archiepiſcopi, qui ſuffraganei ut membra capiti, ſic eiſdem Archiepiſcopis Metropolitico jure ſubjectæ ſint, & Cameracenſis, Mechlinienſi & Trajectenſis provinciarum Cleros ac populos pro ſuis cujuſque eccleſiarum Provincialibus, quorum ſingulorum cauſæ ad ſuum cujuſque eorum Archiepiſcopum, ſecundum ſacros canones deferantur, perpetuo ſimiliter concedimus & aſſignamus, & quod ad Archiepiſcopalia, & Provincialia jura pertinet, civitates, Diœceſes, Cleros & populos ſæpius commemoratos, eiſdem Præſulibus qui pro tempore fuerint, ſubjicimus: ſicut eaſdem civitates, Diœceſes, Cleros, & populos, quod ad ordinariam Epiſcopalem juriſdictionem & poteſtatem attinet, ſuis quoque ipſorum, qui pro tempore fuerint, Epiſcopis ſubjectos eſſe decernimus: Archiepiſcopatui vero Mechlinienſi quinque millium ducatorum auri de Camera annuos redditus, ex certis decimis & bonis ac fructibus, redditibus, & proventibus eccleſiaſticis, per dictum nuncium ſpecificandis & repartiendis, & nunc prout ex tunc & è contra poſtquam ſpecificati fuerint & repartiti, ac interim donec ſpecificatio, & repartitio hujuſmodi factæ, ac effectum ſortitæ ſunt, & ne ultra Mechlinienſi trium millium, ac cuilibet ex Epiſcopalibus menſis prædicti mille & quingentorum ducatorum ſimilium annuos redditus per ipſum Philippum Regem, ex redditibus & proventibus, quos ex dicta regione percipit, aſſignandos, & Archiepiſcopo Mechlinienſi, & ſingulis Epiſcopis præfatis pro tempore exiſtentibus, ſingulis annis quouſque ſpecificatio, & repartitio prædictæ, ac pro ea tantum parte quæ plenarium ſuum effectum minus ſortita fuerit & non ultra, aut æque & proportionaliter perſolvendos, pro earum dote, de pari conſilio, eadem authoritate etiam perpetuò applicamus, & appropriamus. Eidem autem Philippo Regi, ejuſque ſucceſſoribus, qui pro tempore ejuſdem regionis in temporalibus Domini extiterint, jus nominandi perſonas idoneas, in Theologia Magiſtros, aut in Decretis Doctores, ſeu Licentiatos, nobilium Univerſitatum more, diligenti examine præcedente, promotos, ad Mechlinienſem, Antwerpienſem, Trajectenſem, Atrebatenſem, Tornacenſem, Harlemenſem, Daventrienſem, Leewardienſem, Gruningenſem, Middelburgenſem, Buſcoducenſem, Namurcenſem, Audomarenſem, Iprenſem, Gandavenſem, & Brugenſem, ſi eccleſias prædictas pro tempore vacare contigerit, nobis & Romano Pontifici, qui pro tempore fuerit, per nos & eundem Pontificem, in Archiepiſcopos & Epiſcopos eorum, ad nominationem hujuſmodi inſtituendos de eodem conſilio, & ſcientia & authoritate præmiſſis in perpetuum reſervamus, atque concedimus; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper has à quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, non obſtantibus conſtitutionibus, ordinationibus Apoſtolicis, ac prædictis, & quarumvis aliarum eccleſiarum, nec non monaſteriorum, & ordinum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apoſtolicis, eccleſiis, monaſteriis, ordinibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Capitulis & aliis præfatis, ac quibuſvis aliis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, & motu proprio, & ex certa ſcientia, ac conſiſtorialiter conceſſis, ac etiam iteratis vicibus, & innovatis, quibus omnibus, etſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorum totis tenoribus ſpecialis ſpecifica, & expreſſa mentio habenda, aut alia aliqua exquiſita forma ad hoc ſervanda foret tenores hujuſmodi ac ſi de verbo ad verbum insererentur præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris hàc vice dumtaxat, harum ſerie ſpeciali & expreſſe derogamus, illaque adverſus præmiſſa ſuffragari nullo modo poſſe ſeu debere decernimus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam noſtram exemptionum, ſegregationis, diviſionis, ſeparationis, liberationis, erectionum, inſtitutionum, conceſſionum, aſſignationum, attributionis ſtatuti, ſubjectionis decretorum, applicationis, appropriationis, reſervationis, derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attenta-

re præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ ad Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono, quarto idus Maii. Pontificatus noſtri anno quarto. Sic ſcriptum ſub plica, Fran. Aragonia, & ſignatum ſuper plicam F. de Lyon, &c.

Hactenus Pontificis Pauli diploma, quòd quia cæterorum etiam epiſcopatuum inſtitutionem (de quibus aſpirante Deo aliqua ſcripturi ſumus) continet, integrum ſic ſemel recitare operæ pretium duximus, in quo uti ſanctum Pontificis erga Dei eccleſiam ſtudium, ita religionis propagandæ zelus eximius, & præclara ad juvandam rem Chriſtianam voluntas in rege Catholico Philippo ſecundo elucet. Fuit ille quidem in omnibus Princeps egregius, & Auguſtus, in iis tamen, quæ ad defenſionem, tutelam, ac propagationem fidei Catholicæ pertinent, maximus, & admirandus. Enim verò uti ſtupenda ſunt, quæ de Davide, & ejus in templum Hieroſolymitanum munificentià narrant annales Hebræorum; minora tamen ſunt, quam quæ princeps hic in res ſacras, & Dei cultum incomparabili per omnem vitam munificentià & liberalitate profudit. Ajebat ſanctus ille Propheta: *Si introiero in tabernaculum domus meæ, ſi aſcendero in lectum ſtrati mei, ſi dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino tabernaculum Deo Jacob.* Pro gloria ſcilicet Dei & divini cultus honore, qui per fabricam novi templi augendus erat, impenſè ſollicitus. At quanta principem hunc quoque pro gloria Dei, pro religionis conſervanda puritate, pro fidei amplitudine tenuerit ſollicitudo, ut Scholæ, ut Seminaria, ut Academiæ per eum ad orthodoxæ fidei tutelam excitatæ, ut alia per eum ampliſſima patrata opera, teſtantur, ita cumprimis inſigne præbet argumentum & docet, jugis illa Catholici hujus Principis apud ſupremum eccleſiæ paſtorem pro novarum ſedium epiſcopalium erectione inſtantia. Quà quidem erectione quantum Belgarum ſaluti, & divino fuerit conſultum honori, (quanquam, ſub initia præſertim, ut omnis ad pietatem, & Dei gloriam conatus ſolet: & aſſiduo diaboli per hæreticos, aſſultum quateretur, & linguis petulantibus, & obliquis temerariorum judiciis vapularet, & ab iis etiam roderetur hoc inſtitutum, qui in partem promovendæ religionis aſſumpti, & in eccleſiaſtica ſublimitate poſiti, plus tum ſua quam quæ Jeſu Chriſti ſectabantur) ſequentium temporum, quæ copioſa Belgarum acceſſit eccleſiis, utilitas demonſtravit. Quam cum ſperaret princeps prudentià inclytus, omnem meritò adhibuit operam, ut & hæ ſedes novæ erigerentur & in aliis illi ponerentur epiſcopi, qui doctrinà, & vitæ ſanctimonià excellentes, verè futuri eſſent, & lux mundi, & ſal terræ, idonei ad paſcendum Chriſti gregem in paſcuis pinguibus, verbo doctrinæ & exemplo vitæ, ad arguendum & obſecrandum, ad arcendum lupos, infringendum hæreſes, ad reddendam rationem omni poſcenti de ea, quæ in ipſis eſt, ſpe, ad omnia denique paſtoralis officii munia probè, & ad amuſſim adimplenda. Per quos ſcilicet & erigerentur lapſa, & reducerentur avia, & curarentur benignitate & aliis modis languentia, & ægra; ac firmarentur ſolida & conſervarentur ſana. Et ſicut unumquodque melius & tutius conſiſtit ſuis in principiis, vel circum ea, ut in aquis piſces, in terra plantæ & arbores, ad ubera matrum infantes, ita etiam doctrinæ Chriſtianæ integritas, & vitæ religioſæ probitas & eccleſiaſticæ diſciplinæ vigor, melius tutiuſque per ſanctam epiſcoporum & paſtorum doctrinam, & exemplarem eorundem vitam, tanquam in iis, à quibus ortum habuit & augmentum, conſiſteret. Sic igitur cum aliis in Belgicà novis, novus etiam Gandavi in eccleſia Divi Bavonis, quæ antea Divo Joanni Baptiſtæ ſacra erat, & urbis illius primaria, Epiſcopatus inſtitutus, & è bonis monaſterii Bavoniani, cujus Monachi ob alias ante cauſas facti fuerant in eadem eccleſia Canonici, dotatus fuit.

EPISCO-

Digitized by Google

EPISCOPATUS GANDAVENSIS

In ſuos Decanatus & Parochias diſtributus, adjunctis ſingularum Patronis. Anno 1721.

Decanatus Civitatenſis.

Eccleſia Cathedralis Sti. Bavonis. Jus præſentationis pœnes Præpoſitum & Capitulum.
Stæ. Pharaildis ad D. Nicolaum Collegiata. Patronus Abbas Sti. Petri.
Eccleſia B. M. V. in monte Blandinio Patronus Abbas Sti. Petri.
Sti. Jacobi . . . . . Idem.
Sti. Michaelis. . . . . Idem.
Sti. Martini in Ackergem. Idem.
Sti. Salvatoris. Epiſcopus Gandavenſis.

Decanatus Evergemienſis ſunt 21. *Parochiæ.*

Cluyſe, Patron. Abbas Eenamenſis.
Ertvelde, Patron. Princeps d'Eſpinoy.
Bouchaute, unum ex IV. Officiis Patron. Baro de Nevele.
Baſſevelde, Patron. Epiſcopus Gandavenſis.
Ooſtecloo, Patron. Epiſcopus Gandavenſis.
Waerſchot, Patron. Capitulum Tornacenſe.
Somerghem, Patron. Capitulum Tornacenſe.
Ronſele, Patron. Epiſcopus Gandavenſis qua Præpoſitus S. Bavonis.
Ooſtwinckele, Patron. Capitulum Tornacenſe.
Urſele, Patron. Alternatim Capitulum Tornacenſe & Abbas Trunchinienſis.
Kneſſelare, Patron. Capitulum Tornacenſe.
Lovendeghem, Patron. Abbas Sti. Petri.
Sleidinghe, Patron. Epiſcopus Gandavenſis qua Præpoſitus.
Everghem, Patron. Epiſcopus Gandavenſis qua Præpoſitus S. Bavonis.
Heuſdene, Patron. Abbas Sti. Nicolai in Boſco.
Aſſenede, unum ex IV. Officiis. Parochiæ de Aſſenede ſubjacet Territorium S. Alberti, de quo vide Motivum Juris Franconatenſium, pag. 120. Patron. Princeps Iſeghemienſis.
Deſſelberghe, Patron. Abbas Sti. Petri.
Ooſtacker, Patron. Epiſcopus Gandavenſis ut Præpoſitus Sti. Bavonis.
Seven Eecken, Patron. Epiſcopus Gandavenſis ut Præpoſitus S. Bavonis.
Loo-Chriſti, Patron. Idem.
Wondelghem, Patron. Idem.

Decanatus Teneramundanus Parochiæ 21.

Laerne, Patron. Abbas S. Nicolai in Boſco.
Calckene, Patron. Idem.
Overmeere, Patron. Epiſcopus Gandavenſis qua Præpoſitus St. Bavonis.
Zele, Abbas ſeu Præpoſit. de Wardinen in Germania.
Moeſſche, Patron. Epiſcopus Gandavenſis ut Præpoſitus S. Bavonis.
Hamme, Patron. Abbas Lobienſis.
Bornhem, Patron. Archiepiſcopus Mechlinienſis qua Abbas Afflegemienſis.
Hinghene, Patron. Idem.
Mariekercke, Patron. Epiſcopus Gandavenſis.
Sti. Amandi, Patron. Capitulum S. Jacobi Lovanii.
Baeſrode, Patron. Archiepiſcopus Mechlinienſis qua ut ſupra.
Lebbeke, Patron. Capitulum Teneramundanum.
B. Mariæ, Teneramundæ Collegiata & Parochialis. Patron. Capitulum ibidem.
Sti. Ægidii Teneramundæ, Patron. Abbatiſſa de Swybeeke.
Beerlere, Patron. Epiſcopus Gandavenſis.
Uytberghe, Patron. Idem qua Præpoſitus S. Bavoni.
Schellebelle, Patron. Perſona Loci.
Wettere, Patron. Abbas S. Nicolai in Boſco.
Grimberghe, Patron. Abbas ſeu Præpoſitus de Wardinen.
Gentbrugghe, Patron. Epiſcopatus Gandavenſis.
Vlaſſenbrouck, Patron. Capitulum Teneramundæ.

Digitized by Google

Decanatus Donſanus Parochiæ 25.

Sti. Dionyſii, Patron. Abbas Sti. Petri.
Afsné, Patron. Idem.
Laethem, Patron. Epiſcopus Gandavenſis.
Peurle, Patron. Epiſcopus Gandavenſis qua Præpoſitus S. Bavonis.
Nazareth, Epiſcopus Gandavenſis.
Aſtene, Patron. Abbas Trunchinienſis.
Machelen, Patron. Capitulum Inſulenſe S. Petri.
Peteghem, Patron. Abbas Trunchinienſis.
Zeveren, Patron. Sacerdotes Majoris Altaris Tornacenſe.
Bachte, Patron. Epiſcopus Gandavenſis.
Leerne Sti. Joannis, Patron. Perſona Donſanus.
Leerne Sti. Martini, Patron. Decanus & Capitulum Tornacenſe.
Nevele, Patron. Abbas Trunchinienſis.
Landeghem, Patron. Abbas Trunchinienſis.
Voſſelaere, Patron. Idem.
Baerle, Patron. Abbas Sti. Petri.
Dronghen, Patron. Abbas Trunchinienſis.
Vinderhaute, Patron. Epiſcopus Gandavenſis qua Præpoſitus S. Bavonis.
Merentre, Patron. Capitulum Tornacenſe.
Hansbeke, Patron. Abbas Trunchinienſis
Deynſe, Patron. Perſona Donſanus.
Seeverghem, Patron. Abbas Sti. Petri.
Swynaerde, Patron. Abbas Sti. Petri.
Melſene, Patron. Abbas Eenamenſis.
Mariekercke, Patron. Abbas Sti. Petri.

Decanatus Waſiæ Parochiæ 20.

Lokeren, Patron. Epiſcopus Gandavenſis.
Dackenam, Patron. Epiſcopus Gandavenſis qua Præpoſitus S. Bavonis.
Exaerde, Patron. Epiſcopus Gandavenſis.
Sinay, Patron. Epiſcopus Gandavenſis.
Belcele, Patron. Epiſcopus Gandavenſis.
Kemſeke, Patron. Abbas Sti. Petri.
Sti Pauli, Patron. Epiſcopus Gandavenſis.
Sti. Nicolai, Patron. Epiſcopus Gandavenſis, qui juxta actum incorporationis, ad nominationem Præpoſiti Oratorii ſubſtituit deſervitorem ad nutum Epiſcopi cum conſilio tamen dicti Præpoſiti, amovibilem.
Nieukercken, Patron. Epiſcopus Gandavenſis.
Beveren, Patron. Sacerdotes Majoris Altaris Tornacenſe.
Melcele, Patron. Abbas Sti. Petri.
Burght, Patron. Capitulum Tornacenſe habet præſentationem, Dominus temporalis denominationem.
Baſele, Patron. Epiſcopus Gandavenſis.
Rupelmonde, Patron. Epiſcopus Gandavenſis.
Temſche, Patron. Abbas Sti. Petri.
Elverzele, Patron. Semipræbendatus Tornacenſis.
Thielrode, Patron. Semipræbendatus Tornacenſis.
Haeſdonck, Patron. Abbas Sti. Petri.
Waeſmunſter, Patron. Epiſcopus Gandavenſis.
Cruybeke, Patron. Epiſcopus Gandavenſis.

Sunt præterea tres Capellæ ſub Parochia de Waeſmunſter, prima Sanctæ Annæ, ubi conſtituitur ab Epiſcopo Capellanus cum cura animarum. Secunda Sombeke ubi etiam Capellanus conſtituitur, & tertia Capella B. Virginis, vulgo op d'Heye, alias Puyvelde.

Decanatus Aldenardenſis Parochiæ 25.

Aughem, Patron. Abbas Sti. Petri.
Cruyshautem, Patron. Epiſcopus Gandavenſis.
Huyſſe, Patron. Abbas Sti. Mathæi Corbienſis.
Lede, Patron. Abbas Sti. Nicolai nunc Tornaci.
Mullem, Patron. Capitulum Tornacenſe.
Eecke, Patron. Abbas Sti. Petri.
Oycke, Patron. Capitulum Tornacenſe.
Wanneghem, Patron. Epiſcopus Gandavenſis.
Nokeren, Patron. Capitulum Laudunenſe.
Mooreghem, Patron. Abbas Sti. Theodorici Rhemis.
Hurne, Patron. Capitulum Tornacenſe.
Singhem, Patron. Epiſcopus Gandavenſis qua Præpoſitus Sti. Bavonis.
Gavere, Patron. Abbas Sti. Auberti Cameracenſis.
Aſperen, Patron. Epiſcopus Gandavenſis qua Præpoſitus Sti. Bavonis.
Peteghem, Patron. Abbatiſſa Stæ. Claræ in Peteghem.

Wor-

Worteghem, Patron. Abbas Sti. Theodorici Rhemis.
Olſene, Patron. Sacerdotes Majoris Altaris Tornacenſis.
Zulte, Patron. Abbas Sti. Martini Tornacenſis.
Vivia Sti. Æligii, Patron. Sacerdotes Majoris Altaris Tornacenſe.
Elſeghem, Patron. Capitulum Tornacenſe.
Ghyſelbrechteghem, Patron. Epiſcopus Gandavenſis.
Beveren, Patron. Paſtor Aldenardenſis.
Stæ. Walburgis Aldenardæ, Patron. Comes Flandriæ. Sunt ibidem quatuor portiones, ſed nunc unus tantum eſt Paſtor.
Pamela, Patron. Abbas Eenamenſis.
Eyne, Patron. Epiſcopus Gandavenſis. Sunt ibidem ſex portiones, pænes unum nunc proviſionaliter reſidet cura animarum.

Decanatus Thiletanus Parochiæ 22.

Haltere, Patron. Abbas Sti. Martini Tornacenſis.
Bellem, Patron. Capitulum Tornacenſe.
Pouſſele, Patron. Epiſcopus Gandavenſis qua Præpoſitus S. Bavonis.
Loo-ten-hulle, Patron. Semipræbendatus Tornacenſis.
Caneghem, Patron. Epiſcopus Gandavenſis qua Præpoſitus S. Bavonis.
Ruyſſelede, Patron. Abbas S. Bertini Audomari.
Thielt, Patron. Capitulum Haerlebecenſe.
Rooſebeke, Patron. Abbas Eenamenſis.
Emelghem, Patron. Abbas S. Martini Tornacenſis.
Meulebeke, Patron. Capitulum Haerlebecenſe.
Wachene, Patron. Abbas Sti. Martini Tornaci.
Vivia Sti. Bavonis, Patron. Abbas S. Martini Tornaci.
Wilsbeke, Patron. Abbas Sti. Martini Tornacenſis.
Marckeghem. Patron. Abbas Sti. Amandi in Pabula.
Oeſſelghem, Patron. Sacerdotes Majoris Altaris Tornacenſis.
Gotthem, Patron. Sacerdotes Majoris Altaris Tornaci.
Denterghem, Patron. Semi præbendatus Tornacenſis.
Aerſele, Patron. Abbas Sti. Petri Lobienſis.
Wontergbem, Patron. Semipræbendatus Tornacenſis.
Grammene, Patron. Epiſcopus Gandavenſis.
Meyghem, Patron. Perſona Donſanus.
Vinckt, Patron. Sacerdotes Majoris Altaris Tornacenſis.

Decanatus Hulſtenſis Parochiæ 15.

Deſſeldonck, Patron. Epiſcopus Gandavenſis qua Præpoſitus S. Bavonis.
Saffelaere, Patron. Abbas Sti. Petri.
Mendonck, Patron. Epiſcopus Gandavenſis qua Præpoſitus S. Bavonis.
Winckele, Patron. Princeps Iſegemienſis.
Selſaete, Patron. Princeps Iſegemienſis.
Wachtebeke, Patron. Princeps Iſegemienſis.
Moerbeke, Patron. Epiſcopus Gandavenſis.
Stekene, Patron. Epiſcopus Gandavenſis.
Sti. Ægidii, Patron. Epiſcopus Gandavenſis, & Abbas Sti. Petri.
Vracene, Patron. Abbas S. Petri.
Calloo, Patron. Abbas Sti. Petri.
Swyndrecht, Patron. Capitulum Tornacenſe. Sub hac Parochia in Freto Flandriæ, vulgò *Vlaems-hooft*, Capella eſt Stæ. Annæ ſacra, ubi ab Epiſcopo conſtituitur Sacerdos, cum cura animarum.
Doula, Patron. Abbas Sti. Petri.
Kieldrecht, Patron. Abbas Sti. Petri.
Verrebroeck, Patron. Abbas Sti. Petri, & Abbas Trunchinienſis, alternatim.
Clinge, In hoc vico juxta oppidum Hulſtenſe extructum eſt Oratorium, ad quod omnes Catholici tam oppidani quam rurales accurrunt pro ſacramentorum perceptione, &c. ibidem funguntur officio Parochi Patres Recollecti auctoritate Epiſcopi Gandavenſis titulo Miſſionariorum.
Overſlagh, Hic Eccleſia nova & conſecrata ab illuſtriſſimo moderno Epiſcopo Gandavenſi anno 1707. ſita eſt infra limites Parochialis de Wachtebeke, ubi etiam funguntur officio Paſtoris P. P. Recollecti.
Coowacht, Eccleſia etiam hic noviter ædificata eſt & a moderno Epiſcopo conſecrata, ubi etiam Miſſionarii ſunt P. P. Recollecti: ſita autem eſt ſub Parochia de Moerbeke.

Digitized by Google

Sub Decanatu Hulſtenſi.

Comprehendebantur ſequentes Parochiæ, quæ modo ſunt ſub poteſtate Hollandorum, adhuc tamen Miſſionarii habitu ſeculari officio funguntur Paſtorum.

Aendyck, Patron. olim Dominus de Heule. Partim hæc parochia ſubmerſa eſt.

Axele, Patron. Schautetus Axelenſis ferme tota ſub mari.

Beooſtenblye, Patron. Dominus de Heule.

Hulſtum, Patron. Capitulum Cortracenſe.

Hontenifſe, Patron. Dominus de Heule.

Heynſdyck, Patron. Abbas Trunchinienſis.

Salmſlacht, Patron. Dominus Caré Schautetus ibidem. Partim ſub mari.

Moetene, Patron. Dominus de Heule.

Sher-Pauwels Polder, Patron. Abbas Trunchinienſis.

Triniteyt, Patron. Comes Flandriæ.

Willemskercke, Patron. olim D. de Reſſeghem, foret modo Princeps Iſegemienſis. Tota ſub mari.

Vremdyck, Patron. Dominus de Nevele. Tota ſub mari.

Zuytdorpe, Patron. Dominus temporalis de Landeghem & de Heule. Pro majori parte ſub mari.

Olene, Tota a mari occupatur hæc Parochia.

Oſſene, Patron. Dominus de Heule, ac mari ſubmerſa reaggerata quondam.

Polder van Namen, Patron. Capitulum Cortracenſe.

Saeſtinghe B. Mariæ, tota ſubmerſa eſt, ita ut præter turrim nihil conſpiceretur, quæ poſtea reaggerata ſunt, Dominio Hollandorum ſubjacent ut in

Saeſtinghe Sti. Laurentii, etiam planè ſubmerſa.

Ste. Jans Steene, Patron. Comes Iſegemienſis pro majori parte ſubmerſa fuit.

Veſtdorpe, pro majori parte ſubmerſa. Parochia hæc, quæ eſt territorii Axellenſis, in Polderio Auſtriaco Villici ſunt aliqui perſeverantes in Catholica religione.

EPISCO-

Digitized by Google

Digitized by Google


REVERENDISS. & AMPLISS. DOMINUS
D. CORNELIUS IANSENIUS
I. EPISCOPUS GANDAVENSIS.

EPISCOPI GANDAVENSES.

CORNELIUS JANSENIUS I. Epiſcopus.

CORNELIUS JANSENIUS, Hulſtenſis Flander, S. Th. Doctor, ob eminentiam doctrinæ, virtutum ac meritorum, primus Gandavenſium Epiſcopus, à Philippo II Hiſpaniarum Rege denominatus eſt. Literarum humaniorum primitias poſuerat Gandavi; hinc miſſus ad Academiam Lovanienſem, Philoſophiam didicit in Pœdagogio Caſtri, ubi Anno 1529. ſecundum in generali promotione in Artibus locum obtinuit, primo loco ſi fortuna ſtudio ingenioque reſpondiſſet, digniſſimus.

Alumnis Collegii Majoris Lovanii adſcriptus, ſimul cum doctrina Theologica ac Literarum ſacrarum, accuratam Linguæ Græcæ atque Hebraicæ hauſit peritiam; curſuque peracto, in Prælectorem Scripturæ Sacræ à Religioſis Præmonſtratenſibus Tongerloenſis Monaſterii depoſcitur. Hinc eum anno 1542. Cortracenſes Paſtorem Eccleſiæ ſuæ primariæ D. Martino ſacræ deſiderarunt, apud quos vixit annis ut minimum octodecim, prælucens opere & doctrinâ. Anno 1552. licentiæ gradum in S. Theol. ſuſcepit Lovanii, perorante in actu ſolemni celeberrimo Viro ac Cancellario Ruardo Tappero, de neceſſaria Eccleſiæ Vetuſtate & de uno Chriſti in Terris Vicario Petro ejuſque ſucceſſoribus; aliiſque contra Eraſmum Roterdamum. Vide Orat. Tapperi.

Cortraco ad Lovanienſem Academiam revocatus, Anno 1562. Doctoralem lauream in Theologia adeptus eſt, eodemque tempore inter Regentes Facultatis ſacræ cooptatus, ad Præſidentiam Collegii Majoris Theologorum (poſt Joannem Sixtum, S. T. L. dein Epiſcopum Audomarenſem) aſſumptus, & a Rege Catholico ad Decanatum Eccleſiæ Collegiatæ S. Jacobi Lovanii promotus.

Nemo ſanè doctrinam ſacram aut in ſcholis doctius interpretatus eſt, aut copioſius in concionibus explanavit: nemo in animis ad virtutem inflammandis, & à vitiis ad frugem revocandis acrior aut ornatior Orator fuit. Quo factum, ut ad ſacrum Tridentinum Concilium, quo omnis doctrinæ & ſapientiæ Viri atque Antiſtites ex tota Europa convenerant, *Janſenius* à Philippo II Hiſp. Rege, unà cum duobus aliis S. Th. Doctoribus Lovanienſibus Michaele Baio, & Joanne Heſſelio mitteretur: in quo Concilio, magnæ eruditionis ſuæ ſpecimina præſtiterunt, & variis habitis Orationibus ſibi decus immortale, tres illi Belgæ ſapientiſſimi, apud omnes etiam Heterodoxos pepererunt, ſine ejuſdem ſpectato.

Hinc in Belgium reverſus *Janſenius*, pro meritis & virtute ſua ad Epiſcopale faſtigium Eccleſiæ Gandavenſis evectus eſt Anno 1568, atque à Pio IV. Pont: confirmatus 6 Julii, mox poſſeſſionem Epiſcopatûs cepit die 29 Auguſti per Procuratorem Adrianum Meyerum Cathedralis Eccleſiæ Canonicum. Die 8 Septembris ſolemnem introitum fecit Gandavi, cum à paucis diebus Lovanii in Sacello Collegii Sabaudici fuiſſet in Epiſcopum conſecratus à Franciſco Sonnio S. T. D. primo Sylvæducenſium Epiſcopo, aſſiſtentibus Pipino Roſa Ord: Prædicat. S. T. D. Epiſcopo Salubrienſi & Suffraganeo Mechlinienſi, item Martino Cupero Ord. FF. Carmelitarum Epiſcopo Calcedonenſi, & Suffraganeo Cameracenſi.

Sub Epiſcopatûs ſui primordiis, Officialem primumque Archidiaconum conſtituit Clementem Crabbelium J. U. L., Archi-Presbyterum Civitatis, Petrum Simonis Tiletanum, S. T. L., Pœnitentiarium vero Cornelium Vrancx Teneramundanum S. T.L., omnes Viros præclariſſimos, quorum primus dein fuit Epiſcopus Buſcoducenſis, ſecundus Epiſcopus Iprenſis, tertius vero Abbas S. Petri in Monte Blandinio Gandavi.

Anno 1568 poſteaquam obiiſſet Abbas S. Petri Gandavi, voluit Rex Catholicus Epiſcopum Janſenium ibidem Abbatem vel Adminiſtratorem conſtituere, ſaltem donec Præpoſitura Eccleſiæ S. Bavonis Gandavi per obitum Viglii ab Aytta vacaret. Sed maluit Janſenius annuâ 3000 florenorum penſione contentus eſſe, quam Monachorum regimen ſuſcipere. Et ſic ceſſavit penſio quæ fuerat Janſenio aſſignata ſuper quodam Epiſcopatu in Hiſpania. Voluit dein Rex Hiſpaniæ eidem Abbatiæ præficere Arnoldum Motmans electum Abbatem Affligemienſem; ſed is uti à pleriſque non ſatis idoneus habebatur, ita

Ex MS. literis Viglii.

ita quoque extraneum ſibi præfuturum non ſatis æquè Monachi S. Petri ferebant.

Anno 1570 à Concilio Provinciali Mechlinienſi, cui ſubſcripſerat, reverſus, Gandavi primam Synodum Diœceſanam habuit die 7 Februarii 1570. præſentibus & aſſiſtentibus Marco Sterck Decano, Clemente Crabbeels Archidiacono(dein Epiſcopo Sylvæducenſi) Petro Dammant Cantore & ſimul Præpoſito Eccl. S. Pharaildis (dein Epiſcopo Gandavenſi) Jacobo Horſtio Scholaſtico S. Theologiæ Doctore Lovanienſi, cum reliquis de Capitulo Cathedrali; item Abbate Trunchinienſi Ord. Præmonſtratenſis & Deputatis Capitulorum Stæ. Pharaildis Gandenſis & B. M. V. Teneramundenſis: comparentibus quoque D. Viglio Zuichemio Præpoſito Cathedralis per Procuratorem, & Abbate Sti. Petri Gandavi, per Priorem Monaſterii. Statuta Synodalia ibidem edita ſequenti anno 1571 typis fuerunt evulgata Gandavi, & approbatione tum Reverendiſſimi Sonnii Antverpienſis Epiſcopi, tum Regiâ in Concilio ſtatûs roborata. Paulò poſt publicavit Epiſcopus Janſenius Manuale Paſtorum curis propriis exaratum, & ad omnes ſuæ Diœceſeos Paſtores tranſmiſſum.

Gandavi reſidens nihil ita cordi habuit, quam populum ſuum verbo & exemplo docere, irrumpentia hinc inde hæreticorum zizania evellere, horas Canonicas in medio Canonicorum decantare; quinimo infirmiſſimo corpuſculo & plane exhauſto viribus, ad templum tamen cathedrale quotidie duci voluit, ut divinis intereſſet officiis.

Neque quidquam prætermiſit, quod ad providi Paſtoris officium pertinet, uſque in diem 11 Aprilis 1576, quâ ſenio ſexaginta ſex annorum ac piis laboribus confectus diem clauſit extremum, vel hoc nomine beatus, quod ex hac vita migraverit priùs, quam miſeriam illam conſpiceret aut ſentiret, quæ paulò pòſt Gandavenſi multiſque aliis Belgii Civitatibus ſupervenit.

Fuit in hoc Præſule ſingularis eruditio, facundia, & pietas, quam ubique ſcripta ejus ſpirant: quæ plurima, accuratiſſima, ac doctiſſima reliquit, atque imprimis volumen grande in Euangelia, quod *Concordiam Euangelicam* vocavit, quodque Theologorum totius orbis calculis probatum laudatumque eſt: ita quidem ut alii quidam celebres Theologi, quos inter Alphonſus Salmeron Societ. Jeſu, in eadem arena deſudantes, à ſuis tunc edendis Commentariis in Concordiam Euangelicam abſtinuerint.

Scripſit item *Janſenius, Paraphraſes & Annotationes in Pſalmos, Commentarios in Proverbia Salomonis, & Eccleſiaſticum, & Librum Sapientiæ*, ac denique *Brevem Confeſſionem Fidei*, prout latius memorat Valerius Andreas in ſua Bibliotheca Belgica, ſimul referens Præſulis elogium, ac vulgare de eodem effatum.

Quantus ſol cælo, tantus Janſenius orbi eſt.

Sepultus eſt, in crypta, ſive Eccleſia ſubterranea S. Bavonis Gandavi. Tumba verò viſitur in ſacello Sancti Ivonis, à dextris chori, unà cum ſequenti inſcriptione ſepulchrali.

Præclariſſimis tum litterarum omnium,
tum veræ Religionis dotibus
Ornatiſſimo
Viro, Domino, ac Magiſtro noſtro
CORNELIO JANSENIO
ab Hulſt, S. T. Doctori
hujuſque Eccleſiæ primo Epiſcopo,
qui poſtquam totum pæne octennium,
populum
non minus publicâ privatâque doctrinâ
quam ſingularis pietatis exemplo
inſtituiſſet,
deceſſit tertio Idus Aprilis,
Anno Domini MDLXXV. *ætatis ſuæ* LXVI.
Bonis Doctiſque omnibus
magno relicto deſiderio.

Symbolo utebatur: STATE & DEUM REDAMA.

Exequias ejus funebri laudatione proſecutus fuit Petrus Simonis S. T. L. tunc Canonicus & Archi-Presbyter Gandavenſis, Janſenii Amicus intimus, ac dein Epiſcopus ſecundus Iprenſium; quæ Oratio extat inter Opera Petri Simonis Antverpiæ typis Plantinianis excuſa anno 1609. Idem Simonis Opera Janſenii iteratò imprimi curavit, atque ſequentes verſus lugubres Præſuli ſuo inſcripſit.

Ah Præſul venerande nimis ſublate dolendo
Interitu! ah mortis triſtia fata tuæ!
Sic miſerum ſine Patre gregem, & Paſtore relinquis?
Nec quibus obruimur, te mala noſtra trahunt?
Vade tamen revocante Deo, & cæleſtibus olim
Quæ totâ optaſti mente, fruare bonis.
Hoc age dumtaxat, ut qui te in honore ſequetur,
Diſſimilis non ſit moribus ille tuis.

Maximilianus Vrientius, Urbi Gandavenſi à ſecretis, Poëta celebris, hos quoque verſus appoſuit.

Eſt

Digitized by Google

Eſt tumulus ſacer hic, procul hinc, procul impie abeſto,
Et ſacra depoſiti ne quate membra Viri.
Si neſcis, jacet hoc tumulo compoſtus, avitæ
Nuper qui fidei murus ahenus erat.
Hic veræ pietatis apex, & regula recti.
Hic ſacri textus harmonia una jacet.
An ſatis hoc? Patriamne mones, ut & inſuper addam?
Et decora & titulis nomina fulta ſuis?
Hic ſitus eſt Præſul Janſenius, *haut pete plura:*
Cætera nam poterunt bruta vel ipſa loqui.

TUMULTUS AC REBELLIO GANDENSIUM

SEde Gandavenſi per obitum Janſenii vacante, à Capitulo Cathedrali electus fuerat in Vicarium Generalem die 14 Aprilis 1576 Clemens Crabbeels Lovanienſis J. U. L. Archidiaconus & Officialis, qui graviter ſuo functus eſt officio, quamdiu id permiſſum fuit.

Interim die 22 Augusti, Gandavi iterata nec minus deteſtanda Iconoclaſtarum rabies non minus quam in aliis urbibus Belgii, Eccleſiis, Monaſteriis, omnibusque rebus ſacris bellum indixit. Rebelles menſe Octobri Arcem Gandavenſem aggrediuntur; obſidetur illa a decem mille viris paſſim Civibus Gandenſibus; tormentis bellicis Neoporto advectis juſſu Auriaci Principis, concutitur; menſe Novembri deditione accipitur, & paulò poſt funditus diruitur.

Die 8. Novembris ſignata fuit Gandavi inter Ordines Patriæ celebris illa Pacificatio, quæ priſtinam Belgio quietem redditura videbatur: cui ex Ordine Eccleſiaſtico Matthæus Moulartius electus Epiſcopus Atrebatenſis, item Abbates S. Gertrudis Lovanii & S. Petri Gandavi, item Deputati Provinciarum & Urbium ſubſcripſere.

Hanc & Joannes Auſtriacus Belgii Gubernator acceptavit, & Doctores Academiæ Lovanienſis tum Theologi, tum Juriſtæ probarunt; nullum tamen niſi malum habuit ſucceſſum. Nam imprimis Gandavenſes accepto Gubernatore Duce Arſchottano, Anno 1577 tumultuario clamore antiquorum privilegiorum reſtitutionem petunt. A binis Rebellium Anteſignanis Ryhovio & Embyſio, Principis Orangii Aſſeclis incitati, noctu ædes Arſchottani invadunt, cumque captivum detinent, una cum Martino Rithovio Iprenſi, & Remigio Driutio Brugenſi Epiſcopis, cum Ferdinando de la Barr ſummo Gandenſium Prætore, Jacobo Heſſelio Conſiliario ſtatus, Joanne Viſſcherio Ballivo Ingelmunſterii Commiſſario Joannis Auſtriaci Belgii Gubernatoris, aliiſque Nobilibus.

Anno 1578 die 17 Januarii omne exercitium Eccleſiaſticæ juriſdictionis Vicario Generali Crabbelio interdicitur: quæ dum Canonici conſpicerent, & reipſa intolerabilia experirentur, quæ ſitâ diſcedendi occaſione, eorum plerique Tornacum confugêre, nonnulli verò Inſulas, ubi dum Marcus Sterck ipſorum Decanus mortuus eſſet, dictus Crabbelius 27 Septembris ejuſdem anni 1578. in Decanum electus eſt.

Tum die 24 Maii, Rebelles in Eccleſias denuò irruunt, omne Sacrum aurum, argentum, cruces, calices, aliaque Eccleſiarum inſtrumenta rapiunt, omnes Viros Eccleſiaſticos & Religioſos Urbe expellunt; ex ære & metallo è túrribus & templis ablato maximum numerum tormentorum conſlant: equitatum peditatumque conſcribunt. Quid præ cæteris paſſus fuerit in hac preſſura Conventus Prædicatorum Gandavenſis energico at lugubri modo deſcribitur in Hiſtoria Belgii Dominicani pag: 53 & ſeqq.

Secuta eſt 25 Auguſti tertia Eccleſiarum Spoliatio, Imaginum confractio ſeu devaſtatio, Clerique expulſio, ac præcipuorum Nobilium Catholicorum detentio aut ejectio. Quin etiam die 4 Octobris eò audaciæ devenerunt Gandavenſes, ut è ſupradictis captivos duos Jacobum Heſſelium Conſiliarium, & Viſſcherium Commiſſarium, extra Urbis portas non procul ductos de arbore ſuſpenderent, nullà præmonitione aut ſententiâ ante lata. Ipſeque Ryhovius, ut magis vindictam ſpiraret, canam barbam ipſius Heſſelii abſciſſam in ſuo galero palam geſtaverit, & ſic gloriabundus in Urbem redierit.

Quam immanis fuerit Iconoclaſtarum rabies, quantamque ex ea jacturam paſſæ fuerint Eccleſiæ propemodum omnes in Belgio noſtro, teſtantur Hiſtoriæ quamplurimæ, imo & ſuperſtites ruinæ; horretque animus ad memoriam.

Crudelem hanc ſortem cum aliis ſubiit Urbs Gandavenſis, ubi die 22 Auguſti 1566 Iconomachi in Aras Imagineſque ſævierunt. Primò ad Auguſtinianos, ad Carmelitas, ac poſtea ad Dominicanos, calentes iras transferunt; augeſcente licentià, nulloque obſiſtente, jam non uno agmine ſed in partes diſtracti, alii Nigrarum ſororum, alii Agnetenſium, Stæ. Pharaildis ac Sti. Michaelis Templa devaſtant.

Poſt hæc in unum rurſus conveniunt, junctoque agmine Carthuſianos in vico Royegemio extra Urbis muros tum degentes aggrediuntur. Hinc regreſſi, Beg-

ginas, Xenodochium, Ackergemium, Deinſam, Bilocam, Galilæam, Groenenbrilam corripiunt. Ac tum demum in Cathedralem Eccleſiam S. Bavonis ferventes ſacrilegio manus intemperanter inferunt. Quibus peractis, reſtabat adhuc quod pollucrent. Intempeſta nox erat. Acceptis itaque faculis, ad S. Nicolai Sanctique Jacobi templa decurrunt, & inde mox in Divi Petri Abbatiam, Monachorum fugâ deſtitutam. Multa ibi nefanda fecerunt. Franciſcani tamen, ut omnium ultimi, ita extremâ rabie afflicti fuêre.

Ceſſavit tempeſtas, ubi Comes Egmondanus ſectariorum conatibus authoritatem objecit, Gandavumque ante omnia induxit præſidia, iconomachos comprehendi, meritoque ſupplicio affici juſſit. Ex quo timere mali cœperunt: Urbique quies reddita eſt: ac Magiſtratus die 1. Septembris 1566 aperiri templa præcepit.

Hinc ſacerdotes, qui in profana veſte hactenus latuerant, priſtino decori reſtituuntur, & ſacrorum ſolemnia ex more repetunt. Flandriæ Conſiliarii intermiſſa jam dudum munera reſumunt. Egmondanus peregrinis edixit, ut cederent Provinciâ.

Sectariis denique has Conditiones poſuit;
„ Ne intra muros concionarentur; con-
„ tenti eſſent loco quem præſcriberet.
„ Nemini quam Calviniſtis concionandi
„ jus fore. Magiſtratui morem gererent.
„ In templa furentibus ſeſe opponerent;
„ operamque darent ad expetenda ſuppli-
„ cia ab Iconomachis. Ducenti ex Se-
„ ctariorum præcipuis Tabulæ ſubſcribe-
„ rent.“

Deinde locum haud procul à Carthuſianorum Cœnobio petentibus aſſignavit. Qui ſic Gandavi rebus compoſitis, Aldenardæ Sectarios intra leges cohibuit, inque regione Flandriæ Occidentalis alias ipſe Civitates ad tranquillitatem reduxit.

Tandem Margareta Gubernatrix jam armata, legibus, mulctis, præſidiis ac ſuppliciis, Albano nihilj immutante, totum Belgium anno 1567. priſtinæ paci reſtituit. Fertur (quod propemodum fidem excedit) cum mandatum eſſet fana hæreticorum deſtruere, Gandavi unius horæ ſpatio Lutheranum Templum ſane per-amplum ſolo fuiſſe æquatum. Tanta erat in id feſtinantium populorum contentio, ut vel ſic ſemel abſolverent, culparumque veſtigia & monumenta delerent.

Quid interim in Belgio actum ſit, quæ ſectarii nefanda & impia perpetraverint, referunt deſuper conſulendi authores, Aitzingerus, Strada, Haræus & alii. Nos ſolum juxta inſtitutum, quæ in hac Civitate Gandavenſi contigerunt miſeranda, nulliſque unquam lacrymis ſatis deflenda, paucis deſcribemus.

Anno 1579 celebri Unioni Ultrajectinæ Gandavenſes ſubſcripſêre, & die 10 Martii novo impetu in Monaſteria ac Religioſos irruunt: prætextus erat, quod quidam Monachi concionati eſſent iis in templis, in quibus ſacerdotes ſæculares concionari conſueſſent.

Tandem anno 1584 ab Alexandro Duce Parmenſi, captis circumcirca aliquot locis preſſi, Pacem & reconciliationem cum Rege meditantur. Joannem Embyſium, qui paci adverſabatur, Conſulatu movent, & in vincula conjiciunt. Delegatos ſuos ad Parmenſem mittunt, fruſtra tumultuantibus Rebellibus, qui ſex peditum cohortes & duas equitum turmas Antverpiâ & Bruxellâ advocaverant, ut pacis negotium everteretur.

Nihilominus cum Duce Parmenſi, tunc Beveræ in Waſia agente, tranſegerunt die 17 Septembris, his inter alias conditionibus. Ut Eccleſiaſtici, Religioſi, & quicumque urbem per turbas reliquerunt, bona, facultateſque omnes recipiant. Nuncupatæ Reformatæ Religioni addictis, & aliis, dummodò ſine offendiculo vivant, in Urbe manere per duos annos, & de facultatibus diſponere ſit liberum. Civitas numeret ducenta millia coronatorum mulctæ loco indicta. Captivi liberentur. Privilegia reſtituantur &c:

His peractis, redierunt Eccleſiaſtici, Religioſi, atque Canonici, quorum Decanus Crabbelius tempore exilii juriſdictionem eccleſiaſticam Aldenardæ & in vicinis locis exercuerat. Eccleſiæ deſtructæ & profanatæ reſtauratæ ſunt, & reconciliatæ per Joannem Hauchinum Archiepiſcopum Mechlinienſem.

Exhumatum quoque fuit cadaver Jacobi Heſſelii, quod prope arborem ex quâ ſuſpenſûs fuerat ſepultum, repertum eſt prorſus integrum & incorruptum, traditumque honorificentiſſimæ (uti par erat) ſepulturæ Gandavi in Eccleſia Parochiali S. Michaelis.

Interea quoque ad Epiſcopatum Gandavenſem nominati fuêre ſequentes.

FRANCISCUS D'AVROULT, dictus de *Helfaut*, Abbas Monaſterii S. Petri in Monte Blandinio Gandavi, primus ad Epiſcopatum Gandavenſem à Philippo II Hiſpan. Rege fuerat nominatus. Sed cum necdum difficultates omnes in erectione novorum Epiſcopatuum exortæ, forent ſublatæ, vel etiam quod de ſe humiliter ſentiret, dignitatem hanc angelicis

hu-

Digitized by Google

humeris formidandam eâ quâ decuit modeſtiâ a ſe rejecit ; ſicque in ejus locum ſucceſſit Cornelius Janſenius.

Quantâ porrò exiſtimatione apud omnes eſſet *Auroultius*, tum ex generis claritate, tum ex variis ejus muniis ac dignitatibus pateſcit. Familia ejus apud Artheſios illuſtriſſima; cui ipſe propriis meritis tantùm ſplendoris attulit, ut cum primo fuit Protonotarius Apoſtolicus & Canonicus Cathedralis Morinenſis ad quatuor ſucceſſive Abbatias adminiſtrandas à Carolo V. Cæſare fuerit delectus. Prima fuit B. Mariæ Licquenſis Ordinis Præmonſtratenſis in Flandria, ſecunda S. Joannis prope Morinos Ordinum S. Benedicti; tertia S. Winoci in Flandria Occidentali, cui præfuit annis duodecim; quarta fuit S. Petri Gandavi, cæteris dignitate & proventu excellentior, in quâ diem extremum obiit anno 1567 die 8 Septembris, cum præfuiſſet annis tredecim.

Fuit hic Prælatus ſtudioſorum hominum amantiſſimus, ac ſtudiorum fautor præcipuus: prout conſtat ex Collegio Gandavenſi ſive Vauxiano (olim Literarum humaniorum Gymnaſio in Academia Lovanienſi) ejus præſertim liberalitate & operâ erecto. Tum ex auctis ſtipendiis Doctorum ibidem in jure & Medicina publicè prælegentium. Etenim cum Carolo V. Imperatori conſultum foret pecuniam quam ex hoc Monaſterio S. Petri mutuam acceperat ſub Abbate Gerardo de Cuelsbroeck, reſtituere; receptam ejus ſucceſſor *Franciſcus de Helfaut* in præfatos uſus pios impendit, ſummam ſcilicet viginti millium florenorum. Hinc quotannis in Miſſa pro benefactoribus Academiæ, poſtridie Commemorationis Animarum, nomen ejus publicè memoratur.

JOANNES FUNCK Amersfortius Batavus, à Philippo II Hiſpaniarum Rege ad Epiſcopatum Gandenſem nominatus anno 1584. deſtinabatur ſecundus hujus Urbis Epiſcopus, niſi mors præmatura illum luci & mitræ eripuiſſet.

Primò fuerat Præpoſitus & Archidiaconus Eccleſiæ Collegiatæ B. Mariæ Virginis Ultrajecti, ſimulque Præpoſitus Eccleſiarum S.Severini, & D. Virginis ad gradus Coloniæ Agrippinæ, dein etiam Abbas ſæcularis Eccleſiæ B. M. Namurci. Neque minus dignitatibus ſæcularibus præfulgebat: ſiquidem ab anno 1576 ſanctioris Concilii Senator, Cancellarius perilluſtris Ordinis Aurati Velleris ab anno 1581. ſub eodem tempore vocatus eſt in Hiſpaniam ut ſupremo illic Senatui Flandrico ac Burgundico, coram ipſo Rege Catholico intereſſet, conſtitutus ſimul ejuſdem Conſilii ſigillifer. Hoc præmium meruit fidelitatis ſuæ Deo ac Regi exhibitæ, qui ne Rebellibus faveret, eccleſiaſtica beneficia ac fortunas ſuas reliquerat.

Summæ ſuæ in negotiis pertractandis experientiæ inſigne ſpecimen dederat anno 1579, dum ad Congreſſum qui pro pacificandis Belgii tumultibus Coloniæ habebatur, a Rege ſuo ablegatus eſt, ubi Rebellantes Batavos toto conatu, licet irrito, ad concordiam cum Rege ineundam adhortabatur.

Ob hæc præclara in Rempublicam merita Epiſcopatu Gandenſi donatus, atque à ſancta ſede confirmatus, antequam conſecraretur è vivis ereptus eſt Monzonii in Arragonia, die 10 Octobris anni 1585. dum reditum in Belgium meditaretur.

MATTHAEUS RUCQUEBUSCH, Caſletanus Flander J. U. Licentiatus & Profeſſor in Academia Lovanienſi, ubi auditâ prius Philoſophiâ in Pædagogio Lilii, anno 1548 primum ſecundæ Lineæ inter Magiſtros Artium locum obtinuerat. Dein ibidem ſucceſſivè Præſes Collegii Sti. Ivonis ſeu Baccalaureorum & Sti. Donationi, & Almæ Univerſitatis Rector anno 1564. & anno 1569 à ſecundo Brugenſium Epiſcopo Remigio Driutio deſignatus Canonicus Graduatus in Jure in Cathedrali Eccleſia Brugenſi. Sed huic Præbendæ renunciavit Anno 1570. factus Canonicus Eccleſiæ Metropolitanæ Cameracenſis, cujus etiam fuit electus Decanus anno 1573. uti & Vicarius generalis Archiepiſcopi Ludovici de Berlaymont; Tandem anno 1485. ad Epiſcopatum Gandavenſem regiâ Philippi II nominatione deſtinatus fuit.

Dum verò Montibus Hannoniæ confirmationem à ſancta ſede expectans moraretur, Cameraco per milites Ducis Alençonii electi Belgarum Principis occupato, ibidem extremum diem clauſit anno 1586. Sepultus in Eccleſia Collegiata S. Waldetrudis, adjuncto in perennem ejus memoriam hoc Epitaphio.

D. MATTHÆO RUCQUEBUSCH,
Presbytero, J. V. Licentiato
Eccleſiæ Metropolit. Cameracen.
Decano & Canonico,
nec non Illuſtri^mi^. & Reverend^mi^. D. de
Berlaymont
Archiepiſcopi, Vicario Generali,
qui cum à Rege Catholico
Epiſcopus Gandenſis eſſet deſignatus,
in hoc Oppido,
Civitate Cameracena ab hoſtibus occupata,
terrenos honores cum cæleſtibus commutavit.
Executores teſtamenti mœſti poſuère
Obiit An. Dom. MDLXXXVI *die* XIX *menſis*
Aprilis.

WILHELMUS LINDANUS. II. Epiſcopus.

WILHELMUS LINDANUS Damaſi filius, Dordraceno-Batavus, ac S. Theologiæ Doctor, è primo Ruræmondenſium Epiſcopo, deſignatur anno 1588. ſecundus Epiſcopus Gandavenſis Eccleſiæ jam ab annis duodecim Præſule viduatæ.

Anno 1525. in lucem editus Parentibus admodum Catholicis ac Patriciis Dordracenis, duodennis Meram in Comitatu Hooghſtratano literis humanioribus imbuendus mittitur: inde Lovanium ad Philoſophiam, qua in Pædagogio Porci abſolutâ, anno 1545 decimo quarto loco inter 136 Magiſtros Artium promotus eſt.

Hinc gradu facto ad Theologiam, præter inſignem Scripturæ Sacræ peritiam, Græcam quoque atque Hebraicam linguam penitius hauſit; & ſacris initiatus licentiæ gradum in Theologia Lovanii adeptus eſt anno 1552. perorante Lindanum docendi muneri jam tunc maturum Cardinalis Ottho Truchſeſius Epiſcopus Auguſtanus, ad Academiam Dilinganam in Suevia quam nuper erexerat, ad ſacras, ibidem Litteras explanandas, evocavit. Inde anno 1556 Lovanium reverſus, Doctoralem in S. Theologia Lauream ſuſcepit, ac paulò poſt Dilingam repetiit: ubi exacto fermè triennio in Belgium revocatus a Georgio Egmondano Ultrajectenſium Epiſcopo, Canonicatu & Archidiaconatu in majori ibidem Eccleſia donatus eſt; conſtitutus inſuper ab eodem Præſule Vicarius generalis per Friſiam. A Rege Philippo II ſub eodem tempore nominatus fuit Decanus Eccleſiæ Collegiatæ B. Mariæ Virginis Hagiæ in Aula Comitis, ſimulque Regis ibidem Senatus Conſiliarius Eccleſiaſticus, & in violatæ fidei reos Inquiſitor Apoſtolicus.

Poſt hæc, erectæ anno 1559 in cathedram Epiſcopalem Ruremondæ primus Epiſcopus deſignatus eſt *Lindanus*, qui anno 1562 die 4 Aprilis Dominicâ Palmarum Bruxellis conſecratur a Cardinale Antonio Perrenot Granvellano, primo Mechlinienſium Archiepiſcopo. Verùm obſtantibus temporum injuriis, & hominum Acatholicorum & Rebellium Veſaniis, non ante ſeptimum poſt conſecrationem annum, ſcilicet 1569 Ruremundam ſolemniter intravit ac Cathedræ poſſeſſionem adiit, quam zelo infatigabili, difficillimis licet temporibus adminiſtravit, iterata exilia, bonorum direptiones, hæreticorum calumnias quin & vitæ diſcrimen conſtanti animo perpeſſus.

Anno 1566 interfuit atque ſubſcripſit Concilio Provinciali Ultrajectenſi tanquam Decanus Hagienſis & Fidei Inquiſitor. Anno 1570 præſens fuit primo Concilio Mechlinienſi: quin & varias in Diœceſi ſua Synodos habuit, videlicet anno 1569 cum Tridentini Concilii Decreta publicavit, & Curiam Eccleſiaſticam conſtituit: Alteram anno 1570, in quâ Decreta Concilii Mechlinienſis admitti curavit: tertiam anno 1571, & quartam anno ſequente.

Interea ingraveſcentibus Belgii malis, *Lindanus*, diutiùs in Geldria morari tutò non potuit, unde anno 1578 Romam petiit, ubi a Gregorio XIII Pont. honoratè ſuſceptus, in numerum Epiſcoporum throno Sanctiſſimi Domini Aſſiſtentium (ut vocant) cooptatus eſt, & triſtem Belgii ſtatum expoſuit. Quin etiam ob magnam eruditionis famam Cardinalibus Hoſio, Sirleto aliiſque viris dignitate ac doctrinâ eminentibus fuit acceptiſſimus.

Romæ trimeſtri moratus, in Hiſpaniam navigavit, ac Regio Philippi II. favore atque benevolentiâ munitus, inque Belgium anno 1579 reverſus, reperit Diœceſim ſuam Ruræmundanam peſte, inedia, ſummàque temporum injuria notabiliter diminutam. Epiſcopalia interim munia quantum potuit ac licuit, diligentiſſimè adimplevit, & bina Theologorum ſeminaria in Academiis Lovanienſi ac Duacenſi, munificentiâ regiâ inſtitui curavit.

Cumque nec penſio Hiſpanica, neque reditus Epiſcopatui Ruremondenſi attributi ſolverentur, Lindanus anno 1584 denuò ad Urbem Romanam profectus eſt, ubi multis a Sixto V Pont: Sanctorum reliquiis aliiſque donariis auctus eſt, varia quoque priſcorum temporum ſcripta, quorum amans erat conquiſivit.

Anno 1588 a Sixto V Pont.& Philippo II Rege ad Gandavenſem Cathedram deſtinatus eſt, quæ per plures annos Præſule viduata, & per iteratas Iconomachias plurimùm afflicta, diligentem Paſtoris operam poſtulabat. Menſe Julio Ruræmundâ Gandavum advênit; ſed fractus ſenio, ſtudiis atque laboribus, die 2 Novembris ejuſdem anni 1588 ætatis 63. e vivis exceſſit,


REVERENDISS. & AMPLISS. DOMINUS
D. WILHELMUS LINDANUS
II. EPISCOPUS GANDAVENSIS

Digitized by Google

ceſſit, priusquam illic dignum aliquid præſtare potuiſſet.

Communi cum Cornelio Janſenio, cui ſucceſſerat, tumulo ſepultus eſt in ſacello Sti. Ivonis Eccleſiæ Cathedralis Gandavenſis: quemadmodum ea eodem hoc, quod utrique poſitum eſt, Epitaphio lector intelliget.

Unicus eſt Phœnix, cineres hæc tumba duorum
Phœnicum veræ Religionis habet
D. O. M.
Reverendiſſimis in Chriſto Patribus,
S. T. Doctoribus,
CORNELIO JANSENIO
&
WILHELMO DAMASI LINDANO,
Primo & Secundo hujus Urbis Epiſcopis,
ob multos in ſcrutandis,
& interpretandis ſacris ſcripturis
exantlatos labores,
& merita in Dei Eccleſiam,
& rem Chriſtianam, poſitum.
Obiit hic XI *Nov.* M. D LXXX. VIII
Ille vero XI *Aprilis* M. D. LXX. VI.
Quomodo in vitâ dilexerunt ſe,
ita & in morte non ſunt ſeparati. II. Reg. I.

Symbolo utebatur Lindanus, *Quæ ſurſum ſunt quærite.* Coloſſ. 3. Reliqua ſi deſideres, ſtaturâ procerus erat, ac corpori par animus, in periculis imperterritus, judicio acri ac vivido, facie viriliter gravis, vox grandis quidem, aſt lingua impeditior præcepsque; viribus ac ſtomacho valens, frigoris laboriſque patiens, jejunii tenax, ſomni parcus nec ultra quinque horas; pauperum vetulorum comprimis amans, quos catalogo deſcriptos paternè fovebat, aperto etiam in culinam ut ſtipem rogent, pauperibus aditu: frugali contentus menſâ, quam aut ſacra lectione, aut pio eloquio condiebat. Hæc & plura de præclaris dotibus & modo vivendi Præſulis *Lindani*, retulerunt Havenſius de Erectione novorum Epiſcopatuum Belgii Lib. 2. & Raſſii Belgica Chriſtiana pag: 27.

Quæ vero in Epiſcopatu Ruræmondenſi geſſit, eleganter ac fusè commemorat Hiſtoria Ducatûs Geldriæ, à pag: 178 uſque ad 198. Simul recenſens Catalogum omnium Operum quæ vel Theologicà, vel Scripturiſticà, vel Hiſtoricà, vel Concionatoria edidit: erat enim omnis ſcientiæ tenax. Hinc celebri notatus fuit encomio apud Cardinalem Baronium in Notis ad Martyrologium Romanum 23 Septembris.

„ Vir, *inquit*, non tantum omnis generis literarum eruditione clariſſimus, verum etiam egregii Confeſſoris fidei nobilitatus inſignibus, quippe qui exilia, proſcriptiones, ærumnas incredibiles, ac mortes ferè frequentes inconcuſſo robore fidei cauſſâ ſuſtinuit." Imo Baronius *Lindani* eruditionem ita ſuſpexit, ut ſuas in Martyrologium Romanum notas, niſi a Lindano (quocum & Romæ familiaritas interceſſerat) probatas atque recenſitas, publici juris eſſe noluerit.

Ut verbo concludam, nullus omninò eſt hiſtoricus ſæculi XVI, qui de *Lindano* non agat, ejuſque eruditionem ac merita in Eccleſiam Dei, ſummis laudibus non extollat.

Adrianus Varæus Eccleſiæ Gandavenſis Canonicus & Archidiaconus, dein Præpoſitus, utrumque Janſenii & Lindani Epiſcoporum Teſtamenti executor atque Vicarius generalis, præfatum Monumentum in ipſo Sacello in quo conſueverant celebrare, ex marmore extruxit: addita imagine utriuſque Epiſcopi cum mitrâ & paſtorali baculo, & prædictâ Inſcriptione.

Digitized by Google

PETRUS DAMANT. III. Epiſcopus.

PETRUS DAMANT Mechlinienſis, J. U. Doctor, anno 1589. renunciatus eſt tertius Gandenſium Epiſcopus. Hic Patrem habuit Petrum Damant Oeconomum ac Conſiliarium Caroli V. Cæſaris: Matrem vero Annam Baene, ambos generis nobilitate, morum vitæque integritate clariſſimos. Frater ejus fuit Nicolaus Damant Vice-Comes Bruxellenſis Toparcha de Ottenies, Bauwel & Olmen, quem Flandrica primùm Curia Præſidem habuit, dein Brabantica Cancellarium, Hiſpania ſummis Belgarum rebus præfectum, & hæc Belgica iterum Sereniſſ. Principibus Alberto & Iſabellæ à Conſiliis Status.

Porrò uti Nicolaus ſæcularibus, ita & Frater ejus *Petrus* Eccleſiaſticis dignitatibus eminebat: ac primò quidem Præbendam in Eccleſia S. Donatiani Brugis anno 1542 adhuc minorennis, dein alteram in Cathedrali Antverpienſi, dein in Eccleſiâ D. Gudulæ Bruxellis alteram obtinuit uti & Præpoſituram Eccleſiæ S. Pharaildis Gandavi: ac ſimul Canonicatum & Cantoriam in Eccleſia S. Bavonis Gandavi; auctus quoque ampliſſima dignitate Præpoſiti & Archidiaconi Eccleſiæ Collegiatæ S. Salvatoris Ultrajecti. Sed Batavis Civitatem iſtam ejuſque beneficia occupantibus, hunc titulum ſine proventu habuit. Fuit quoque Conſiliarus in Senatu Provinciæ Flandricæ Gandavi.

Anno 1585. poſt Clementem Crabbelium Sylvæducenſi Epiſcopatu inauguratum, ipſe renunciatus fuit Decanus Cathedralis Eccleſiæ Gandavenſis, ac quarto pòſt anno ad ſummum ejuſdem apicem evehitur, nominante Philippo II Hiſpan. Rege, & Sixto V Pont. confirmante.

Anno 1590 die 14 Octobris ſolemni ritu characterem Epiſcopalem ſuſcepit.

Ex hoc tempore Diœceſim ſuam peculiari curâ ac ſollicitudine gubernare non deſtitit. Anno 1607 interfuit Concilio Provinciali Mechlinienſi, cujus Decreta ut etiam per Diœceſim Gandavenſem obſervarentur, Synodum indixerat anno 1609: ſed eam, uti ſummopêre deſiderabat, celebrare haud potuit, vitâ ac laboribus defunctus die 14 Septembris.

Sepultus eſt in crypta Cathedralis ſuæ, ac tumbam habet marmoream in ſacello laterali SS. Petri & Pauli ad dextram Chori, ubi ſequens legitur Præſulis Epitaphium.

D. O. M. S.
PETRUS DAMANT,
ex Præpoſito Ultrajectenſi,
& hujus Eccleſiæ Decano,
III. Gandavenſis Epiſcopus,
defunctus Anno Chriſti CIↃ. DC. IX
Ætatis ſuæ LXXIX. *ſeſſionis verò* XIX.
Hoſpes abi, bene precare,
& proprio pii Præſulis monito
DEUM REDAMA.

CARO-



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


REVERENDISS. & AMPLISS. DOMINUS
CAROLUS MASIUS
IV EPISCOPUS GANDAVENSIS

CAROLUS MASIUS. IV. Epiſcopus.

CArolus Masius Bruxellenſis, è nobili & perantiquâ familia oriundus, primùm Cathedralis Antverpienſis Decanus, pòſt Sereniſſimorum Archiducum Alberti & Iſabellæ Belgii Principum magnus Eleemoſynarius & earum Domus magnus Vicarius, inde Tertius Iprenſium Epiſcopus, quos ubi per biennium ſummâ cum laude gubernaverat, anno 1609 tranſlatus eſt ad Eccleſiam Gandavenſem.

Vir magnis animi corporiſque dotibus exornatus, qui *Deo Duce* & vitâ comite multa & magna in bonum Diœceſeos ſuæ moliebatur. Sed poſt triennale regimen, curis, laboribus, inſtantiâ quotidianâ omnium Eccleſiarum, continuis infirmitatibus, invidia quorumdam qui melioris diſciplinæ ferendæ impatientes erant, aliiſque moleſtiis fatigatus & fractus, obdormivit in Domino die 21 Maii 1612, ætatis ſuæ anno quinquageſimo tertio.

Sepultura ejus admodùm ſumptuoſa extat in choro Cathedralis Gandavenſis ad cornu Epiſtolæ, ubi in habitu Pontificali quieſcens repræſentatur, adjuncto hoc Epitaphio, item lemmate familiæ, quod erat: *Deo Duce*.

D. O. M.
CAROLUS MASIUS,
H. S. E.
Ad ſumma natus, per gradus aſcendit,
ſed illuſtres.
Decanus Eccleſiæ Cathedralis
Antverp. fuit,
In quod munus ne alienus veniret,
Avunculo Rutgero de Taſſis ſucceſſit.
Fuit & Principibus Belgii ab Eleemoſynis,
Inde Iprenſium,
poſt Gandenſium Epiſcopus
quâ dignitate, eâ virtute
Eccleſiæ & Reipub. utilis.
Vos lugete Belgæ.
Eccleſia Antiſtitem amiſit, Reſp. Virum
XII *Kal: Junias* MDCXII.
cum vixiſſet Annos LIII.

Oratione funebri in choro Cathedralis Gandavenſis habitâ, laudes ſui Præſulis proſecutus fuit Antonius Smetius S. T. L. Canonicus graduatus & Archi-Presbyter Gandavenſis.

Alterum ejuſdem Antiſtitis encomium exhibetur in Catalogo Epiſcoporum Iprenſium.

FRANCISCUS VANDER BURCH.
V. Epiſcopus.

FRANCISCUS VANDER BURCH, J. U. Licentiatus, quintus fuit Gandenſium Epiſcopus, ſed primus Gandavo oriundus, ubi natales auras ſumpſit anno 1567 die 26 Julii Patre Joanne Vander Burch Patricio Brugenſi, prius Supremi Concilii Mechlinienſis, dein Sanctioris ac Regii Senatûs Præſide, Matre Camillâ Margaretâ Diaceti, Patriciâ Florentinâ: quorum familia jam dudum nobilis & honorata imprimis protulit Adrianum Vander Burch Senatûs Flandriæ Præſidem variis Legationibus clarum, Avum *Franciſci* Præſulis, & Patruum ejus Lambertum Trajecti ad Rhenum in Æde Collegiata B. Mariæ Virginis Decanum, apud quem *Franciſcus* primos juventutis annos tranſegit.

Abſolutis ſtudiis humanioribus Ultrajecti, ac Philoſophicis Duaci, Juridica in Academia Lovanienſi peregit, ubi perfunctus officio Fiſci & Decani Baccalaureorum, etiam J. U. Lauream reportavit. Tum primò præbendam in Cathedrali Atrebatenſi obtinuit à Matthæo Moulartio hujus Urbis Epiſcopo, qui & illum fecit Secretarium ſuum ac domeſticum: dein alteram præbendam in Collegiatâ S. Waldetrudis Montibus, ac paulò poſt in Eccleſia Metropolitanâ Mechlinienſi dignitatem adeptus eſt Decanalem, regiâ nominatione anno 1593. Ob ſummam verò prudentiam atque dexteritatem a Matthia Hovio Mechlinienſi Antiſtite Diœceſeos ſuæ Vicarius generalis creatus eſt anno 1596.

Hiſce muniis ſumma cum laude perfunctus, adytum ſibi ad Epiſcopalem Cathedram Gandavenſem paravit, ad quam à Sereniſſimis Belgarum Principibus Alberto atque Iſabella nominatus anno 1612. & à Paulo V. Pont: die 1 Octobris confirmatus, in Æde ſua Cathedrali ſolemni ritu Epiſcopus inauguratus eſt die 17 Februarii 1613 per Matthiam Hovium Archiepiſcopum Mechlinienſem, aſſiſtentibus Carolo Philippo de Rodoan Brugenſi, & Joanne de Viſſcher Iprenſi, Epiſcopis.

Per triennium circiter Diœceſim Gandenſem excoluit, celebratâ etiam anno 1613 Synodo Diœceſana, quæ per morbos & mortem Prædeceſſorum celebrari nondum potuerat, in quâ plurima ſtatuta ad Cleri populique utilitatem ſancivit.

Anno 1615 ad Archiepiſcopatum Cameracenſem vacantem per obitum Franciſci Buiſſereti VI. Archi-Præſulis à Sereniſſimis Archiducibus Alberto & Iſabella deſtinatus eſt *Vander Burchius*, atque à Metropolitano Capitulo poſtulatus die 14 Junii. Interea ingens bonum Civibus Montenſibus præſtitit, quorum Urbs graviſſimâ peſte devaſtabatur, quæ intra trimeſtre ultra 15000 homines abſumpſerat. Miſit itaque ad eos ex theſauro Ædis Cathedralis Gandenſis ſacrum corpus S Macarii Epiſcopi & Patriarchæ Antiocheni, cujus miram opem Gandenſes olim in ſimili lue ſenſerant. Et vero mox ut in Urbem illatum eſt, peſtis veluti cælitus percuſſa imminui cœpta, ac brevi extincta eſt.

Confitentur id Montenſes omnes, actiſque Deo & D. Macario gratiis, cujus Corpus denuò Gandavum tranſlatum eſt, gratam quoque erga *Vander Burchium* Præſulem memoriam faſtis ſuis inſeri curarunt. Ita Hiſtoria Hannoniæ recens edita Tomo 2°. pag: 245 & ſeq.

Paulo poſt, accedente diplomate confirmationis à Paulo V Pontifice, anno 1616 non abſque gravi Gandavenſium luctu Cameracum diſceſſit, ubi ſolemni pompâ inthronizatus fuit die 8 Auguſti. Supervixit in Archiepiſcopatu uſque in diem 23 Maii 1644 quo ſenio & laboribus fractus ad meliorem vitam tranſlatus eſt Montibus Hannoniæ anno ætatis 77. Archiepiſcopatûs 28. Sacerdotii 53. Sepultus in Eccleſia PP. Societatis JESU Montibus, in quos ſpecialiter beneficus, plura florenorum millia templo conſtruendo reliquit.

Viſitur illic elaboratum è pretioſo marmore monumentum, & elegans Epitaphium, quod unà cum altero ejuſdem Præſulis Encomio in Catalogo Archiepiſcoporum Cameracenſium recenſebitur.

Symbolo utebatur: *Unitas libertatis Arx.*

JACO-

Digitized by Google


ILLUSTRISS. AC REVERENDISS.
DOMINUS
D.FRANCISCUS VANDER BURCH
V.EPISCOPUS GANDAVENSIS

Digitized by Google

Digitized by Google


ILLUSTRISS: AC REVERENDISS:
DOMINUS
D. IACOBUS BOONEN.
VI. EPISCOPVS GANDAVENSIS.

JACOBUS BOONEN. VI. Epiſcopus.

JACOBUS BOONEN Antverpienſis, J. U. L. à Sereniſſimis Belgarum Principibus Alberto & Iſabella, ſextus Gandavenſium Epiſcopus nominatur anno 1616. Natus erat anno 1573 die 11 Octobris, Patre Cornelio Boonen Curiæ Feudalis Brabantiæ Locum-tenente, ejuſdemque Senatûs Conſiliario ampliſſimo, in iiſdem muniis Jacobi Patris ſui Succeſſore; Matre Gertrude Van den Eetvelde, quæ tum temporis Maritum ſuum ad quædam ſummi momenti negotia Antverpiam miſſum, ſecuta fuerat. Hæc mulier piiſſima, filium ſuum *Jacobum* ſedulò educavit, præcipue poſteaquam Pater anno 1579 ab æmulis veneno ſublatus fuiſſet, qui diplomate regio paucis ante mortem diebus dignitate Cancellarii Brabantiæ fuerat decoratus.

Jacobus, abſolutis in Academia Lovanienſi ſtudiis philoſophicis in Pœdagogio Porci, quintum in celebri Artium promotione locum retulit anno 1589, ætatis ſuæ decimo Sexto. Inde pari ſucceſſu J. U. laureâ donatus, primò in familiam Archiepiſcopi Matthiæ Hovii aſſumptus fuit, ejuſque Secretarius, ac dein Curiæ Eccleſiaſticæ Officialis deſignatus; à graduatis Eccleſiæ Mechlinienſis Canonicis ad præbendam vacantem rogatus; atque à Patribus Synodi Provincialis Mechlinienſis anno 1607 in Judicem Synodalem electus.

Anno 1611, ad Supremum Belgii Concilium Senator Eccleſiaſticus aſſumptus eſt, in locum Guilielmi Veuſels, antehac Decani ad S. Petrum Ultrajectini, & inde pro fide Catholica proſcripti.

Anno 1612 promoto ad Epiſcopatum Gandavenſem Franciſco Van der Burchio, Metropolitanæ Eccleſiæ Decano, communi omnium applauſu in Decanali dignitate ab Archiducibus ſurrogatus eſt.

Hiſce omnibus muniis ſingulari prudentiâ perfunctus, ſuper Cathedram Gandavenſem conſtitutus fuit, atque à Paulo V diploma pontificiæ confirmationis & poſſeſſionem Eccleſiæ ſuæ die 13 Januarii per Procuratorem adeptus, anno 1617 die 5 Februarii in Æde Metropolitana S. Rumoldi Epiſcopalibus inſulis inſignitur per Archiepiſcopum Matthiam Hovium, aſſiſtentibus Nicolao Zoeſio, Sylvæducenſi, & Joanne Maldero, Antverpienſi Epiſcopis ejuſdem Provinciæ Suffraganeis.

Pontificalia per Diœceſim Gandavenſem integro triennio exercuit, ubi virtutum ejus ſplendor adeò emicuit, ut ſublato è vivis Matthia Hovio Archiepiſcopo Mechlinienſi, Sereniſſimi Belgarum Principes conſulto (uti ſolebant) Eximio D. Jacobo Janſonio S. T. D. & Decano D. Petri Lovanii, *Jacobum* è ſede Gandavenſi tranſtulerint anno 1620. ad Archiepiſcopatum Mechlinienſem.

Obiit in ſenectute bonâ Bruxellis anno 1655 die 30 Julii, ætatis 82. Pontificatûs 38. Sacerdotii 58. Sepultus in Metroplitanâ Mechlinienſi.

Symbolum hujus Præſulis, ex Cap. 12. ad Rom: nomini familiæ adaptatum erat: *Vince in bono.*

Alterum ejus Encomium vide alibi in Catalogo Archiepiſcoporum Mechlinienſium.

Digitized by Google

ANTONIUS TRIEST. VII. Epiſcopus.

ANTONIUS TRIEST origine Gandavenſis, è quinto Brugenſium Epiſcopo, quibus per quinquennium præfuit, factus eſt anno 1622. ſeptimus Præſul Gandavenſium, apud quos olim Canonicus Graduatus & Archidiaconus illuſtria virtutum ſuarum ac præſertim benevolentiæ ediderat ſpecimina.

Hic Præſul die 15 Martii per Procuratorem, & perſonaliter die 7. Aprilis 1622 inſtallatus, gregem ſibi commiſſum non modo externis pietatis operibus ſuſtentavit, aſſiduàque præſentia confortavit, verum etiam doctiſſimis concionibus privatiſque exemplis inſtruxit atque erudivit. Prudentià quoque ac dexteritate in pertractandis negotiis Reipublicæ ſummoporè excellebat: quapropter ad Conſilium Statûs ſuæ Majeſtatis in Belgio aſſumptus, uti etiam ad Congreſſum Imperii, qui Ratiſponæ habetur, Legatus Regius deſtinatus fuit.

Iſabellæ Hiſpaniarum Infanti Belgii Principi imprimis carus fuit, atque intimis ejus Conſiliis adhibitus, ac demum ultimæ voluntatis ejus anno 1630 kalendis Octobris defunctæ, Executor teſtamentarius.

Quoad vixit, annuatim ſine interruptione habuit Congregationes Archi-preſbyterorum ſeu Decanorum Chriſtianitatis adjunctis Canonicis Eccleſiæ Cathedralis, item Abbatibus, cum Synodum Diœceſanam frequentius convocare opportunum non foret: nihilominus in hiſce Congregationibus plurima edidit Decreta, Clero populoque ſuo utiliſſima. Singulis etiam bienniis totam Diœceſim perluſtrabat, ac ſibi ſubjecta Monaſteria viſitabat, paſtorali ſollicitudine diſciplinam ubi collapſa erat reſtituens, & ubi vigebat tum monitis, tum ſalutaribus Decretis confirmans.

Montem pietatis Gandavenſem ſuà authoritate curavit erigi, ſuà munificentià dotari, ut quantum poſſet, gratis pauperibus mutuaretur. Eccleſiam ſuam Cathedralem ejuſque fabricam ſplendidè auxit ac ditavit, fundato etiam ſacro quotidiano quod feriatis diebus poſt undecimam, alias vero pauloante ſecundam celebratur. Confraternitatem SS. Trinitatis pro redemptione captivorum in Turcià languentium, plurimis in locis inſtituit.

In Municipium S. Nicolai agri Waſiani, ſub ſuà Diœceſi, P P. Oratorii è Congregatione Berullianâ introduxit, & per incorporationem Paſtoratûs, cæterorumque Parochiæ iſtius beneficiorum ad ſuam collationem pertinentium, luculenter dotavit. Aliud Oratorium inſtituit in Parochia de Themſche ſub eodem diſtrictu, quod liberalitate ſuà juvit.

Conventum P P. Carmelitarum Diſcalceatorum, parte à Philippo Trieſt fratre ſuo, quondam Gubernatore Arcis Grevelinganæ, Tribuno Militum & Archi-Ballivo Cortracenſi, in pios uſus impendendæ fundavit in Civitate Gandavenſi. Imò per cuncta ferme Diœceſis ſuæ Templa, Cœnobia, Parochias aliaque loca liberalitatis ſuæ, ubique verò vigilantiæ ac pietatis ſuæ inſignem reliquit odorem.

Inter hæc multiplicia charitatis officia, graviſſimè offendit Innocentium X Pont:, eo quod à quibuſdam rigoroſi genii hominibus incitatus Bullam Urbani VIII contra Librum Cornelii Janſenii Iprenſis Epiſcopi, alteramque Bullam ipſius Innocentii X contra quinque famoſas propoſitiones ex eodem libro excerptas, recipere ac publicare nollet. Ob hoc ad Romani Pontificis tribunal evocatus per Decretum Romæ datum 19 Decembris 1652, & dein affixum ad valvas Cathedralis Gandavenſis, tandem paruit, & utramque Bullam publicavit. Vide quæ alibi dicta ſunt de Jacobo Boonen, IV Archiepiſcopo Mechlinienſi, qui eandem cum Antonio Trieſtio ſententiam ſequebatur. Hi duo Præſules miſerant ad Philippum IV Hiſpan. Regem Deputatos binos, Joannem Recht S. T. Doctorem Lovanienſem, & Ignatium Gillemans Cathedralis Eccleſiæ Gandenſis Canonicum, ut publicatio Bullarum Apoſtolicarum impediretur, ſed in vanum laboraverunt.

Eodem tempore, memoratus Epiſcopus Gandavenſis, a quibuſdam ſuæ Diœceſeos Theologis, varia laxioris Ethices dogmata è pulpitis & cathedris concionatoriis doceri obſervans plures Propoſitiones ſcandaloſas, temerarias, male ſonantes &c. ad Facultatem Theologicam Lovanienſem examinandas tranſmiſit die 9 Aprilis 1657. Ex quibus XXVII Propoſitiones die 4 Maii ſequentis, ſolemni ejuſdem Facultatis Decreto cenſuratæ fuère, ac poſtmodum etiam pleræque a ſummis Pontificibus Alexandro VII & Innocentio XI condemnatæ ſunt.

Tandem longitudine dierum repletus, & Epiſcopalibus laboribus exhauſtus, vivere,

Digitized by Google


ILLUSTRISS. AC REVERENDISS.
DOMINUS
D. ANTONIUS TRIEST
VII. EPISCOPUS GANDAVENSIS

Digitized by Google

vere deſiit Antiſtes *Trieſtius* die 28 Maii 1657, Sepultus in cryptâ ſuæ Cathedralis Eccleſiæ; ubi viſitur duplex ejus Epitaphium, amplum tanti Viri encomium continens; prius inſculptum eſt tumbæ ejus marmoreæ, alterum legitur in crypta ſive loco ſubterraneo præfatæ Eccleſiæ.

D. O. M.
ANTONIUS TRIEST
VII. *Epiſcopus Gand.*
deſideravit quod mortale habuit,
hic deponi.
Sacerdos dum ab arâ deſcendis,
Te obteſtatur,
Ut quod defuncto debes, perſolvas.
Hoc ſacrâ aquâ aſperge,
& immortali æternam pacem apprecare,
& vale.

Hic ſitus eſt
*Illuſtr*mus. *ac Reverend*mus. *Dominus*
ANTONIUS TRIEST
V. *Brugenſium per quinquennium,*
ac dein VII *Gandenſium annis triginta*
quinque
Epiſcopus,
in Paſtorali officio & ſollicitudine
vigilans & indefeſſus.
In Concilio ſtatûs Regis Catholici
fidelis & prudens.
Erga pauperes in vitâ & in morte
miſericors & liberalis.
Erectis ampleque dotatis
veræ pietatis Monte,
ad gratis mutuandum indigentibus.
In Eccleſias
ac præſertim hanc Cathedralem S. Bavonis,
cujus fabricam ſplendide auxit ac ditavit,
munificus.
Tandem meritis plenus, ac maturus cælo,
Anno ætatis LXXXI, *ſacerdotii* LV.
Epiſcopatûs XL.
obiit die XXVIII *Maii* MDCLVII.
Lector bene animæ apprecare.

In lapide Sepulcrali jam memorato exhibentur Inſignium Majorum vulgo Quarteria, hujus Præſulis, ſuâ tamen virtute magis quam genere nobilitati. Stemma Paternum; *Trieſt*, *Van der Oeyen*, *Bourgogne*, *Wakene.* Maternum: *Van Roeyen*, *Haſcbe*, *Villain*, *Ooſtende.*

Tumba ejus quæ in choro Cathedrali ad cornu Euangelii conſpicitur, elegantiâ ſuâ & arte cæteras longè exſuperat. Repræſentatur ſtatua Præſulis recumbentis juxta Chriſtum Salvatorem; ab aliâ parte exhibetur B. Virgo Maria. Infra Præſulem legitur hæc inſcriptio. *Non intres in judicium cum ſervo tuo Domine.* Superius verò, *In foraminibus petræ confidentia mea.* Infra ſtatuas Chriſti Domini, ac Deiparæ reſpectivè leguntur hæc verba *Recordare fili miſericordiæ tuæ.*

Præſtantiſſimi hujus Operis Artifex fuit Franciſcus de Queſnoy, ſculptor celeberrimus, Bruxellenſis: ſed fatali exitu deplorandus.

Symblo utebatur hic Præſul: *Confidenter.*

Alterum ejus Elogium extat in Catalogo Epiſcoporum Brugenſium.

Digitized by Google

CAROLUS VANDEN BOSCH.

VIII. Epiſcopus.

CAROLUS VANDEN BOSCH Bruxellenſis, J. U. Licentiatus, è Nono Brugenſium Epiſcopo, quibus per annos novem præfuit, factus eſt anno 1660 Octavus Antiſtes Gandavenſium ſimulque ad Regium ac Statûs Concilium aſſumptus. Poſſeſſionem procuratorio nomine adeptus die 8 Junii 1660, ſolemniter intronizatus eſt 23 Julii ſeq. Cum verò Clerum populumque ſibi commiſſum per quinquennium debità ſollicitudine gubernaſſet, vitæ ac laboribus ereptus eſt, catharro ſuffocatus die 5. Aprilis 1665, tumulatus in crypta ſuæ Cathedralis Eccleſiæ, ubi in choro ad cornu Epiſtolæ vivens ſibi curaverat erigi ſplendidum è marmore Monumentum, cui tamen hactenus nullum eſt additum Epitaphium, quod debita huic Antiſtiti elogia contineat.

Repræſentat hæc tumba Præſulem genuflexum, habentem a dextris ſtatuam Chriſti ſalvatoris Reſurgentis; a ſiniſtris verò Statuam S. Caroli Borromæi Archiepiſcopi Mediolanenſis, Patroni ſui: cujus virtutes ac zelum præſertim Paſtoralem toto Epiſcopatu ſuo imitari ſtuduerat. Symbolum illi erat: *Crucier ne crucier.*

Alterum ejuſdem Præſulis encomium deſcriptum vidi in Catalogo Epiſcoporum Brugenſium. Bibliothecam quam habebat exquiſitiſſimam, variarum ſcientiarum, quas apprimè callebat, Libris refertam, Teſtamento reliquit Patribus Societatis Jeſu, Collegii Brugenſis.

EUGE-

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google


ILLUSTRISS. AC REVERENDISS.
DOMINUS
D. EUGENIUS ALBERTUS D'ALLAMONT
IX EPISCOPUS GANDAVENSIS

EUGENIUS ALBERTUS D'ALLAMONT.

IX. Epiſcopus.

EUGENIUS ALBERTUS D'ALLAMONT Baro de Buſy, Toparcha de Allamont & Malandry, Dominus Temporalis in Sart, Blaigny &c: è quinto Ruræmondenſium Epiſcopo, deſignatur Nonus Gandenſium Præſul anno 1666 per Mariam Annam Auſtriacam Matrem Caroli II Hiſpaniarum Regis, quæ pro filio ſuo adhuc Minorenni totam Monarchiam Hiſpanicam gubernabat.

Patrem habuit Joannem Baronem d'Allamont, Virum generoſiſſimum ac martiâ virtute inclytum, cujus filius primogenitus Joannes Parenti ſuo non impar, in propugnatione Urbis & Caſtri Montis-Medii in Luxemburgenſi Ducatu, à Gallis obſeſſæ, glorioſus Gubernator occubuit anno 1657.

Mater ejus fuit Agnes ex Comitibus de Merode-Waroux, quam amicitiâ ſuâ ita honorarunt Sereniſſimi Belgarum Principes Albertus & Iſabella, ut filium ſecundogenitum, Præſulem memoratum, dignati fuerint è ſacro fonte ſuſcipere, ſuumque illi nomen imponere, cerimonias ſacras peragente Bruxellis Alphonſo de la Cueva S. R. E. Cardinale.

Eugenius Albertus, peractis Philoſophiæ ac Juriſprudentiæ ſtudiis in Academia Lovanienſi, præbendam in Cathedrali Eccleſia Leodienſi obtinuit anno 1653, ſacerdotio initiatus anno ſubſequente.

Hinc ad Infulas Ruræmondenſes evectus, Mechliniæ in Æde Metropolitana ſolemni ritu inauguratus fuit die 24 Auguſti 1659 per Andream Crueſen Archiepiſcopum Mechlinienſem, aſſiſtentibus Joanne de Wachtendonck Epiſcopo Namurcenſi, & Zacharia de Metz Epiſcopo Trallenſi, Apoſtolico per Fœderatum Belgium Vicario. Quæ verò in Epiſcopatu Ruræmondenſi præclare geſſit in Hiſtoria Eccleſiaſt. Ducatûs Geldriæ ad longum exprimuntur pag: 249 & ſequentibus.

Anno 1662 Alexander VII Pont: demandavit huic Præſuli curam Diœceſis Sylvæducenſis, quæ jam ab annis 14 Epiſcopo caruerat, & per Vicarium generalem à Canonicis electum regebatur. Sed Pontifex voluit deinceps patriam Sylvæducenſem juriſdictioni ſuæ immediatè ſubeſſe, conſtituens Vicarium Apoſtolicum *Allamontium*, qui hoc munere per annos quatuor egregiè functus eſt: donec a Cathedrâ Ruræmondenſi, quam per ſeptennium rexerat, ad Gandavenſem tranſlatus, ac proinde à Diœceſi Sylvæducenſi remotior factus, Vicariatum in manus Pontificis repoſuit.

Capta per Procuratorem poſſeſſione die 4 Julii 1666, ipſe ſolemni introitu in Civitatem ac Cathedralem Gandavenſem receptus eſt die 28. Octobris 1666, eique per ſeptennium præfuit.

Notabiles Epiſcopatus hujus proventus in pauperum & Hiſpanorum militum ſubventionem impendit, præſidio Gandavenſi Stipendia ac veſtes novas diſtribuens. In Cathedrali Gandavenſi Magnos, ut vocant Vicarios inſtituit ac fundavit.

Hoſpitalitatis jura præcipue exercuit erga Nicolaum French, Fernenſem in Hybernia Epiſcopum, ſede ſuâ per hæreticos expulſum, quem ut Fratrem excepit, dein ut Suffraganeum adhibuit, dum ob negotia Eccleſiæ ſuæ ad Aulam Madritenſem proficiſceretur.

Statuerat Rex Catholicus de conſenſu Pontificis, anno 1660. ut Epiſcopatus Gandavenſis opulentior quotannis perſolveret 6000 floren. Epiſcopatui Ruræmondenſi, majore reddituum ſuorum parte per Hollandos privato.

Quod onus ut a ſe excuteret *Allamontius*, litem movit Lancelotto de Gottignies, ſuo in Ruræmondenſi Cathedra ſucceſſori, & ea propter Madritum diſceſſerat, ubi diarrhæâ laborans diem clauſit extremum die 28 Auguſti 1673, ætatis anno 64.

Corpore & inteſtinis Madriti reconditis, cor ejus ad Eccleſiam Cathedralem tranſlatum fuit, in qua ſibi tumbam marmoream erigi curaverat, ut, ſi Deo aliter viſum fuiſſet, totum cadaver ejus ibidem fuiſſet tumulatum.

Legitur duplex ejus Epitaphium, alterum ſupra tumbam, alterum ſupra lapidem ſepulcralem in crypta Eccleſiæ Cathedralis, cum amplo ejuſdem Præſulis elogio.

Digitized by Google

D. O. M.
EUGENIUS ALBERTUS D'ALLAMONT
Comes de Brandeville, Toparcha de Malandry &c.
ex nobili Canonico Cathedralis Leodienſis creatus Ruræmundenſis Præſul V.
Dein
Vacantis Eccleſiæ Sylvæducenſis Vicarius Apoſtolicus,
Demum Gandavenſis Epiſcopus IX.
Quia mortem ſemper præ oculis habuit,
Hoc viventi ſibi ſepulchrum condidit.
Artem & pretium addidit,
Ut eſſet non ſibi,
Sed ſuæ Eccleſiæ ornamentum.
Diſce Viator,
Ne præoccuperis a morte,
Illam ſemper præ oculis habere.

Alterum Epitaphium in cryptâ.

D. O. M.
Quo primùm vixit,
ultimumque Deo & Eccleſiæ ſuæ mortuus eſt:
Illuſtr. ac Reverend. Domini
EUGENII ALBERTI D'ALLAMONT
Ruræmundenſium V.
Gandenſium IX Epiſcopi
Cor hic ſitum eſt,
Reliquum cadaver Madritum ſibi vindicat,
Quò cum Pontificis Regiſque conſenſu
Feſtinavit, Deo duce, comite virtute,
Ut commiſſum ſibi ovile
Re & factis, non verbis aut ſpecie tueretur.
IV. Kalend. Sept: CIϽ. IϽ. C. LXXIII.
Antè ablatus eſt, quam providentia divina
Optatis ejus reſponderet.
Ut pace perfectâ perfruatur,
Quiſquis tranſis, Deum precare.

In memorato Lapide Sepulchrali poſita ſunt utriuſque ejus Stemmatis Paterni ac Materni nomina ac inſignia. Hæc Paterni: *Allamont, Pavant, Guſtine, Fiquemont, Lenoncourt, Haraucourt, Choiſeuil, Roye.*

Illa verò Materni: *Merode, Warfuſée, Thiſiant, Ghiſtelles, Harchies, Wiſſecq, Liedekercke, Vander Gracht.*

Tumba, quæ proxima eſt Altari majori ad cornu Euangelii, præſtantiſſimi eſt operis Authore Petro Del cour Architecto. Exhibet illa Præſulem *Allamontium* genuflexum: ab ejus dextro latere B. Virginem Deiparam, à ſiniſtro Miſericordiam.

Defunctum Antiſtitem funebri oratione laudavit Gandavi die 14 Januarii 1674. Antonius d'Aubremont, Ord. FF. Prædicatorum S. Th. Doctor in Academiâ Lovanienſi.

Hoc ſibi lemma appropriaverat Epiſcopus *Allamontius*: *Patiens eſto.*

NICOLAUS FRENCH Hybernus, hoc quidem Catalogo recenſetur ſed tantùm veluti Epiſcoporum Gandavenſium Suffraganeus, ac Vices gerens. Academiæ Lovanienſis quondam Alumnus ac Theologus, Collegio Paſtorali Hybernorum ibidem curâ S. R. E. Cardinalium Congregationis de Propagandâ Fide erecto, Præſes datus eſt, at poſt breve tempus in Patriam ſuam ad curam animarum & vineam Domini excolendam rediit Miſſionarius.

Anno 1648 ab Innocentio X Pont: conſtitutus fuit Epiſcopus Eccleſiarum Fernenſis & Lagninienſis, unitarum ſub Metropoli Dublinienſi in Hybernia; inſuper in eodem Regno Concilii Eccleſiaſtici ſenator, ac pro orthodoxæ fidei conſervatione aliiſque negotiis à Clero Hybernico ad eundem Papam Innocentium deputatus, Romæ inter Prælatos Aſſiſtentes à ſanctiſſimo Domino fuit cooptatus.

Dum in Hybernia degeret, omni curâ ac ſollicitudine gregem ſuum pavit, Catholicos in fide firmavit, hæreticos tum verbo tum ſcripto profligavit; verbo, *virtutem in anguſtiis*, periculis, ac perſecutionibus comprobavit. Interim ab hæreticis ad carceres vel ipſam fortè mortem quæſitus, exulare cogitur, quinto regiminis ſui anno. Ac primò quidem in Hiſpania apud Archiepiſcopum Compoſtellanum profugus hæſit aliquamdiu, hinc in Gallia apud Joannem Franciſcum Gondium S. R. E. Cardinalem Archiepiſcopum Pariſienſem, demum in Flandria apud Eugenium Albertum Allamontium Epiſcopum Gandavenſem, quibus in ſpiritualibus ac pontificalibus indefeſſam operam navavit, ab iis viciſſim in adverſitatibus fraternâ ſollicitudine ſuſtentatus.

Gandavi uſque ad mortem moratus eſt, quæ illi obtigit die 23 Auguſti 1678, ætate 74 annorum in continuis pænè moleſtiis tranſactâ, ſepulturam habet in choro Eccleſiæ Collegiatæ SS. Nicolai ac Pharaildis, ad pedem majoris Aræ, ſub lapide marmoreo ſepulchrali virtutum ejus elogia continente, hiſce verbis.

Siſte Viator,
Audi, lege, luge.
Jacet hic
Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Dominus
NICOLAUS FRENCH

Fer-

Digitized by Google

Fernenſium in Hybernia Epiſcopus humilis,
Sacræ Capellæ Pontificiæ Comes Aſſiſtens
Supremi Concilii Regni Hyberni
Conſiliarius
ab eodem ad Innocentium X *Papam*
cum authoritate Deputatus.
Illuſtriſſimorum ac Reverendiſſimorum
Epiſcoporum
S. Jacobi in Gallicia,
Pariſienſis in Gallia,
ac demum Gandenſis in Flandria
Coadjutor indefeſſus.
Hæreſiarcharum ac hæreticorum
tam verbo quam calamo profligator
acerrimus
Collegii Paſtoralis Hybernorum Lovanii
Alumnus, Magiſter, Præſes, Benefactor,
Fundator ibidem Burſæ 180 *florenorum*
annue
in perpetuum pro capacioribus ingeniis.
Exulatus a dilectis, Patriâ, Epiſcopatu
& grege
ob fidem Annos XXV. *Præſul emeritus*
Emenſis pro Eccleſia Dei innumeris
periculis ac perſecutionibus,
Cunctis ſemper gratus, omnibus ſpectabilis,
Non ſine magno Patriæ ſuæ præjudicio
Bonorumque ſuſpiriis ac lacrymis,
Hoc marmore tegitur.
Verè fuit
anIMo pontIfeX, Verbo angeLVs, Vitâ
ſaCerDos.
Obiit Gandavi Metropoli Flandriæ
Ætatis LXXIV, *Epiſcopatûs anno* XXX
Incarnationis Dominicæ M. DC. LXXVIII
Menſis Auguſti die 23.
Requieſcat in pace.

Symbolum illi erat: *Virtus in anguſtiis.*

Oratione funebri Præſulem hunc laudavit Gandavi, Thomas Stapletonus J. U. Doctor in Academia Lovanienſi, die 19 Julii 1679, funeralia ſolemniter peragente Ampliſſ. Abbate S. Petri Gandavi, in memorata Eccleſia Stæ. Pharaildis.

Digitized by Google

FRANCISCUS VAN HOORNBEECK.

X. Epiſcopus.

FRANCISCUS VAN HORENBEECK Bruxellenſis, J. U. Licentiatus, anno 1676 decimus Gandavenſium Epiſcopus deſignatus eſt. Patrem habuit Franciſcum Van Horenbeeck, in Curia Brabantinâ egregium Cauſſarum Patronum: Matrem Claram Van Voſſum. Abſolutis in Academia Lovanienſi jurium ſtudiis, præbendam illic in Eccleſia Collegiata D. Petri obtinuit; cujus fuit per annos viginti Canonicus, & per binos, cum poteſtate gradus Academicos conferendi Decanus; Præſes quoque Collegii de Craendonck in eâdem Academia, & Examinator ac Judex Synodalis.

Solemni ritu inauguratus eſt Gandenſium Epiſcopus, Bruxellis in Eccleſia P P. Auguſtinianorum die 25 Julii 1677, conſecratore Alphonſo de Berghes Archiepiſcopo Mechlinienſi, coadjuvantibus Franciſco de Baillencourt Brugenſi, & Reginaldo Cools Ruræmondenſi, Epiſcopis Comprovincialibus. Solemnem fecit introitum 5 Auguſti ſequentis.

Vix Epiſcopali oneri humeros ſubmiſerat *Franciſcus*, cum per Gallos Civitas ejus Gandavenſis eodem anno 1677 occupata eſt, ac plura Diœceſi huic detrimenta bellum concomitantia evenerunt. Inter hæc tamen erigere cæpit Seminarium Epiſcopale, a ſucceſſore ejus Alberto de Hornes perfectum.

Maligna tandem ac diuturnâ febre correptus, vivendi finem fecit in flore ætatis ſuæ, anno nimirum quadrageſimo nono, die 4 Januarii 1678, Sepultus in crypta ſuæ Cathedralis Eccleſiæ, ſed abſque Monumento aut Epitaphio.

Ejus Orationem funebrem habuit Gandavi in Eccleſia Cathedralis die 27 Aprilis 1679 Eximius Pater *Antonius Daubermont* Ord. FF. Prædicatorum, S. Th. Doctor in Acadamia Lovanienſi.

Symbolo utebatur; *Facere & docere.*

IGNA-

Digitized by Google


ILLUSTRISS. AC REVERENDISS.
DOMINUS
D. FRANCISCUS VAN HOORNBEECK
X. EPISCOPUS GANDAVENSIS

Digitized by Google

Digitized by Google


ILLUSTRISS. AC REVERENDISS.
DOMINUS
D. IGN. AUG. DE GROBBENDONCK
XI. EPISCOPUS GANDAVENSIS

IGNATIUS AUGUSTINUS DE GROBBENDONCK.

XI. Epiſcopus.

IGNATIUS AUGUSTINUS DE GROBBENDONCK J. U. Licentiatus, ex perilluſtri atque antiqua familia oriundus, Nonus antea Epiſcopus Namurcenſis, fit undecimus Gandavenſis anno 1679.

Natus eſt anno 1625 Sylvæducis Patre Generoſo Viro Antonio Comite de Grobbendonck, Barone de Weſemael &c: qui cum eam Civitatem a Batavis obſeſſam anno 1629 ſtrenuè defendiſſet, à Rege Catholico dein præfectus fuit Urbi Lovanienſi, quam pari vigilantia, (ſed meliore ſucceſſu) propugnavit anno 1635 contra Fœderatos Gallorum ac Batavorum exercitus. Vir ille, primâ ſuâ Uxore Barbarâ de Kerreman Sylvæducis ſine prole defunctâ viduatus, Secundis nuptiis duxit Mariam de Malſſem, Præſulis noſtri Matrem.

Ignatius Auguſtinus, ſecundo-genitus, eccleſiaſtico ſtatui adſcriptus, litteris humanioribus egregiè excultus, obtentâque in Academia Lovanienſi juris utriuſque laureâ, fit primum Canonicus Cathedralis Eccleſiæ Tornacenſis, cujus dein Archidiaconus extitit, atque Vicarius generalis, tum vivente Epiſcopo Franciſco Ganda-Villano, tum etiam ſede vacante. Quin etiam fuit anno 1665 a Capitulo ſuo Regi Catholico pro eâdem Cathedrâ Tornacenſi præſentatus.

Eugenio Alberto d'Allamont à Ruræmondenſi Cathedra ad Gandavenſem tranſlato, ſucceſſor ab Aulâ Madritenſi denominatus fuit Grobbendonckius: ac paulo pòſt in locum Alphonſi de Berghes ad Tornacenſem Epiſcopatum nominati, ipſe ad Archiepiſcopatum Mechlinienſem deſtinabatur. Sed Virum hunc infulis digniſſimum, variatæ temporum circumſtantiæ aliquamdiu ab infulis removerunt.

Tandem meliore ſucceſſu ad Epiſcopatum Namurcenſem nominatus eſt eodem ann. 1667, quem Joannes de Wachtendonck ad Archiepiſcopatum Mechlinienſem promotus vacantem reliquerat. Tum die 14 Aprilis 1669 Pontificio diplomate Clementis IX confirmatus, & procuratorio nomine poſſeſſionem adeptus menſe Majo, die 12 ejuſdem menſis Antverpiæ ſacris infulis inauguratus fuit in ſacello ſororum Carmelitarum.

Sacræ huic functioni operatus eſt Marius Ambroſius Capello Ord. Prædicat. Epiſcopus Antverpienſis, coadjuvantibus Eugenio Alberto d'Allamont Epiſcopo Gandavenſi, & Nicolao French Fernenſi in Hybernia Epiſcopo, qui è ſede ſuâ per hæreticos deturbatus, Gandavi reſidebat.

Officia propria ſanctorum Diœceſis Namuranæ, ad normam Decretorum Apoſtolicæ ſedis regulata, anno 1670 in Congregatione Synodali publicavit, variaque alia laude digna ibidem præſtitit, donec anno 1679 poſt regimen novennale à Namurcenſi Cathedra transferretur ad Gandavenſem. Tum Romæ in ſacro Cardinalium Conſiſtorio confirmatus ab Innocentio XI Pont. die 15 Septembris, ſequenti die 26 Decembris poſſeſſionem Eccleſiæ Gandavenſis adiit, & ſequenti die 8 Januarii Urbem ingreſſus eſt.

Sed cum multa ſibi ex hujus Præſulis regimine proſpera atque felicia augurarentur Gandenſes, æſtuanti febre correptus interiit Gandavi die 31 Maii anni 1680, ætatis ſuæ 55. Sepultus fuit in crypta ſuæ Cathedralis, ſed abſque Monumento aut Epitaphio.

Symbolo utebetur: *In labore quies.*

Habuit hic Præſul Fratrem Lancelottum Comitem de Grobbendonck Baronem de Weſemael, Dominum de Durbuy; Heyſt, Tilborgh &c: Mareſchallum Hæreditarium Brabantiæ: qui Ducatûs Luxemburgenſis, & Territorii Ultra-Moſani pro Rege Catholico Gubernator & Capitaneus generalis, anno 1664 in fata conceſſit. Sororem quoque habuit Iſabellam Claram Eugeniam, Abbatiſſam Monaſterii de Camerà Ordinis Ciſtercienſis juxtà Bruxellas, quæ in provecta ſenectute obiit anno 1710.

Digitized by Google

ALBERTUS DE HORNES.

XII. Epiſcopus.

ALBERTUS DE HORNES Comes de Hautekercke, J. U. Licentiatus ac S. T. B. F. in Academia Lovanienſi: ex Canonico Eccleſiæ Collegiatæ Luthoſanæ, factus anno 1672, Præpoſitus Cathedralis Eccleſiæ Gandavenſis: cujus deinde conſtitutus fuit Duodecimus Antiſtes, ſacris infulis initiatus Gandavi in Eccleſia Cathedrali anno 1681 die 22 Julii, per Alphonſum de Berghes Archiepiſcopum Mechlinienſem, aſſiſtentibus Franciſco de Baillencourt Brugenſi, ac Joanne Ferdinando de Beughem Antverpienſi Epiſcopis.


Splendori natalium ſuorum, quos traxerat à Philippo Comite de Hornes, Hautekercke &c. & Dorotheâ de Ligne, ſuperaddidit virtutis, prudentiæ ac pietatis ornamenta: ſubditos ſuos verbo & exemplo erudiens, & ad aſſiduam Legis Domini meditationem adhortatus.

Quos cum per annos tredecim provide gubernaſſet ex viſitatione Parochiarum Poldris adjacentium reverſus, æſtuanti febre correptus è vita diſceſſit die 4 Junii 1694 ætatis 54 ann. Sepultus in crypta, ſive Eccleſia ſubterraneâ D. Bavonis, abſque Epitaphio, aut lapide ſepulchrali.

Symbolum illi erat: *Lex tua meditatio mea eſt*, ex Pſ. 118.

Magnificis operibus exornavit Epiſcopium: nullibi tamen apponi ſua inſignia paſſus eſt, uti nec, dum viveret, ſe depingi: & quæ in Epiſcopio ipſius eſt effigies, illa eſt, quam poſtquam piè exhalaſſet ſpiritum, efformavit Pictor.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


ILLUSTRISS. AC REVERENDISS.
DOMINVS
D PHILIPPUS ERARDUS VANDER NOOT.
XIII. EPISCOPUS GANDAVENSIS.

PHILIPPUS ERARDUS VANDER NOOT. XIII. Epiſcopus.

PHILIPPUS ERARDUS VANDER NOOT J. U. Licentiatus, Bruxellis natus 6 Februarii 1638, ex nobili & perantiquâ familiâ oriundus, quæ à quinque ſæculis nota, plures Urbium & Exercituum Præfectos, Cancellarios, Legatos Curiæ Feudalis, pro Rege Locum-tenentes, Senatores &c: protulit, Patrem habuit Ægidium Toparcham de Carloo, Matrem Annam de Leefdael, Baroniſſam de Hauterive, Fratres vero Rogerium Waltherum Baronem de Carloo Deputatum Ordinarium Nobilium Brabantiæ Ordinum, Urbis Bruxellenſis Conſulem &c: Joſephum Ducem Cohortis, Maximilianum Claudium Arcis Vilvordienſis Gubernatorem.

Philippus Erardus eorum primo-genitus, humanioribus litteris Antverpiæ imbutus, Philoſophiâ Lovanii in Pœdagogio Lilii, Juriſprudentiâ Duaci, ſtatuique clericali adſcriptus, primò præbendam Eccleſiæ Collegiatæ D. Petri in Anderlecht obtinuit, poſtmodum ad Canonicatum Nobilium Graduatorum in Metropolitanâ Mechlinienſi electus, ejuſdem Eccleſiæ primo Archi-presbyter, dein anno 1689 Præpoſitus fuit conſtitutus, ac paulò poſt Diœceſis Mechlinienſis, ſede vacante per obitum Alphonſi de Berghes, Vicarius generalis: inſuper fuit ad Exercitus Regios in Belgio Vicarius Apoſtolicus Delegatus.

Demum nominatus à Carolo II Hiſpan. Rege ad Infulas Gandavenſes, atque ab Innocentio XII. Pont: confirmationis diploma die 1 Decembris 1694 adeptus poſſeſſionem ſequenti 4 Decembris accepit. Tum ſolemni ritu inauguratus fuit Bruxellis in Palatio Archiepiſcopali 27. Decembris 1694 ab Illuſtriſſ. Mechlinienſi Antiſtite Humberto Guillielmo à Precipiano aſſiſtentibus Joanne Ferdinando de Beughem Antverpienſi, & Reginaldo Cools Ruremondenſi Epiſcopis.

Anno 1715 honorificâ (laborioſâ tamen in mediâ hyeme provectâque ætate) Legatione functus eſt ad Auguſtiſſimum Cæſarem Carolum VI Belgii Principem, ab Ordinibus Flandriæ Deputatus; tum ut ſacræ Cæſareæ Majeſtati de adeptâ Patriæ poſſeſſione gratularetur, tum ut ejuſdem protectionem imploraret. In Aulâ Viennenſi exiſtens, pontificali ritu celebravit die 22 Aprilis 1716 anniverſarias exequias Joſephi I Cæſaris, coram Sereniſſimâ ejus matre Eleonorâ Imperatrice, totâque Aulâ. Demum rebus commiſſis feliciter expeditis, à Cæſare honorificè dimiſſus, & cruce pectorali ex auro gemmiſque conflatâ donatus, in patriam eodem anno 1716 incolumis rediit.

Sequente anno, die 28 Octobris, ſui ſacerdotii Annum quinquageſimum primum, Epiſcopatûs vigeſimum ſecundum ſolemni Jubilo celebravit, Sacroſancto Miſſæ ſacrificio, piæque ad populum exhortationi ritè operatus, coram Canonicis, Archipresbyteris ſuæ Diœceſis numeroſâque amicorum Caterva, quos omnes dein ſumptuoſo convivio excepit.

Mortis ſuæ jam pridem memor, vivens ſibi tumbam marmoream erigi curavit in Eccleſia ſua Cathedrali, in ſacello B. Mariæ, ad radios retrò Chorum cum hac inſcriptione.

D. O. M.
Memoriæ
Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini
D. P. E. VANDER NOOT,
XIII *Epiſcopi Gand.*

Repræſentatur illic Præſulis ante ſtatuam Chriſti flagellati requieſcentis effigies marmorea, ſimulque adjunguntur Inſignia utriuſque ejus ſtemmatis; paterni ſcilicet ſunt quarteria ſequentia. *Van der Noot*, *Hinckaert*, *Enghien*, *Berchem*, *Manny*, *Bernart*, *De la Croix*, *Fourneau*. Materni verò ſtemmatis ſunt hæc: *Leefdael*, *Gavre*, *Schoonhove*, *Van der Elſt*, *Eynatten*, *Buſleyden*, *Van Schore*, *Van der Noot*.

Symbolum hujus Præſulis eſt: *Reſpice finem.*

Obiit Gandavi in ſenectute bonâ, die 3 Februarii 1730 annos natus prope 92. Sepultus in Eccleſia ſua Cathedrali, ſolemnes exequias peragente Illuſtriſſ. D. Van Suſteren Epiſcopo Brugenſi. Defuncti Præſulis laudes Oratione funebri, typis editâ proſecutus fuit R. P. Joannes Baptiſta de Five ſocietatis Jeſu, ſcholarum Præfectus.

Digitized by Google

JOANNES BAPTISTA DE SMET.

XIV. Epiſcopus.

JOANNES BAPTISTA DE SMET, Lokerenſis, è celebri Terræ Waſianæ in Flandria Municipio oriundus, ad nativam Diœceſim anno 1730 Epiſcopus rediit, vigore Litterarum Nominationis Sereniſſimæ Archiducis Mariæ Eliſabethæ Belgii Gubernatricis. Fuerat antea per annos novem XV. ac laudatiſſimus Iprenſium Epiſcopus; olim verò in Academia Lovanienſi Primus in Promotione Generali in ſcholis Artium, dein ibidem S. Theol. Licentiatus, Philoſophiæ Profeſſor in Pœdagogio Caſtri, tum Bruxellis in Eccleſia Collegiata S. Gudulæ Plebanus, atque ab anno 1705 electus Canonicus Graduatus Eccleſiæ Metropolitanæ atque Primatialis S. Rumoldi Mechliniæ, nec non ibidem Præſes digniſſimus Seminarii Epiſcopalis per annos quindecim, & per annos quatuor Pœnitentiarius.

Dum hæc ſcribimus, Litteras Apoſtolicæ Confirmationis à SS. Domino Clemente XII indies expectat. Plura de hujus meritiſſimi Præſulis Encomiis ac dignitatibus vide infra ſuo loco in ſerie Epiſcoporum Iprenſium. Plura experientur ſuo tempore Diœceſani ejus Gandavenſes.

Eccleſia Cathedralis D. Bavonis, ante D. Joannis Baptiſtæ, SS. Vedaſti & Bavonis.

ECCLESIA D. Joannis Baptiſtæ, nunc Cathedralis, & D. Bavoni ſacra, uti dignitate ac ſplendore, ita vetuſtate cæteras Gandavenſes antecellit. Olim non illius Divi ſolum, ſed Deiparæ etiam Virginis, Bavonis quoque, & Vedaſti titulum geſſit. Eximia prorſus, auguſtaque ejus fabrica eſt, ſplendidiſſimis quibuſvis Europæ Baſilicis comparanda, & ſi antrorſum ad triginta fortè pedes protendatur, anteferenda etiam. Nuſquam arcta, humilis, obſcura: ſed vitrorum fulgore lucida, lætum introeuntibus adſpectum præbet. Eam anno 941. Tranſmarus Epiſcopus legitur dedicaſſe. Cryptam amplitudine, ſacellis, columnarum ſerie nulli toto Belgio ſecundam Balduinus & Arnulphus Comites inſtruxere, alii id gentis Vilaniæ, ſeu à Gandavo, in Belgio, ut prioribus libris oſtendimus, nobiliſſimæ opus aſſerunt. Quidquid ſit: Gerardus Vilanus à Gandavo, qui uxorem habuit Eliſabetham, Comitis S. Pauli filiam, ingente ſumptu reſtauravit, ibidem conditus. Chorum altà concameratione, auguſta Sacellorum coronà Senatus ann. 1228 alii, ut Vaernewicus, 1274 erexit. *Pronaon* ſtupenda mole ſub ævum Caroli Cæſaris adjectum. Fundamenta turris jacta 1462 vigeſimà ſextà Maii pridie Dominicæ Aſcenſionis per Abbatem Blandinienſem, hujus olim eccleſiæ patronum, Nicolao vander Zickele, & Joanne Huyſſe Coſſ. Eidem impoſita crux anno 1535 per Joannem de Somere Architectum Gandavenſem. Bis Comitia velleris aurei hac in Eccleſia celebrata ſunt. Primum anno 1445 ab ejus auctore Philippo Bono Burgundiæ Duce: in quibus, cum hactenus ea Feriis B. Andreæ ſacris habita fuiſſent, ſtatutum eſt, ut deinceps non niſi ſecundà Maii cogerentur, nec triennio frequentius. Creati equites, Alfonſus Rex Aragonum; Franco Borſalienſis Oſtrevantii Comes; Reginaldus Bredenrodii Toparcha; Henricus Borſalienſis Verienſis Regulus; Joannes Dominus du Ber & d'Auxy; Andreas Humierius, & alii. Rurſus anno 1559 à Philippo II. Rege Catholico 25 Julii, quæ poſtremæ vices ejus ſolemnitatis in Belgio fuere, creati equites Franciſcus Secundus Galliæ Rex; Guido Baldus Dux Urbinatium; Philippus Montmorenciacus Hachicurii Toparcha; Marcus Antonius Columna Dux Palianus; Balduinus Lannoyus Torcoingii Regulus; Gulielmus Croius Marchio Rentiacus; Florentius Montmorenciacus Toparcha de Montigny, Philippus Comes de Linge; Carolus Lanoius Princeps Sulmonenſis; Antonius Lalanus


Digitized by Google




Digitized by Google

Digitized by Google

Tom. 1. pag. 239.





Digitized by Google

lanus Comes Hoochſtratanus, & Joachimus Nieuhauſius Bohemiæ Cancellarius. In eadem eccleſia anno ſæculari biſſextili 1500 Carolus ejus nominis Quintus, poſt Romanorum Imperator, Nonis Martii ſacro fonte ablutus eſt. Ceremonias ejus rei, in Chronico ſuo deſcribit Ferreolus Locrius. Nobilis eſt & hæc Eccleſia funeribus octo Principum (ait *Gramajus*) quatuor item Epiſcopi, Cornelius Janſenius, Wilhelmus Damaſi Lindanus, Petrus Damantius,& Carolus Maſius; Viglius Zwichemus Præſes, & Abbas ultimus Divi Bavonis, Lucas Munich, alii denique abſque numero, illuſtres viri hic tumulati ſunt. Ornamenta verò nunc hujus ædis, varia ſunt, ſacraque ſupellex, tum cleri, tum populi donatione, ſumptuoſa. Altare marmoreum in Choro etiam Patronos Eccleſiæ eleganter ſculptos exhibet; mox illi Rubeniana imago inſerenda, aliaque decora addenda ſunt. Picturæ etiam variæ à celebrioribus Belgii penicillis; una præ omnibus micat, velut inter ignes luna minores. Triumphus Agni cœleſtis eſt, quem Joannes & Hubertus ab Eyck, Pictorum coryphæi, Juſto Vitio Domino de Pamele, Patricio Gandavenſi, pretium ſolvente, elaborarunt. De hac imagine Vrientius illud Epigramma ſcripſit:

Quis Deus ob vitium paradiſo exegit, Apelles
Eyckius, hos Vitii reddidit ære patres.
Arte, modoque pari pariter concurrere viſi,
Æmulus hinc pictor, fictor & inde Deus.

Tam vivis ea coloribus primos humani generis parentes exhibet. Maximis orbis Principibus in ea quoque Eccleſia parentatum eſt, Henrico Octavo, Angliæ Regi ſocero, & Patri Carolo per Philippum Secundum, Regem Catholicum: huic verò per Clerum & Senatum Gandavenſem anno 1599 ac nuper per eoſdem Alberto Pio Belgarum Principi, orante de heroicis viri virtutibus Georgio Chamberlino, ejuſdem eccleſiæ Decano. Unica hæc olim oppidi Gandavenſis Eccleſia parœcialis fuit. A qua cæteræ DD. Nicolai, Jacobi, Michaëlis, Minores, & vix aliud, quam ejus partes, ac membra quædam dependebant. Parochus eam cum triginta octo ſubſidiariis procurabat.

Anno 1536 inſtante Carolo V. Cæſare hoc Benedictinorum Cænobium verſum eſt in Collegium Canonicorum ſæcularium, ita ut deinceps loco Abbatis eſſet Præpoſitus ſæcularis, loco Prioris Decanus, loco Præpoſiti Cantor, loco Theſaurarii regularis unus ſæcularis, & loco Præpoſiti in Papinglo unus Scholaſticus, & præter dignitates jam memoratas viginti quatuor Canonicatus. Erant autem illo tempore viginti Monachi ſub Abbate Luca Munich, qui mutata veſte in ſæcularem ſtatum reverſi fuêre.

Cumque locus eorum Monaſterii, licet recenter reædificati ac novâ & eleganti Eccleſia cum quatuor turribus inſtructi, Cæſari opportunus videretur conſtruendo Caſtro Gandavenſi, illi anno 1540 die 12 Maii juſſi ſunt migrare ad Eccleſiam Parochialem S. Joannis, mutatione factâ in invocationem S. Bavonis. Proinde antiquum Monaſterium ad Scaldis & Liſæ confluentem ſitum, ſolo æquatum fuit.

Exinde Philippo II Hiſpaniarum Rege Catholico Flandriæque Comite petente, Paulus IV Pont. Collegiatam D. Bavonis Eccleſiam in Cathedralem anno 1559 evexit; tribus aliis dignitatibus Archidiaconatûs, Archipræsbyteratûs, & Pœnitentiariæ ad quinque priores adjectis: ſuppreſſâque juriſdictione Epiſcopi Tornacenſis & Archidiaconi Gandavenſis, in Cathedrali Tornacenſi antea reſidentis.

Conſtituit idem Pontifex novem præbendas pro totidem Graduatis, Nobilibus, Theologis, ac Juriſconſultis, quas primâ dumtaxat vice contulit primus Gandenſis Epiſcopus Janſenius, deinceps verò factæ ſunt electivæ. Cuilibet Graduato addicta fuit penſio 100 florenorum annuè ſolvenda ab Abbatia S. Petri Gandavi, & inſuper Archidiacono penſio 50 flor.

Ex 32 præbendis prioris inſtitutionis, duæ in Erectione Epiſcopatûs addictæ fuere menſæ Epiſcopali item duæ Præpoſituræ ex quatuor dignitatibus. Ex reliquis vero 28 præbendis & Canonicatibus Rex confert ſex, quæ vocari ſolent *Dextri lateris*, reſervato ſibi jure Advocatiæ dictæ Eccleſiæ, quæ proinde etiam inſcribitur *Regalis & Exempta Cathedralis Eccleſia.*

Alias octo quæ vulgò dicuntur *ſiniſtri lateris*, alternis menſibus conferunt Pontifex & Epiſcopus, Pontifice habente Januarium. Aliam Præbendam habet Præpoſitus, quam Rex confert. Aliam Decanus, qui per Capitulum eligitur, uti& Scholaſticus, Cantor, & Theſaurarius. Cæteræ novem ſunt pro Graduatis, ex quibus Epiſcopus ſtatuit Archidiaconum, Archipresbyterum & Pœnitentiarum.

Digitized by Google

Præpoſiti Eccleſiæ Cathedralis.

I. ***Lucas Munich***, ultimus Abbas Monaſterii S. Bavonis, & primus Præpoſitus Mitratus. Obiit 18 Januarii 1562, Sepultus in cryptâ Eccleſiæ Cathedralis.

II. ***Viglius ab Ayta Zuichemius***, Friſius, Arcani Belgarum Concilii Præſes, Ordinis Aurati Velleris Cancellarius, Præpoſitus infulatus, Collegii Theologorum in Univerſitate Lovanienſi Fundator. Obiit ſeptuagenarius anno 1577 die 8 Maii, ſepultus in crypta memorata.

III. ***Maximilianus Morillon*** Lovanienſis, J. U. L. priuſquam in poſſeſſionem mitteretur, factus Epiſcopus Tornacenſis.

IV. ***Bucho ab Ayta***, Nepos præfati Viglii, antea Canonicus graduatus ac primus Archidiaconus Cathedr. Iprenſis, Deputatus à ſtatibus Eccleſiaſticis ad famoſam Pacificationem Gandavenſem, cui etiam ſubſcripſit. In ejus gratiam, conſentiente Cornelio Janſenio primo Gandavenſium Epiſcopo, jam ab anno 1576 ſtatutum fuerat novam Præpoſituram erigere. Obiit Sylvæducis die 31 Octobris 1599.

V. ***Adrianus Varæus***, Meulebecanus Flander, S. T. L. antea electus Canonicus Graduatus in Cathedrali Brugenſi, dein vero ſimiliter electus in Gandavenſi Graduatus Canonicus, Archidiaconus, & iteratis vicibus Vicarius generalis: Præpoſituræ poſſeſſionem adiit die 5 Februarii 1600. Obiit anno 1636, ætatis 97.

VI. *Nicolaus de Haudion*, J. U. L. ex Decano Præpoſitus, & anno 1641 Epiſcopus Brugenſis, ibique obiit anno 1649.

VII. ***Jacobus Rooſe***, J. U. L. & S. T. B. F. Obiit anno 1672.

VIII. ***Albertus Comes de Hornes***, J. U. L. & S. T. B. F. ex Præpoſito factus anno 1682 Epiſcopus Gandavenſis, obiit anno 1694.

IX. ***Gabriel Jacobus de la Torre & Ayala***, S. T. L. antea Decanus Eccleſiæ Collegiatæ S. Gudulæ Bruxellis. Obiit anno 1692 die 12 Januarii.

X. *Philippus Franciſcus de Croy*, Marchio de Haudion & S. R. I. Princeps, Præpoſituram deſeruit anno 1695.

XI. *Thomas Philippus de Alſacia*, Comes de Bouſſu, S. T. D. factus Præpoſitus anno 1695 & anno 1716 Archiepiſcopus Mechlinienſis, dein S. R. E. Cardinalis anno 1719. titulum S. Cæſarii accepit.

XII. *Joſephus Henricus de Caſtro*, ex Comitibus d'Eſpinoſo, antea Canonicus Teneramundanus, Præpoſituram obtinuit anno 1721.

Decani Eccleſiæ Cathedralis Gandenſis.

I. *Petrus Heuribloeq*, antea Monachus & Prior Monaſterii S. Bavonis Gandavi. Obiit anno 1539 die 5 Octobris.

II. *Joannes Lobbelius*, Bononienſis apud Morinos, J. U. Doctor ac Profeſſor in Academiâ Lovanienſi, Canonicus ibidem ad S. Petrum &c: obiit anno 1544.

III. *Joannes De Majo*, Decretorum Doctor ac Protonotarius Apoſtolicus, ex Cantore electus Decanus. Obiit anno 1563 die 20 Junii.

IV. *Marcus Stercke*, in exilium miſſus ab Hæreticis & Rebellibus Gandavenſibus: obiit Inſulis anno 1578.

V. *Clemens Crabbeels*, J. U. L. Lovanienſis, ex Canonico & Archidiacono electus Decanus Tornaci anno 1578 die 27 Septembris à Canonicis exulantibus: cum ſimul eſſet Vicarius generalis Epiſcopatûs ſede vacante. Inde factus eſt anno 1584 Epiſcopus Sylvæducenſis.

VI. *Petrus Damant*, J. U. D. poſſeſſionem cepit die 22 Januarii 1585 poſtmodum anno 1589 Epiſcopus Gandavenſis.

VII. *Carolus Philippus à Rodoan*, hujus Eccleſiæ Canonicus & Cantor, inde anno 1590 Decanus: poſt Epiſcopus ultimus Middelburgenſis, & quartus Brugenſis.

VIII. *Petrus Bernartus*, S. T. L. antea in Urbe Mechlinienſi Parochus Eccleſiaſtes egregius; electus Decanus anno 1600, obiit die 5 Decembris 1613.

IX *Franciſcus Del-Rio*, J. U. L. antea Canonicus, Officialis, Archidiaconus & Vicarius generalis Epiſcopatûs Gandavenſis. Obiit die 25. Auguſti 1617.

X *Georgius Chamberlain*, J. U. L. ex Decano factus anno 1628 Epiſcopus Iprenſis.

XI. *Nicolaus de Haudion*, nominatus anno 1636 Præpoſitus, ac demum Epiſcopus Brugenſis.

XII. *Franciſcus de Ghiſtelles*, J. U. L. Obiit anno 1641 in ipſo ad ſacrum Altare acceſſu.

XIII.

XIII. *Cornelius Ooms*, Gelenſis J. U. L. primo Secretarius Epiſcopi Boonen, tum Canonicus grad. Archipresbyter, deinde ex Archidiacono Decanus, obiit 12 Septembris anno 1654 ætatis 55.

XIV. *Maximilianus Van der Woeſtyne* J. U. L. ex Canonico graduato & Theſaurario Decanus, obiit anno 1669 die 2 Januarii.

XV. *Joannes Le Monnier*, J. U. L. ex Canonico graduato, Theſaurario & Officiali Decanus, obiit anno 1675.

XVI. *Judocus Ignatius Ranſt*, J. U. L. prius Tornaci, dein Gandavi Canonicus graduatus, indè Decanus; Diœceſis hujus quartò Vicarius generalis. Obiit anno 1697 ætatis 67.

XVII. *Giſlenus Schoorman*, Gandavenſis J. U. L. obiit anno 1700.

XVIII. *Joannes de Bejar* J. U. L. Toparcha de Weſtackere, Decanus & Vicarius generalis; obiit anno 1709 die 5 Aprilis, anno ætatis 88.

XIX. *Ludovicus Theodorus Baro d'Oignies*, ex Baronibus de Courrieres, Canonicus antea ac Scholaſticus Gandavenſis, Decanus Cathedralium Gandenſis atque Brugenſis, Præpoſitus Rothnacenſis, ad Comitia Statuum Flandriæ Deputatus ordinarius, &c: electus anno 1709, poſtmodum ultrò renunciavit.

XX. *Cornelius Joſephus Legier*, Artheſius S. T. L. primò Vice-Paſtor ad S. Bavonem, tum Paſtor ad S. Michaëlem, dein Præſes & S. T. Profeſſor in Seminario Epiſcopali, Canonicus graduatus & Archipresbyter, poſtmodum Archidiaconus, ac tandem electus Decanus anno 1712, Obiit biennio ſubſequente, die 7 Auguſti.

XXI. *Cornelius Janſſens*, Antverpienſis, electus in Decanum anno 1714. Anno 1720 *D. Macarius Van den Hauten* Gandavenſis J. U. L. ejus Præbendam Romæ *jure devoluto* impetravit. Hinc gravis orta eſt lis, quæ paulò poſt ceſſavit, dum dictus Dominus aliam præbendam ab Epiſcopo impetravit.

Archidiaconi Gandenſes.

I. *Clemens Crabbeels*, Lovanienſis J. U. L. primus ab Epiſcopo Cornelio Janſenio Epiſcopo Gandavenſi conſtitutus Archidiaconus Officialis, atque Vicarius generalis anno 1570. Poſt annos octo fit Decanus Eccleſiæ Cathedralis, ac demum anno 1584 Epiſcopus Sylvæducenſis.

II. *Adrianus Varæus*, S. T. L. Archidiaconus ac Canonicus graduatus, deinde Præpoſitus anno 1600. Vide ſupra.

III. *Jacobus van Daele*, S. T. L. Archidiacon. anno 1603.

IV. *Antonius Trieſt* J. U. L. dein anno 1610 Decanus Cathedralis Brugenſis, demum Epiſcopus Gandavenſis ac Brugenſis.

V. *Franciſcus Del Rio*, J. U. L. ex Archidiacono & Officiali electus Decanus anno 1613.

VI. *Georgius Chamberlain*, Canonum Licentiatus, ex Archidiacono electus Decanus anno 1617, inde Epiſcopus Iprenſis.

VII. *Guilielmus Arents*, Brugenſis S. T. L. ex Paſtore, Canonico graduato & Pœnitentiario Eccleſiæ Cathedralis, Archidiaconus; obiit Anno 1639.

VIII. *Cornelius Ooms*, Gelenſis J. U. L. ex Archipresbytero nominatus Archidiaconus 24 Martii 1639; inde electus Decanus anno 1641.

IX. *Andreas Guyart*, Duacenus S. T. L. ſucceſſit die 2. Januarii 1642, vità functus anno 1662. die 1. Julii.

X. *Robertus Van der Meulen*, Brugenſis, S. T. L. obiit 23 Octobris 1667.

XI. *Henricus Heſius*, Waſianus, S. T. L. antea ultimus Paſtor Oppidi Hulſtenſis, deſignatus Archidiaconus 22 Martii 1668, vivere deſiit 1. Julii 1676.

XII. *Judocus Croock*, Aldenardenſis S. T. L. ſucceſſit 31 Auguſti 1677; obiit 10 Martii 1688.

XIII. *Philippus Judocus van Pottelsberghe*, Teneramundanus J. U. L. obtinuit Archidiaconatum 10 Septembris 1688, fuit Deputatus Primarius ad Comitia Statuum Flandriæ, mortuus eſt 24 Maii 1694.

XIV. *Cornelius Joſephus Legier*, Artheſius ex Pollincour juxta S. Audomarum, S. T. L. ex Canonico graduato & Archipresbytero conſtitutus Archidiaconus 1. Junii 1694: electus in Decanum anno 1712.

XV. . . . . . vacat.

De Reliquiis verò, ſacriſque Cænobii S. Bavonis, & Eccleſiæ Cathedralis pignoribus non alia huc adducam, quam quæ nuper à Sereniſſimo, ac piiſſimo Belgarum Principe Alberto rogatus, probâ fide conſcripta ad eundem Principem retulit Dominus Georgius Chamberlainus, ut ante diximus, Gandenſis eccleſiæ Decanus, & nunc Iprenſium Epiſcopus deſignatus, in hæc verba:

Olim poſt Normannicam devaſtationem, Orginiam, Balduini Barbati Flandriæ Comitis uxorem, pietatis & doloris ſenſu commotam,

motam, catalogum Reliquiarum, quæ in Eccleſia S. Bavonis publicam direptionem evaſerant, ab Othelboldo tunc Abbate petiiſſe, Eccleſiæ noſtræ Annales referunt, *Sereniſſime Princeps.* Hunc devotionis ardorem, poſt ſexcentos annos, jure hæreditatis, cum regno ad Sereniſſimam Celſitudinem veſtram non deſcendiſſe, ſed ad culmen aſcendiſſe vidimus, cum nuperrimè ſimile de ſacro dictæ Eccleſiæ theſauro Breviarium, religioſa & digna Auſtriaco nomine devotione petiiſti; cui obtemperantes damus Sereniſſimæ Celſitudini veſtræ nomina Sanctorum, quorum Reliquiæ in Eccleſia quondam regulari, nunc Cathedrali civitatis veſtræ Gandavenſis, religiosè aſſervantur: plures habuimus, quas ſacrilegæ manus, temporum calamitate ſubnixæ, & avaritia armatæ, ſurripuerunt; inter illas tamen, quas Dei benignitate adhuc poſſidemus, magnæ nobis eſt fælicitatis, de regali Principum noſtrorum, & auguſta proſapia reſervaſſe, ut continuata ſucceſſione, una eademque progenies, & regnet in terris, & triumphet in cœlis.

Corpus Sancti Macarii Epiſcopi & Confeſſoris.

MAcarius nobili genere in Armenia natus, diſcipulus fuit alterius Macarii ſenioris Patriarchæ Antiocheni, & ejuſdem in dignitate ſucceſſor: hic, reſignato Epiſcopatu, patriam peregrinationis cauſa reliquit; dumque, poſt multa ab infidelibus paſſa (à quibus divinitus liberatus fuit) latere cupit, per Germaniam in Flandriam, miraculorum gloria ubique celebris, deſcendit; ubi in monaſterio Sancti Bavonis per annum circiter commoratus, dum populo peſtifera lue laboranti ſuccurrit, eodem malo corripitur, & anno milleſimo duodecimo quarto Idus Aprilis ex hac vita migravit, prædicens, ſe ultimum fore qui peſtifero illo incendio moreretur: quod & accidit; unde, graſſante ſimili infectione, merito invocatur. Hujus Sancti opem ſæpius Gandenſes experti ſunt, & noviſſimè Montenſes in Hannonia anno 1615. quod & publicis litteris teſtati ſunt, & in gratam illius memoriam, Reliquias argenteo feretro exornarunt. Hujus Sancti elevatio facta eſt quinquaginta quinque annis poſt mortem, ſub Balduino Pio, præſente filio Balduino Comite Hannoniæ, & Philippo Rege Franciæ.

Corpus Sancti Landoaldi Epiſcopi & Confeſſoris.

LAndoaldus patriâ Romanus, à Martino I. Pontifice Archipresbyter Rom. Eccleſiæ ordinatus; ab eodem cum Sancto Amando Epiſcopo Tongrenſi in Galliam Belgicam miſſus, per novem annos ejuſdem Epiſcopatus adminiſtrator, ac Sancti Lamberti Epiſcopi & Martyris præceptor, miraculis & vivus & mortuus fuit illuſtris. Inter alia, Sancto Lamberto puero prunas ardentes in linea, qua indutus erat, ſacrata veſte, quodam die adferre juſſit, quas ille illæſo ſinu portavit. Obiit anno ſexcenteſimo quadrageſimo ſexto; ſepultus in Wintershoven, Hasbaniæ pago, (poſſeſſionis monaſterii Sancti Bavonis) in quo Eccleſiam extrui curaverat, ibidemque, poſt paucos annos, propter miraculorum evidentiam, è terra elevatus: unde poſt Normannicam vaſtationem, anno nongenteſimo octuageſimo ad Monaſterium Gandenſe tranſlatus, & poſt duos annos ſub Landulpho Epiſcopo Tornacenſi iterum ſolemniter fuit elevatus, ac in Eccleſia ad publicam venerationem honorificè collocatus.

Corpus S. Brictii pueri Martyris.

FIlius fuit nobilis & religioſæ matronæ Craphaildis, quæ S. Livinum Archiepiſcopum Scotiæ & martyrem apud Eſcham, villam territorii Aloſtenſis, hoſpitio ſuſcepit: & dum S. Livinum innocenter occiſum conqueritur, eodem die, quo dictus Sanctus, una cum filio ſuo Brictio, immaniter trucidata eſt.

Corpus S. Vincianæ Virginis.

SAncta Vinciana Romana, Sancti Landoaldi ſoror, cum ipſo ex Italia venit in Galliam Belgicam, circa annum ſexcenteſimum trigeſimum tertium: poſt decem annos plena bonis operibus migravit ad Dominum; ſepulta in Wintershoven: & poſt trecentos triginta ſeptem annos ad eccleſiam Sancti Bavonis, concedente Joanne XIV. Pontifice, & Othone II. Imperatore, ſolemniter cum aliis tranſlata.

Corpus S. Pharaildis Virginis.

FIlia fuit Theodorici Lotharingiæ Ducis & Amelbergæ, filiæ ſororis Pipini Principis; fratrem habuit materno ex latere Embertum Epiſcopum Cameracenſem, ſorores D. Gudulam & Reynildim: edu-

educata in pietate & Dei timore à Beata Gertrude ſua cognata, quæ ipſam è ſacro fonte levaverat: maritum habuit, ſed virginitatem ſervavit; obiit nonagenaria; ſepulta in Lotharingia, unde anno ſeptingenteſimo quinquageſimo quarto, Agilfridus Epiſcopus Leodienſis, idemque à Stephano Papa creatus Abbas S. Bavonis, Roma veniens, corpus ad ſuam Eccleſiam Gandavenſem attulit.

Corpus S. Landradæ Virginis.

GEnus duxit ab illis, qui olim in Gallia Majores domus vocabantur; floruit tempore Martini primi Pontificis & Clodovæi Francorum Regis, cui & ſanguine fuit juncta, filia (ut quidam tradunt) Caroli Martelli Brabantiæ Ducis: hæc, ſpretis nuptiis, totam ſe pauperum ſervitio, labori manuum, orationi & vigiliis dedit, poſtea intra domeſticos parietes, ſe unius cellulæ clauſit anguſtiis, donec concupitam Eremum, reclamantibus parentibus, ingreſſa, breve tugurium manu propria erexit, in quo admirandam in abſtinentia, & continua adverſus dæmones lucta vitam tranſegit: tandem divinitus admonita, in dicta ſolitudine Eccleſiam extruxit, quam S. Lambertus Leodienſis Epiſcopus in honorem beatiſſimæ Virginis Mariæ conſecravit, ibidemque ipſam Virginem Collegio præfecit, inter quas D. Amelbergam, Beatæ Gertrudis ex fratre neptem, in pietate educavit: poſt mortem ſepeliri voluit in Wintershoven, ſed, obſtante populi voto, Beliſiæ in ſuo monaſterio ſepulta fuit, fruſtra renitente Sancto Lamberto; quare indicto triduano jejunio, divinam voluntatem inquirunt, & aperta tumba; corpus tranſlatum, & Angelorum miniſterio in Wintershoven ſepultum reperiunt; inde anno nongenteſimo octuageſimo ad Abbatiam S. Bavonis tranſlatum.

Corpora Sanctorum Bavonis, qui feretro aureo ante Iconoclaſtiam clauſus erat, & Livini, & magna pars corporis S. Barbaræ Hæreticorum furore ſunt ſublata.

Porrò inter Sanctorum Reliquias, quæ adhuc in eccleſia noſtra extant, præcipuè numerantur: Diverſæ portiones de ligno S. Crucis. Particula de capite S. Joannis Baptiſtæ. De S. Stephano Protomartyre. De S. Jacobo. De S. Chriſtophoro. De Brachio S. Blaſii Epiſcopi & Martyris. De Brachio S Judoci. Aliquot capita de undecim millibus Virginum.

Item exigua fragmenta de SS. Philippo, Bartholomæo, Matthæo, Marco, Laurentio, Clemente, Nicolao, Apollinare, Quintino, & aliis.

Hæc ſunt, Sereniſſime Princeps, quæ Calviniſtarum impietati ſubtraximus, & pro tenuitate noſtra priſtino cultui reſtituere conamur: quod ſi de dictarum Reliquiarum portionibus aliqua, vel de ſtatis & annuis ſacrificiis devotioni veſtræ poſſumus ſubſervire, & ſanctis cedet ad honoris augmentum, à tam religioſo Principe venerari, & nobis ad immortalem gloriam, in Eccleſia, quam Principis Auſtraſii denominatio conſecrat, quam Caroli Magni propago ſanctificat, quam Caroli Quinti baptiſma exornat, æternam nominis veſtri memoriam celebrare.

Eccleſia Collegiata D. Pharaildis.

COllegiata B. Pharahildis Eccleſia (quæ nuper conſenſu Principum ad Parochialem D. Nicolai migravit, adnitente Flandrorum Comite Arnulfo, juxta novam arcem Comitis ejuſdem, à Balduino Ferreo, ut Gramajus arbitratur, conditam,) anno 912 ſtrui cœpit, ac receptaculum profugi à clade Normannica Cœnobii Bavoniani fuit; unde cum ad antiquas ſedes circa annum 940. Monachi redirent cum ſacris Divorum lipſanis: Arnulfus Marchio (verba ſunt Chronici Bavonenſis) Eccleſiam ſuam in novo Caſtello ædificatam, cernens tantis pignoribus viduari, impetravit à B. Gerardo articulum S. Bavonis, & Reliquias B. Pharahildis: eâ videlicet lege, ut Eccleſiæ Clerus annuam peregrinationem ad D. Bavonis perſolveret, quod multis ſæculis factitatum fuit. Fuit hæc Eccleſia domeſticorum Comitis & incolarum atrii Palatini ab antiquo Curialis, & ad ſervandas eorundem præcipuè Divorum Reliquias, in ea Clericos cum Præpoſito, in Canonicale Collegium haud multo poſt evectos, idem Arnulphus Marchio inſtituit. In tranſlatione porrò harum Reliquiarum anno CIↃ CLXXIII facta, *expoſcentibus Eccleſiæ Canonicis, Remleno, Azone, Fulcrone, Otgero, Meinardo per Folcardum Blandinii & Sigerum Gandenſem Abbates; Teſtes adſcripti Folcardus Caſtellanus & Lantbertus, ejuſque frater Stephanus, cum copioſa utriusque ſexus multitudine, & duorum Cænobiorum con-*

congregatione. Anno etiam 1336 portione Reliquiarum S. Bavonis, & Pharaildis in Eccleſia novi Caſtelli, nunc Comitis Caſtellani nominati, in novo portu Gandenſi ſuper ripam fluminis Legiæ ſita, & in honore Sanctorum prædictorum olim fundata, tranſlatæ ſunt de veteri ſcrinio in novum per venerabilem Patrem Dominum Andream Epiſcopum Tornacenſem, poſtea S. R. E. Cardinalem, præſente venerabili viro Magiſtro Joanne de Portali, Archidiacono Tornacenſi, ac plurimis aliis venerabilibus presbyteris diverſæ dignitatis, ejuſdem Tornacenſis Eccleſiæ Canonicis, nec non Religioſis etiam perſonis, D. Henrico de Muda Priore, & Balduino Borluyt Præpoſito Gandenſis Cœnobii, reverenter eo directis à venerabili viro D. Gerelino Borluyt, prædicti Cœnobii Abbate; qui prædictæ tranſlationi intereſſe, à Domino Martino ſupradictæ Eccleſiæ Præpoſito, & ejuſdem Eccleſiæ Canonicis diligenter requiſitus fuerat, ſed præ nimia infirmitate ſua ibidem adeſſe non valuit. Aliam quoque tranſlationem earundem Reliquiarum anno 1073 factam narrat idem Chronicon in hæc verba.

Anno 1073. portiones reliquiarum S. Bavonis, Sanctæque Pharahildis, à S. Gerardo Abbate Cœnobii Gandenſis, Arnulpho magno Flandrenſium Comiti gratioſe dudum conceſſæ, in eccleſia novi Caſtelli, ſuper ripam fluminis Legiæ in fiſco Gandenſis Cœnobii ſita, & in præfatorum S S. Bavonis & Pharahildis honorem olim fundata, tranſlatæ ſunt per Radbodem Noviomenſem Epiſcopum, præſentibus Sigero Gandenſi, & Folcardo Blandinienſi Abbatibus. Hanc tamen ego tranſlationem eandem puto, quam 1173 factam ante legimus, iidem enim iſtic nominantur Abbates. Quam fuerit autem olim Principibus Flandriæ carum hoc D. Pharahildis Collegium, vel unicum Philippi Boni anno 1459. xv. Decembris Bruxellæ datum Diploma oſtendit. In eo enim Princeps ille, poſtquam de egregio prædeceſſorum ſuorum in eam Eccleſiam adfectu multa dixiſſet, eam cum omni ſuo peculio, in ſpecialem tutelam, ac protectionem ſuam ſuſcipit, immunem ab oneribus publicis declarat: omnibus denique ſibi ſubditis mandat, ut eam in ſuis libertatibus ac privilegiis foveant, ac tueantur. Cæterum hujus Eccleſiæ monumenta vetuſtatis, ultimo incendio, aliaque decora ultimis his bellorum tumultibus perierunt. Conſtat tamen opulenta admodum & honorifica olim fuiſſe hujus Eccleſiæ Sacerdotia; nunc terrarum inundatione, aliiſque cladibus imminuta, ob venerabilem ejuſdem inſtituti antiquitatem, Procerum munificentiam, Principumque favorem, ac liberalitatem promerentur. Habet D. Pharahildis Eccleſia Præpoſitum, cum duodecim Canonicis, plures itidem Capellanos. Præpoſitos ejus aliquot primæ famæ viros invenio Joannem Ghiſtellanum, Petrum Roberti Comitis Capellanum (Oratorii Principis præfectus is fuit) in ea Eccleſia Præpoſitus quoque fuit anno 1435. *M. Joannes Cuelsbrouck*, Ducis Burgundiæ Conſiliarius, & Orator; fuit & *Philippus Nigri*, aurei velleris Cancellarius, ac nuper *Leo Meyerus*, poſteà ad D. Salvatoris Harlebecæ in pari dignitate conſtitutus, eam deinde habuit præpoſituram *M. Philippus Clerici* Gandavenſis, vir facundiâ, ac eruditione præſtans, cui ſucceſſit ad ſuperos evocato *D. Henricus Stalins*, qui magnis animis, & ſolerte induſtria ad Eccleſiæ ſuæ decora nititur. Solent in hac Eccleſia, dum feſtum D. Pharahildis agitur, duo lapides oſtendi, panis formam habentes, quos olim panes veros fuiſſe, & in ſaxum verſos hiſtoriis proditum eſt.

De Inſigni Eccleſia Collegiata Sanctæ Pharaïldis ad divum Nicoläum in Civitate Gandavenſi; unà cum nominibus Præpoſitorum ejuſdem, quantum reperiri potuerunt in regiſtris & aliis munimentis originalibus prædictæ Collegiatæ Eccleſiæ. Additio.

INſignis hæc Collegiata Eccleſiæ Sanctæ Pharaïldis, nunc à 103. Annis ad Parochialem Sancti Nicolaï ob ſæpe dirutam & ignibus conſumptam per turbulenta tempora ejuſdem Baſilicam, tranſlata, antiquiſſimæ eſt fundationis, illamque inter omnes Flandriæ Collegiatas, numero ſeptendecim primam ponit Petrus d'Oudegherſt annalium Flandricorum ſcriptor. Illam opulentiſſimè fundarunt Comites Flandriæ, qui illius Canonicorum Cætum, ipſis maximè acceptum, plurimis præeminentiis, privilegiis & immunitatibus * donaverunt,

* Nota, quod nunc ad manum habeam tria diplomata, quibus Canonici ab aſſiſiis & oneribus publicis immunes declarantur: unum Philippi Ducis Burgundiæ & Comitis Flandriæ de datâ 25. Auguſti 1386. aliud etiam Philippi de data 15. Decembris 1459. & tertium Philippi de datâ 30. Julii 1501 alia plurima decreta ab ante vidi deſuper emanata.

Digitized by Google

runt, ac in ſpecialem tutelam ac protectionen ſuam ſemper ſuſceperunt. Ad eum Aulicorum Cura ſeu domeſticorum Comitis Flandriæ, ac Magni Ballivii Civitatis Gandavenſis ſpectavit & ſpectat, ſpecialiter per ipſam tranſlationem reſervata ſub his verbis. . . . . *Eadem Eccleſia gaudebit privilegio ſpecialis Capellæ Comitum Flandriæ, eritque Parochia aulicorum ubicumque in hac Civitate commorantium ac diſcedentium, & ſignanter Magni Ballivii tanquam ibidem Comitis Flandriæ Vicarii, una cum duobus clientibus juxta morem antiquum.* Et cum in dicta tranſlatione de jure redemptionum agitur, habetur conditio, ſequentibus terminis expreſſa. *Sed retinebit capitulum ſolita jura redemptionis & ſimilia ſupra propriis eorum ſubditis choro inſervientibus, nec non aulicis ſeu domeſticis * Comitis Flandriæ, & ſpecialiter ſuper Magno Ballivio hujus Civitatis, tamquam Vicem Comitis gerente, & duobus illius clientibus in eadem civitate commorantibus & morientibus prout ab antiquo.*

Eidem Canonicorum Cœtui Joanna Flandriæ & Hannoniæ Comitiſſa, ſcholarum Gandenſium in perpetuum confidit & committit per literas ſuas patentes datas anno Domini 1235. menſe Novembri, & confirmatas authoritate Pontificali per Walterum Epiſcopum Tornacenſem eodem anno & menſe.

Erat itaque antiquiſſima Sanctæ Pharaïldis collegiata Eccleſia, Comitum Flandriæ ſpecialis Capella, *fondation tres ancienne & Chapelle propre des Comtes de Flandres nos predeceſſeurs*, ſunt verba literarum patentum ſuarum ſereniſſimarum Celſitudinum Alberti & Iſabellæ Claræ Eugeniæ Hiſpaniæ Infantis, pro approbatione tranſlationis emanatarum & in ipſa tranſlatione inſertarum, Canonicique Eccleſiæ ſæpe memoratæ Capellanorum Flandriæ Comitum honorabantur nomine, ut etiamnum videre eſt in diplomate Philippi Comitis Flandriæ dato 15. Decembris anno 1459. cujus verba ſunt hæc. *Philippus Dei gratiâ Dux Burgundiæ. . . . . . . Comes Flandriæ . . . . . . Univerſis præſentes Literas inſpecturis ſalutem. Rationi congruum arbitramur ſi inter curas & ſollicitudines quas frequenter habemus in regendis noſtris ſubditis, ad hæc præcipuè noſtræ mentis aſpiret affectus, per quæ ſtatus Eccleſiaſticus noſtris temporibus ſub commiſſo nobis regimine & pacis tranquillitate manu teneri valeat & tueri, & perſonæ Eccleſiaſticæ noſtrarum ditionum quæ die noctuque divinis inſiſtunt obſequiis ſub noſtræ protectionis Clipeo à ſuis releventur preſſuris ut celebrius circa divina vacare valeant & per noſtram potentiam ſe ſenſerint adjutas, hinc eſt quod Nos dilectos noſtros Capellanos, Præpoſitum, Decanum & Capitulum Capellæ noſtræ Eccleſiæ Collegiatæ Sanctæ Pharaïldis oppidi noſtri Gandenſis Tornacenſis Diœceſis à noſtris progenitoribus felicis memoriæ in Caſtro noſtro fundatæ, nec non omnes & ſingulas perſonas dictæ Eccleſiæ in noſtra protectione & ſpeciali gardia exiſtentes tam in Capite quam in membris* de proſequitur *ſuſcipiendo* dictam Eccleſiam cum omnibus ei inſervientibus eorumque familiaribus & ſervitoribus, in ſuam ſpecialem tutelam & protectionem & dando *in mandatis omnibus de Concilio Flandriæ, magnoque Ballivio cæteriſque ſuis ſubditis quibuſcumque, ut eam defendant & defendi faciant ab omnibus violentiis, moleſtiis . . . . & in ſuis juſtis poſſeſſionibus, franchiſiis, libertatibus . . . . . manuteneant, conſervent & defendant . . . . . ſub certis & formidabilibus pœnis. . . . . &c.* & ſub ſui indignatione.

Quantum autem valuit nomen hoc Capellanorum ex Roberti ſecundi Comitis Flandriæ, dicti Hieroſolymitani, patentibus literis elucet evidentius, datis anno 1089. quibus dum Præpoſitum Eccleſiæ Sti. Donatiani Brugis perpetuum Flandriæ Cancellarium conſtitueret, ceteroſque Canonicos ejuſdem Eccleſiæ ſpeciali gratia & favore proſequi vellet, dixit, quod dicti Canonici, cum ad ſuam curiam venirent, jus Capellanorum obtinerent: *Præpoſitum ſanè*, verba ſunt præfatarum literarum Roberti Secundi, *ejuſdem Eccleſiæ quicumque ſit Cancellarium noſtrum, & omnium ſucceſſorum noſtrorum, ſuſceptorem etiam & exactorem de omnibus reditibus principatûs Flandriæ perpetuò conſtituimus . . . . . . Canonici vero quicumque ad Curiam meam venerint jus Capellanorum obtineant.* Tantorum autem inſignium non ſolùm injurioſo, edace ſcilicet omnium rerum tempore, verùm & invidioſo non pauca deperiere, eluceſcet ut ſperatur dies, qui feliciori ſidere antiquas quæ ſuperſunt radices faciet germinare, divinoque

* Nota quod hac die, qua hæc ſcribo, 4 ſcilicet Maii 1717. originalem legerim tranſactionem, initam inter capitulum Stæ. Pharaïldis & Curatos civitatis Gandavenſis ad evitandas omnes lites & pacem conſervandam de data 5. Februarii anni 1363. in quâ explicatur, quinam comprehendantur ſub Domeſticis Comitis Flandriæ, vel potius in quo convertatur, *ſalvis in omnibus, privilegiis dictis ſuis Comitis & Dominæ Comitiſſæ*, quinam impoſterum tales reputabantur.

noque cultui debitam, & in dicta Eccleſia ſolitam reſtituet majeſtatem.

In præfata Collegiata Eccleſia Stæ. Pharaïldis, tot titulis inſigni, & ut diximus ab anno 1615. ad Parochialem Sti. Nicolaï tranſlata, modo ſunt duodecim Canonicatus & præbendæ cum Præpoſitura & Decanatu, è quibus præbendis quinque ſunt Sacerdotales, tres Diaconales, & quatuor Subdiaconales, ex quibus Subdiaconalibus una annexa eſt & incorporata à centum & amplius annis Præpoſituræ. Sacerdotales omnes, inter quas una Paſtoratui a tempore tranſlationis annexa eſt, cujus Paſtoratûs Abbas Sti Petri Gandavi Patronus eſt, conferuntur vel per Papam aut per Præpoſitum *, ſecundum menſes; reliqui omnes conferuntur à Rege, qui etiam ad Præpoſituram nominat; Decanus verò à Canonicis ex Confratribus eligitur.

Penes Præpoſitum pro tempore exiſtentem, qui ab immemoriali juriſdictionis inſignia, Crucem Pectoralem, Annulum, & Biretrum triangulare ſeu tricorne geſtat, vera animarum Cura reſidet, Canonicorum, omnium Capellanorum, ſunt autem de gremio chori trigintaduo, & ſuppoſitorum omnium hujus Eccleſiæ Collegiatæ, ſive Eccleſiaſticorum ſive laïcorum, plurium numero.

Quinam verò fuerint primi Præpoſiti uſque nunc in nullis reperi munimentis, fuiſſe autem unum anno Domini 1206, cum jam Eccleſia Sanctæ Pharaïldis trecentis circiter ſtetiſſet annis, conſtat ex originali chartula parchamena, data eodem anno Sabbatho poſt aſcenſionem Domini, quæ ſic incipit *Viris Ven. & Diſcr. Præpoſito, Decano & Capitulo Sanctæ Pharaïldis Gandenſis.*

I. *Gerardus* nomine fuit Præpoſitus Inſignis Eccleſiæ Sanctæ Pharaildis, anno 1261 & 1267. & 1270. ſic eum originales literæ datæ eiſdem annis nuncupant.

II. *Livinus* erat anno 1315. ut ex ſimilibus originalibus conſtat literis datis menſe Auguſti ejuſdem anni

III. Fuit & *Joannes Ghiſtellanus.*

IV. *Petrus* erat annis 1327. & 1335. ut patet ex originalibus literis, datis eiſdem annis. Hic autem erat Roberti Comitis Capellanus ac Oratorii Principis Præfectus. Illius ſcilicet Roberti, qui dicebatur de Bethunia, qui poſt mortem Comitis de Guy, quæ contigit in menſe Martio anno Domini 1304, obtinuit Comitatum Flandriæ, quique anno 1322. die Sancti Michaëlis ultimum diem clauſit Ipris, ætatis ſuæ anno 77. & ſepultus in Eccleſia Sancti Martini in dicta civitate.

V. Huic ſucceſſit *Martinus*, originales enim tertiæ tranſlationis reliquiarum Sanctæ Pharaïldis literæ, ſic ſonant. *Noverint univerſi quod Nos Andreas Miſeratione Divina Epiſcopus Tornacenſis anno Domini milleſimo trecenteſimo triceſimo ſeptimo ſeptimâ die menſis Octobris ad humilem ſupplicationem providorum Virorum Dilectorum nobis in Chriſto filiorum Dominorum Martini Præpoſiti, Petri Decani, Johannis Cryskere, Petri Broeſke, Henrici Braem, Walter de Alta Cruce, Magiſtri Johannis de Lovanio, Canonicorum Eccleſiæ Sanctæ Pharaïldis Gandenſis. &c.* Hujus Martini Præpoſiti anniverſarium quotannis celebratur 11. Maii.

Si qui fuerint inter hunc Martinum & ſequentem Ogerum conſequi non potui; mihi tamen conſtat ex diverſis documentis originalibus Præpoſituram non vacaſſe annis 1341, 1345, 1351, 1360, 1363, 1367, 1374, 1383 nullus tamen in illis Præpoſitus nomine ſuo exprimitur.

VI. Itaque anno 1391. Præpoſitus fuit *Ogerus*. Sic eum oiriginale vidimus nominatum ab ipſo eodem anno datum.

VII. *Joannes Cuelsbrouck* erat anno 1418. idem ipſe erat annis 1426. & 1435. quod patet ex ſubdelegatione, quam ultimo hoc anno fecit, pro executione Bullæ Eugenii Papæ quarti, quâ conſtituebatur Judex & Conſervator bonorum & Jurium Eccleſiæ & Monaſterii Sancti Bavonis. Fuit autem hic Joannes Cuelsbrouck Ducis Burgundiæ Conſiliarius & Orator. Illius anniverſarium in Eccleſia noſtra celebratur, quinta ni fallor Maii.

VIII. Fuit & *Simon de Sluza*, qui præfatam Præpoſituram reſignavit

IX. *Henrico de Glimes*, Canonico Leodienſi, Protonotario Apoſtolico, & Caroli Ducis Burgundiæ & Flandriæ Comitis apud Sixtum quartum Nuntio, Oratori & Procuratori, qui 13. Maii 1476. ad dictam Præpoſituram fuit nominatus.

X. Hunc ut arbitror ſecutus eſt Magiſter *Joannes Nillis* Apoſtolicarum literarum Abbreviator, qui anno 1489. erat

Præ-

* Nota, quod mihi quodammodo conſtet omnes præbendas à ſolo Præpoſito antiquitus fuiſſe collatas: Qui Præpoſitus à ſolo capitulo eligebatur, & ſic electus præſentabatur Epiſcopo Tornacenſi confirmandus à quo recipiebat curam animarum.

Præpoſitus Sanctæ Pharaildis, quod patet ex Bulla Conſervatoria à Sixto IV. data Eccleſiæ collegiatæ Sanctæ præmemoratæ eodem anno 1489. kalendis Octobris. Habet enim originalis Bulla hæc ſequentia: *Sixtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei...... ſanè dilectorum filiorum magiſtri Joannis Nillis Præpoſiti Eccleſiæ Sanctæ Pharaïldis Gandenſem Tornacenſem Diœceſi litterarum Apoſtolicarum Abbreviatoris familiaris noſtri, ac Decani & Capituli, necnon Capellanorum, Vicariorum, Habituatorum & aliarum Perſonarum ejuſdem Eccleſiæ.......*

XI. *Joanni Nillis* ad ſuperos evocato ſucceſſit *Judocus Pipe* Juris Utriusque Doctor, ac Apoſtolicarum literarum Solicicitator, qui præfatam Præpoſituram vacantem per obitum Joannis Nillis obtinuit a Julio ſecundo. Ut conſtat ex originalibus literis Apoſtolicis, datis anno 1508. 14. kal. Septembris.

XII. *Philippus Nigri*, fuit etiam unus Præpoſitorum Sanctæ Pharaildis, ſed mihi non conſtat quo anno & die fuerit nominatus. Hic autem erat aurei velleris Cancellarius, & deſignatus fuit Primus Antverpienſis Epiſcopus, ſed morte præventus ſedem non adivit, ut patet ex Roſweydo poſt annum 1561. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Belgii fol. 187.

XIII. Fuit & *Petrus Damantius* J. U. D. Præpoſitus ſæpe dictæ Collegiatæ ut patet ex acta Capitulari de data 19. Maii 1586. & ex pluribus ſimilibus. Tertius fuit Gandavenſis Epiſcopus.

XIIII. Cui ſucceſſit *Nicolaüs Fierens* quondam Paſtor Caſtri Gandavenſis, qui nominatur per literas regias de datâ 1. Januarii 1597. ad prædictam Præpoſituram, vacantem per promotionem Petri Damantii ad Epiſcopatum Gandavenſem, qui prævià electione & confirmatione, ductus eſt in poſſeſſionem ejuſdem 20. Junii 1597.

XV. Nominatur ad Præpoſituram prædictam *Leo de Meyre* J. U. L. vacantem per reſignationem Nicolai Fierens, per literas regias de datâ 16 Junii 1599. qui ſimiliter electus & confirmatus ductus eſt in poſſeſſionem 23. Junii 1599.

XVI. Nominatur ad Præpoſituram *Philippus Clerici* Præpoſitus Harlebecenſis per literas regias de data 7. Decembris 1615. qui ſimiliter electus & confirmatus ductus eſt in poſſeſſionem 2. Aprilis 1616.

XVII. Nominatur ad Præpoſituram prædictam *Henricus Stalins* Protonotarius Apoſtolicus vacantem per permutationem cum Philippo Clerici, per literas regias de data 3. Februarii 1629. qui ut ſupra electus & confirmatus ductus eſt in poſſeſſionem 16. Februarii 1629.

XVIII. Nominatur ad prædictam Præpoſituram *Firminus Petit*, Canonicus Eccleſiæ Collegiatæ in Anderlecht, vacantem per mortem Henrici Stalins, per literas regias de anno 1651 qui ſimiliter poſt electionem & confirmationem ductus eſt in poſſeſſionem 12 Januarii 1652.

XIX. *Georgius Baronage* ad eamdem Præpoſituram nominatur, Literis regiis, vacantem per mortem Firmini Petit, & electus & confirmatus ut ſupra ductus eſt in poſſeſſionem 21. Decembris 1656.

XX. Nominatur ad præfatam Præpoſitarum *Bartholomæus Rodriguez* J.U.L. vacantem per mortem Georgii Baronage per literas regias de datâ 24. Novembris 1657. qui electus & confirmatus ductus eſt in poſſeſſionem 14. Januarii 1658.

XXI. Nominatur ad Præpoſituram *Joannes Melis* J. U. L. vacantem per permutationem initam cum prædicto Domino Rodriguez, per literas regias de data 3. Junii 1661. qui ſimiliter electus & confirmatus ductus eſt in poſſeſſionem 13 Junii 1561.

XXII. Nominatur ad Præpoſituram *Carolus Vrints de Trauwenfelt* J. U. L. vacantem per mortem D. Melis, per literas regias de datâ 7. Julii 1670. qui ſimiliter electus & confirmatus ductus eſt in poſſeſſionem 1. Octobris 1670.

XXIII. Nominatur ad Præpoſituram *Petrus Juvet* S. T. D. Seminarii Epiſcopalis Gandavenſis Præſes, ac Examinator Synodalis, vacantem per mortem D. Vrints de Trauwenfelt, per literas regias, qui electus & confirmatus ductus eſt in poſſeſſionem 14. Januarii 1707. Hic uno & amplius ante obitum anno, ob infirmitates, quibus à munere ſuo detinebatur, Præpoſituram liberè ad manus Regis repoſuit, ut Eccleſiæ de novo Præpoſito provideret.

XXIV. Ad quam ſic vacantem nominatur *Joannes Baptiſta Ludovicus de Caſtillion*, per literas regias de data 18. Decembris 1713. qui electus & confirmatus ductus eſt in poſſeſſionem 3. Januarii 1714.

Eccleſia Parœcialis Sti. Jacobi.

ECcleſia D. Jacobi anno 1100. conſtructa fertur. Primum Capella fuit, à D. Joannis Baptiſtæ, quæ unica, ut ante diximus, oppidi curialis erat dependens. Ea incendio anni 1120. quo tota fere civitas conflagravit, deformata, mox in Curialem erecta eſt. Nunc capellas ſuas in ea, quarum aliquæ elegantes admodum, pleraque urbis opificia habent. Confraternitas eſt ibidem S. Barbaræ non incelebris. Ante iconoclaſtiam fuiſſe & illic præſtantiſſimam oppidi campanam narrat Varnewicus, ſimilem etiam venerabilis Euchariſtiæ thecam. In ſummo altari imago Domini in Cruce pendentis viſitur à manu admodum perita.

Lib. IV. cap. 51.

Eccleſia Parœcialis S. Nicolai.


CIrca eadem ferè tempora *Eccleſia D. Nicolai*, ad quam nuper S. Pharahildis commigravit, condita eſt. Primitus etiam ſacellum fuit, ab unica S. Joannis Baptiſtæ Curiali dependens. E ruinis de Lotrijck, nominatiſſimæ in Brachbanto civitatis, circa annum Domini 960. à Gandavenſibus occupatæ, conſtructam aſſerit Varnewicus: addens, Aldenardæ mœnia, Arcem de Petinghem, in qua aliquot olim Flandriæ Comites habitarunt, & alia denique plurima Gandavenſis oppidi ædificia ex iiſdem fuiſſe excitata. Civitatem Belgis, celeberrimam olim urbem, regnique Belgici caput, eodem quo Lotryck fuiſſe loco, non ſine plauſibili ejus rei argumento idem opinatur. Incendium anni 1120, hæc etiam Eccleſia non evaſit; unde in Curialem mox quoque erecta eſt. Confraternitas in ea Beatæ Matris Annæ. Sumptuoſum eidem nuper Eccleſiæ donavit Baptiſterium Dominus Henricus Franciſcus vander Burch, Cameracenſis nunc Archipræſul, & ante Gandavenſis Antiſtes; in ea quondam ſalutaribus undis tinctus. Viſitur & ibidem à Joannis Janſenii penicillo imago S Hieronymi, ad tubam judicis Dei paventis & arrecti. Altera item S. Eligii in ejuſdem Divi ara; ab ignota quidem manu, ſed omnino laude & adſpectu digna. In hac Eccleſia ſepultus Oliverius de Minjau, cum Amelberga Slangen uxore ſua, quæ cum marito triginta & unam proles dediſſet, decem videlicet puellas, & maſculos viginti unum, unamquamque ſingulari partu enixa: omnes anno MDXXVI menſe Auguſto, ſudorifica illa lue, quam Anglicanam vocabant, correptas hic tumulavit; eodem etiam menſe ipſe cum uxore ſua iis appoſitus fuit. Ut epigraphe imaginis ad memoriam in hac Eccleſia relictæ docet.

Eccleſia Parœcialis S. Michaëlis.

ECcleſia *Divi Michaëlis*, olim etiam Sacellum, ab Ackerghemiana Curiali dependens fuit. Cum enim anno 941. Transmarus Epiſcopus hanc in vico ſuburbano deſignaſſet, ac poſtea urbe auctâ hujus limites latè intra portas excurrerent, neceſſe fuit Sacellum illud in communionem oneris aſſumere: quod incendiis annorum 1120 & 1128, item 1215 cum deformatum eſſet, per Colardum Cominæum, ſupremum Flandriæ Prætorem, & Senatum Gandavenſem nova turris anno 1440 inchoata, & XL poſt annos occidentalior pars templi adjecta eſt: Coſſ. Judoco van Ghiſtele Equite, & Georgio vander Moere. Anno autem 1512 novum opus pronai, & faſtigium turris, quæ nunc viſitur, auſpiciis Levini Pottelbergici, ſupremi Cæſaris Quæſtoris, Domini de Vinderhoute, Merendre, & Wiſſenkercke; qui & aliter in eandem Eccleſiam beneficus fuit. Nunc piâ ejuſdem Senatus populique Gandavenſis liberalitate chorum ad Legiam uſque flumen protenſum moliuntur. Hanc ſub Cæſare Carolo habuiſſe viginti octo millia eorum, qui Paſchalibus feriis ſacra Synaxi paſcerentur, in Commentariis ſuis narrat Surius. Habuit & tres Curiones, Capellanias multas, quas, ut patronus, confert Abbas Blandinienſis. Confraternitas ibi nunc eſt celebris & devota, ſanctæ Crucis; proceſſio item in feſtis ejuſdem, ac feria quintâ in Cœna Domini per vicos ejuſdem parochiæ, ad majorem populi è Dominicâ paſſione fructum, expoſitæ nuper imagines, quæ procedentibus effuſiones pretioſi ſanguinis exhibent. Pars ibi quondam vivificæ Crucis fuit, de qua vide Cognatum in Hiſtoria Tornacenſi lib. 3. cap. 57. De eadem & Chronicon S. Bavonis in hæc verba: *Anno 1187 decimotertio Kal. Februarii, in novo Caſtello Gandenſi adventus venerandi ligni ſalutiferæ Crucis Dominicæ in Baſilicam S. Michaelis Archangeli, tempore Philippi Flandriæ ac Viromandiæ Comitis, de partibus tranſmarinis miraculosè ibidem delati.* Reliquias nunc has ibi populus Gandavenſis veneratur: portionem S. Crucis, quæ à Flinenſi Abbatia, quo propter temporum motus ierat, Gandavum relata eſt, & aucta.

Digitized by Google


ECCLESIA PAPOCHIALIS
S.ti NICOLAI.
IUXTA FORUM FRUMENTARIUM
GANDAVI.
A. S' Nicolaus Kerk
B. de Korenmarct
C. de Viſmaret
D. 't Vleeſhuys
E. S' Pharahildis Kerk.
F. 't Graven Caſteel.
G. 'sGraven Brugge.
H. Gentbrugge.


ECCLESIA PAROCHIALIS
DIVI MICHAELIS
Simulcum Monast: Dominicanorum

cta. Alteram vivificæ Crucis partem eidem Eccleſiæ dedit anno 1617. Sereniſſima Belgarum Domina Iſabella Clara Eugenia, dum nomen ſuum cum marito glorioſæ memoriæ Alberto, ſanctæ Crucis Sodalitio, quod in eadem Eccleſia eſt, inſcriberet. Imago in ſummo altari viſitur elegantiſſima à Michaële Coxio. Habuit in eodem templo gens Trieſtia monumentum: cujus hanc etiamnum epigraphen ibidem legimus:

Patritius conſularis Eques auratus Nicolaus Trieſt, Dominus ab Anwegbem, Equeſtris Ordinis viri clariſſimi, Equitis aurati Nicolai Trieſt filius, ejuſdemque nominis virorum illuſtrium, Equitum auratorum, nepos, pronepos, abnepos, atnepos, ſibi liberiſque ſuis, poſteriſque eorum F. C. anno 1552 menſe Januario.

Eccleſia Parœcialis Sancti Martini in Ackerghem.

Eccleſia S. Martini in Ackerghem, eodem quo D. Joannis Baptiſtæ, anno 941. Transmarus Noviomenſis ac Tornacenſis Epiſcopus dedicavit in ſuburbano primum, poſt aliquot demum ſæcula urbe clauſam. Ejus pars Sacellum D. Michaëlis olim fuit, ut præcedente capite diximus. Nupero hæreticorum furore, exceptâ turri, eam ſolo æquatam vidimus, nunc pia Senatus Populique Gandavenſis liberalitate, ac diligentiâ Domini Michaëlis de Sachmoortere Theologi, illic Curionis, magnâ ex parte reſtaurata eſt. Fuit & pars illius Eccleſiæ nunc Parœcialis de Wondelghem, ſeparata anno 1199. Gandavi apud S. Bavonem, per Stephanum Epiſcopum Tornacenſem in præſentiâ Everdei Abbatis S. Bavonis. Proceſſio quotannis ibi, auſpiciis Reverendi Domini Jacobi Boonen, Gandavenſis tum Epiſcopi, anno 1621 in honorem acerbiſſimæ paſſionis Dominicæ inſtituta, magna populi devotione frequentatur, & ad pias meditationes de doloribus Chriſti habendas, imagines vicatim expoſitæ ſunt. Picturas in ea Eccleſia binas admiror; prima à Joannis Janſenii Gandavenſis penicillo S. Martinum pauperi dimidium pallii ſui dantem exhibet, munificentia œnopolarum Gandavenſium adornata; altera à Theodoro eſt, & natalitiam Chriſti noctem repræſentat, ab eodem Jocobo Boonen, viro liberaliſſimo, donata. Habet Reliquias de ligno S. Crucis, in cujus honorem illic ab antiquo confraternitas erecta, multis à ſancta Sede Apoſtolica indulgentiis ditata eſt, quas omnes Paulus Quintus Pontifex maximus diplomate ſuo dato XVI. Maij 1614 anno Pontificatus ſui nono, ratas & æternas eſſe voluit. Tertiâ quoque uniuſcujuſque menſis Dominicâ ſacrum de S. Cruce canitur; & in ſcriptis hoc præcipuè commendatur, ut ſæpius puro, nitidoque animo S. Synaxin ſumant, & eam, ubi poſſunt, ad ægros delatam comitentur.

Vide Chronicon.

Eccleſia Parochialis B. Mariæ Virginis.

De *Eccleſia B. Mariæ Virginis in monte Blandinio* hæc è monumentis ejuſdem habeo, quæ mihi tradidit Reverendus Dominus Cornelius de Somere, S. Th. Licentiatus, ejus loci Paſtor. Inprimis de origine nihil certum exſtare, niſi quod traditione non vulgari aſſeratur, eo loco ſtructam, ubi aliquando idolum Mercurii cultum fuit. Quod credi facile poteſt, cum ſolemne olim fuerit Chriſtianis: iis locis vero Deo ejuſque ſanctis Baſilicas dedicare, ubi vana gentilium numina in honore fuerant. Cujus rei plurima nobis hiſtoriæ ſacræ exempla præbent. Quidquid ſit, hoc quod nunc videmus elegans, & auguſtum Virginis templum, in fundo licet Monaſterii Blandinienſis, & ſub ejuſdem Præſulis tutela conſtitutum, Textores ante annos circiter quadringentos, qui circa ea tempora numero, & divitiis in illo monte maxime floruerunt, ære collatitio ædificarunt. In illa Eccleſia olim, & nuper etiam, non pauca, ad aram præcipuè B. Virginis, contigere miracula, quorum aliqua tabulis in ea pendentibus expreſſa ſunt. Viſitur & elegans imago aſſumptæ in cœlum Deiparæ. Quotannis etiam Dominica infra Aſſumptionem ejuſdem, pia & ſolemnis inſtituitur ſupplicatio, & magnâ populi Gandavenſis devotione per dies novem frequentatur, expoſitis per vias, ad jugem eorumdem meditationem, ſacri Roſarii myſteriis. Ad Reliquias quod ſpectat, thecam olim habuit inauratam particulis veſtium B. Virginis percelebrem: ea in ſummitate porticus theatralis, quam illa Eccleſia ante Iconoclaſtarum rabiem habuit ſplendidiſſimam, ſervabatur, & in Vigilia Aſſumptionis ejuſdem Virginis magna ſolemnitate deponebatur, in ara confraternitatis parthenia collocanda. Confraternitates autem tres ab antiquo fuerunt. Prima Clericorum ad altare retro chorum, in quo imago Deiparæ miraculoſa requieſcit. Laicorum altera, cui præcipui quique olim inſcripti.

Tertia Laicorum quaſi publicè pœnitentium, unde & albis induuntur, quibus tamen id privilegii fuit thecam ſupradictam, nunc ejus loco imaginem B. Virginis, circumferre in ſolemni ejus ſupplicatione. Cæterum hac in æde liberum habet monumentum nobilis & antiqua Gandavi familia Serſanderiorum, in eoque præter alios poſiti *Joannes Serſanders*, ejuſque filius, *Georgius* cum *Joanna Seclyn* conjuge ſua, ſepultus & *Michael Serſanders* Georgii filius, qui ſub auſpiciis Cæſaris Ferdinandi in Germania militavit. Plura familiæ ejus decora, qui videre cupit Topographiam Zelæ in ditione Teneramundana legat.

Eccleſia S. Salvatoris.

Eccleſia S. Salvatoris juxta D. Bavonis, olim titulum S. Chriſti habuit, eo nomine à Rabodone Epiſcopo in agro Tranſchaldano anno CIↃ. LXXII. donata, ſed circa annum prioris ſæculi quadrageſimum, ut Carolinæ arci commodior locus eſſet, ibi deſtructa, in eum quo nunc viſitur, locum tranſlata eſt, ubi olim Sacellum Dei patientis vulgò den noot Godts/ fuerat: quod anno 1452. exuſtum, rurſus anno 1480. dedicatum eſt. Fabricam Cæſar ſuâ liberalitate promovit, quæ nunc præ cæteris in urbe hac exiſtentibus, nitore, imaginum adparatu, aliiſque divinæ rei ornamentis locupletate, ſtudiis, zeloque nobiliſſimæ Virginis Magdalenæ de Traſegnies, juxta ædem illam ab annis jam viginti & amplius (ut aiunt) recluſæ, curâ quoque ac induſtriâ Vigelii Breydelii, iſtic vigilantiſſimi Curionis, efflorescit. Confraternitas Gandavenſium prima ſub titulo & invocatione Sanctiſſimi Deiparæ Sponſi Joſephi, magno Chriſtianæ pietatis augmento, auſpiciis optimorum Belgicæ Principum, Alberti & Iſabellæ, anno M. DC. IV. inſtituta, & ab Apoſtolica Sede multis Indulgentiis dotata eſt. Illi multi Principes tum ſacri, tum profani nomen dedere. Inter eos Maxæmilianus Dux Auſtriæ, Maxæmilianus II. Cæſaris filius, magnus ordinis Teutonici Magiſter, Eliſabeth Borbonia, Henrici Quarti Gallorum Regis filia, Maria Medicea, ejuſdem quondam uxor, Ludovici XIII. Gallorum Regis mater, Anna Maria, Ludovici ejuſdem uxor; Lotarius Epiſcopus Trevirenſis, Ferdinandus Elector Colonienſis, Maxæmilianus utriuſque Bavariæ Dux, Eliſabeth uxor Principis Lotaringi, Wolfangus Wilhelmus Palatinus Dux Neoburgicus, Magdalena ejus uxor, Fredericus Cardinalis Borromæus Archiepiſcopus Mediolanenſis, Federicus Iſelius S.R.E. Cardinales, Comes de Hohenſolleren, Jacobus Boonen Archiepiſcopus Mechlinienſis, H. Franciſcus vander Burch Archiepiſcopus Camaracenſis, alii è Gallia, Belgio, Lotaringia, Germania illuſtres viri, ac matronæ, cum pleraque Belgica nobilitate, & C.L. Monaſteriis, quibus pagi & opida multa conjuncta ſunt.

Monaſterium Blandinienſe, Abbatia Ordinis S. Benedicti.

NON modò, inter ea quæ nunc Gandavi ſunt, ampliſſimum nobiliſſimumque jure merito cenſeatur Cœnobium hoc, quod in monte Blandinio, olim urbi vicino, nunc intra mœnia ſitum, vulgò S. Petri dicitur; ſed ſi antiquitatem ſpectes, aliaque illuſtrioris famæ argumenta, inter omnia etiam totius Belgii Monaſteria, primas non injuria obtineat. De ejus igitur origine, ac incremento hæc è monumentis ejuſdem, ac aliis fide dignis auctoribus habe.

Beatiſſimus Amandus ex Aquitaniæ Ducibus oriundus (Trajectenſis ad Moſam & Argentoratenſis ad Rhenum Epiſcopus) tempore, quo ſceptra regni Francorum honeſtiſſimè gubernabat Rex fortiſſimus Dagobertus, prædicationis gratiâ adiit Gandenſis Caſtri territoria, cujus tunc incolæ, relicto ac deſerto factore, ac redemptore ſuo, aſtu diaboli decepti, magis congrua igni, quam venerationi idola, arbores, & ligna pro Deo colebant. Propter enim ferocitatem gentis illius, vel ob terræ infœcunditatem omnes ſacerdotes à prædicatione illius loci ſe ſubtraxerant, & nemo audebat in eodem loco verbum annunciare Domini, quo audito, vir ſanctus magis eorum miſeratus errorem, quam de vitæ ſuæ periculo pertimeſcens, Aicharium Epiſcopum, qui tum Noviomenſis urbis Cathedram regebat, adiit, eumque humiliter poſtulavit, ut ad Regem Dagobertum quantocyus pergeret, epiſtolaſque ex juſſu illius acciperet, &c. Quod ita factum eſt: percepta namque à Rege poteſtate, & ab Pontifice benedictione; illuc vir Dei Amandus perrexit intrepidus, quo cum eorum miſeriis condolens Chriſto auſpice perveniſſet, vehementerque illorum veſaniam redarguere cœpiſſet, maligno ſpiritu redacti, multis injuriis, & ſuppliciorum generibus ſanctum virum non erubuerunt afficere, quemque, & jam perſæpe diu tormentatum lymphaticis gurgitibus dimerſerunt; quæ omnia ſanctus vir,

Ex Archivis Monaſterii Blandinienſis.

vir, veluti cœlitus ſibi eſſent collata, cum alacritate ſuſcepit, magna æquanimiter tolerans ſæculi adverſa, ob futuræ vitæ præmia, illud Apoſtoli habens ante oculos mentis: Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad futuram quæ revelabitur in nobis gloriam; Diabolo tandem, Domino opitulante, cum ſuis cultoribus triumphato, Cœnobium inibi, ob amorem Domini, conſtruxit in excelſi montis latere. Eſt autem mons ſitus inter flumina Scaldis & Legiæ, ubi vetuſtiſſimum fanum fuit, in quo ex antiquorum more Gentilium, à ſtulto ruſticorum populo, Mercurius colebatur. Contrivit ergo idolum, ſubvertit aram, ſuccidit lucos, atque ipſum locum dedicavit in honore Principis Apoſtolorum Petri, cui Blandinium indidit vocabulum, quia blanditiis animos ferocis populi inibi delinivit, ſacrique baptiſmatis unda conſecravit. Aggregavit etiam inibi Monachorum catervam, quam docuit ancillari Chriſto, juxta Sanctiſſimi Benedicti regulam. Villas quoque & prædia, quas Reges & Reginæ, pluresque Illuſtres Viri, ei venerationis gratiâ impendere ſtuduerant, Principi Apoſtolorum Petro donari præcepit; atque pignora Sanctorum, quæ à Martino Papa impetraverat, ibi dimiſit, cui etiam præfecit patrem nomine Florbertum, anno DC. XVIII. ſagacis ingenii virum. Cœptum eſt autem hoc opus ab anno Dominicæ Incarnations DCX. ſub die Calendarum Octobrium, indictione prima, qui erat annus præfati Regis Dagoberti XIV. Pontificante ſedem Romanæ Eccleſiæ anno V. Beatiſſimo Papa Martino, Aicharii Epiſcopi Noviomenſis anno VII. Rexit autem Beatiſſimus Amandus hoc Cœnobium in perſona propria à fundatione uſque ad annum DC. XVIII. una cum Capella Gandenſi, quæ poſtea S. Bavonis nuncupabatur. Ita Chronographus Blandinienſis.

Quidam & Minervam hic cultam aſſerunt; primum eſt omnium Cœnobiorum, ab eodem S. Patre Amando ubilibet fundat. ait Chronograph. Blandinienſis.

Etiam Sigebertus in Chronico fundationis Blandinii ad annum Chriſti IↃ C X meminit, cum biennio ante in Caſtro Gandæ Eccleſiam ædificatam commemoraſſet, circumferuntur & hi vulgares verſiculi:

In ſexcenteno deno fundavit Amandus
Anno Blandinium, patronum dans ibi Petrum,
Rexit Florbertus, dotavit Rex Dagobertus.

Blandinium autem montem, in quo à B. Amando Monaſterium S. Petri fundatum eſt, quidam à Blandino Belgico Rege etiam dictum putant, qui Belgis inviſus, ad hunc locum inter Scaldim & Legiam confugiens, civitatem iſtic condidit, cum fano Minervæ, quam Blandiniam appellavit. Ita Chronicon Blandinienſe, & M. Varnewicus in ſuis Antiquitatum Belgicarum libris.

Lubet & hic commemorare verſiculos, de ejuſdem origine Monaſterii, olim in D. Petri logi, ſolitos:

Hic hic ſiſte tuum gradum viator,
Sunt quæ viſa oculos tuos morentur.
Olim dum Dagobertus optimorum
Regum non minimus teneret arcem,
Sexcenteſimus annus, atque denus.
Chriſti qui fuerat ſecutus ortum.
Illo Gandam adiens Amandus urbem,
Talem, dante Deo, tulit triumphum.
Mons inter fluvios duos levatur,
Quos Scaldim, & Legiam vocat vetuſtas,
Hic gens ruſtica, gens profana, & excors
Numen Mercurii colens, Amandi.
Suaſu Pontificis renata Chriſto eſt.
Ac à Blanditiis, quibus rebellum
Demulſit populum, loco remanſit
Nomen Blandinium, remanſit iſtud
Divo Cœnobium Petro dicatum,
In quo nominis hujus ille quintus
Abbas magnificus Gerardus Orbi
Quinto Cæſare Carolo imperante
Liquit mnemoſynon ſui favoris.

Decora hujus Cœnobii univerſim recenſere longum, ac ſingularis paginæ opus foret: pauca quædam attingam, inter quæ illud primum, quod ad annum Domini 1462. ſub Abbate Philippo Conrandi octo integra divorum corpora Blandinienſis Eccleſia poſſederit. Fuerunt illi, *Sanctus Gudwalus, Bertulfus, Amelberga virgo, Ausbertus, Florbertus, Wulframnus, Wandregiſilus, Winwalocus*; fuerunt & iſtic duo corpora de ſocietate undecim millium virginum. Alia quoque Sanctorum pignora eodem anno recenſet liber manu Gazophylacis Sacri conſcriptus ad VI diem Aug. qui etiamnum in Blandinio aſſervatur. Sunt autem hæc:

De oſſibus B. Joannis Baptiſtæ. De oſſibus B. Petri Apoſtoli, mandibula videlicet cum dente, & parte digiti. De oſſibus B. Pauli. De veſtimentis Domini cum ab Herode ei illuditur. De ſpinea Corona Domini. De capillis, veſtimentis, ac cingulo B. Mariæ Virginis. De oſſibus B. Jacobi Apoſtoli fratris Domini. De Sancto Luca Euangeliſta. De Sancto Andrea Apoſtolo. De S. Jacobo Apoſtolo. De Sancto Levino Martyre, ac Pontifice, patrono Gandavenſium. De Sancto Benedicto. De Sancto Nicolao Pontifice. De Sancto Chriſtophoro. De Sancto Eligio. Crux item argentea auro tecta, ac

manu ejuſdem divi fabricata. De Sancto Dionyſio. De Brachio Sancti Georgii. De Brachio Sancti Leodegarii. Dens Sancti Remigii. De Sancta Margareta. De Sancta Catharina. Annulus Sancti Dunſtani ex auro puro. De Sancto Martino. Amando Gandavenſium Apoſtolo, ac Piato. De Sancto Laurentio Levita Martyre. Has autem, & alias inſuper reliquias cum integris octo Sanctorum corporibus auro, gemmis, argento tectis, cum vaſis quoque ſacris, ac alia ſupellectile multa, ac ſumptuoſa, ſeditioſi ad an. 1578. diſſiparunt: unum tamen, ac præcipuum Blandinienſis Eccleſiæ divino nutu ſupereſt ornamentum, ingens nimirum portio ligni Sanctæ, ac vivificæ Crucis, quam Walterus quidam Conſtantinopoli redux Arnoldo Abbati (fuit hic circa annum Domini 1118 Cœnobii hujus Præfectus) donavit. Illud ſacroſanctum redemptionis noſtræ inſtrumentum feſtis ſolemnibus in Blandinio populus Gandavenſis magno pietatis adfectu venerari conſuevit. Quod etiam, cum de ejus veritate à quibuſdam dubitaretur, in ignem projectum, intactum, illæſumque manſiſſe à Blandinienſibus traditur. Superſunt & aliæ quædam in eadem Eccleſia ſpiritales Gazæ de S. Mauro, de S. Hilario, de S. Nurea, de ſocietate undecim millium virginum.

Quantà deinceps accreverit potentiâ, collige ex titulis hiſce quos præfert Abbas hujus exempti Monaſterii. Primas Flandriæ, Congregationis Monaſteriorum Belgicorum à Sanctâ Sede immediatè dependentium Præſes, Champhini Princeps, Harnæ Comes, Toparcha in Swynaerde, Aſſenede, Saffelaere &c.

Eccleſia Abbatialis, cujus Chorus jam ab annis aliquot fuit ſplendidè reædificatus, non minore elegantia ac magnificentia perfecta fuit anno 1722. atque ab Epiſcopo Gandavenſi benedicta.

Ad annum Chriſti 1129. Walterus Monachus Blandinienſis fit Abbas Egmondanus in Hollandia ſarciitque damna prædeceſſoris ſui Monaſterio Egmondano illata, auxitque non ſolum Monachorum numerum, ſed & Domos, ivitque ad plures, anno 1161. Lambertus item Monachus Blandinienſes ejuſdem Egmondani Cœnobii conſtitutus fuit Abbas ad annum 1176. obiitque 1182. Ita Antonius Hovens in Genealogia Comitum Egmondanorum.

Additio. Suberat olim hunc Abbatiæ *Præpoſitura de Elmare* ſita verſus Zelandiam quæ anno 1144. fuerat ædificata a Notholdo Monacho Blandinienſi in honorem Reginæ Cæli, ſub diſciplina Abbatis Blandinienſis. Sed anno 1424. die 19. Novembris cum multis aliis vicinis Pagis inundatione maris ſubmerſa periit.

Fuit item in Anglia *Præpoſitura de Leveſham*, ſita in Agro Cantiano ac Cantuarienſi Epiſcopatu, fundata quondam in favorem Abbatiæ St. Petri ab Elfredo Rege Angliæ ejuſque filio Eduardo & nepte Eltrude: ſubſignantibus univerſis Angliæ Epiſcopis. Fundationem hanc novo Diplomate corroboravit anno 1044. S. Eduardus Rex, quod extat in Monaſtico Anglicano Tom. II. Part. 2. Pag. 890. Item aliud Diploma Henrici III. Regis, quod confirmat circa annum 1240. Prædia Decimas ac Privilegia ejuſdem Prioratus, in Præfato libro Tom. I. Parte I. pag. 550.

Epitaphia Principum in Blandinio ſepultorum antiquitate commendanda.

SAcris divorum Lipſanis Principum hic ſepultorum monumenta ſuccedunt; quæ adeo hic frequentia, ut non immerito Blandinium Flandriæ Comitum Mauſolæum à quibuſdam appelletur. Quædam itaque è Chronico, ac aliis ejuſdem familiæ Archivis adferemus.

Balduinus Ferreus, primus Flandriæ Comes obiit Atrebati anno 879, corpus ejus ſepultum eſt in Cœnobio Sancti Bertini in Sithiu, cor autem in Monaſterio Sancti Petri in Monte Blandinio. Ejus tumulo elogium tale inſculptum:

Filius Audacri Balduinus Ferreus, olim
Fortis, & invictis viribus iſte fuit, &c.
Ferreus eſt dictus: quod ſemper ferre ſolebat
Loricam, armatum ſemper habebat equum, &c.

De conjuge vero ejus ita Ferreolus Locrius in Chronico: Balduino *Juditha* conjunx duas proles maſculas dedit, Carolum, qui juvenis interiit, & Balduinum cognomento Calvum, qui in paternum ſucceſſit imperium. Quando vero Judithæ mori contigerit me latet; eſt interim certum, corpus ejus Gandavi in Sancti Petri Monaſterio quieſcere tali epitaphio ornatum:

Regis Francorum Caroli ſum filia Regis,
Nobilis illa Judith, & ſpecioſa nimis.
Uxorem ſibi quam me ſumpſit Ferreus olim
Baduinus, Duce quo Flandria pacem habuit.
Gloria qui veterum mihi quondam magna meorum

Ex-

Exſtitit, heu Carolum mors rapuit juvenem!
Alter ſuccedens patri, regnavit & ipſe,
Tempore ſub longo mors rapit hunc ad eum.
Omnia deficiunt mortalia gaudia mundi,
Et ſub ſole nihil permanet hic ſtabile.
Princeps prima fui Flandrenſis inclyta quondam,
Nunc ſed in anguſto contrahor hoc tumulo.
Jam mihi nil proſunt, vir, proles, patria dives,
Eſt mea ſed fœdis vermibus eſca caro.

Vide Locrium. *Balduinus Calvus*, ſecundus Flandriæ Comes moritur Gandavi anno 918, quarto nonas Januarias. Extulit eum Elſtrudis uxor, ſepelivitque Blandinii in Sacello Virginis Matris, ubi & ipſa morte obita, condi voluit, D. Bertini ædem in Sithiu aſpernata, propterea quod fas non eſſet ſubire ulli eam mulieri. Amita hæc erat Ogmiæ Reginæ, uxoris Caroli Simplicis. Balduini habe epitaphium:

Qui legis hæc, tu noſce quod hic tumulatus habetur.
Marchio Balduinus, culmen honeſtatis.
Regem traxit avum Carolum cognomine Calvum,
Omnia magnificans moribus, & meritis.
Effulſit quarto Nonas quum ſol Januari,
Exuit hunc Dominus corporis exuviis.

Elſtrudis vero Elfredi Anglorum Regis filia obiit 929, ſeptimo Idus Junias. hoc ei Epitaphium:

Clara fui Elfredi generoſi filia Regis,
Elſtrudis proprio nomine dicta meo.
Quæ dum præſentis vigui moderamine lucis,
Balduini thalamis uſa fui Domini.
Septenis Junii dum fulſit in Idibus aſtrum,
Me pius ad ſuperos evocat hinc Dominus.

Hæc Blandinienſibus Cœnobitis amplas donavit poſſeſſiones in Anglia, in finibus Cantii, unde tabulas habent anni 918. Ita Meyerus lib. 2. Annalium ad annum 929.

Arnulphus cognomento Magnus, tertius Flandriæ Comes obiit anno Domini 964, ſexto Kal. Aprilis. Jacet ſepultus in Sacello Virginis Matris juxta patrem, cum Flandriæ annos fere 47 glorioſe præfuiſſet. Ejus epitaphium tale eſt:

Jus ſubiens mortis Arnulphus Marchio fortis,
Legerat hic requiem Judicis ante diem.
Hic patre Balduino generatus Principe divo,
Balduinum genuit, quem cito mors rapuit;
Laudis in exemplum ſtatuens hoc nobile templum,
Huc Wandregiſclum tranſtulit ille pium.
Ergo diu ſoſpes patriam regit, & premit hoſtes,
Cui prece ſolamen lector adoptet, amen.
Optatam famulo Deus hic faciem det humato,
Ordinis atque choro dexter componat in albo;
Oſſa putrent humo, ſed ovans ſtatut paradiſo,
Obviet huic Domino ſociandus pacis aſylo.

Anno 960, *Aliſa* (alias Athela, ſeu Adela) Arnulphi Principis conjunx Brugis mortem oppetit XVI Kal. Octobris, atque Blandinii in B. Virginis Sacello juxta maritum tumulatur. Ejus hoc epitaphium:

Conjunx Arnulphi decus hic ſortita ſepulcri
Non moritur meritis corpore facta cinis.
Perſonas orbas nam fovit ut altera Dorcas,
Cui pia conſenuit gratia, quam habuit.
Sole ſenas decimas præfert Octobris Idæas
Hora notans obitum quo petit hæc Dominum.
Exequiis Adulæ properantes quique vacate,
Ut pretio meriti culpa queat redimi.

Lutgardis filia Arnulphi Magni obiit 961, tertio Kal. Octobris, in Sacello B. Mariæ juxta patrem tumulata hoc epitaphio:

Mors minus optata, ſatis omnibus exſtat amara,
Qua veniente vacat, quod ſibi mundus amat:
Arnulphi proles tegit hic qua ſaxea moles,
Lutgardis dicta fuit, nupta puella ruit.
Quem prius Octobrem peteret quam ſcorpio ſolem,
Terna luce cadit, debita mortis agit.
Dic precor iſta legens, Domino ſit ſpiritus hærens:
Fulſit ut unde fides, ſplendeat & requies.

Anno 988, (quibuſdam 989,) Martii 30, *Arnulphus Junior* Flandriæ Comes calidiſſima febri correptus immature ac inopinato diem obit extremum, atque Gandavi ad B. Petri in Sacello Laurentiano ſepelitur tali donatus epitaphio:

Inclytus Arnulphus Comes hic eſt carne ſepultus,
Arnulphus magnus cujus habetur avus;
Hic nos ditavit, nec ab avo degeneravit,
Nam Camphin, Harnes, & bona plura dedit.
Martis terdena lux ibat Solis habena,
Cum pius hic Heros tranſiit ad ſuperos,
Hujus Roſella fuerat conjunx veneranda,
Balduinum generans, pignus avorum imitans.
Hunc Rex Juſtorum ſocium fac eſſe tuorum,
Atque bonis cunctis gaudeat in Superis.
Terdena luce cum Martius eſſet in axe:
Corpus humo tradit, cum moriendo cadit.

Vide Locrium. Dicta *Roſella* Arnulphi uxor à mariti funere nuptias cum Roberto Capeto Francorum Rege iteravit, ac priore relicto nomine *Suſanna* voluit vocari. Patrem habuit Berengarium tertium, ſtirpis Longobardicæ, Italiæ Regem: prolem vero Balduinum Barbatum ex thoro priore. Obiit M III, VII Kal. Februarii, ac juxta tumulum Arnulphi prioris mariti ſui jacet in eodem Sacello S. Laurentii. Epitaphium ejus eſt tale:

Hoc conditorio Regina Suſanna quieſcit,
Exſpectans reditum judicis ætherei.
Occidit ante dies ſeptem menſis Januarii,
Dans animam ſuperis, oſſaque terra tibi.

Anno 1009 moritur *Machtildis* Balduini tertii Flandriæ Comitis conjux, atque Arnulphi Junioris mater, jacetque in Blandininenſi Monaſterio, juxta B. Virginis altare, cum ejuſmodi epitaphio:

Si quis ſcire cupit, hoc cujus membra ſepulcro
Claudantur: claro colligat hoc titulo.
Machtildis quarta Flandrina eſt hæc Comitiſſa,
Hermannique Ducis filia Saxoniæ.
Conjux Balduini Juvenis, ſed poſt Godefredi
Ardennæ Comitis, atque Denhain Domini.
Legitimo ſociata thoro fuit, & generavit
Tres illi natos, pernitidos juvenes,
Gofridum, & Gotelonem, Eteloneque juncto,
Fortes, magnifici quique fuere viri.

Ita Locrius. Aliter tamen inquit Chronographus Blandinienſis. Moritur Machtildis uxor Balduini Junioris Comitis Flandriæ, mater Arnulphi Junioris, filia Hermanni Ducis Saxoniæ, ſepelitur in Blandinio cum Godefrido poſteriore marito, in Sacello D. Laurentii.

Anno 1030 *Ogina* Balduini Pulcrobarbi conjux migrat è vivis, atque Gandavi ad S. Petri ſepelitur in Sacello S. Laurentii. Epitaphium ejus eſt hoc:

Præteriens miſerere mei, qui vis miſereri;
Atque mihi requiem tuque repoſce piam.
Nona dies Martis me tranſtulit ante Kalendas,
Ogina juncta fui Balduino Domino.

Anno 1036 *Balduinus Pulcrobarbus* Flandriæ Comes, cum annos 48 imperaſſet, ſupremum vitæ diem 3 Kal. Junias claudit, relicto hærede Balduino Lilano, atque Blandinii in Sacello Laurentiano juxta patrem, & conjugem Oginam ſub humili lapide ſepelitur. Epitaphia hæc habet:

I.

Hoc tumulo tegitur Balduinus, maxima Regis
Arnulphi proles hoc tumulo tegitur.
Quem Suſanna ſibi genuit Regina ſuperbum,
Edidit & puberem quem Suſanna ſibi.
Maximus Heroum Regali ſchemate prodit,
Vir virtute potens maximus Heroum.
Defenſor fuerat, vel amator hic Monachorum,
Eccleſiæque Dei defenſor fuerat.
Deceſſit medius trinas Junii ante Kalendas:
He! He! cito nimium deceſſit medius.
Dicito præteriens: JESU *miſerere miſelli;*
Daque pius veniam, dicito præteriens.

II.

Junius ante ſuas triduo cecidiſſe Kalendas
Balduinum deflet, quo patre mundus eget.
Ipſe fuit Princeps Flandrorum ſive Monarcha,
Inclytus, & fortis Regibus ortus avis.
Fama præclarus, nulli pietate ſecundus;
Cujus opum nullus aut modus, aut numerus.
Nutrivit acies, inimicos terruit orbis,
Prævaluit gladio, nec minus ingenio.
Cultor Juſtitiæ, corrector legis iniquæ,
Defenſor Patriæ, filius Eccleſiæ.
Sævus, & immanis raptoribus, atque ſuperbis,
Sed pius, ac mitis mitibus, atque piis.

Pul-

Pulcre barbatus, oculis vagus, ore venuſtus,
Pollens ingenio, blandus & eloquio.
Plorantes igitur nos te bone Chriſte precamur,
Defuncto famulo propitiare tuo.

Anno Domini 974 obiit *Balduinus*, qui & *Balzo*, cognomento Brevis, filius Rudolphi Comitis Cameracenſis, qui filius erat Balduini Calvi Comitis Flandriæ; hic Monaſterii Blandinienſis clariſſimus exſtitit benefactor, & ibidem in Sacello B. Mariæ Virginis ſepultus jacet juxta majorum ſuorum monumenta.

Epitaphium Balzonis tale eſt:

Hic eſt Balzo ſitus famoſa laude potitus,
Terror Papiæ, gloria militiæ:
Enſe ducis ſecta cervix, & claſſe revecta
Hunc celebrem titulis fecerat in populis:
Diſpoſuit cauſſa probitatis publica jura
Auctor Apoſtolicæ munificus fabricæ.
Exutus membris bis quarta luce Novembris
Vivat delitiis ſpiritus Elyſiis.
Petre poli cuſtos, qui ponis in æthere juſtos,
Fac ut & hic heros tranſeat ad ſuperos.

Legitur & in membranaceo Codice Blandinienſi aliud ejuſdem, quo præcipua viri magni facta recenſentur.

Regni protector Dux armipotens velut Hector,
Dux celebris populo clauditur hoc tumulo.
Balzo nomen ei, qui juncta vi ſpeciei
Cunctis prænituit Flandria quos genuit, &c.

Steppo vir nobilis, relicto ſæculo Monaſticen amplexus in hoc Blandinienſi cœnobio, ſuaque ei bona contuliſſe ex Epitaphio ſubſequente videtur. Obiit Kalendis Januarii, circa illa credo tempora, quibus Balzo defunctus eſt.

Epitaphium Stepponis tale legitur:

Contegit hoc buſtum Stepponem ſtirpe venuſtum,
Sed titulis morum majori laude decorum,
Cui probitas vitæ decus auxit ſtirpis avitæ;
Nam mundo ſpreto, ſe contulit, & ſua Petro,
Petro Clementi cælos aperire potenti,
Veſte ſed indutum ſacra, membriſque ſolutum
Prima dies Jani vitæ ſubduxit inani,
Petri pro nuta victurum perpete vita.

Ludovicus Rex Germaniæ Arnulphi filius, ut quidam volunt, in monte Blandinio ſepultus eſt. Ita Chronographus.

Stephanus natione Græcus, ut ex ſequente patet Epitaphio, Levita ſanctitate, ac religione clarus fuit. Is peragratis multis orbis Chriſtiani provinciis, tandem habitu peregrini in Blandinio moritur, ac tumulatur.

Epitaphium Stephani Græci tale eſt:

Continet iſte locus Stephani venerabile corpus.
Græcia quem genuit, condere non meruit.
Is Levita gradu, probus ingenio, ſacer actu,
Spem ſocians fidei ſprevit amore Dei,
Divitias, notos, patriam, fineſque remotos,
Et loca ſacra pio ſic peragrans ſtudio.
Iſtuc divino nutu tandem peregrino,
Defert Blandinium funeris obſequium.
Nox obeunte viro reſplendens lumine miro
Signa dedit multum militis emeriti.
Adjuncta dena Jani cum luce novena.
Corpus humo cedit, ſpiritus aſtra petit.

Anno Domini 917 Adalbertus, qui Ecelinus Pariſienſis, & poſtea Abbas ſive Præpoſitus etiam Trunchinienſis, Balduini Calvi Comitis Flandriæ filius nothus moritur, & in Sacello B. Mariæ Virginis in Blandinio ſepelitur.

Epitaphium Adalberti Pariſiorum Epiſcopi tale olim legebatur:

Pauſam membrorum Paſtori Pariſiorum
Hoc dat Adalberto ſumma Trias tumulo.
Hunc ſic Balduinus generarat Marchio divus
Filius Arnulphi par patre de parili;
Cum dat bis binas Februarius ire Kalendas,
Terrea depoſuit, cælica promeruit.
Hanc tibi fundavi Trias alma, domumque dicavi,
Qua pretium veniæ ſuuto preces animæ.

Quis ille *Wilhelmus Rex* fuerit, hactenus aſſequi non poſſum. Eum in Blandinio quoque tumulatum liber Epitaphiorum iſtic exiſtens, admodum antiquus, & ante quatuor ſæcula facile conſcriptus, fidem facit.

Epitaphium Wilhelmi Regis:

Divitiis multis ſumens non ulla ſepultis
Hic Gulielme vides quam ſit habenda fides;

Cauſſa tuæ mortis totiens qui fortia fortis
Anxia ſuſtinuit, parva ſagitta fuit.
A quinta Chriſti natali concecidiſti,
Jam poterant novies iſſe ter octo dies.

Quidam *Anſelmus Magiſter* aliis viris magnis in Blandinio ſepultis in eodem Epitaphiorum libro conjungitur.

Epitaphium Anſelmi Magiſtri tale eſt:

Dormit in hoc tumulo celeberrimus ille Magiſter
Anſelmus, cui per diffuſi climata mundi
Undique notitiam contraxit, & undique laudem
Sana fides, doctrina frequens, reverentia morum,
Sermo placens, cenſura vigens, correctio dulcis,
Splendida vita, manus diffundens, actio cauta,
Conſilium ſapiens, mens ſobria, provida, clemens,
Qua vivens viguit comitetur gratia functum.

Anno 1030, XII Kal. Junias obiit *Giſila*, ſive *Giſla*, ſoror Oginæ, quæ conjunx fuit Balduini Barbati, in Sacello S. Laurentii tumulata juxta ſororem.

Epitaphium Giſlæ fœminæ tale eſt:

Sit pius orator pro Giſla quiſque viator,
Id quod promeruit corpore dum viguit.
Vixit in hac vita Petri velut illa Thabita
Profluа pauperibus, non modicis opibus.
Tertia dum primas lux fertur adire Calendas
Belligeri Martis Piſcibus in geminis,
Terrenis obiit, manſuris vivere cœpit,
Cujus ſpiritui da Deus æthere frui.

In eodem Epitaphiorum libro recenſetur & illuſtris quædam, ac opulenta mulier Adeliva nomine in Blandinio ſepulta. ejus Epitaphium tale eſt:

Nobilitate tumes qui nobilis es locupleſve
Proh dolor! ut quid homo nobilitate tumes?
Quin moriare tibi, quid honor valet, & genus altum?
Sic nec opes proſunt, quin moriare tibi.
Hic Adeliva jaces reverenda potentibus olim,
Nunc cinis heu modicus! hic Adeliva jaces.
Stirpe celebris erat, virtute celebrior alta,
Præpollens opibus, ſtirpe celebris erat.
Carne ſoluta gravi, tunc luce ſuperſtite terna
Hic cecidit Februo, carne ſoluta gravi.

Iſabella Caroli Quinti Cæſaris ſoror, & Philippi ex Joanna Ferdinandi Regis Aragonum filia, (verba ſunt Chronici Bland.) anno ætatis ſuæ decimo quarto, matrimonio conjuncta eſt Chriſtierno Regi Daniæ, Suetiæ, Norwegiæ, &c. quæ cum dicto Rege ad has partes fugere coacta, duobus annis, & amplius reſedit in opido Lirenſi in Brabantia, & deinde cum præfato Rege, & liberis per opidum Gandenſe curru tranſitum faciens, tranſtulit ſe ad, & in Caſtrum Abbatis Monaſterii Sancti Petri juxta Gandavum, vulgo Zwinaerde, ubi etiam diem clauſit extremum, prout ea patent per litteras teſtimoniales tenoris ſubſequentis.

„ Univerſis, & ſingulis præſentes litteras teſtimoniales lecturis, & audituris. „ Ego Thomas Blanckaert Presbyter, „ Juris Licentiatus, ſacris Apoſtolica, & „ Imperiali auctoritatibus Notarius pu„ blicus. Notum facio, verum fuiſſe, „ & eſſe, quod anno Domini 1525, „ menſis Decembris die VI, poſt mere„ diem, Illuſtriſſimi Principes Dominus „ Chriſtiernus Rex, & Domina Iſabella „ Regina, Daniæ, Suetiæ, & Norwe„ giæ, conjuges, Caſtrum Reverendi in „ Chriſto Patris D. Gerardi Abbatis „ Monaſterii S. Petri juxta opidum di„ ctum Gandenſe, ſitum intra Parochiam „ Eccleſiæ de Zwinaerde, una cum Do„ minis Principibus, videlicet Joanne, „ Dorothea, & Chriſtina liberis ſuis ap„ plicuerunt, quos quidem Regem, & „ Reginam, ac liberos una cum tota eo„ rum familia, ante fatus Dominus Ge„ rardus ibidem cum omni reverentia, & „ hilaritate ſuſcepit, tractavit, & tracta„ re fecit, &c. ac poſt; Idem Reveren„ dus Pater Dominus Gerardus Abbas „ cum caſula aurea, & alias juxta decen„ tiam dignitatis ſuæ, Miſſam pro anima „ dictæ Sereniſſimæ Dominæ Iſabellæ Re„ ginæ defunctæ, & omnium fidelium „ defunctorum animabus, cum Reveren„ dis Patribus, & Dominis Petro de „ Tronchinio Diacono, & Joanne de „ Baudelo Subdiacono Monaſteriorum „ Abbatibus, cum omni ſolemnitate ce„ lebravit, & immediate poſt oblationem „ ante fatorum Dominorum Regis, & „ Principis Joannis ibidem factam, per „ quendam concionatorem, ſermo, prout „ in talibus fieri eſt conſuetum, ibidem „ factus fuit. Qua quidem Miſſa ſic ſo„ lemniter celebrata, & decantatis com„ mendationibus, hujuſmodi funus felicis „ recordationis Iſabellæ Reginæ Daciæ, „ &c. cum ſolemnitatibus, & cerimoniis „ debitis in ſepulchro ante majus altare ibi-

„ ibidem conſtructo, decenter collatum
„ fuit, cujus animæ propitietur Altiſſi-
„ mus.

Hoc illi epitaphium ſcriptum eſt à viro doctiſſimo Cornelio Sceppero, quod nunc in Eccleſia Blandinienſi æreis inſculptum laminis legitur.

Sereniſſimæ Principi D. Iſabellæ Daniæ, Sueciæ, Norweghiæ, Gotthorum, Sclavorum, Vandalorum Reginæ, Archiduci Auſtriæ, &c. Dominæ ſuæ Clementiſſimæ, Cornelius Duplicius Scepperus, perpetuum monumentum, anno 1526.

Quam cernis gelido recubantem marmore, lector;
Indutam eximiis ô Libitina tuis,
Cæſaris illa ego ſum Caroli germana, ſed orba
Jamdudum regnis Iſaabella tribus.
Si genus inquiras, ſummo eſt è ſtemmate ductum,
Longus & è multis Regibus ordo ſcatet.
Si formam, potuit charo placuiſſe marito,
Quina cui ſoboles me pariente fuit.
Si vitam, vario, & multo eſt tranſacta labore,
Forſan in hac dices, quod quereremur erat.
Nondum luſtra ferox Lacheſis tria fecerat, & me
Traxit Hymen, patria de regione procul.
Atque dedit ſociam Dano convivere Regi;
Cumque hoc fortunam juſſit utramque pati.
Feci, & quam dederat mentem, Deus ipſe, ſequuta
Servavi caſtos fœmina caſta thoros.
Non me ullæ ſortes, non ulla pericla, nec unquam.
Flectere congeſtæ me potuere minæ.
Sum profugum comitata virum per mille labores,
Cumque hoc exilium quod tulit, ipſa tuli.
Se ſæpe inſomnes ducentem Cynthia noctes
Præteriit, laſſis dum veheretur equis.
Sæpe etiam Phœbus, turbatam ut mente videbat,
Hæc, ait, à charo conjuge cura venit.
Denique ſi in caſto labi queat uxor, amore
Hac plus, quam reliqua labe, notanda fui.
Attamen ipſa licet, feci, & feciſſe juvabit,
Pertrahit ad ſuperos me labor iſte Deos.
Cætera quid? decus, & tituli, tot regna, tot urbes
Depereunt, ſola hæc gloria fixa manet.
Hæc cineres ſequiturque meos, ſemperque ſequetur,
Major & ex iſtis gratia rebus erit.
Talibus in curis terna trieteride vixi,
Quarta laboranti meta ſuprema fuit.
Hoſpitio exceptam, & morientem Flandria vidit,
Heu quantum fatis detulit illa meis!
Nec mors hæc mihi dura foret, ſi Danica conjunx
Imperia, & magni regna teneret avi.
Si deſerta ſuum ſequerentur pignora patrem,
Si tegeret cineres Dania lecta meos.
Aſt fruſtra hæc mea vota fluunt, manet æthere in alto.
Qui regit arbitrio ſingula quæque ſuo.
Hunc præter, ſupero quicquid miramur in orbe,
Et ſimul eſt laudis, & rationis egens.
Quare age quiſquis ades, vana hæc ludibria mundi,
Gaudiaque exemplo ſpernere diſce meo.
Nil mihi nunc proavi, nec opes, nec ſtemmata proſunt,
Non ætas, & quæ forma pudica fuit.
Non fratres, quorum imperium terra omnis adorat.
Non Germanarum turba relicta trium.
Diſpar conditio longe eſt, vitæque, neciſque,
Si qua fuit virtus, hæc modo ſola juvat.

Aliud.

Dania me coluit, pulſam Germania vidit,
Primum ortum dederat terra Brabanta prius:
Nulla harum potuit morientem cernere, ſed quæ
Ganda habuit mentem, nunc quoque corpus habet.

Aliud.

Tempora ſi quæris, quæ me rapuere ſub umbras,
Accipe, & in memori ſcripta reconde ſinu.
Pectore ſub medio Phœbum cernebat Aquarius,
Marſque horam tenuit, ſed Venus ipſa diem.

Cum autem Blandinienſe Sancti Petri Monaſterium à Regibus Gallorum, ac Flandriæ Comitibus præcipue dotatum ſit, ac olim, ut ante vidimus, multis eorundem Prin-

Principum monumentis honoratum, illud inter alia totius Flandriæ primum ſub tutela ejuſdem Comitis, ac protectione conſtitutum eſt; unde cum is ſe bonum, juſtumque Principem futurum provincialibus ſuis promiſit, mox etiam ſolemni ceremonia, ac jure jurando interpoſito fore ſe cuſtodem, advocatum, ac patronum ejuſdem Cœnobii pollicetur, acceptoque ab Abbate gladio, uti Juſtitiam, ac Religionem, ita hujus etiam loci bona, ac privilegia ſarta tecta ſe conſervaturum addicit. Quod autem variis ante vicibus (ut ſuo loco dicetur) ab ejuſdem provinciæ Principibus fuerat factitatum, inſigni pietate, anno 1549, decima ſeptima Julii, fecit Philippus ſecundus, Caroli Cæſaris filius in hæc verba:

„ Ego Philippus Dei gratia Princeps „ Hiſpaniæ, utriuſque Siciliæ, Hieruſalem, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, „ Dux Burgundiæ, Comes Habsburgi, „ & Flandriæ, promitto, & juro, quod „ in adventu meo, & ſucceſſione hujus „ patriæ, & Comitatus Flandriæ conſervabo, tamquam bonus, fidelis, & ſupremus Guardianus, ſive Advocatus, & „ Conſervator immediatus, bene, & fideliter, contra, & erga cunctos, omnia privilegia, libertates, franciſias, uſus, conſuetudines, bona, poſſeſſiones, perſonas, „ ſubditos, & familiares hujus Eccleſiæ „ Sancti Petri in monte Blandinio à prædeceſſoribus meis fundatæ. Ita me Deus adjuvet, & omnes Sancti, quorum corpora „ hic quieſcunt, omneſque Sancti Paradiſi.

Contigit hoc ſub Gerardo Culsbrouck, Abbate ejus nominis Quinto. Venit in Blandinium tum temporis Princeps ex Puttenhove Dominio in Parochia S. Dionyſii cum illuſtri ſuorum comitatu. Adfuit Dux Albanius Ferdinandus Alvarus de Toledo gladium præferens, Antonius de Granvella Epiſcopus tum Atrebatenſis, Philippus Nigri Præpoſitus Sanctæ Pharahildis Cancellarius aurei Velleris, & Viglius Præſes, aliique Proceres magno numero.

Idem Carolus Philippi pater anno 1514, qui fuit Leonis decimi ſecundus, præſtitit. Venit is ex pago de Swynaerde (Toparchia eſt Cœnobii Blandinienſis, caſtrum habens ab Abbatibus ejuſdem conditum) ubi cum ſuis Princeps pernoctaverat, urbemque per portam, vulgo de Perſellepoorte, ingreſſus, obvium habuit cum Sanctorum Reliquiis, & veſte ſacra Clerum Gandavenſem, Senatum, Ægidium Abbatem Sancti Bavonis, qui tum Epiſcopus erat Roſenſis, inde in Blandinium digreſſo Abbas Joannes cum ſuis adfuit, qui Principi ex equo deſcendenti, & in genua provoluto ſignum vivificæ Crucis præbuit oſculandum, ac mox eum præeuntibus armorum Magiſtris in templum ducens, ſacriſque operatus, ubi pannum aureum, aureamque pecuniam ex more veteri Princeps obtulit, eum, hæc verba prælocutus; *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime*, gladio cinxit, ac ſolemni ceremonia precem hanc recitavit:

Deus Pater æternæ gloriæ, ſit adjutor, & protector tuus, & omnipotens benedicat tibi, preces tuas in cunctis exaudiat, & vitam tuam longitudine dierum adimpleat, domum tuam firmet, & gentem, populumque tuum in æternum conſervet, & ſuper te ſanctificatio Chriſti floreat, & præmium æternæ beatitudinis tibi conferat, qui vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Quibus peractis, ſumptoque cum ſuis apud Abbatem prandio, Princeps, comitante eum à termino Dominii Sancti Petri Clero, Senatu, ac Decurionibus opificum Gandavenſium, ad Eccleſiam Sancti Joannis Baptiſtæ profectus eſt. Ubi à Joanne Alaertio hoc ei juramentum vernaculo ſermone propoſitum:

Dat ſweerdy gheregt Heere ende Grave van Vlaenderen te zyne / ende datter toebehoort / de H. Kercke haer recht te houdene / ende doen houdene / t'Lant van Vlaenderen in vreden / in rechte / ende in Wette te houdene / en te doen houdene / de Privilegien / Vryheden / Coſtumen / Uſagien / ende de rechten vande Stede van Ghendt te houdene / ende te doen houdene / Wedewen / ende Weeſen in rechte te houdene / ende te doen houdene / aerme / ende ryche in rechte te houdene / ende te doen houdene / ende al te doene dat een gerecht Heere ende Grave van Vlaenderen ſchuldich is te doene. Alſoo moet u Godt helpen / ende alle Godts Heylighen.

In quæ ubi Princeps juraverat, populus viciſſim fidem, ac obedientiam promiſit. Fuere præſentes, Philippus Toparchus de Raveſteyn, Federicus Comes Palatinus, aliique plurimi Principes ac Magnates. Ejus pietatem imitati in eandem formam jurarunt in Blandinio optimi, ac Religioſiſſimi Principes *Albertus*, & *Iſabella*, Archiduces Auſtriæ, Duces Burgundiæ, Comites Flandriæ, 28 Januarii anni ſæcularis nuper elapſi.

Abbas Blandinienſis inter alios illuſtres titulos ab omni ævo Flandriæ Primas audiit, in omni quoque ſolemni ac publico, ſeu ſupplicationum, ſeu aliorum conventuum actu, cum ſuis Monachis etiam præ Bavoniani Monaſterii cœtu præeminentiam

tiam tenuit. Idem, prout ex Codice manuſcripto, & anno 1555, per Gerardum Culsbrouck innovato conſtat, ſubſequentum Eccleſiarum Patronus, ac beneficiorum collator extitit, & maxima ex parte etiamnum exiſtit.

Eccleſiæ ſub Patronatu S. Petri conſtitutæ.

ECcleſia Sancti Joannis Baptiſtæ Parœcialis, olim primaria, nunc Sancti Bavonis Cathedralis, ſub patronatu ejuſdem Abbatis fuit. Olim in ea tres portiones Paſtorales fuere. Capellaniæ in ea per eundem collatæ, ad altare SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli 8. Ad altare Sancti Joannis Baptiſtæ 6. Ad altare Sancti Nicolai 4. Ad altare Sanctorum Levini, & Bavonis 8. Ad altera Sanctæ Crucis 4. Ad altare Sancti Georgii 1. Ad altare Beatæ Mariæ in Crypta 6. Ad altare Sancti Jacobi 1. Ad altare Sanctæ Chriſtinæ 3. Ad altare S. Blaſii 2, & altera Caſtralis. Ad altare S. Catharinæ 3. Ad altare S. Martini 1. Ad altare S. Servatii 5. Ad altare S. Danielis 1. Ad altare S. Annæ 3. Ad altare S. Mariæ Magdalenæ. Ad altare S. Germani 1. Ad altare S. Agathæ 2. Ad altare S. Huberti 2. Ad altare Annuntiationis B. Mariæ in Bodio 2. Ad altare S. Judoci 1. In Capella S. Catharinæ ſuper Hojam, quæ ab hac Eccleſia dependet, Capellaniæ 3. Conferebatur & cuſtodia major, item ſubcuſtodia, & ſcholaſtria.

In Eccleſia Sancti Nicolai Gandenſis.

OLim duæ portiones Paſtorales fuere, earundem collator Abbas Blandinienſis. Ad altare S. Gerulfi Capellania 1. Ad altare S. Gangulfi 1, Capellania primæ miſſæ pleno jure confertur, item aliæ 5, quarum una eſt ad altare S. Laurentii. Ad altare S. Barbaræ 1. Ad altare B. Mariæ retro chorum 5. Ad altare B. Mariæ Magdalenæ 4. Ad altare S. Annæ 3. Ad altare S. Eligii 2. Ad altare B. Mariæ in Bodio 8. Ad altare S Amandi conferuntur pleno jure 2. Ad altare S. Nicolai, olim S. Nicaſii, 1. Ad altare S Crucis 1. Ad altare S. Laurentii pleno jure 1. Ad altare S. Ægidii 1. In domo Fratrum Tertii Ordinis S. Franciſci, olim in de Veſtraeta, 1. In Capella S Georgii, olim juxta cœmiterium S. Nicolai, 1.

In Eccleſia B. Mariæ in Monte Blandinio juxta Gandavum.

UNa portio Paſtoralis. Capellaniæ ad altare B. Virginis retro chorum 3. Ad altare S. Nicaſii 3. Ad altare S. Crucis 2. Ad altare S. Jacobi 2. Ad altare S. Spiritus 1. Ad altare S. Laurentii 1. Ad altare S. Martini 1. Ad altare S. Joannis Baptiſtæ 3. Ad altare S. Joannis Euangeliſtæ 1. Ad altare S. Catharinæ 1. Ad altare B. Mariæ Magdalenæ 2. In Hoſpitali Egberti 1. pleno jure. Miſſa de requiem diebus Lunæ. Cuſtodia ejuſdem Eccleſiæ, & ſcholaſtria. In Capella S. Quintini Miſſa Dominicalis.

In Eccleſia S. Jacobi Gandenſis.

DUæ portiones Paſtorales. Ad altare S. Jacobi 1. Ad altare S. Spiritus 1. Ad altare B. Mariæ in Bodio 8. Ad altare S. Antonii 2. Ad altare S. Cornelii 5. Ad altare SS. Jacobi & Chriſtophori 1. Ad altare S. Joannis Euangeliſtæ 1. Ad altare B. Mariæ retro chorum 5. Ad altare S. Laurentii 1. Ad altare S. Ægidii 1. In Hoſpitali S. Joannis Euangeliſtæ 3. In domo Preſbyterorum emeritorum 1, pleno jure. Cuſtodia S. Jacobi.

In Eccleſia S. Michaëlis Gandenſis.

FUit ſub patronatu Abbatis S. Bavonis, uti & Eccleſia S. Martini in Ackerghem, verum facta eſt permutatio harum Eccleſiarum 1540, ad inſtantiam Cæſaris Caroli Quinti, ad Eccleſiam S. Joannis Baptiſtæ. Olim quinque portiones Paſtorales fuere. Duplex una valebat ducentis quadraginta libris Pariſienſibus, aliæ cxx. Capellaniæ ad ſummum altare 2. Ad altare B. Mariæ Virginis 3. Ad altare S. Juliani 1. Ad altare S. Crucis 3. Ad altare S. Michaëlis 3. Ad altare B. Mariæ Magdalenæ 4. Ad altare S. Ægidii 1. Ad altare S. Bartholomæi 2. Ad altare S. Annæ 1. Ad altare S. Nicaſii 2. Ad altare S. Spiritus 1. Ad altare S. Catharinæ 4. Cuſtodia valebat 84 libras Pariſienſes. Infra limites ejuſdem Parœciæ ad bonos Infantes 1. In ſacello Piſcatorum, nunc in aula Principis, 1. In Hoſpitali S. Catharinæ 2. In domo Filiarum Dei 1. In domo Sartorum 1. In Mota Principis 2.

In Eccleſia Sancti Martini in Ackerghem.

CApellania ad ſummum altare unita eſt 1571. Seminario Epiſcopali per Reverendiſſimum Dominum Cornelium Janſenium primum Eccleſiæ Gandavenſis Antiſtitem, virum eruditionis, & virtutum fama immortalem. Cuſtodia valebat XL libras Pariſ. Infra limites Parœciæ ejuſdem

dem in Poortackere 2. In Hoſpitali S. Joannis Euangeliſtæ 1. In domo Leproſorum 2. conferuntur pleno jure.

Sunt & alia quædam Gandavi loca ſacra ſub protectione, & tutela ejuſdem Cœnobii poſita; uti Collegium Societatis Jesu, Monaſterium fratrum Recollectorum Beginagium minus, pauperes Clariſſæ, Abbatia de Bodelo, Sorores D. Franciſci ad Divi Joannis, Reſidentia PP. Anglorum Societatis Jeſu, Sorores S. Franciſci ad D. Jacobi, Sacellum S. Catharinæ, Monaſterium Nourboſci, Divites Clariſſæ, Patres Capucini, Virgines Carmelitanæ Excalceatæ, Virgines Benedictinæ Anglæ. Monaſterium S. Georgii op het Sant, Monaſterium S. Barbaræ, vulgo Jooris Vranx, Sacellum Nautarum, & Textorum, Sacellum S. Quintini, omnia denique illa loca ſacra, quæ in diſtrictu Parœciarum SS. Joannis Baptiſtæ, Jacobi, Nicolai, & B. Virginis in monte Blandinio ſita ſunt. In quibus nemo, ut indulta Pontificum variorum loquuntur, Capellam erigere, altare, vel templum condere, campanam ad res divinas pulſare, Monaſterium fundare, inconſulto, vel non conſentiente Abbate Blandinienſi poteſt. Medium quoque eorum, quæ in eccleſiis SS. Jacobi, & Nicolai offeruntur, ac de tribus partes duæ, eorum quæ in B. Virginis, Abbatiæ D. Petri cedunt. Pro iis vero, quæ in Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ eadem Abbatia recipere ſolebat, penditur nunc quotannis reditus octodecim Renenſium. Quæ omnia pæne ſacra loca quotannis in feſto Apoſtolorum Petri, & Pauli, & alias, dum divina facit officia Abbas, aliquo munere altaribus ſanctis oblato, auctoritatem, ac beneficium hoc agnoſcunt.

Eccleſiæ extra opidum Gandavenſe.]

IN Decanatu de Everghem, & Gandenſi, Paſtoratus de Deſſelberghe, Capellania 1. item altera ad altare S. Daniëlis cum Cuſtodia. Paſtoratus de Saffelaere cum Cuſtodia, Zwynaerde cum Cuſtodia, Zeeverghem cum Cuſtodia, Weſterem S. Dionyſii, Afſnede cum Cuſtodia, Baerle cum Cuſtodia pleno jure, Mariekercke cum Cuſtodia pleno jure, Lovendeghem cum Cuſtodia, ad altare B. Virginis 2.

In Decanatu Waſiæ.

TAmiſia B. Mariæ, & S. Petri duæ portiones olim Paſtorales. Ad altare S. Amelbergæ 1, Ad altare SS. Joannis Baptiſtæ, & Euangeliſtæ 2. Ad altare S. Ægidii 1. Ad altare B. Mariæ Virginis 2. Ad altare S. Crucis 1. Ad altare S. Petri 4. In Hoſpitali Tamiſiæ ad S. Annæ 2. cum Coſtodia. Kemſeke cum Cuſtodia, & Capellania 1. Kalloo cum Capellania 1. Kieldrecht cum Cuſtodia. Melſene cum Cuſtodia, ad altare S. Crucis 1. Ad altare B. Margaretæ 1. Ad D. Nicolai ſervitium. Ad S. Trinitatis ſervitium. Haeſdonck cum Cuſtodia, Capellania ad B. Virginis 1. Vracene, ad B. Virginis altare una. Ad S. Crucis altare 1. S. Ægidii Paſtoratus alternis vicibus cum Domino Epiſcopo Tornacenſi cum Cuſtodia, & Capellania ad altare S. Ægidii 1. Ad B. Virginis 1. pleno jure, in Capella Ter Cluſen ſervitium pleno jure.

In Decanatu Brugenſi.

ZEdelghem cum Cuſtodia.

In Decanatu Oudenburgenſi.

WAerſloo cum Cuſtodia, ad altare B. Mariæ Virginis 1. Keyhem cum Cuſtodia, Capellania ad altare B. Virginis 1. Leke ad B. Mariæ Virginis 3, cum Cuſtodia. Berſt cum Cuſtodia, ad altare B. Virginis 3. Ad altare S. Nicolai 1. Schoore cum Cuſtodia, Stuvenskercke cum Cuſtodia.

In Decanatu Ardenburgenſi.

ECcleſia S. Georgii in Ooſtburch habet duas portiones, ad altare B. Virginis 1. in Hoſpitali 1. in Beginagio una cum Cuſtodia, & Scholaſtria. Groeda, alias Nieukerke, ad altare B. Virginis 1. ad altare S. Catharinæ 1, cum Cuſtodia. Geroeda, alias Mouskerke, cum Cuſtodia, & Scholaſtria. Schoondyk, ad B. Mariæ Virginis 2, cum Cuſtodia. Gaterneſſe cum Capellania una, & Cuſtodia. Ooſtmankercke cum Cuſtodia. Eccleſia S. Catharinæ. Eccleſia de Hamere. S. Nicolai Beernem. Watervliet cum jure præſentationis Capellania, & Cuſtodia.

In Decanatu Cortracenſi.

OYghem, ad B. Mariæ 1. cum Cuſtodia. Deſſelghem cum Cuſtodia. Bevere juxta Harlebecam cum Cuſtodia, ad S. Joannis Baptiſtæ 1.

In

In Decanatu Aldenardenſi.

OOteghem cum Cuſtodia. Audeghem cum Cuſtodia. Anſdeghem cum Cuſtodia Caſtrali, quam confert Dominus temporalis loci. Eecke cum Cuſtodia.

In Decanatu Helchinienſi.

AVelghem cum Cuſtodia. eſt Capellania ibi caſtralis ad collationem Domini de Gruthuyſe olim ſpectans. Alta ripa, ſive Hautrive, cum Cuſtodia. Boſſuyt cum Cuſtodia.

In Decanatu Tornacenſi.

HOllain cum Cuſtodia. Bruyelle cum Cuſtodia.

In Decanatu Inſulenſi.

CArvin. Camphin cum Cuſtodia. ad altare S. Annæ 1. Armentieres cum Cuſtodia. Werpes cum Cuſtodia, & Schola.

In Diœceſi Atrebatenſi.

HArnes. Ad altare B. Mariæ 2. quarum una pleno jure confertur. In Buſco de Harnes 1. in honorem quinque vulnerum Chriſti, cum Cuſtodia pleno jure. Armay cum Cuſtodia. Loyſon Capellania in Caſtro de Wingles ad honorem S. Vedaſti pleno jure.

In Diœceſi Morinenſi.

BOeſinghem cum Cuſtodia, & Dominicali Miſſa ante majorem pleno jure. Terdinghem cum Cuſtodia.

In Decanatu Aloſtano Archidiaconatus Bruxellenſis, Diœceſis olim Cameracenſis.

SChelderode cum Cuſtodia. eſt ibidem Capellania Caſtralis. Hilleghem cum Cuſtodia. Merelbeke cum Cuſtodia. Ad altare ſancti Petri una pleno jure. Munte cum Cuſtodia. Leewerghem ſancti Amandi cum Cuſtodia. Lettelhoutem cum Cuſtodia. Dickele cum Cuſtodia pleno jure. Bottelaere cum Cuſtodia. Ad altare B. Virginis 2. pleno jure.

In Decanatu Gerardimontano.

FLuerſeghem cum Cuſtodia. Ideghem pleno jure cum Cuſtodia. Wonbrechteghem cum Cuſtodia. Steenhuyſe pleno jure. Smeerlebbe cum Cuſtodia pleno jure.

In Decanatu Hallenſi.

ELinghem juxta Hallam, ad B. Virginis 1. pleno jure. Ad ſancti Nicolai 1. pleno jure, cum Cuſtodia pleno jure.

In Decanatu de Pamella.

MAterne ſancti Martini pleno jure. Wieleghem cum appendentiis de Roosbeke ad S. Annæ 1. cum Cuſtodia Boſt pleno jure. Capellania ibidem caſtralis.

In Decanatu de Haſpra Archidiaconatus Valencinenſis.

DOuxie, ad S. Nicolai pleno jure cum Cuſtodia. Noyelle cum Cuſtodia pleno jure.

Sequuntur privilegia, immunitates, aliaque beneficia quædam a Pontificibus, Regibus, ac Principibus Blandinio conceſſa.

Exemplar privilegii Blandinio conceſſi à Martino Papa temporibus Dagoberti Regis, & S. Amandi.

M*Artinus* Epiſcopus ultimus ſervorum Dei, omnibus Deum diligentibus ſalutem. De quotidiano ſanctæ Matris Catholicæ, atque Apoſtolicæ Eccleſiæ profectu, ac multiplicatione gaudere debemus, atque in vinea Domini pro mercede laboris operantibus auxilium ferre debemus; unde notum fore volumus Sanctæ univerſalis Eccleſiæ filiis tam præſentibus quam & futuris, qualiter ſanctæ dilectionis noſtræ filius Amandus cum conſenſu, & petitione chariſſimi filii noſtri divæ memoriæ Dagoberti Francorum Regis, ſive filii ejus Sigeberti privilegium auctoritatis noſtræ expetierit de quodam Cœnobio, quod ipſe de liminatis Gentilium ſpurcitiis fundotenus exſtruxiſſe dignoſcitur, cui nomen Blandinium indidit, quodque etiam ab ipſo conſecratum eſt in honore Beatiſſimi Apoſtolorum Principis Petri, Doctoriſque gentium Pauli; ſitum inter decurſum duorum fluminum, Scaldis, & Legiæ. Privilegium quidem ſanctæ auctoritatis noſtræ, noſtris, futuriſque temporibus memorato loco indulgemus, ordinamus, atque firmamus de ſtabilitate ipſius loci,

loci, de villis, & facultatibus, de Eccleſiis, & Eccleſiarum decimis, ſive familia, & de quibuſcumque ſtipendiis ſpecialiter inibi Deo ſervientes, & Eccleſiæ ornamentorum, atque luminariorum, ac matriculariorum hoſpitum, atque pauperum, juxta petitionem charorum noſtrorum præcellentiſſimorum Regum Dagoberti, atque filii ejus Sigeberti noſtra Apoſtolica auctoritate ſtabilimus, corroboramus, & in convulſa ſtatuimus, decrevimus, atque, ut liceat, regulari Abbati Florberto ad præſens inibi ſubrogato, vel conſtituto filio noſtro Amando tam ipſi quam in reliquum futuris Abbatibus in univerſis utilitatibus loci divino ſolatio, ita omnia diſponere, & ordinare, abſque ullius contradictione, vel refragatione, ut libere invigilent mandatis Domini ſecundum Regulam ſancti Benedicti. Si quis vero (quod non optamus) temerario auſu contra hujus noſtri privilegii Apoſtolici publica ſcripta agere præſumpſerit, reum ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, ac à ſacratiſſimo corpore, & ſanguine Domini Redemptoris noſtri JESU Chriſti alienus fiat, atque perinde in æterno examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco jus ſervantibus, & de ſuis bonis locum ditantibus, ſit pax Domini noſtri JESU Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis recipiant, & apud diſtrictum Judicem præmium æternæ pacis inveniant. Scriptum per manum Stephani notarii, & regionarii, & ſacri ſcrinii Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, in menſe Januario, indictione ſecunda. Datum XIV Kal. Februarii, per manum Amandi Epiſcopi Theatrapi Sanctæ Sedis Apoſtolicæ.

Tenor privilegiorum Eccleſiæ S. Petri Conceſſorum.

Privilegium Paſchalis Papæ ſecundi ſuper libertate Eccleſiæ S. Petri ſic incipit:

PAſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Sigero Monaſterii Blandinienſis Abbati, ejuſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum. Piæ poſtulatio voluntatis effectu debet proſequente compleri, quatenus & devotionis ſinceritas laudabiliter eniteſcat, & utilitas poſtulata vires indubitanter aſſumat. Poſtulavit ſiquidem nos dilectio tua, Cœnobio Sancti Petri Blandinienſis, cui Deo auctore præſides, Apoſtolicæ Sedis, &c. Definit vero ſic: Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri JESU Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Scriptum per manum Joannis Scriniarii regionarii, & Notarii ſacri palatii. Datum Laterani, per manum Joannis S. R. E. Diaconi Cardinalis, 3 Non. Aprilis, indictione XI, Incarnationis Dominicæ MCIV, Pontificatus autem Domini Paſchalis ſecundi anno quarto.

Privilegium Innocentii Papæ Secundi de libertate ejuſdem Eccleſiæ.

INnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Giſleberto, Monaſterii Blandinienſis Abbati, ejuſque ſucceſſoribus in perpetuum. Apoſtolicæ auctoritati expedit religioſas perſonas diligere, & eorum loca pia protectione munire, quodque grave eis eſt levigare, & relaxare, ut ex indulta conſolationis gratia in obſequio Dei promptiores exiſtant. Ea propter præfatum Blandinienſe Cœnobium ſub ſolius B. Petri, & noſtra ditione, atque protectione ſpecialiter ſuſcipimus, & perpetuo manere decernimus, ut nullus deinceps Epiſcopus præſumat de ejuſdem Cœnobii reditibus, cartis, rebus, vel villis quolibet modo quidquam minuere, nec immiſſiones aliquas facere, nec audeat ibidem cathedram collocare, &c. niſi ab Abbate, & fratribus ejuſdem loci fuerit rogatus, &c. Definit vero ſic: Hæc itaque conſtitutionis noſtræ decreta auctoritate Dei, & veſtra perpetua ſtabilitate, & ſine aliqua conſtituimus refragatione ſervari, nec à quoquam qualibet occaſione immutari; ſervanti ſit pax, & benedictio, non ſervanti, niſi reſipuerit, perpetua maledictio. Ego Innocentius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus. Ego Wilhelmus Præneſtinus Epiſcopus. Ego Matthæus Albanenſis Epiſcopus. Ego Guido indignus ſacerdos. Ego Gerardus Presbyter Cardinalis tit. S. Crucis in Hieruſalem. Ego Lucas presbyter Card. tit. SS. Joannis, & Pauli. Datum Piſis, per manum Aimerici S. R. E. Diaconi Cardinalis, & Cancellarii, 4 Non. Junii, Indict. XIII, incarnati Domini M C XXXVI, Pontificatus Innocentii Papæ II, anno VI.

Vixit Giſlebertus circa an. Domini M C XXXVI.

Privilegium Innocentii Papæ Quarti de libertate Monaſterii Sancti Petri Gandenſis.

INnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Abbati Monaſterii Sancti Petri Gandenſis, ejuſque fratribus tam præſentibus quam futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum religioſam vitam

vitam

vitam eligentibus Apoſtolicum convenit adeſſe præſidium, ne forte cujuſlibet temeritatis incurſus, aut eos à propoſito revocet, aut robur, quod abſit, ſacræ Religionis infringat. Ea propter dilecti in Domino filii juſtis veſtris poſtulationibus clementer annuimus, & monaſterium S. Petri Gandenſe, Tornacenſis diœceſis, in quo eſtis divino obſequio mancipati, ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus, &c. Finit ſic: Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti; quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Signat. Ego Innocentius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus. Ego Petrus tit. S. Marcell. presbyter Card. Ego Wilhelmus Baſilicæ XII Apoſtolorum presbyter Card. Ego Fr. Joannes tit. S. Laur. in Lucina presbyter Card. Ego Fr. Hugo tit. S. Sab. presbyter Card. &c. Datum Lugduni, per manum M. Marini S. R. E. Vicecancellarii, VII Kal. Octobris, Indict. V, Incarnationis Dominicæ anno M CC XLVI, Pontificatus vero Domini Innoc. Papæ quarti anno IV.

Privilegium Gregorii Papæ, quo Abbati Blandinienſi, &c. conceditur, ut in Synodis extra provinciam ſui Monaſterii habendis perſonaliter comparere non teneatur.

GRegorius *Epiſcopus* ſervus ſervorum Dei dilectis filiis univerſis Abbatibus Monaſteriorum ordinis Sancti Benedicti in Remenſi, & Senonenſi provinciis conſiſtentium ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Exigit veſtræ devotionis ſinceritas, & religionis promeretur honeſtas, ut petitionibus veſtris quantum cum Deo poſſumus favorabiliter annuamus, &c. Nos igitur cupientes indemnitati veſtræ, & monaſteriorum prædictorum, diſcordiis, ac litibus, quæ exinde poſſint veriſimiliter exoriri, præcavere, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, volumus, & Apoſtolica vobis auctoritate concedimus, quod vos, ſeu ſucceſſores veſtri Abbates monaſteriorum prædictorum, in Synodis hujuſmodi. quas extra diœceſim, in quibus monaſteria ipſa conſiſtunt, contigerit celebrari, &c. dummodo per procuratores veſtros idoneos alias legitime compareatis, perſonaliter comparere minime teneamini, nec ad id à quoquam compelli poſſitis inviti, non obſtantibus præmiſſis per eoſdem Epiſcopos oppoſitis, & omnibus aliis quæ idem prædeceſſor noſter in dictis ſuis litteris voluit non obſtare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis, & conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avenione, II Id. Decembris, Pontificatus noſtri anno primo.

Privilegium Alexandri Papæ, quo cavetur, ne quis intra fines parochiæ Monaſterii S. Petri juxta Gandavum ſine conſenſu diœceſani, & Abbatis dicti loci Capellam ſeu Oratorium conſtruere audeat.

ALexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Abbati, & Conventui monaſterii Sancti Petri Gandenſis, Ordinis S. Benedicti, Tornacenſis diœceſis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Devotionis augmentum vobis Deo propitio provenire confidimus, ſi ſuper iis quæ pie depoſcitis nos benevolos ſentiatis. Hinc eſt quod nos veſtris ſupplicationibus inclinati, ne quis intra fines parochiæ veſtræ abſque conſenſu diœceſani Epiſcopi, & veſtro Capellam ſeu Oratorium de novo conſtruere audeat, &c. Datum Anagniæ, 3 Kal. Febr. Pontificatus noſtri anno ſexto.

Privilegium Domini Innocentii Papæ, quo religioſi Monaſterii S. Petri poterant ſuccedere in bonis parentum, exceptis feudalibus.

INnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Abbati, & Conventui monaſterii Sancti Petri Gandenſis, Ordinis B. Benedicti, Tornacenſis diœceſis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Devotionis veſtræ precibus inclinati, ut poſſeſſiones, & alia bona mobilia, & immobilia, exceptis feudalibus, quæ liberas perſonas fratrum, ad veſtrum monaſterium mundi relicta vanitate volantium, & profeſſionem facientium in eodem, ſi remanſiſſent in ſæculo, ratione ſucceſſionis, vel quocumque alio juſto titulo contigiſſent, petere, recipere, ac retinere libere valeatis, auctoritate vobis præſentium indulgemus, &c. Datum Lugduni, VI Non. Octob. Pontificatus noſtri anno ſexto.

Privilegium Honorii Papæ ſuper eodem.

HOnorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Abbati, & Conventui S. Petri Gandenſis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Ex parte veſtra fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut cum à nonnullis nobilibus, & aliis ejus provinciæ ſuper receptione filiorum ſuorum monaſterium veſtrum ſit nimium aggravatum, & ad id per multorum precum inſtantiam ſæpius compellatur, in bonis parentum illorum, quos dictum monaſterium de cætero intrare contigerit, &c. Datum Reate, Idib. Novembris, Pontificatus noſtri anno decimo.

Privilegium Alexandri Papæ de beneficiis in penſionem non dandis.

ALexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Abbati, & Conventui monaſterii S. Petri Gandenſis, Ordinis S. Benedicti, Tornacenſis diœceſis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Paci, & tranquillitati veſtræ paterna volentes in poſterum ſollicitudine providere, auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut ad receptionem, vel pro viſionem alicujus in penſionibus, &c. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, ſe noverit incurſurum. Datum Viterbii, XV. Kal. Jan. Pontificatus noſtri anno tertio.

Privilegium Alexandri Papæ, quo beneficiati ſub S. Petro non poſſint gravari per officiarios Epiſcoporum in non notoriis.

ALexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Archidiacono, & miniſtralibus Epiſcoporum, in quorum juriſdictione Eccleſiæ S. Petri Gandenſis conſiſtunt, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Ea quæ ab aliis majoribus veſtris ſuſtinere non vultis, non decet vos qualibet occaſione minoribus veſtris inferre, &c. Datum Laterani, V Non. Martii.

Litteræ Nicolai Papæ, quibus revocantur, & prohibentur diſtractiones, & alienationes bonorum Monaſterii Sancti Petri.

NIcolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Cameracenſi & Tornacenſi Officialibus, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Ad audientiam noſtram pervenit, quod tam dilectus filius Philippus Abbas, & aliquæ ſingulares perſonæ ex dilectis filiis Conventus Monaſterii S. Petri prope Gandavum, Ord. S. Benedicti, diœceſis Tornacenſis, quam eorum inibi prædeceſſores, qui fuerunt pro tempore, decimas, terras, &c. Quod ſi non ambo iis exequendis potueritis intereſſe; alter veſtrum nihilominus exequatur. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo octavo, quarto Id. Auguſti, Pontificatus noſtri anno ſecundo. *Conſtantinus.*

Nicolai Papæ conſervatoria perpetua pro Monaſterio S. Petri juxta Gandavum.

NIcolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis S. Bartholomæi de Eechout Brugenſis, & S. Gertrudis Lovanienſis, Tornacenſis, & Leodienſis diœceſis, Monaſteriorum Abbatibus, ac Decano Eccleſiæ Tornacenſis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Militanti Eccleſiæ licet immeriti diſponente Domino præſidentes, circa curam Eccleſiarum, & Monaſteriorum omnium ſolertia reddimur indefeſſa ſolliciti, ut juxta debitum Paſtoralis officii eorum occurramus diſpendiis, & profectibus divina cooperante clementia ſalubriter intendamus, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1450, decimo Kalend. Aprilis, Pontificatus noſtri anno quinto.

Privilegium Calixti Papæ, quo Decanus Chriſtianitatis, ut dicunt, Gandavenſis poterat ſubdelegari Conſervator Privilegiorum Monaſterii Sancti Petri.

CAlixtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Sancti Bartholomæi de Eechout Brugenſis, & S. Gertrudis Lovanienſis, Tornacenſis, & Leodienſis diœceſis Monaſteriorum Abbatibus ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Sacræ Religionis, quam dilecti filii Abbas, & conventus Monaſterii Sancti Petri juxta Gandavum, Ordinis S. Benedicti, Tornacenſis diœceſis, erga nos, & Romanam gerunt Eccleſiam, promeretur honeſtas, ut eorum humilibus, & honeſtis votis, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Dudum ſiquidem per felicis recordationis Nicolaum Papam V, prædeceſſorem noſtrum, conqueſtione ipſorum

Digitized by Google

ſorum Abbatis, & conventus, percepto, quod nonnulli Archiepiſcopi, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1456, 3 Non. Januarii, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Privilegium Clementis Papæ, quo Abbas Sancti Petri poteſt uti mitra, annullo, & aliis pontificalibus, ac dare benedictionem ſolemnem in monaſterio ſuo, & Eccleſiis ſibi ſubditis poſt Miſſas, Veſperas, & Matutinas.

CLemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Gerardo electo Conventus monaſterii S. Petri prope Gandavum, Ordinis S. Benedicti, Tornacenſis diœceſis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Expoſcit veſtræ devotionis ſinceritas, & religionis promeretur honeſtas, ut tam vos, quos ſpeciali dilectione proſequimur, quam monaſterium veſtrum dignis honoribus attollamus, &c. Datum apud Bellicardum Arelatenſis diœceſis, XVII Kal. Octobris, Pontificatus noſtri anno duodecimo.

Ejuſdem Pontificis privilegium, quo Abbas S. Petri poteſt benedicere altaria, & alias res ad divinum officium in ſuo monaſterio pertinentes.

CLemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Gerardo electo monaſterii S. Petri prope Gandavum, Ordinis S. Benedicti, Tornacenſis diœceſis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Perſonam tuam nobis, & Apoſtolicæ Sedi devotam paterna benevolentia attendentes, illa tibi lubenter concedimus, quæ tibi, & monaſterio tuo ſalubriter cognoſcimus expedire. Tuis itaque, &c. Datum apud Bellicardum Arelatenſis diœceſis, XVII Kal. Octobris, Pontificatus noſtri anno duodecimo.

Indulgentiæ LX dierum, conceſſæ iis qui divinum officium alta voce cantatum, vel Dei verbum publice prædicatum audiunt in præſentia Abbatis Sancti Petri.

CLemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Gerardo electo monaſterii Sancti Petri prope Gandavum, Ordinis Sancti Benedicti, Tornacenſis diœceſis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Perſonam tuam nobis, & Apoſtolicæ Sedi devotam tuis exigentibus meritis paterna benevolentia attendentes, illa tibi lubenter concedimus, per quæ Chriſti fidelium animarum ſaluti valeat provideri. Tuis itaque, &c. Datum apud Bellicardum Arelatenſis diœceſis, XVII Kal. Octobris, Pontificatus noſtri anno decimo.

Confirmatio compoſitionis per Alexandrum Papam inter Abbatem Sancti Petri prope Gandavum, & Presbyteros Gandavenſes.

ALexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Abbati, & fratribus S. Petri Gandenſis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Commiſſa nobis officii cura exigit, & integritas rationis expoſcit, ut ea quæ concordia vel judicio ſtatuuntur, rata, & firma habentes, Apoſtolicæ curemus firmitatis robore communire. Audivimus ſiquidem, quod cum inter vos, & Capellanos Eccleſiarum veſtrarum, ſancti Joannis videlicet, ſancti Nicolai, & ſancti Jacobi in Gandavo ſuper iiſdem Eccleſiis controverſia mota fuiſſet, &c. Datum Anagniæ, 4 Non. Martii.

Confirmatio compoſitionis inter Abbatem, & Presbyteros Gandenſes per D. Lucium Papam.

LUcius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Abbati, & Capitulo S. Petri de Gandavo ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum inter vos, & Presbyteros, qui in Eccleſiis ipſius loci divina officia exequuntur, per Venerabiles Fratres noſtros Guillelmum Rhemenſem Archiepiſcopum, & Epiſcopum Tornacenſem, quamdam compoſitionem, &c. Datum Velitii, XVI. Kal. Maji.

Privilegium Lucii Papæ de ſepultura confratrum Sancti Petri & Sancti Gudwali.

LUcius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Gerardo Abbati, & fratribus Sancti Petri Gandenſis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Religioſam vitam eligentibus Apoſtolicum convenit adeſſe præſidium: ne forte temeritatis cujuſlibet incurſus, aut eos à propoſito revocet, aut robur, quod abſit, ſacræ religionis infringat. Ea propter dilecti in Domino filii veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, &c. Datum Veletri, XII Kal. Aprilis.

Confirmatio compoſitionis inter Abbatem Sancti Petri, & Canonicos Sanctæ Pharaildis Gandenſis, per Honorium Papam edita.

HOnorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Abbati, & Conventui Sancti Petri Gandenſis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum à vobis petitur quod juſtum eſt, & honeſtum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum, &c. Datum Laterani, v Nonas Martii, Pontificatus noſtri anno nono.

Diploma Bonifacii Papæ, quo Fratres Minores jubentur acquieſcere compoſitioni factæ ſuper ſepulturis, juxta tenorem certi inſtrumenti deſuper confecti, &c.

BOnifacius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Venerabili fratri Epiſcopo Tornacenſi ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Petitio dilectorum filiorum Abbatis, & Conventus monaſterii Sancti Petri de Gandavo, Ordinis Sancti Benedicti, Sanctæ Mariæ, Sancti Joannis, &c. Datum Laterani, xv Kalend. Martii, Pontificatus noſtri anno primo.

Confirmatio compoſitionis factæ inter Religioſos Sancti Petri, & Fratres Minores ſuper ſepulturis.

BOnifacius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Abbati, & Conventui Monaſterii Sancti Petri de Gandavo, Ordinis Sancti Benedicti, Sanctæ Mariæ, Sancti Joannis, &c. Datum Laterani, xv Kalend. Martii, Pontificatus noſtri anno primo.

Diploma Gregorii Papæ ſuper beneficiis à patronatu Sancti Petri Gandenſis dependentibus.

GRegorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad pepetuam rei memoriam. Ad ea quæ Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum beneficiorum ſtatum proſperum reſpiciunt libenter intendimus, &, ut Eccleſiæ, & beneficia ipſa fœliciter gubernentur, favorem benevolum impartimur, &c. Datum Avenione, vii Idus Decembris. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Privilegium Innocentii Papæ quarti, de beneficiis in penſionem non dandis.

INnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Abbati, & Conventui Monaſterii Sancti Petri Gandenſis, Ordinis Sancti Benedicti, Tornacenſis diœceſis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Paci & tranquillitati veſtræ paterna volentes in poſterum ſollicitudine providere, auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut ad receptionem, vel proviſionem alicujus in penſionibus, &c. Datum Lugduni, vii Kalend. Septembris, Pontificatus noſtri anno quarto.

Privilegium ejuſdem Innocentii Papæ quarti, de Telonio non ſolvendo.

INnocentius, Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Abbati, & Conventui Monaſterii S. Petri Gandenſis, Ordinis S. Benedicti, Tornacenſis diœceſis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Solet annuere ſedes Apoſtolica piis votis, & honeſtis petentium precibus favorem benovolum impartiri; ea propter dilecti in Domino filii, &c. Datum Lugduni, v Idus Octobris, Pontificatus noſtri anno quarto.

Uti autem Monaſterium hoc à Summis Eccleſiæ Pontificibus magnis ſpiritualium donorum gratiis adauctum fuit, ita & ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, aliiſque magnis in Rep. Chriſtiana viris egregie ornatum eſt.

Privilegium Caroli Imperatoris, de donatione de Temſeca, &c.

IN nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis. *Carolus* Dei gratia Rex. Notum eſſe volumus omnibus Sanctæ Eccleſiæ fidelibus, ac noſtris præſentibus ſcilicet, & futuris. Quia venerabilis vir Balduinus Abbas Monaſterii, quod vocatur Blandinius, à Sancto Amando in vico Gandenſi conſtructus, in honore Apoſtolorum SS. Petri & Pauli conſecratus, & ubi modo corpus B. Amelbergæ virginis quieſcere dignoſcitur, qualiter pro remedio animæ noſtræ fratribus in eadem Eccleſia digne Deo militantibus, ut aliquas res per auctoritatem præcepti noſtri daremus, quod & ita fecimus. Dedimus præfatis Deo ſervientibus in pago Waſiæ ſuper fluvium Scaldæ, villam quæ vocatur Temſeca, cum Eccleſia bene ornata,

ta, & in honore S. Mariæ, & S. Petri Apoſtolorum Principis conſecrata, ubi S. Amelberga virgo glorioſa migravit à ſæculo ad Chriſtum, &c. quæ ut pleniorem in Dei nomine obtineant vigorem, & à fidelibus S. Dei Eccleſiæ, ac noſtris verius credatur, & diligentius conſervetur, de annulo noſtro ſubterjcimus ſigillari. Signum Caroli glorioſiſſimi Regis. Ildeboldus Notarius ad vicem Goſleni recognovi. Data Idus Aprilis, Indictione tertia, anno trigeſimo, regnante Carolo glorioſiſſimo Rege. Actum Compendio, Palatio Regis, in Dei nomine fœliciter. Amen.

Præceptum Ludovici filii Caroli Calvi datum per manum Arnulphi Magni Marchiſii, & Gerardi Abbatis ſuper reſtauratione aliquorum bonorum per violentiam Blandinio abſtractorum.

IN nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis, divina præordinante gratia Francorum Rex *Ludovicus*. Si in divinis cultibus operam dantes, Eccleſiam Dei ad ſummum ſacræ Religionis ſtatum ſuſtollere conamur, ab ipſo bonorum omnium remuneratore pro certo confidimus, fore nobis recompenſandum. Igitur notum eſſe volumus omnibus Sanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus, præſentibus ſcilicet & futuris, quomodo noſtræ dignitatis adiens præſentiam Arnulphus Comes, & Marchio nobiliſſimus, noſterque conſanguineus clariſſimus nobis retulit dolendo, quoddam Cœnobium à Beatiſſimo Amando Præſule, ſub regulari Monachorum norma nobiliter, ſecus caſtrum Gandavum, ſuper Scaldis fluenta olim conſtructum fuiſſe, quod antiquitus vocabatur Blandinius, &c. Et ut hæc noſtræ corroborationis conceſſio pleniſſimum obtineat ſtabilitatis vigorem, manu propria ſubter eam firmavimus, & annuli noſtri impreſſione aſſignare injuſſimus. Signum D. Ludovici glorioſiſſimi Regis. Oydilo Notarius ad vicem Artaldi Archiepiſcopi relegit, & ſubſcripſit. Actum Rhemis, XIII Kalend. Septembris, Indictione octava, anno decimoquinto, regnante Ludovico Rege glorioſo.

Privilegium Ottonis Imperatoris ſuper libertate poſſeſſionum in Dulciaco, & Crombruga in pago Brackbantenſi.

IN nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis. *Otto* divina favente clementia Imperator Auguſtus. Quoniam Regiæ vel Imperatoriæ dignitatis officium eſſe conſtat, ut monaſterialia loca Deo, & Sanctis ejus dicata, ob divini cultus augmentum, novis ſemper auctoritatibus roborentur: idcirco notum eſſe volumus omnium fidelium noſtrorum, tam præſentium quam futurorum, induſtriæ, qualiter venerabilis Abbas Womarus Blandinienſis Cœnobii noſtram adiit ſerenitatem, &c. Et ut hoc auctoritatis noſtræ præceptum firmum, & ſtabile permaneat, hanc chartam conſcribi fecimus, quam & propria manu ſubtus firmavimus; annulique noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Signum D. Ottonis Magni, & Invictiſſimi Imperatoris Auguſti. Lindolphus Cancellarius ad vicem Wilhelmi Archicapellani recognovi. Datum XI. Kalend. Februarii, anno Dominicæ Incarnationis D CCCC LXVI, Indictione nona, anno regni D. Ottonis XXXI, Imperii vero quarto. Actum Trajecto, in Dei nomine fœliciter. Amen.

Confirmatio Ottonis Secundi Imperatoris ſuper libertate Eccleſiæ S. Petri.

IN nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis. *Otto* ſuperna favente clementia Imperator Auguſtus. Cum magno munere miſericordiæ Chriſti Eccleſiæ multiplicentur gaudio, dignum conſtat, ut ſollicitudine Regiæ clementiæ, ſpiritu Dei incitatæ, ne quid in rebus ipſius Eccleſiæ impacatum maneat, nova ſemper auctoritate roborentur: proinde noverit omnium fidelium noſtrorum induſtria, quia vir venerabilis Wamarus Abbas ex Monaſterio Blandinio, &c. Et ut hoc auctoritatis noſtræ præceptum firmum, & ſtabile permaneat, hanc chartam conſcribi juſſimus, quam & propria manu ſubtus firmavimus, annulique noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Signum D. Ottonis invictiſſimi Imperatoris Auguſti. Ethertus Cancellarius ad vicem Willigiſi Archicapellani notavi. Datum 2 Kalend. Martii, anno Dominicæ Incarnationis D CCCC LXXVII, Indictione quarta, anno quinto regni Domini Ottonis XVI, Imperii nono.

Privilegium Domini Ottonis Imperatoris, de remiſſione teloniorum.

IN nomine Domini Dei, & Salvatoris noſtri JESU Chriſti. *Otto* divina ordinante providentia Imperator Auguſtus. Quoniam ſuperna diſpenſante gratia cæteris mortalibus videmur ſupereminere, oportet, ut cujus præcellimus munere, ejus ſtudeamus

modis omnibus voluntati parere. Nam & iis quibus nos ſcimus divinitus præeſſe, debemus in quibuſlibet neceſſitatibus prodeſſe, & juſtis petitionibus ſervorum Dei, quas ſuæ quietis, vel ſubſidii cauſa ſuggerere videntur, libenter obaudire, &c. Et ut hæc auctoritatis conſtitutio Domino protegente valeat finetenus inconvulſa permanere, &c. Signum Domini Ottonis invictiſſimi Imperatoris Auguſti. Egbertus Cancellarius ad vicem Walghiſi Archicapellani notavi. Datum anno Dominicæ Incarnationis D CCCC LXXVII, Indictione III, anno V, Regni Domini Ottonis XVI, Imperii IX.

Confirmatio Conrardi Imperatoris ſuper libertate bonorum, & poſſeſſionum Eccleſiæ S. Petri Gandenſis.

IN nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis. *Conrardus* gratia Dei Imperator Auguſtus. Quoniam Regiæ vel Imperatoriæ dignitatis officium eſſe conſtat, ut Monaſteria vel loca Deo, & ſanctis ejus dicata, ob divini cultus augmentum, novis ſemper auctoribus roborentur. Hoc nobis procul dubio ad æternam beatitudinem, & totius Regni à Deo nobis commiſſi tutelam manſurum eſſe credimus: ſi ea etiam noſtris confirmamus edictis, ſicut didicimus ante nos feciſſe fideles noſtros Reges, & imperatores, &c. Quiſquis igitur contra noſtræ hujus præceptionis munimen (quod minime futurum credimus) aliquid ſiniſtrum molitus fuerit, primo omnipotentis Dei iram incurrat, deinde omnium Sanctorum, & judicio fidelium convictus, reatus ſui pœnam exſolvens, centum auri libras coactus monaſterio ſolvat, & quod illicite tentavit, fruſtretur & inane fiat. Et ut firmius maneat, inconvulſumque ſervetur, &c. Signum Domini Conrardi, &c. Cancellarius Burgardus vice Pardonis Archicapellani recognovit. Datum 4 Nonas Julii, anno Dominicæ Incarnationis M XXXVI, Indictione IIII, anno autem Domini Conrardi ſecundi regnantis XII, Imperatoris vero X. Actum Noviomago fœliciter. Amen.

Privilegium Lotharii Regis Francorum de confirmatione jurium, & poſſeſſionum Blandinienſis Cænobii.

IN nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis. *Lotharius* Rex gratia Dei, &c. Si ea quæ fideles noſtri pro ſtatu, & utilitate Eccleſiarum in locis ſibi commiſſis ſtatuerint noſtris confirmamus edictis, hoc nobis procul dubio ad æternam beatitudinem, &c. Et ut firmius maneat inconvulſumque ſervetur, &c. Signum Domini Lotharii Regis glorioſiſſimi. Gezo Cancellarius, &c. Actum Laudunii fœliciter.

Altera confirmatio jurium, &c. per eundem Lotharium.

IN nomine, &c. *Lotharius* gratia Dei Rex, &c Si ea quæ fideles noſtri pro ſtatu, & utilitate Eccleſiarum, &c. in locis ſibi commiſſis ſtatuerunt. . Et ut firmius, &c. Hoc ei præceptum fieri juſſimus, & annulo noſtri Palatii ſuperfirmantes juſſimus inſigniri. Signum Domini Lotharii. Gezo Notarius ad vicem Odelrici Archiepiſcopi ſummique Cancellarii, &c. Actum tertio Nonas Maji, regnante Domino Lothario anno XII, Indictione decima. Actum Nobiliaco fœliciter.

Simile privilegium habetur datum, & confirmatum per Carolum Francorum Regem an. Domini M CCCC XL, & regni ſui decimo nono.

Confirmatio jurium, & poſſeſſionum Blandinienſis Cænobii, per Dominum Henricum Francorum Regem facta.

IN nomine, &c. *Henricus* gratia Dei Rex, &c. Si ea quæ prædeceſſores noſtri divina ordinatione atque ſuperna inſpirante providentia pro ſtatu S. Dei Eccleſiæ ſtatuerunt, &c. Ego Balduinus Cancellarius relegendo ſubſcripſi. Actum Corbeiæ, anno Verbi Incarnati MXXXVIII, & regni Henrici Regis VII.

Altera confirmatio jurium per eundem Regem

IN nomine, &c. *Henricus* divina favente clementia Rex. Quoniam regiæ dignitatis officium eſſe conſtat, ut Monaſteria, &c. Signum Domini Henrici Tertii Regis invictiſſimi, &c. Theodoricus Cancellarius vice Pardonis Archicapellani recognovit. Datum V Kalend. Junii, anno Dominicæ Incarnationis M XL, Indictione octava, anno autem Domini Henrici Regis Tertii, &c. Acta Leodi fœliciter. Amen.

Reſtitutio facta Blandinio per Arnulphum Comitem Flandriæ, &c.

ARnulphus, adminiculante ſuperni Regis clementia, Marchiſus ſanctæ Eccleſiæ Dei fidelibus quocumque paſſim ordine Deo catholice militantibus, &c. Legitur in Machabæorum libris divinitus exa-

exaratis, &c. Actum Blandinienſi Cœnobio, regnante Ludovico anno ſexto, filio Regis Caroli Reclauſi, &c. Signum Arnulphi clementiſſimi Comitis atque Marchiſi, &c. Tranſmari Epiſcopi, &c. Folberti Epiſcopi, &c.

Confirmatio jurium Monaſterii S. Petri per Carolum Bonum Flandriæ Comitem.

CArolus Dei gratia Comes Flandriæ, & filius Regis Daciæ, univerſis Eccleſiæ filiis tam præſentibus quam futuris in perpetuum. Cum divina providentia, in cujus manu ſunt omnium poteſtates, & jura regnorum, poſt deceſſum inclyti Comitis Balduini nepotis ſcilicet mei in Principatum Flandriæ me ſublimaſſet, venerabilis, &, ut credimus, dilectus Deo, & hominibus Arnoldus Abbas S. Petri, &c. Ut autem hoc ratum permaneat, præſentem paginam, &c. Signum Caroli Comitis, S. Sygeri Caſtellani. S. Balduini de Aloſt, &c. Actum Gandavi, anno Domini M C X X, anno Principatus noſtri primo.

Privilegium Domini Theodorici Comitis Flandriæ, &c.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Ego *Theodoricus* Dei gratia Flandriæ Comes, conſiderans, & mente ſæpius retractans nullam ſtabilitatem ineſſe præſentibus, perpendens quoque difficile eſſe Principatum terrenum ſine peccatis atque offenſis adminiſtrare. Per hoc maxime remiſſionem peccatorum meorum, & æternæ fœlicitatis conſortium, me adipiſci poſſe exiſtimavi, ſi S. Dei Eccleſiæ defenderem, & exaltarem libertatem, &c. Signum Theodorici Comitis. S. Iwanni de Aloſt, &c. Actum eſt hoc apud Gandavum, anno Dominicæ Incarnationis M C X X X I I I, &c.

Confirmatio jurium per eundem Theodericum Comitem facta.

IN nomine Patris, &c. *Theodericus* Dei gratia Flandrenſium Comes, omnibus tam præſentibus quam futuris in perpetuum. Magnæ remunerationis meritum eſſe credimus apud altiſſimum, &c. Signum Theoderici Comitis. S. Rogeri Caſtellani Gandenſis, &c. Actum Gandavi, anno Domini M C LVI, &c.

Privilegium ejuſdem de immunitate teloniorum, per Comitatum Flandriæ.

IN nomine, &c. Ego *Theodericus* Dei gratia, &c. Notum eſſe volo, quod Sygerus dilectus nobis Abbas S. Petri Gandenſis ad nos venerit, &c. Signum Theoderici Comitis. S. Rogeri Caſtellani Gandenſis, &c. Actum Gandavi, M C LVI, &c.

Confirmatio libertatis, & juriſdictionis Eccleſiæ S. Petri facta per Comites Flandriæ.

PHilippus quondam Regis Francorum filius, Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ, &c. Notum facimus univerſis præſentibus pariter & futuris, nos vidiſſe litteras chariſſimorum prædeceſſorum noſtrorum, &c. Datum Gandavi, anno Domini M CCC LXXXV, menſe Januario; ſic ſignatum per Dominum Ducem I. Vie.

Privilegium Philippi Flandriæ Comitis, &c.

IN nomine Patris, &c. Ego *Philippus* Comes Flandriæ, & Viromandiæ, omnibus, &c. Notum eſſe volumus, &c. qualiter dilectus noſter Hugo Abbas S. Petri Blandinienſis, &c. Actum Brugis, anno Dominicæ Incarnationis M C LXXIIII.

Ejuſdem privilegium de Bannitis.

IN nomine Patris, &c. Ego *Philippus* Dei gratia Flandriæ Comes, omnibus tam futuris quam præſentibus notum fieri volumus, quod Dominus Gerardus dilectus noſter Abbas ſancti Petri multoties coram nobis querimoniam detulit, &c. Actum Gandavi, anno Domini M C LXXX, Signum Raſonis de Gavere, &c.

Ejuſdem conſtitutio de iis qui de villa Gandenſi ſe transferunt & manſionem eligunt in villa S. Petri.

IN nomine Patris, &c. Ego *Philippus* Dei gratia Flandriæ, & Viromandiæ Comes, omnibus, &c. Abbas Girardus, & Monachi S. Petri Gandenſis, nobis ſæpe & graviter ſunt conqueſti, &c. Signum Philippi Comitis. S. Rogeri Caſtellani. Actum Brugis, & confirmatum per manum Gerardi de Mecines Præpoſiti Inſulenſis, anno Domini M C LXXXV, &c.

Donatio villæ de Deſſelberghe facta per Comitem Wichmannum, &c.

IN nomine Patris, &c. Cum omnipotentis Patris ſapientia, eademque & virtus, & verbum Dei cuncta exiſtentia conſtituit, &c. Actum publice Blandinio Monaſterio, xv. Kal. Novembris, anno Verbi Incarnati DCCCCLXII. Signum ipſius *Wichmanni* Comitis, qui hanc traditionem fecit, & illuſtrium virorum teſtimonio firmari petiit, &c.

Donatio villæ de Avelghem per Balduinum Comitem, & matrem ejus Suſannam Reginam.

IN nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis. Cum omnis mundanæ creationis materies, &c. Signum Balduini Marchiſi, & Suſannæ Reginæ, qui hanc traditionem fecerunt, & firmari petierunt. Signum Framarici Terovanenſis Epiſcopi, &c. Actum in Gandavo, in monte Blandinio, anno Domini DCCCCLXXXVIII, Indictione prima, Kalend. Aprilis, anno regiminis Adalwini Abbatis tertio.

Donatio villæ de Holbein facta per Godefridum Comitem Flandriæ, & Dominam Machtildam ejus uxorem.

CUm plurima ſalutis remedia conſtent larga deificæ pietatis miſeratione proviſa, &c. Actum publice in Cœnobio Blandinio, XII Kalend. Februarii, Indictione ſeptima, anno XXVI regni Lotharii inclyti Regis, & regiminis Domini Womari Abbatis XXVII. Signum Godefridi Comitis, & Machtildæ uxoris ejus, &c.

Donatio villarum de Harnes, Annay, & Loyſon facta per Arnulphum Juniorem Comitem Flandriæ.

CUm plurima ſalutis remedia, &c. Actum publice in Cœnobio Blandinio, ſecundo Kalend. Aprilis, Indictione decima quinta, anno decimo nono regni inclyti Regis Lotharii, & regiminis Domini Abbatis Womari XX. Signum Arnulphi Junioris Marchiſi.

Donatio de Water-vliet per Balduinum Flandriæ, & Hannoniæ Comitem.

IN nomine Patris, &c. Ego *Balduinus* Dei gratia Flandriæ, & Hannoniæ Comes notum eſſe volo tam præſentibus quam futuris, quod terram in Watervliet, quam Henricus frater meus ex mea largitione libere poſſedit, Eccleſiæ B. Petri Gandenſis in eleemoſynam, &c. Actum in Capella de Male, anno ab Incarnatione Domini MCCXVIII, Kalend. Junii.

Donatio de Anſdeghem per Rodgerum, &c.

IN nomine Patris, &c. Cum ſatis notæ traditioni teneatur hoc præſens ſæculum æternaliter non habere ſubſiſtere, nec vitam hominis perpetualiter in eo manere, honeſtam eam utilitatem Chriſtiana ſibi providet devotio, &c. Actum publice Gandavi, in monte Blandinio, tertio Kal. Julii, &c. anno Verbi Incarnati DCCCCLX, Indictione octava, Lotharii Regis anno ſexto. Signum ipſius Rodgeri qui hanc traditionem fecit.

Donatio de Baerle per Eremboldum, &c.

IN nomine Patris, &c. Cum ſatis notæ traditioni teneatur, &c. Actum publice Gandavi, in monte Blandinio, ſub die Kalend. Novembris, qui eſt dies venerationis omnium Sanctorum, anno videlicet Dominicæ Incarnationis MXXVI, Indictione nona, Roberto Rege regnum Francorum honeſte moderante, & Rodboldo Abbate memoratum Cœnobium regente. Signum ipſius Eremboldi qui hanc traditionem fecit, & firmari petiit. Prima ac antiquiſſima omnium donatio eſt, qua & fundatoris nomen promeruit, cum Rex *Dagobertus* dedit Sancto Amando villam de Adeghem, & alias terras, quæ in circuitu adjacent Monaſterio Blandinienſi; quam villam, & quas terras præfatus Amandus dedit eidem Monaſterio in perpetuum poſſidendas.

Hæc ex Codice membranaceo msc. qui in Archivis Blandinienſibus latet.

Vitæ Abbatum S. Petri.

S. Florbertus.

POſtquam Beatiſſimus Pontifex *Amandus* rexerat hoc monaſterium Blandinienſe octo annis à ſui exordio, præfecit ibidem cœnobialis viæ callem agonizantibus patrem nomine *Florbertum* exemplar ſanctitatis, & totius Religionis ſpeculum, atque ſagacis ingenii virum, dignumque Deo Sacerdotem, quem ad veſtigia ſui & exemplis informavit, & admonitione ad plenum erudivit. Merito ergo

ergo per omnia credi decet, quanti præconii vel ſanctitatis hic Beatiſſimus Pater noſter Abbas in conſpectu Domini floruerit, quem & almus Pontifex Chriſti Amandus ſibi Vicarium ſubrogavit, atque totius Gandenſis territorii patrem ſive rectorem præfecit, ejuſque Apoſtolatu inſignivit. Interea longe lateque boni odoris ſui fama percrebreſcente, cœperunt multi illuſtres viri ad eum undique confluere, & filios ſuos ad ſerviendum Deo in Monaſterio offerre. Sicque mater Sion dilatavit tabernacula ſua, atque longos fecit funiculos ſuos. Suſcepto autem regimine animarum, atque onere onerum, quanta vigilantia ſuper cuſtodiam Domini ſtabat diebus ac noctibus, probat experientia exercitii, atque vis laboris ſui. Nam omnis Gandenſis natio, quæ antea non novit niſi barbarum frendere, tunc cœpit Chriſti eloquia reſonare, tantique patris inſtitutione, atque Beatiſſimi Pontificis Amandi oratione, grex Apoſtolici ovilis, atque Cœnobii Blandinienſis magis magiſque fructificabat in Domino. Et quia tunc temporis Dei cultor, Deique Sacerdos illis in locis perrarus habebatur, idcirco ipſe magis magiſque notus, & carus haberi cœpit. Itaque factum eſt, ut ſub brevi temporis ſpatio, ibidem ſervorum honorabilis fieret congregatio, ut tamen cum reverentia Sanctorum ad laudem Domini dicamus, hoc nunc tam oculis quam verbis atteſtari poteſt, dum eundem locum à Deo honoratum, & multorum Sanctorum pignoribus illuſtratum videas. Benedictus per omnia Deus, qui ſemper in Sanctis ſuis eſt mirabilis. Tempore hujus Patris noſtri Florberti, ad petitionem præcellentiſſimorum Regum Dagoberti, atque filii ejus Sigeberti, Beatus Martinus Romanæ Sedis Pontifex confirmationis ſuæ auctoritatem interpoſuit, de ſtabilitate ipſius Monaſterii Blandinienſis, de villis, & facultatibus, deque Eccleſiis & Eccleſiarum decimis, ſive familia, & aliis rebus ad præfatum Monaſterium ſpectantibus, quæ omnia conſtituit in libera diſpoſitione Florberti Abbatis, quantum ipſe, & ſui ſucceſſores cuncta diſponeret, & ordinaret abſque ullius contradictione vel refragatione, ut liberius Fratres invigilent mandatis Domini ſecundum regulam Sancti Benedicti, quæ privilegii arca ſic incipit: Martinus Epiſcopus ultimus ſervus ſervorum Dei, omnibus Deum diligentibus ſalutem. De quotidiano Sanctæ Matris Catholicæ, atque Apoſtolicæ Eccleſiæ profectu, ac multiplicatione gaudere debemus, &c. Scriptum per manum Stephani Notarii, & Regionarii, & ſacri ſcrinii Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, in menſe Januario, Indictione 2. Datum XIIII Kalend. Febr. per manum Amandi Epiſcopi, & Bibliothecarii ſanctæ Sedis Apoſtolicæ. Juxta reliquias jam dicti Florberti titulus lapidi inſculptus Græce & Latine repertus eſt, ſequentia complectens verba: *Hic requieſcit corpus Florberti Abbatis, diſcipuli, & ordinati Beati Amandi Epiſcopi.* Obiit, teſte etiam Sigeberto, S. Florbertus anno 639.

Venerabilis Joannes.

Ex archivis Cœnobii Blandinienſis.

SAnctiſſimo Pontifice Amando adhuc in carne vivente, ſed non ſecundum carnem agonizante, tertius ab ipſo in ordine regiminis hujus Cœnobii Blandinienſis, Vir venerabilis *Joannes*, juxta nominis ſui etymologiam, gratia Dei plenus, ſubrogatur. Quem ſol juſtitiæ vero perfudit lumine, quem Dei gratia ſupernæ benedictionis fœcundavit abundantia. Hic erat vir miſericordiæ, in quo ſeptiformis gratiæ donum divinitus illuxit, cujus nomen in libro vitæ cœleſtis aſcriptum eſt, cujus memoriale non delebitur in ſæcula. In hoc viro Dei compertum eſt, quod homo homini præſtat, huic aurei divinæ ſapientiæ fontes patuerunt, in quibus aurum ignitum probatum reperiens nimium locupletatur, atque inclytus valde factus eſt. Hic igitur ſe ipſum in honore, & ſanctificatione poſſidens, vas Domini electum, mundum, ſanctum, temporibus *Lotharii* Regis junioris in hoc tabernaculo Dei cuſtos vaſorum Domini efficitur. Cujus virtutum inſignia, & laudabilis, imo imitabilis, religionis opinio adeo longe lateque mundum percrebruit, ut etiam ſanctiſſimus atque celeberrimus locus ab eo tum temporis *Joannis Monaſterium* vulgi ore cognominaretur. Et quoniam in celebratione laudis divinæ ſanctiſſimi operis ſui decus ſemper ſagax iterare ſtuduit, etiam ab ignorantibus cum memoria illius in benedictione recolitur in ſæcula. Verum operæ pretium videtur ſuccincta cognitione innoteſcere, qualiter in hujus Cœnobii regimine divina prudentia electus ſit. Transfretato igitur ad cœleſtia regna Sanctiſſimo Patre noſtro Florberto Abbate, omnis Fratrum congregatio, in timore Dei collecta, in ſubrogando domui Dei dignum paſtorem conſilia ad communem utilitatem pertractant. At majores natu communis ſalutis utilitati præſago ſpiritu ſalubrius providentes, utpote quos ætatis, ſapientiæ, & gratiæ maturitas commendabat, cum, inquiunt,

quiunt, piiſſima quondam à Deo collati, nunc autem, heu! ablati, paſtoris educatione deſtituimur, cur rurſus Paſtoralis curæ cuſtodiam ſuper gregem Domini non conveniat conſulere? Nobis autem providendum, ſicque ſancti Collegii noſtri utilitati collatæ divinitus ſapientiæ conſultu eſt juvandum, ne poſt caſſæ pænitudinis elogio contingat denotari, vel dehoneſtari. Optima ergo conſultus noſtri ratio eſt, ſuper his Sanctiſſimi Patroni noſtri atque Pontificis Amandi præſentiam viſitatum iri, quatenus ſuæ ſanctæ obeditionis, vel eruditionis filios non negligat, ſed jam in primis auſpiciis in domo Domini florentes, paterna conſolatione viſitet, atque magni conſilii angelus nobis ſuccurrat. Magnopere quidem nobis curandum, piumque ipſius patrocinium implorandum, ne pius Pater filiorum immemor, manum miſerendi ſubtrahat, ſed ipſe noſtri Cœnobii, & ſui tabernaculi, ſibi quondam dilecti faſces paterni ſuſcipiens, dum adhuc Reipublicæ noſtræ ſtatus eccleſiaſtica religione pollet, magiſterio ſanctitatis ſuæ ad meliora altius conſurgat. Fit unanimus atque ſaluberrimus, afflante Sancto Spiritu, omnium conſenſus, atque ex omnibus electi mittuntur legati. Tranſmeato itaque itineris ſpatio, invenerunt Virum Dei in oratorio Beati Andreæ Apoſtoli, cui fluviolus ibidem decurrens Elnonis vocabulum dedit. Hic ſane vir Domini ea tempeſtate canos ſuos divinæ contemplationis theoria fovebat, inediæ, algoris, vigiliarum patiens, ut modum humanitatis videretur excedere, vaſtumque animum divinis exercitiis in Domino quotidie recreans, jocundam ſibi faciem Domini his verbis interpellat: *Sicut deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Itemque: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniens apparebo ante faciem tuam? Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini, quia elegi abjectus eſſe in domo Domini, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Rurſumque: *Adimple ergo me Domine cum jocunditate cum facie tua, ut delectationes quæ ſunt in dextera tua videam uſque in finem.* His igitur & hujuſmodi pauper Chriſti ſemper januam vitæ mendicando pulſans, atque in epulatione divini obtutus ſemper ſuſpirans, ultimæ vocationis ſuæ diem in præfato Cœnobio ſpeciali præſtolabatur gaudio, cujus angelicis obtutibus Fratres qui miſſi fuerant ſe præſentantes, Chriſtum in tanto patre manentem adorantes benedicunt. Dataque coram copia fandi; Sancte, inquiunt, pater, fideli Fratrum, filiorumque tuorum legatione fungimur, qui nunc paternæ orbitatis mœrore affecti, conſolationis tuæ revelationem expetunt. Vir autem Sanctus deſtitutione gregis Dominici comperta, pro tanti rectoris exceſſu, ea quæ ſunt pro redemptione animarum, Domino ſacrificium immolabat. Quibuſque id conſolationis reſponſum dedit: Animæquiores eſtote Fratres cariſſimi, quia Dominus ſervum ſuum de ærumna ad gloriam, de luctu introduxit ad gaudium; veſtrique, ſecundum divitias miſericordiæ ſuæ non immemor, vobiſque per ipſum non deerit Paſtor. At illi reſpondentes: Conſolationis tuæ revelationem benigne amplectimur (Pater Sancte) ſed pro humanitatis affectu, atque orbitatis mœrore, ſunt nobis lacrymæ rerum, & mentem mortalia tangunt. Nunc autem oculi omnium noſtrum in te ſperant, atque omnia noſtra conſilia, & ſubſidia te expetunt. Deſideramus enim tui ſancti magiſterii formæ imprimi, dulcique eruditione tua inſtrui; piumque tuum nobiſcum deprecamur adventum, ut, Blandinium, dilectum tibi quondam tabernaculum, adeas viſitatum. At ille: Præclara, inquit, res, & permagna filii chariſſimi, exercitatione eget aſſidua, & non modica. Sed quid, aut quantus ego, aut quæ in me gratia doctrinæ divinæ? Si quid enim de me proficui eſſet, probabili veſtro voto parere non ignorarer. Nunc autem tam mihi, quam vobis timeo. Jura, inquiunt, in te fidei, probitatis, induſtriæ & ſapientiæ pollent, ut nil egregium præter cætera, nam res magna, & præclara ſanctitati & magnitudini tuæ congruit, doctrinæ autem Catholicæ atque Apoſtolicæ tanta jam parte per omnem Galliam emanat affluentia, ut juxta cujuſdam Theoſophi in ea, & elephas natet, & agnus ambulet. Teſtantur id ſane Reges, Regumque Principes, tum Cœnobitæ quam plurimi, qui per te ad æternæ ſoliditatis littus Elephantum vice natantes tendunt. Teſtatur etiam utriuſque ſexus multitudo, agnorum more ad vitæ paſcua per te gradientes. Nil ita, Sancte Pater, de te magnificum dici valet, quin id ſuperet tua virtus. Omnia tibi Deo adminiſtrante ſuppetunt, ſolum tibi voluntas, atque ne recuſando excuſes; ſine ut filii à Patre impetrent poſtulata cum gratia, te nobis tam præeſſe, quam poſteris noſtris prodeſſe, magnæ gratiæ lumen erit. Ad hæc venerandus heros: Parcite, inquit, parcite ſenectuti jam fatigatæ. Sufficiat hactenus Regi meo practico marte terras, & maria perluſtrando militaſſe; nunc theorica quiete, ſenectutem tranſigere ſinite, jam jamque Dominum Regemque

que

que meum vocantem me video; jam in ejus conſpectu gratias agens aſſiſto; atque cum jam naturæ per mortem cedendum eſt, quorſum hinc abeundum eſt? Tandem hunc locum quietis meæ à Deo impetratum ſciatis, quem me, quoad vixero, deſerturum non ſpero, fixam in me Prophetici oraculi tenens ſententiam dicentis; *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.* Vos autem chariſſimi ſumma Salvatoris ope nitimini, nihilque in vobis quam juncta benevolentia, incorrupti mores, & quæ ſanctæ delectationis vinculum eſt, charitas Dei reſplendeat, ut dum vos bene merentes de ſe gratia Dei reſpexerit, divitias auxilii ſui copioſa vobis manu effundat, atque angeli, Deo in loco ſancto habitante, dum vos in Deificis jugiter meditantes perſpexerint, vos beatificando dicant: *Benedicti vos à Domino, qui fecit cœlum & terram.* Sicque ultimæ ſortis veſtræ horam, ad palmam divinæ remunerationis coronabunt in ſæcula ſæculorum. Amen. At illi jucundiſſime: Sancte Pater, ſenectutis depone querelam, in qua & gratioſæ ætatis provectu quoſque juvenum, & animo forti atque virtute robuſta tranſcendis virtutum gradibus. Unde ſi apud divinam mentem tuam id nobis pararetur, ut per te extincti Paſtoris præſidia reſurgerent, haud mediocri dulcedine divinis oblectaremur obſequiis. Nunc autem quia te, tuiſque factis, & moribus dignum elegis negotium, terrenis ſcilicet occupationibus otium præbere, & amore ſancti Spiritus divinæ contemplationi operam dare; neceſſe eſt nos gratiam tui hac parte experiri, ne laxis iſſe noſtri habenis regiminis à Deo dignis, & idoneis, ad minus dignos & idoneos transferantur. Antique dictum eſt; Majus dedecus eſſe parta amittere, quam omnino non paraviſſe. Locum tuis divino fretus juvamine paraſti, parato conſilia atque ſubſidia ſuggere; ſpei noſtræ in te ſitæ benigna paternitate conſule, & ad uſum tam religionis quam Reipublicæ noſtræ tua conſtitutione, electione, & ordinatione Paſtorem nobis provide, qui paterna providentia, & vigilantia filiis tuis bene conſulendo divina provideat & humana, quemque tam diu quam Chriſti vice jugiter amore & honore colamus. Quibus ad hæc venerabilis pater placido fudit pectore: Non ita, fratres mei chariſſimi, humanitate vel paternitate deſtitui videor, ut cari Blandinii prædulciumque filiornm unquam immemor habear, aut ullius unquam commodi in me eis claudatur beneficium, ita ut juxta Pſalmiſtæ vocem; Si oblitus fuero tui, obliviſcatur me dextera mea. Eſt quidam, quem tam præ ceteris ſpecialius, quam carius amplector unum, Joannes nomine, juxta quod parentes nominis præludebant, præſagio gratiæ Dei undique plenus; quem cum conſidero, mecumque vias ejus reputo, magnam in me, non imminuendæ religionis, de eo ſpem, & ſecuritatem admitto, animo ad omnia quæ ſunt agenda promptus, ætate robuſtus, virtute decorus, omnique morum probitate religioſiſſime comptus. Hunc ſuper cuſtodiam gregis dominici nobiſcum mittere idoneum, adeoque vices, quas meæ fragilitati vultis imponere, meo loco vobiſcum ſtrenue agens, juſte vivendo, vigilando, conſulendo, pulcherrimi Blandinii gloriam quoque gentium celebrem & decoram reddat. At illi: Fiat ſecundum verbum tuum Pater, inquiunt; dum cunctus noſtræ ſalutis conſultus in tuo ſancto reſpiciat patrocinio. Nil enim tuis præſidiis nobis melius, aut tuo conſultu jocundius. Erat prædictus Joannes monaſterialiter ac regulariter apprime eruditus, ſtudio prudentiæ, & ſapientiæ adeo deditus, ut peritia proferendi nova, & vetera, in eo quam maxime polleret, ut jam non tam moraliter, quam naturaliter in his conſtare videretur. In cujus pectoris placito ſapientia ædificavit ſibi domum, quatuor Cardinalium virtutum columnis, per quadrigonum innixum, prudentiam fortitudini contemperans, juſtitiam temperantiæ conformans; qua ſublatus quadriga cum quatuor illis animalibus ante, & retro oculatis, ſemper ad cœleſtia anhelando, petendo, tranſcendens Cherubim & Seraphim, præſentiam deſiderabat, cum ipſis plenitudinem ſcientiæ, atque notitiam myſteriorum Dei ſcire geſtiens. Tanta in eo fides, integritas, liberalitas, pietas, tantus benevolentiæ, charitatiſque conſenſus, ut nil ultra. Huic exoptavit Deo annuente, atque commiſit ſuperbas Blandinienſis gloriæ faſces ſanctiſſimus Pater, atque Pontifex Amandus, eique dixit: Aggredere, fili chariſſime, vices Chriſti & Monaſterium, in quo primo labor meus fructificavit in Domino, divinis excole inſtitutis, *confortare & eſto robuſtus*; exemplum ergo beate vivendi ſubditis eſto; forma & ſtudium in te modeſtiæ honeſtatiſque reſplendeat, eſto manſuetudine ſuavis, ſeveritate gravis in corrigendo, & ignoſcendo diſertus; caſtra æterni Regis terribili acie inſtrue, atque in hoſtem dirige, ut bonum certamen certando, curſum conſummando, fidem ſervando, cum eis inſignis victoriæ palmas in terra viventium Domino repræſentes; Apoſtolicæ quoque admonitioni obediens, attende lectioni, exhortationi, & doctri-

næ, ne negligas gratiam, quæ in te eſt, ſed attende tibi, & doctrinæ inſtans in illis. Hoc enim faciens te ſecurum reddes, & ſubditis tibi ſalus erit: neque debiliteris abſentia mei, quia reſpectu divino abſens, tibi ſemper adero præſens: caritas vero non loco, non tempore excluditur. Memoria & deſiderio tecum ſemper ero, & ſpiritu meo in præcordiis meis de mane, & veſpere vigilabo ad te. Sic Vener. Joanni; fratribus autem, ut ſub tanto Patre regul. Inſtitutis obtemperarent, paternis monitis pia converſatione concordarent; Abbatem Chriſti vice eis jam præpoſitum vera obedientia & ſincera charitate invicem prævenirent. Obtulit etiam eidem vener. Abbati Joanni ſuæ ſanctæ recordationis munus, munus omni ſanctitate plenum, id eſt phylacterium, quod à S. Martino Papa impetraverat, & cucullam omni veneratione dignam, qua ipſe pro pontificali cultu & honore indui ſolitus erat, cum ad divina myſteria celebranda ſeſe præſentaret, & pedum paſtorale incurvum, quod tempore deambulationis ſive peregrinationis ſuæ portabat, his eum ſanctæ dilectionis alloquens dictis: Suſcipe dulciſſimum divinæ gratiæ pignus, ſuprema inſtitutoris tui monimenta, quæ tibi longum noſtri teſtentur amorem; quibus contra quoque diabolicæ calliditatis præmuniaris molimina, totius ſpiritualis nequitiæ demoliri queas machinamenta; jamque valeas, chariſſime, felix in perfectione, felicior in proventione. Servantur autem hæc eadem munera in hac glorioſa Apoſtolici culminis Eccleſia debito honore uſque in hodiernum diem, ubi, mira omnipotentis Dei operante clementia, multi diverſa recipiunt ſanitatum remedia. Cæci illuminantur, ſurdorumque diu clauſa ſpiramina aperiuntur, claudi curantur, leproſi mundantur, dæmones divino imperio territi expelluntur. Sed quid multa? Quicunque cujuſquam morbi peſte corruptus, fide integra venerit, mox divina præveniente & ſubſequente gratia, optata potitus valetudine incolumis remeat ad propria. His igitur ſolemnibus munerum pignoribus, Pater Joannes à Sancto Amando pignoratus, hanc auguſtam Sancti Blandinii ſubintrat aulam, atque divinæ meditationis alumnos paternæ viſitationis affectat oſculis. In cujus adventu vel occurſu, quantis, in gloriam ſummi Dei, filiorum affectio votis conſpiraverit, nullius leporis eloquentia ad plenum explanabit. Non tantus regalis triumphi ex hoſte palmam ferentis clamor cœlum aduſque tollit, quanta hic tacentis conſcientiæ vox aurea penetrans ſydera, æterni regis ſui oblectatione aures pulſaverit. Crederes ipſum aurei oris ſpeculum domini Amandi fundatoris ſui cœlitus emicuiſſe, aut patrem Florbertum opimis gaudentem ſpoliis, ad vitam de morte victorem remeaſſe. Nunc autem res ipſa monet, quam facile & paternus animus, & filiorum coaluerit affectus, & mutuo habita dilectione, quam breviſſime potero paucis abſolvam. In ipſo namque ſuſceptionis initio extemplo, & emeriti ſenes & conjurati in Chriſti Sacramenta tyrones, mutuæ dilectionis, & fraternæ ſocietatis conferunt dextras. Quorum qualiter ab invicem pendebat anima, imo qualiter in omnibus vixit anima; unius tamen atque ſolius ſanctæ charitatis notitiæ certum eſt, quæ eos amantiſſime atque conjunctiſſime ſuæ pulchritudinis glutino copulavit. Venerandus ergo Pater ſolemnis loci ſuſcepto regimine, ſtrenuum & induſtrium Dei militem in omnibus agebat; qui in virtutis inſtantia ſeſe conſtanter ſemper exercens, in incepto rigide perduravit propoſito. Excelſa in corde humilitas, ſevera in vultu gravitas, educator dominici gregis ſollicitus, paſtor Dei Eccleſiæ providus. Hic animarum ſalutem, gehennæ acerbitatem, patriæque cœleſtis prædicare, ut magnus præco, novit dulcedinem; qui à Beato Amando ita erat deductus, ut quoad poſſet & liceret ſanctiſſimi ſenis lateri minus abeſſet. Multa itaque ab eo prudenter diſputata, multa quoque compendioſa commoditate dicta, memoriæ mandabat. Unde cum ſæpius in conventu fratrum, charitatis impulſu, jocunde & affectuoſe ejus ſanctitatem ruminaret, de abſentia memorandæ atque ſanctiſſimæ familiaritatis ejus, & excellentis amicitiæ ab illo ſecum habitæ, ægra pii affectus movit ſuſpiria. Cujus mores, ſtudia, doctrinarumque egregia ſemper quaſi viva exempla, ſibi præ oculis habuit, atque diſcipulis ſagaciter intimanda propoſuit. Cœpit namque tunc temporis totius Gandenſis pagi territorium, quod primo Apoſtolicus Pater Amandus, veluti cœleſtis agricola excoluit, & vomere verbi divini exaravit, ſub ſanctiſſimo Patre atque ſucceſſore ſuo Joanne ramos germinis expandere, & fructus vitæ perpetuæ facere. Quem, cum nullum ſanctitatis præteriret veſtigium, ſic in ſingulis virtutibus eminebat, quaſi ceteras non haberet; cui tandem ad recompenſandam laborum ſuorum remunerationem ultimam, imo ſalutiferam, Dominus immiſit corporis moleſtiam, quatenus ſæculi hujus ærumnis erutus, tabernaculis frueretur juſtorum. Pro cujus corporis deſtitutio-

tutione, mox omnis ſancta Gandenſis ſive Blandinienſis Eccleſia magna cœpit reſolvi moleſtia, tam hilaris de ejus Deo digna remuneratione, quam mœſta de tanti Patris orbitatione. Ipſe vero certaminis ſui ſecurus, oves ſuas, quibus tamen timebat, cuſtodiæ Domini commendabat; oculis ac manibus divinis ſemper intentus, cum Domino indefeſſe agebat. Quot ſunt dies mei, ut conſoleris ſervum tuum Domine? ac deinde: Cor meum, & caro mea exultaverunt in te Deum vivum: quia concupiſcit, & deficit anima mea in atria tua Domine. Immortalitatem autem vivifici ſacramenti conſecutus, atque pretioſam reſolutus in mortem, ejus anima ſanctæ, ab omni nævo, vitro purior, ſive lacte candidior, ab Angelis ſanctis evecta eſt ante conſeſſum Dei omnipotentis Patris. Obiit anno Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimo quinquageſimo octavo, Regis Lotharii tertii anno IV, regiminis ſui vero anno XX, ſub die Nonarum Martiarum. Locus vero dormitionis ipſius à nobis penitus ignoratur, utpote antiquitate neglectus, vel propter deſolationem loci, qui, exulantibus monachis, ad nihilum redactus eſt; Carolo & Ragenfrido per duellum inter ſe diſcordantibus. De quo duello latius ſcribetur ſub Abbate Cæleſtino.

Ita etiam Sigebertus in Chronico.

Baudemundus magnificæ ſanctitatis (verba ſunt Chronici Blandinienſis) vir, ordinante ſanctiſſimo patre noſtro Amando, defuncto S. Joanne, Abbas hujus monaſterii tertius à Beato Florberto efficitur, anno videlicet Domini 658. Tempore hujus Abbatis noſtri Sanctiſſimus Pater noſter Amandus univerſæ carnis viam ingreſſus eſt, anno Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti 661, Indictione quarta, Epacta XV. Concurrente IV termino, XII Kal. April. Paſcha V Kal. Aprileis, Luna vigeſima prima, & an. Domini 571, Nonis Maji, in provincia Aquitanorum natus eſt. Unde patet, juſto habito calculo, ab anno nativitatis ſuæ, & obitus ſui, in humanis beatum Amandum fuiſſe nonaginta annos. Scripſit idem Baudemundus teſtamentum S. Amandi ejuſdem viri juſſu. Poſt Baudemundum vero regimen hujus noſtri Cœnobii ſuſcepit.

Ferrecus, anno videlicet 731. cujus ille nationis fuerit, à nobis ignoratur. Sed multæ devotæ perſonæ tradiderunt bona ſua Monaſterio ſub iſto Abbate. Ita idem Chronographus. Qui & addit, Baudemundum hunc cum Ferreco rexiſſe Monaſterium hoc 95 annis.

Circa hæc tempora S. Eligius, Noviomenſis & Tornacenſis Epiſcopus, prædicavit verbum Dei in Flandris; Blandinium amplificavit; Eccleſiam S. Martini Cortraci dedicavit; Brugis item, & Aldenburgi, Rodenburgi, & in Ooſtburg templa conſtruxit. *Chron. Blandinienſe.*

Anno vero Incarnati Verbi 753, & anno ſeptimo Regis Theodorici, mortuo Ferreco,

Hatta Abbas quintus cœpit regere hoc Cœnobium una cum Cœnobio S. Vedaſti. Sed priuſquam Blandinienſis ordinaretur Abbas, Cœnobium D. Vedaſti multis ante diebus ejus paruit regimini, teſtante Meyero ac dicente: Hatta, Monachus quondam Gandenſis, anno 690 factus eſt primus Abbas Cœnobii D. Vedaſti Atrebatenſis. Hoc eodem anno 752, quo Atta Abbas Blandinienſis ordinatus eſt, diſcordiam, ac tumultum Gandavi fuiſſe tradit Meyerus; atque in eo tumultu interfectum fuiſſe Hildebertum Abbatem Blandinienſem, eo quod prædicaret cultum imaginum, ac venerationem Sanctorum eſſe piam. Quod nobis non ſit veriſimile, ſed Abbatem Divi Bavonis fuiſſe magis probatur. Nam Ferrecus Abbas eodem anno mortuus eſt, & immediate Hatta in Blandinio ſucceſſit. Præterea in vetuſtiſſimo Abbatum D. Bavonis catalogo, tum etiam in omnibus, Hildebertus eorum ſemper adnumeratur Abbatibus, & in nullo apud nos quantumvis vetuſto catalogo inſertus, adhuc inventus eſt. Rexit autem Hatta Abbas Cœnobium hoc annis quinque; itaque anno 758, humanæ naturæ debitum perſolvit. Ita additamentum Chronici Bland. De eo tamen in hunc modum Locrius ex Chronico Vedaſtino: Anno 706. Hatta primus Vedaſtinorum Atrebatium Antiſtes, ob inſignem prudentiam, raramque pietatem, qua eo in loco annos quindecim coruſcavit, etiam altera Blandinienſium, unde acceſſitus fuerat, honoratur præfectura, dignus vel majoribus, niſi mors inexorabilis præclaros ejus conatus interrupiſſet. *Idem mox:* Anno 710. Kalendis Februariis, Hatta Vedaſtini, & Gandenſis Cœnobiorum Antiſtes è vivis tollitur, à ſuſcepto D. Vedaſti vigeſimum primum, D. Petri quintum agens annum.

Sub Conſtantino Copronymo.

Cælestinus genere Scotus, ſextus Eccleſiæ Blandinienſis Abbas, defuncto Atta, conſtitutus eſt. Eam Abbatiam, ait Chronographus Bland. multis rexit diebus, uſque ad id tempus, quo diſſenſio inter Carolum & Ragenfridum facta eſt. Cum autem diu inter eoſdem Principes gravis de regno pullulaſſet diſceptatio, & quidam adhærerent Carolo, quidam vero Ragenfrido:

Ejectus eſt Caleſtinus à Carolo Martello circa annum Domini 765, & obiit peregrinus Rotornaci. Poſt expulſionem Cæleſtini (ait

Chronicon) Abbatis noſtri, & Monachorum diſperſionem, bonorumque diſſipationem, comperio, quendam Abbatem nomine Scoranum Abbatiam hanc tenuiſſe in beneficium anno 768, multoſque ſub ipſo res ſuas Monaſterio, & B. Petro tradidiſſe, forte cauſa reſtitutionis.

frido: contigit, ut in tali fieri ſolet negotio, quoſdam ſuſurrones, invidia diaboli inſtigatos adverſus Abbatem memoratum *Cæleſtinum*, adire Principem Carolum; qui eum in multis falſo accuſantes, dixerunt nonnullas epiſtolarum ſcedulas tranſmiſiſſe Ragenfrido, quæ ſibi ſuoque regno forent nocituræ. Qua de re, multimoda accenſus ira, privavit eum à cœnobiali monachorum caterva, ac de eadem, qua morabatur, expulit provincia; villas quoque quæ ſubjacebant dominio Monaſterii Blandinienſis ſuos diviſit per vaſallos abſque reverentia Dei. Monachi vero ejuſdem Monaſterii Patris ſui ſolatio deſtituti, omnique corporali ſubſidio penitus alienati, circum circa, velut oves ſine Paſtore, ſunt diſperſi. Ab illo tempore, uſque ad illud, quo divæ memoriæ Rex Ludovicus, Caroli Imperatoris magni filius, ſceptri Imperialis adeptus eſt gubernacula, locus ille ad nihilum pœne eſt redactus, donec auxiliantibus Sancti Amandi præſulis eximii (in cælo tum videlicet exiſtentis) ut pie credendum eſt, precibus ſurrexit in eodem Monaſterio Abbas ſeptimus nomine.

Scoranus Conſtantinum Copronymum vidit, & Leonem quintum, &, qui cum Carolo Magno Imperium diviſit, Nicephorum.

Scoranus, qui, mortuo Cœleſtino, à fratribus diſperſis Abbas eligitur ac ordinatur. Iſte Scoranus ac Ricolfus Epiſcopus res quaſdam commutaverunt anno 768. Eodem anno obiit Rex Pipinus, cui ſucceſſere Carolus & Carolomannus, & regnarunt ſimul annis tribus. Carolus Pipini filius anno 769 Aquitaniam & Vaſconiam ſubegit; dehinc anno 788 Rex creatus eſt: deinde Romæ à Leone Papa Imperium ſuſcepit anno 800. Saxbertus & Guntbertus dederunt Sancto Petro res ſuas *in Locuvirde & Wackinio* ſub Scorano Abbate anno 791. Anno 803 Ratbertus dedit res ſuas Sancto Petro *in Furſitio cum manſionibus*. Ex his videmus nunquam defuiſſe ſervis Dei viros pios vereque ſapientes Chriſtum, qui ſemper aliquid Chriſti fidelibus adjicerent, quo non ſolum reficeretur corpus, ſed etiam manſiones dediſſe, quibus hoſpitio acciperetur. Mortuus eſt autem Scoranus anno 812.

Folradus *Abbas octavus*. Mortuo Scorano eligitur Abbas à fratribus in exilio degentibus vir inſigni pietate, nomine Folradus. Hic anno 813, quo anno Carolus Magnus Pipini filius è vita migravit, à Nicolao Papa privilegium petiit & firmavit, cujus initium ſic incipit: Exemplar privilegii Nicolai Papæ dati temporibus Caroli Magni & Folradi Abbatis ejus loci, &c. Privilegium ipſum præter hoc imprimis continebat, ne Reges, ſeu Principes, aut eorum ſucceſſores, alicui ſuorum laicorum ſive clericorum, tametſi Reverendæ perſonæ, præſumerent præfati Monaſterii regimen committere, abſque legitima fratrum illius loci electione. Quod poſtea tamen (proh dolor!) ſæpius fuiſſe factum conſtat; nimirum ab Ainardi Abbatis tempore, uſque ad tempora Gerardi Cellenſis. Gero alodium ſuum, aliaque nonnulla dedit S. Petro anno DCCCXIV, ſub Abbate Folrado. Brunhardus item dedit S. Petro quicquid habuit *in Hildeghem*, ſub Folrado Abbate anno DCCCXXV.

Karolus Magnus Romanorum Imperator, & Francorum Rex glorioſus, regno & imperio ſuo ampliato, & pacato ſtatu Eccleſiæ ſancte & religioſe ordinato, moritur & ſepelitur Aquiſgrani anno ætatis ſuæ 72. Is pro magnitudine operum cognominatus eſt Magnus. Cujus vitam Ainardus conſcripſit.

Ainardus, qui, ſicut antiquiſſimus Zorobabel (verba ſunt Chronici) Iſraelitici populi Dux (inſpirante Deo) cœpit cogitare, quomodo idem monaſterium curæ ſuæ commiſſum, quantulacumque reſtauratione, quiviſſet à deſtitutione relevare. Hæc itaque multis diebus illo meditante, tandem inſpiratus divina pietate, reddidit eidem loco quaſdam res quæ ſufficere poſſent XXIIII Clericis, qui in eodem Cœnobio omni tempore famularentur Chriſto, eleemoſynam illis libenti reſtituens animo, quæ in uſus Abbatum ſuperiorum accipiebatur more incongruo, non attendentes illud dictum à Domino de Sacerdotibus: Peccata populi mei comederunt. Eleemoſyna igitur, quæ datur à populo, ſicut eſt animarum redemtio, ita nimirum accipientium perditio; niſi multimodis precantum orationibus fuerit elaboratum, ut eorum, quorum acceperunt eleemoſynas, remittantur peccata à Domino. Jam dictus igitur Ainardus, ſapiente admodum uſus conſilio, de omnibus quæ ad monaſterium, quod regebat, jure pertinere videbantur, ex præcepto ſupra fati Ludovici Imperatoris per ſcripturæ ſeriem firmavit, ejuſque annulo ſignavit.

Confirmatio Ludovici Imperatoris filii Caroli ſuper libertate Eccleſiæ ſancti Petri Gandenſis.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Ludovicus divina Providentia Imperator Auguſtus. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, iiſque, in eiſdem locis ſibi famulantibus, beneficia opportuna largimur, præ-

præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis impendi non diffidimus; proinde noverit omnium fidelium noſtrorum, tam præſentium, quam & futurorum ſolertia, quia vir venerabilis Abbas Ainardus ex Monaſterio Blandinio, quod eſt conſtructum in honore Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quod eſt ſitum in pago Gandenſi ſuper fluvium Scaldem, obtulit obtutibus noſtris immunitatem Domini & genitoris noſtri Caroli, bonæ memoriæ, piiſſimi Auguſti; in qua invenimus inſertum, qualiter idem genitor noſter, & anteceſſores Reges præfatum monaſterium, propter divinum amorem, & reverentiam divini cultus, ſemper in pleniſſima defenſione, & immunitatis tuitione habuiſſent. Ob firmitatem tamen rei poſtulavit nos prædictus Ainardus Abbas, ut eandem auctoritatem ob amorem Dei, & reverentiam Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, noſtra quoque confirmaremus auctoritate; cujus petitioni libenter acquievimus, & hoc noſtræ auctoritatis præceptum erga ipſum Monaſterium fieri juſſimus, per quod juſſimus atque præcepimus, ut nullus fidelium noſtrorum, vel cuilibet ex judiciaria prete, in Eccleſias aut loca, vel agros ſeu reliquas poſſeſſiones memorati Monaſterii, quas moderno tempore, infra ditionem Imperii noſtri, juſtè, & rationabiliter poſſidet, vel ea quæ deinceps à Catholicis viris eidem collata fuerint Monaſterio, ad cauſas audiendas, aut feda vel tributa exigenda, aut manſiones, aut paratas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ejuſdem Monaſterii, tam ingenuos quam ſervos, ſuper terram ipſius commanentes, injuſte diſtringendos, nec ullas redhibitiones, aut illicitas occaſiones requirendas, noſtris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea, quæ ſupra memorata ſunt, penitus exigere præſumat. Sed liceat memorato Abbati, ſuiſque ſucceſſoribus, res prædicti Monaſterii, ſub immunitatis noſtræ defenſione, quieto ordine poſſidere, & quicquid fiſcus exinde ſperare poterit, totum nos pro æterna remuneratione præfato Monaſterio concedimus in alimoniam pauperum, & ſtipendia ſervorum ibidem Deo famulantium, perenniter proficiat in augmentum. Quatenus ipſos ſervos Dei, qui ibidem Deo famulantur, pro nobis & conjuge, proleque noſtra, atque ſtabilitate totius Imperii noſtri à Deo nobis conceſſi atque conſervandi, jugiter Dominum exorare delectet. Et ut hæc auctoritas à fidelibus Sancti Dei Eccleſiæ, ac noſtris verius credatur, & diligentius conſervetur, manu propria ſubter firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus.

Signum *Ludovici* Sereniſſimi Imperatoris. *Helizathan* recognovi, & notavi. Datum IV Nonas Junias Chriſto propitio, anno ſecundo Imperii Domini Ludovici piiſſimi Auguſti, Indictione VII. Actum Aquiſgrani palatio Regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

Normanni anno 838 Walachriam, inſulam Zelandiæ, vaſtant, & tributum à Zelandrinis exigunt. *Chron. Bland.*

Normanni piratæ Dacorum Friſiam & Batavos populantur, & uſque ad Monaſterium Sancti Bavonis, quod Gandavum dicitur, & ad Monaſterium S. Mariæ, quod Altum dicitur, ſuper ripam Leyæ debacchantes, eadem Monaſteria deſtruxerunt, & incenderunt. *Chronic. Blandinienſe.*

Liderici filius Engelramus, atque hujus filius Odoacer, Foreſtarii Flandriæ, Abbatiam Monaſterii Blandinienſis ſibi ſervabant, temporum conditione freti, qua plerique Principes, decimas facultateſque Eccleſiarum uſurpabant; verum etiam ſucceſſio fiebat facultatum Eccleſiæ ad eorum ſucceſſores, ac omnium bonorum Eccleſiaſticorum. Comites ipſi ſeſe fecerunt hæredes; unde non ſolum Comites, ſed & Abbates dicti ſunt. De his conſule Meyerum, ubi oſtendit Calvum Comitem, Abbatem Bertinicum ſeſe facere volentem; quod etiam poſtea contigit: fuitque Abbas Bertinicus in ordine primus, & viceſimus, quamvis non tam Abbatis quam Comitis nomine omnia gubernaret, conſeneſcente interim veteris monaſticæ vitæ diſciplina, abſtractiſque bonis quibuſdam, quæ in perpetuum dehinc manſere in Comitum poteſtate, unde maxime adnitebantur Monachi (ſed præcipue Cœnobii Divi Bertini) ne Monaſterii bona in prophani Principis devenirent poteſtatem; aſſerentes, haud quaquam licere Comiti hæreditarie poſſidere ſanctuarium Dei: Comites tamen aliquot non abſque ratione, Eccleſiarum facultates poſſediſſe videntur. Nam Arnulphus Comes, paterque ejus, & avus Balduinus Ferreus, multorum locorum altaria, ac decimas poſſederunt conceſſas ſibi à Romanis Pontificibus propter expulſionem Wandalorum.

Normanni hiemarunt in Gandavo 880. *Chronicon Blandinienſe*; alii in 883 annum id rejiciunt. Hi omnia paſſim evaſtantes, ſepulcrum tamen S. Levini in Holtheym attingere verentur. Vide Cognatum in Hiſtoria Tornacenſi.

ROBERTUS *Abbas decimus.* Roberto hoc

Robertus Abbas vixit imperante Carolo Calvo, & pervenit uſque ad tempora Ludovici Balbi & Caroli Craſſi.

hoc Cœnobium regente, Balduinus Ferreus, & Raymelinus, Epiſcopus Tornacenſis, anno 870 (conſentit Chronicon Sigeberti) corpus Amelbergæ virginis Chriſti ex Thamiſia, (hoc eſt Temſeke interra Waſienſi) ad Cœnobium Blandinienſe tranſtulerunt, anno Caroli Calvi Regis Francorum triceſimo; confirmavitque Balduinus omnia bona, ejuſque loci privilegia. Quoniam hic mentio Amelbergæ virginis Chriſti facta eſt: conſulto hic adſcribenda videntur Jacobi Meyeri verba de ipſius morte tractantia; ſic enim ille habet: Amelberga, virgo ſingularis exempli, anno 772, ſexto Idus Julias ad Thamiſiam in agro Waſienſi deceſſit, hæc ejus Gertrudis Mingellenſis ex fratre neptis erat, Chriſtiano atque Eva, ut tradunt, parentibus orta in Ardenna, nominaturque Domina Tamienſis, nunc Temſecam vocant. Obiit Abbas Robertus anno DCCCLXXXII, & eodem anno Rodulphus Comes Monaſterii curam ſuſcepit.

Rodulphus Comes Cameracenſis, *Adolphus Bonavenſis Comes, & Balduinus cognomento Baltzo*, hi tres quoque Abbatiam Blandinienſem poſſederunt poſt mortem Roberti Abbatis, hoc eſt ab anno 882 uſque ad Gerardum Cellenſem. Hoc in loco imprimis annotandum eſt, quod de tribus iſtis parum admodum comperti habemus. Legimus quidem, illos, poſt Robertum Abbatem, ſibi invicem ſucceſſiſſe, idque etiam quo tempore; ſed quomodo ſeſe geſſerunt, aut quid fecerunt, nihil prorſus apud nos in ſcriptis (quod ſalatem ſciamus) relictum eſt. Cæterum ex Genealogia Comitum Flandriæ, certo ſcimus, Rodulphum Balduini Ferrei Comitis filium fuiſſe, Adolphum vero filium Balduini Calvi Comitis: de tertio autem, nempe Balduino, cognomento Baltzo, cujus fuerit filius, adhuc inveſtigamus, præterea neque Comitem eum fuiſſe invenimus.

Canonici dejiciuntur ab Arnulpho Marchyſo ac Comite, & Monachi in hunc locum ſunt reſtituti anno 941, quibus Abbas præficitur Gerardus Cellenſis. Hunc locum tenuere Canonici c & x, aut eo amplius annis. Ne tamen hic Lectorem ſuſpenſum, ac de ordine modoque inquirentem, quomodo Canonici rurſus facti ſint Monachi, relinquamus, paucis hic ſubjiciemus, qua ratione ac quomodo id contigerit. Chronicon Blandinienſe ſic habet:

Fœlicibus ſtudiis intentus Dominus Comes Arnulphus, noſtræque paternitati conſulens, Legatos miſit ad Tranſmarum Noviomenſem Epiſcopum, cui indicavit quid agere vellet in portu Gandenſi, ipſius Epiſcopi præſentiam ibi expoſcens. Epiſcopus autem Regiis negotiis impeditus, miſit Archidiaconum ſuum Bernaccum ipſius vice omnia acturum. Veniens enim vero Archidiaconus ad portum Gandenſem anno Incarnationis Dominicæ 941, Rege Ludovico regnante anno ſexto, octavo Kalend. Julii, reperit ibi Dominum Marchyſum Arnulphum Comitem invictum, à quo honorifice ſuſceptus eſt. Tunc vero vocatis ad ſe fratribus in Blandinio negligenter converſantibus, ajunt blande ad illos hac oratione uſum: Audivimus, Fratres, hoc Monaſterium eſſe conſtructum à Sancto Amando, & in honore Apoſtolorum Petri & Pauli dedicatum, ubi coadunavit Monachorum gregem, & per multa exinde tempora Sancti Benedicti normam ſervantes, ibi vixerunt. Dei autem amore locum volentes in priſtinum reſtituere ad deificum ſtatum, hortamur vos (non terrena dominatione, ſed ſincera charitate) ut depoſita veſte Canonicali, induamini Monachali, & ſerviatis Deo ſoli. Quorum plurimi, ſalutis ſuæ ſpernentes monita, diſperſi ſunt paſſim per devia, agentes diabolo immenſa gaudia: tunc (præterea jubente glorioſo Comite) Archidiaconus ordinavit ibi Monachos ſanctam religionem amantes, ac venerabilem genere, & ſanctitate illis præfecit Abbatem nomine Gerardum Cellenſem. De quo plura hic ſequuntur.

GERARDUS *Cellenſis Abbas* XI, ejus nominis primus, & primus Abbas poſt Canonicus fuit Arnulphus Magnus: ejus tempore hortatu Tranſmari, Epiſcopi Noviomenſis, Gandenſe Cœnobium, Normannica rabie everſum, reædificavit; ſolitos ritus ac ceremonia inſtauravit, Gerardumque Cellenſem magna virtute virum, Abbatem ibi conſtituit anno 937. Hæc eadem diverſis in locis Meyerus repetit in ſua Chronica Flandrorum Comitum: atque hæc ſua ſcripta maxime conveniunt cum eo quod prædictum eſt; Canonicos noſtrum hunc locum obtinuiſſe centum & decem annis, aut eo amplius: nam ab anno 826, quo ſub Aynardi regimine viginti & quatuor Clerici conſtituti fuerant, uſque ad hoc tempus poſitum à Meyero, ſcilicet ad annum 937, anni ſupputantur centum & undecim; neque fortaſſis hic diſcrepat ab aliis Scriptoribus Meyerus. Nam fieri poteſt, ut Gerardus Cellenſis anno 937 Abbas conſtitutus fuerit, dehinc confirmatus ab Arnulpho Marchyſo ac Comite anno 941, quo anno reparatum eſt religionis culmen, ſubmotique Monachi regulares ab Aynardo Abbate, regnante Lu-

Ludovico Pio, quondam introducti. Tertio dehinc anno, hoc eſt 944, III Nonas Septembris, corpora Divorum Wandregiſili, Ausberti & Wulfranni ex Bononia, maritima Morinorum urbe, Gandavum ad Cœnobium Blandinienſe ab Arnulpho Comite tranſlata ſunt: levatum ex ruinis, reſtitutumque monaſterium, decimis ac poſſeſſionibus adeo locupletatum eſt hiſce temporibus, ut non abs re, Arnulphus Reparator Blandini vocitatus ſit. Idem anno nongenteſimo XLV expulit è Flandria Monachos, & quoſcumque veterem vivendi normam recipere recuſantes. Fertur quoque, quod Arnulphus iſte per Gerardum Cellenſem, octodecim in ſuo principatu Benedictina Cœnobia reformaverit. Tranſmarus, Tornacenſis ſive Noviomenſis Epiſcopus, anno 947 Eccleſiam S. Petri, quæ eſt ſita in Caſtro Gandavo ſupra Scaldam & Legiam, liberam fecit, tempore Arnulphi Comitis, regnante vero Ludovico Rege anno duodecimo, & ipſius Epiſcopi anno epiſcopatus undecimo, qui anno dehinc 949 humanæ naturæ debita ſolviſſe dignoſcitur, undecimo videlicet Kal. Aprilis. Hactenus Chronicon Bland. Ampliorem hujus Sancti vitam in noſtro Flandriæ Hagiologio lector videre poterit.

EPITAPHIUM GERARDI CELLENSIS ABBATIS.

Præteriens hic ſiſte gradum, lege flebile mortis
Carmen, inæquali claudicat ecce pede.
Petri naviculam fragor ingens impulit, ipſum
Excutiens nautam dira procella rapit.
Gandavum patrem, perſonam Gallia claram
Perdidit, Eccleſiæ magna columna ruit.
Ardens & lucens ſimul eſt extincta lucerna,
Occubuit paſtor optimus inter oves.
Abbas è medio Gerardus tollitur; orba
Patre ſuo Petri flebilis aula manet.
Ut decet, & Paulus docet, omnibus omnia factus
Enituit multis millibus unus homo.
Quid moror? octavo Septembris tranſiit Idus
Sol novus, occaſum ſole ruente petit.

ALIUD DE EODEM.

Quod caro ſit fœnum, flos fœni gloria carnis,
Pagina ſancta docet, & Pater iſte probat.
Ut fœnum viruit cum tempore veris in herba,
Et quaſi flos fœni floruit ejus honor.
Aruit hoc fœnum, flos ejus decidit. Abbas
Gerardus viruit, floruit, aret, obit.
Septembri quintas ſol cum declinat ad umbras
Spiritus è carnis carcere liber abit.

Monaſterio ab Arnulpho Comite reformata recenſet Meyerus: Blandinienſe, Gandenſe, Tornacenſe, Marchianenſe, Haſnonienſe, Ronnacenſe, Atrebatenſe, Turholtenſe, Woromholtenſe, Divi Richarii, D. Bertini, Divi Audomari, Divi Sylvini, Divi Wulmari, Divi Amandi, D. Bertæ, Divique Amati Duacenſis. Gandenſe vero reformatum ex Iperio aſſerit Locrius ad annum 949.

Wom. regnante Ottone primo vixit uſque ad Ottonem alterum.

WOMARUS *Abbas* XII, reſignante Abbatiam Gerardo Cellenſi, ordinatur Abbas anno 953 ab Epiſcopo Folberto Cameraci. Atque hæc omnia latius patent ex ipſius Gerardi vita, quam deſcripſimus, in quo & habetur. Womarum hunc, benedictionem Rudolphi Epiſcopi accepiſſe. Itaque non videtur locus ille conſentire nobis, qui dicimus, Cameraci fuiſſe ordinatum ab Epiſcopo Folberto. Sub Abbate Womaro, Arnulphus Magnus huic Eccleſiæ reſtituit, quæ prædeceſſorum ſuorum tempore inde abſtracta fuerant. De quibus ſingulatim in charta, vulgo Ainardi Abbatis charta dicta, reperies. Dedit etiam prædictus Comes ex hæreditate propria unum fiſcum regium Harnes dictum, cum omnibus appenditiis ſuis, & Alaudis, Loyſon quoque Eccleſiam in Wendinio cum terra ad ſupradictum fiſcum reſpiciente. Anno dehinc 959 Blandinienſe Cœnobium ab Arnulpho Comite (narrat Chronicon Sigeberti id ad annum 960,) in majori elegantia eſt conſtructum, opus menſe Majo eſt inceptum. Anno 975, Gandavi in monte Blandinio Principis Apoſtolorum Petri templum (quod opus ab ævo inceptum Arnulphus minor abſolverat) Adalberto Remorum Pontifex celebri ceremonia dedicavit; levavitque pridie Kalend. Octobris corpus D. Florberti primi hujus loci Antiſtitis, poſt annos circiter 338, quam vitam finierat. Rexit autem Womarus hoc Cœnobium annis XXIX, ac ita pretioſa morte vitam commutavit anno 982, jacetque ſepultus in ſacello Divo Laurentio ſacrato. De quo hoc ſequens habetur Epitaphium:

Hic Abbas vitæ Womarus flamine caſſus,
Triſtia communis debita ſortis ago.

Flebilis hic tumuli caris ſpectacula dedens,
Fratribus inſtitui quos pia dum vigui.
Remigium ſenes quorum luſtris venerandum
Per mandata Dei regia diſpoſui
Auguſti dico bis ternis calce Kalendis
Officiis ceſſi luminis occidui.
Pro me vota patres inſignia fundite dulces,
Qui legitis tumbam cum pietate meam.
Quo Deus altitonans, in cœli vertice regnans,
Cœlicola donet ibi gaudia ſpiritui.

Guido, *alias Wido*, *Sapiens Abbas* XIII, Abbate Womaro defuncto anno 982, Abbas ordinatus eſt. Huic Benedictus Papa privilegium dedit. Exemplar privilegii Benedicti Papæ dati per manum Adelberonis Remorum Archiepiſcopi, & Guidonis Abbatis, temporibus Lotharii Regis, in primis continebat quæ hic ſequuntur: Voluit Benedictus Papa, ut omnes res mobiles,& immobiles de reditibus, terris,ſylvis,ſervis,& ancillis,colonis, ædificiis, habitationibus, theſauris, & ornamentis, & quibuſlibet pecuniis, quæ jure proprietario ad nos ſpectare noſcuntur, ſecure ipſius beneficio poſſideremus, & cuilibet auferendi quidquam ademit poteſtatem. Anno 985 Eremboldus Monachus Gandenſis, hoc eſt, Divi Bavonis, idem poſtea Abbas, reliquias divorum Martyrum Pancratii, & Barbaræ ab urbe Roma deportavit ad Gandenſe Cœnobium. Eodem anno Blandinienſe Cœnobium bonis multis eſt auctum, quæ Roſula uxor Principis aſſignavit pro animæ filiæ ſuæ, Mathildis ſalute. Guido Abbas mortis ſolvit debitum anno 986, ejuſque hoc legitur Epitaphium:

Debita communis perſolvens ultima ſortis
Hoc lapidum Wido condior in tumulo.
Abbas qui luſtro quondam non amplius uno
Immeritus rexi culmina Blandinii.
Sed quia mortalis lex aſpera conditionis,
Proh dolor! injuſtos comprimit atque pios;
Cum ſtaret ſummo Septembris margine menſis,
Ultima vivendi munia depoſui.
Quapropter titulum quiſquis proſpexeris iſtum,
Quem mihi prædulces appoſuere patres;
Flebilibus monitis, flexus ſub morte jacentis,
Pro me cunctando funde preces Domino.
Omnia prætereunt, Sancti ſuper æthera vivunt
Omne per ævum.

Adalwinus *Abbas* XIV, ſucceſſor Guidonis, vir erat ſummæ eruditionis. Anno ſequenti à quo vir iſte pius Abbas ordinatus eſt, hoc eſt, anno 987, mortuo Ludovico Rege Francorum, cum Carolus Lotharingiæ Dux in ejus locum eſſet ſucceſſurus, Hugo Capetus, Hugonis Pariſiorum Comitis filius, nepoſque Roberti Andegavenſis, Gallicorum procerum ſubnixus ſtudiis, Carolum ipſum vinctum in cuſtodiam conjecit, ſeque vi armorum Regem fecit. Joannes Papa temporibus Hugonis Regis Francorum Adalwino privilegium dedit, in quo pleniſſime confirmantur omnia quæ in Pontificum Martini, Nicolai atque Benedicti privilegiis continentur. Datum enim fuit decimo Kalend. Januarii, anno Pontificatus Domini noſtri Joannis Sanctiſſimi quintidecimi Papæ octavo, in menſe XII, Indictione ſexta. Vir Dei Adalwinus diem clauſit anno 995, ejuſque hic ſequitur Epitaphium:

Adalwinus dictus Sanctus imperante Ottone 3. mortuus eſt.

Marmoris hæc foſſa, cujus ſibi vendicat oſſa,
Vivere dum licuit, vixit uti decuit:
Dictus Adalwinus Pater, & Rector genuinus
Blandinici ſolio montis in eximio.
Intus itemque foris, quanti foret ipſe decoris,
Ultima ſic doceant, cætera quo pateant.
Imperat eventum loculi ſtans ad monumentum,
Seu fuerat monitus ante dies obitus.
Inde monens fortes virtutis in arma cohortes
Inclyta bella gerant, ne quid ab hoſte ferant.
Pridie dum tropicum lux Junia tangeret aſtrum,
Scandens alta poli, liquerat ima ſoli.

Anno MDCXIII, in reſtauratione Monaſterii reperta fuerunt oſſa Abbatis infraſcripti intra parietes ſacelli Sancti Benedicti ab hæreticis demoliti anno MDLXXVIII, cum hac inſcriptione:

Hic jacet Adalwinus Abbas & Sacerdos, qui obiit XVII *Kal. Julii, anno Domini* CMXCV. *Rexit hanc Bland. Eccleſiam annis* VII, *menſibus* VII. *Succeſſit Widoni Abbati.*

Hanc vero inſcriptionem in ambitu à ſe ſtructo renovari juſſit, aureiſque literis marmori inſculpi R. D. Joachimus Arſenius Scayck Abbas.

Rotboldus *Abbas* XV, adhuc ſuperſtes Abbatiam dimiſit, & Richardus ſucceſſit; ſed

Rotboldus Abbas imperante

Digitized by Google

Henrico Bavarno primo vixit.

quia Rotboldus diutius ſucceſſore ſuo vixit, idcirco mortem Rotboldi poſt defunctum Richardum invenies, ejus tamen Epitaphium hoc in loco ſubjiciemus.

Rotboldus fueram Monachus jam Blandinienſis,
Abbas officio, necne ſacerdotio.
Elegi requiem Chriſti genitricis in æde,
Subveniat famulo quo pia virgo ſuo.
Paulum ſiſte gradum rogo te qui præteris omnis,
Atque preces pro me funde precor Domino.

Richardus Abbas imperante Corrado Salvo vixit.

RICHARDUS *Abbas* XVI, anno Domini 1028, (ſecundum alios 29,) ſuſcepit regimen Monaſterii Blandinienſis, deſiitque eſſe in vivis anno 1032. Rotboldus Abbas prædictus in ordine Abbas XV, qui Richardo Abbatiam dimiſerat, ita dimiſiſſe videtur Abbatiam, ut ſi Richardus moreretur, ipſe rurſus haberetur pro Abbate, alioqui videretur vacaſſe Abbatia duobus annis. Nam Richardus mortuus eſt anno XXXII, dehinc anno XXXIV Wichardus primum Abbas ordinatus eſt. Scriptum ſiquidem de ipſo ita habemus: Rotboldo Abbate ſenectute, & labore ingraveſcente, anno Verbi Incarnati 1034, Indictione ſecunda, in loco regiminis Wichardus Abbas ſubrogatur ſecundo Kalend. Junii, Rotboldus vero Wichardo exiſtente Abbate diem clauſit anno Domini 1042.

Comes Balduinus, qui dictus eſt Barbatus, congregatis Marchiſiæ ſuæ ſanctorum corporibus, Bavonis, Wandregiſili, Amandi, Vedaſti, Bertini, Winnoci, Wulframni, Amelbergæ, Donatiani, Pharahildis, Walburgis, Laudoaldi, Vinciana, Ansberti cum aliis innumerabilibus Sanctorum reliquiis, quibus omnibus corpus Sancti Gerulfi, utpote in Flandria nati, prælatum eſt, præſente Hugone Noviomenſi Epiſcopo, cum aliis pluribus Epiſcopis & Abbatibus, congregatis totius regni ſui Primatibus apud Aldenardum, pacem ab omni populo conjuratam firmari fecit. Sigebertus in Chronico ad annum Chriſti 1030.

Wichardus Henrico ſecundo imperante vixit.

WICHARDUS *Abbas* XVII, ordinatus eſt anno 1034, vel, ut alii volunt, 35. Sub hoc Abbate facta eſt elevatio, vel tranſlatio ſecunda Sanctiſſimi Patris noſtri Florberti Abbatis, præſentibus & aſtantibus Fratribus Divi Bavonis; ſimiliter elevatio duarum Virginum & Martyrum, quas aſſeverant ex ſacro collegio undecim millium Virginum Agrippinenſis Coloniæ, ſub Maximiano Imperatore martyriſatarum. Facta autem eſt hæc elevatio XIII Kal. Maji à Balduino, Eccleſiæ Noviomagenſis Epiſcopo ſive Antiſtite, anno Verbi Incarnati 1049, Henrici porro Regis anno XIV, in regimine vero memorato Epiſcopo Balduino religioſe agente anno quinto, & Domino Abbate Wichardo Blandinienſe Cœnobium regente anno XV. Vide ſuper his lectiones matutinales in ipſius Florberti elevationis officio apud Meyerum, idipſum etiam reperies. Exemplar privilegii Leonis noni Papæ dati temporibus Henrici Regis, & Domini Wichardi Abbatis, nihil continet quod in privilegiis præmiſſis non habeatur, ac idcirco nihil inde deſcripſimus. Wichardus Abbas rebus humanis exemptus eſt anno 1058, de quo hunc in modum ſcriptum invenimus Epitaphium:

Gloria Gandenſis, decus aulæ Blandinienſis
En Wicharde jaces, inclyte Rector abes.
Mors tua turbatis heu quæ confuſo natis!
Qui decus in populo, nunc cinis in tumulo,
Qui legis, attendas has leges eſſe ferendas.
Quare dic moneo, Vive ſepulto Deo.
Sol ubi ducendas ſortitur Aprile Kalendas,
Vivere quem decuit, invida mors rapuit.
Arbiter alme leva carnis lethalia jura,
Aſpice natura Deitas quo nos rapit iſta.
Ad meliora feras es potis ima,
Aſtra Poli donans, & loca diva
Aeterno titulo ſint modo nexa,
Ad tua, more novo, fer quoque regna.
Anno milleno bis nono, bisque viceno
Quo carnem ſubiit Rex Deus, iſte obiit,
Abbas fere ſex quater annis.

Anno 1043 ad feretrum S. Gudwali in Blandinio quieſcentis viſa ſe inclinare imago Chriſti Domini crucifixi. Idem contigit anno 1083.

Everlinus Henrico 3 imperante vixit.

EVERLINUS *Abbas* XVIII, mortuo Wichardo anno 1058, ſequenti anno ſucceſſit octavo Kalend. Februarii, quo gubernante Abbatiam, Lietbertus, Cameracenſium Epiſcopus, anno 1064 fundavit Cameraci Monaſterium ſancti Sepulchri; anno autem præcedenti, hoc eſt, anno 1063, conſtructum eſt à Balduino Principe Monaſterium Einhamenſe: illi attributum eſt Caſtellum Einham, eadem, qua ipſe ab Hermanno Montenſium Comite, acceperat libertate; fuitque ibi conſtitutus primus Abbas nomine Walterus, ex Cœnobio Divi Vedaſti accitus. Anno 1066 Balduinus fundavit, ac ædificavit In-

Inſulis templum Principi Apoſtolorum Petro. Everlinus Abbas vita defunctus eſt anno Domini 1069.

Folcardus imperante Henrico 3 vixit. Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ offugandis obſcuritatibus erroris apparuit, ait Sigebertus in Chronico ad annum Chriſti 1083.

Folcardus *Abbas* xix, ſequenti anno (poſtquam Everlinus in fata conceſſerat) ordinatus eſt, anno videlicet 1070, quo regente Cœnobium, Vegericus (vel, ut alii volunt, Gedericus) Monachus Blandinienſis, pietate pariter & ingenio clarus, & loco natus honeſto, multis per Flandriam & Brabantiam habitis concionibus, emendandis moribus plurimum attulit momenti, perfecitque, ut multi à ſceleribus ſuis retracti converterentur ad pœnitentiam. Sed milites Geldulphum, Theobaldum, Emerlinum, Hargerum, Uwoldum ac Gerardum, ad Hannonem Pontificem Agrippinenſium miſit pro criminum remiſſione, qui mox conſilio ejus reverſi ad Afflighem ſollitudinem, cellam eo loci conſtruere cœperunt, ac juxta inſtitutum Benedictinorum Monachorum vivere. Hoc initium erat Cœnobii Afflighemenſis anno 1082, vel, ut verius credendum eſt, anno 1083, quod ſatis probant hi duo verſiculi apud Afflighemenſes vetuſtiſſimo monumento inſcripti:

Annus millenus octogenus quoque ternus
Dum fertur, locus hic principium reperit.

Locus eſt Brabantiæ, ditionis Flandriæ finitimus, à Gerardo Cameracenſium Epiſcopo dedicatus. Creatus eſt in eo Abbas primus Fulgentius. Anno 1073 tranſlatum eſt Blandini corpus D. Bertulphi, cujus Beati viri vitam, veteri olim ſtilo deſcriptam, novo ſcribendi ſtudio percurrere fecit Folcardus Abbas jam prænominatus. Tranſlatio item facta eſt Florberti primi Abbatis Blandinienſis per Rotbodum Epiſcopum anno 1077, ſecundum alios, anno 1072. Folcardus Abbas, quum diu ſumma cum laude præfuiſſet, reddidit Abbatiam anno 1088. Interim tamen annales Præpoſituræ quondam de Elmare hunc in modum habent: Folcardus Abbas obiit anno 1005, xiv Kal. Septembris, & Sigerus in Blandinio ſucceſſit, ſed in illo noſtræ potius domus viriores Annales eſſe videntur.

Robertus Friſius anno 1062. contra Rikildem & filium ejus Arnulphum, cum Philippo Rege Francorum maximo exercitu venientes proficiſcitur ad Caſſel. Ille vero adverſus tam vaſtam multitudinem multo pauciores, ſed, ut rei eventus probavit, ſibi validiores in arma produxit Gandenſes, Waſienſes, &c. *Chronicon Bland.* Procedunt tandem hi non ſolum armis ſepti, ſed etiam fide muniti, &c. cauſam ſuam regi cælorum committunt; denique conſerto totis viribus prælio fit ſtrages maxima de exercitu Regis, &c. victoria potiuntur Gandenſes.

Sigerus 1. Abbas Henrico quarto imperante vixit.

Sigerus *Abbas* xx, ordinatus eſt anno 1088, octavo Kal. Octobris. Dehinc anno 1107 in militiam Chriſti accinctus eſt, & menſe Julio Hieroſolymam proficiſcitur; Blandinienſe vero Monaſterium curæ Ansboldi Præpoſiti committitur. Eodem anno Dunenſe Cœnobium initium cœpit. Anno 1108, menſe Auguſto, nono Kal. Septembris, Abbas Sigerus ab Hieroſolyma dum revertitur, diſſenteria laborans, apud Rhodum inſulam mortuus ſepelitur.

Tornacenſis B. Mariæ Virginis proceſſio inchoatur per Radbodum anno 1092. Eo quotannis magno numero & religione proficiſci ſoliti Gandavenſes. Vide Cognatum in Hiſtoria Tornacenſi.

Elevatio S. Florberti anno 1099, à Balduino Noviomenſi Epiſcopo.

Ansboldus Præpoſitus Henrico 5 imperante vixit.

Ansboldus *Præpoſitus Abbas* xxi, mortuo Sigero Abbate in itinere Hieroſolymitano, ordinatus eſt, tertio videlicet nonas Januarii, à quo Sigerus mortuus eſt. Ansboldus Abbas in fata conceſſit, anno 1115, cujus Epitaphium hic ſequitur:

Nobile par patrum, timor & correctio fratrum,
Vir clari generis pars jacet hic cineris.
Blandinium rexit Ansboldus, & ad bona vexit
Patris habendo pium nomen & officium;
Vultu jucundus, probus actu, pectore mundus,
Quod decuit voluit, quod docuit voluit.
Dulcis egenorum ſpes, & ſolamen eorum
Quæ Deus inſtituit, cantus eis tribuit.
Phryxeum ſydus Aprilis quatuor Idus
Tecum ſol tenuit, dum Pater iſte obiit.

Eremb. Henrico 5 imperante vixit.

Ereмboldus *Abbas* xxii, eodem anno, quo Abbas ordinatus eſt, in fata conceſſit, nimirum anno 1115, ac tale de eo extat Epitaphium:

Quem ſic claudit humus, quia tranſivit quaſi fumus,
Penſet par fumo, quod caro nunc ſit humus.
Hunc ſacri mores commendabant & honores,
Dum præ laude ſui præfuit huic domui.
Eremboldе cito tamen hoc tibi jura potito,
Rachel conſeritur, dum Lea præripitur.
Scorpius aſcendit cum ſole, diemque rependit
Qua Lucas colitur dum pater hic moritur.

Ar-

Arnoldus imperante Henrico 5 vixit, viditque Lotharium.

ARNOLDUS *Abbas* XXIII, anno Domini 1117, Religionem ac vitam Monachorum renovavit in hoc Cœnobio. De ipſo Meyerus in hunc modum ſcripſit: Reformatum Blandinienſe Cœnobium, novuſque inſtitutus eſt Abbas Arnulphus (ſive, ut nos eum vocamus, Arnoldus) nomine, ad quem, pulſus ſua ſede, confugit Rodulphus, Abbas Divi Trudonis Taxandrienſis, vir pius ac doctus, qui ad obitum uſque Frederici Leodienſis Epiſcopi Gandavi commoratus, contra ambitionem ſive Simoniacam avaritiam libros ſeptem, aliaque in hiſtoriis, ac poetica, induſtriæ ſuæ reliquit monumenta. Fuere autem Blandinii Reformatores, Balduinus Princeps & mater ejus Clementia, cum Joanne Morinorum Epiſcopo, ac Lamberto Abbate Bertinico. Hactenus Meyerus. Arnoldus Abbas diem ſuum clauſit anno 1132, cujus Epitaphium tale habetur:

Norma futurorum, decus immortale priorum
Hic Arnulphe ſitus, publicus es gemitus.
En lacrymæ manant, nec cordis vulnera ſanant:
Id tua nobilitas, id meruit probitas.
Abbas præclarus, celebris, durus & avaris,
Mitis erat, patiens, utilis & ſapiens.
Per te creverunt, res noſtræ non perierunt;
Per te Blandinio tradita Relligio.
Ornamentorum novitas operoſa tuorum
Hanc aulam tumulo, te decorat titulo.
Mauritii caſtra dum cæſa vehuntur ad aſtra,
Lugendus nobis, inclyte Rector, obis.
Flos ſtirpis Jeſſe, ne quicquam poſſit obeſſe,
Det florere tibi, te ſociando ſibi.

Hic Arnoldus anno 1127 (uti teſtatur in Chronico Sigebertus) cum Caſtellano Gandenſi legatione functus eſt apud Regem Lotharium, Aquiſgrani tunc agentem, nomine Comitis Morinorum, id eſt, Flandrorum, Karoli, nuntiavitque dominum ſuum Comitem ſubjectionem ſe ei facturum.

Eodem anno *Balduinus Gandenſis* inter primos Flandriæ & Brabantiæ Principes ſæculo renuntians tonſuratur, defunctuſque, in templo Affligemi ſepelitur. Sigebertus in Chronico.

Giſlebertus Lothario imperante vixit.

GISLEBERTUS *Abbas* XXIIII, quondam Abbas Einhamenſis, anno 1132 ordinatur Abbas monaſterii Blandinienſis. Per manus iſtius Giſleberti Abbatis tranſlatio ſecunda Chriſti Virginis Amelbergæ facta eſt anno 1133. Giſlebertus Abbas morte vitam commutavit anno 1138.

EPITAPHIUM.

Mente Giſlebertus vigil & gravis, ore diſertus,
Inſigniſque fide, clauditur hoc lapide,
Cujus ſi merita velit edere lingua perita,
Vincet materia quælibet ingenia.
Quicquid honeſtatis eſt, quicquid ſobrietatis,
Egregie coluit, nec minus edocuit.
Dulce decus Patrum, cenſura fuit pia Fratrum,
Doctrinæ ſpeculum clarificans populum.
Gratia tantarum profluxit ei lacrymarum,
Orans ut fleret, flens etiam legeret.
Scorpius & Phœbus tribus emicuere diebus,
Cum tibi Blandinium lumen abit patrium.

Sigerus 2, ſub Corrado 2 vixit & Freder. Ænobarbo.

SIGERUS SECUNDUS, *Abbas* XXV, mortuo Giſleberto, eodem anno ordinatus eſt Abbas, quo regente Monaſterium anno Incarnationis Dominicæ 1144, Indictione ſeptima, in Flandria principante Theodorico, Ludovico Francis imperante, Domino Simone Noviomenſium atque Tornacenſium Epiſcopatum adminiſtrante, Sigero quoque Eccleſiæ S. Petri Blandinienſis præſidente, Notholdus prædictæ Eccleſiæ monachus, cum licentia Abbatis Sigeri, aſſenſuque Comitis Theodorici in Flandria, profectus ad locum, qui ex nomine rivi ibi decurrentis Elmare dicitur, XVI Kal. Aprilis excolere, & habitacula ſervorum Dei utilitati congrua ædificare cœpit, cum capella, quam Dei, & Sanctæ Mariæ adjutorio, fideliumque eleemoſynis conſummans, primam in ea Miſſam in Aſſumptione ejuſdem glorioſæ Virginis decantavit. Quæ capella, poſt octodecim annos, igni cum cohærentibus ædificiis abſumpta, ab Aſerico Domini Notholdi ſucceſſore, in majorem elegantiam reſtituta eſt anno 1145, Simon, gratia Dei Noviomenſium atque Tornacenſiam, Epiſcopus, monachis in loco Elmare dicto, propter rivulum nominis ejuſdem ibi decurrentem, ſub diſciplina Abbatis Blandinienſis Cœnobii in laudem Reginæ Cœli, collectis & colligendis in honore S. Trinitatis & Beatæ Mariæ, & totius militiæ cœleſtis, pro ſalute animæ ſuæ, & prædeceſſorum ſucceſſorumque ſuorum conceſſit, ut quicquid boni ibidem ſine offenſa Canonum fieri poſſet, fiat, & cum pace vicinorum Sacerdotum. Anno 1146 facta eſt diviſio inter Epiſcopatum Noviomenſem & Tornacenſem, & Anſelmus fit Epiſcopus Tornacenſis. Anno 1148 cœptum eſt Camberonenſe Monaſterium,

Digitized by Google

criptaque Gandenſis Cœnobii ab Anſelmo Epiſcopo dedicata. Sigerus 2. Abbas in vivis eſſe deſiit anno Domini 1158, ſecundum alios vero, anno 1159. Meyerus pro Sigero Odgerus poſuit. Tanta eſt ubique ſcribentium diverſitas. Sequitur ejus Epitaphium:

Hic jacet ille Pater Sigerus, quo moderante
Floruit iſta domus, cumque ruente ruit.
Eccleſiam, Fratres, paſtor, Pater extulit, auxit
Ditibus hanc donis, hos prece, pane, Deo.
Anguis & agnus erat acuens ſerpente columbam,
Incipiens, ſapiens, & ſine felle vafer.
Largus, avarus, egens, locuples, vix credere poſſis,
Quotve, quibuſve modis præſtiterat ſibi ſe
Subjectis parere parat, tumidis Datiano
Plus Datianus erat, pluſque Nerone Nero.
Qui geminas in ſe cupiens reparare ſorores,
Martha miniſtrando, mente Maria fuit.
Ergo Deus qui te, per te, quæque ſunt etiam in te,
Vixit, ei tecum vivere detur. Amen.

Eremboldus 2 imperante Frederico Ænobarbo mortuus eſt.

Eremboldus *Abbas* xxvi. neſcio quo tandem fato acciderit: nam Eremboldus ſecundus eodem ordinationis ſuæ anno mortuus eſt, ſicuti etiam Eremboldus primus mortuus eſt, ergo 1159.

Waltherus, ſub Freder. Ænobarbo mortuus eſt.

Waltherus *Abbas* xxvii. Mortuo Abbate Eremboldo Waltherus ſucceſſit. Waltherus Abbas diem ſuum clauſit anno Domini 1163. De ipſo hoc, quod ſequitur, invenimus Epitaphium:

Blandinio lacrymas moriens, Walthere, relinquis,
Qui vigil atque pugil, cautus & acer eras.
Hinc eſt quod toties Romam, Rhemoſque petiſti,
Ne libertatem perderet aut reditus.
Palma domus Domini florens, ardenſque lucerna
Omnibus exemplum quod ſequerentur eras.
Tu labrum ſpeculis celatum, boſque triturans,
Tu miſeris, ægris, omnibus unica ſpes.
Quod te prævenit, te gratia tuta ſequatur,
Ac de valle ſoli ducat ad alta poli.
Octavo moriens Idus Octobris obiſti.
Sanctam tranſieris in Syon à Iberico.

Hugo primus imperante Frederico Ænobarbo mortuus eſt.

Hugo *primus*, *Abbas* xxviii, anno 1163 in regimine Abbatiæ ſucceſſit. Abbatis hujus tempore, anno videlicet Domini 1171, Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſis martyriſatus eſt. Extant de nece ſanctiſſimi viri verſiculi hi:

Annus millenus centenus ſeptuagenus
Primus erat, Primas corruit enſe Thomas.
Quinta dies natalis erat, flos orbis ab orbe
Pellitur, & fructus incipit eſſe poli.

Dominus Hugo Abbas Abbatiam dimiſit anno 1177, ſuccedente Gerardo. Dehinc humanæ naturæ debita perſolvit anno 1180.

Balduinus de Bocla, monachus Blandinienſis, vir religione conſpicuus, Monaſterium de Bodelo in Waſia auſpicatur circa hæc tempora,

Gerardus ſecundus imperante Frederico Ænobarbo mortuus eſt.

Gerardus Secundus, *Abbas* xxix. Reſignante Abbatiam Hugone primo, Gerardus ſui nominis ſecundus Abbas ordinatus anno 1177. Quo regente Cœnobium, Ludovicus Pius Francorum Rex obiit anno 1179, decimo Kal. Octob. Gerardus Abbas in vivis eſſe diſiit an. 1190.

Hugo 2 imperante Henrico ſexto Frederici filio vixit.

Hugo *dictus Flandrenſis Abbas* xxx, ſui nominis ſecundus, ordinatur Abbas anno Domini 1190, hujus temporibus anno 1188, Monaſterium Bodelo conſtructum eſt à Monacho quodam noſtri Monaſterii Blandinienſis, nomine Balduinus de Boukele, qui monaſterium egreſſus, ibidem ſolitariam vitam duxit. Anno 1198 Ordo Prædicatorum incepit, Abbas Hugo Abbatiam demiſit anno 1201, eique ſucceſſit ejus nominis Abbas Hugo Gandenſis dictus.

Hugo tertius imperante Philippo Suevo vixit.

Hugo Tertius *dictus Gandenſis*, *Abbas* xxxi, Abbatiæ Blandinienſis ſuſcepit onus anno 1201. Anno dehinc ſequenti, Hugo ſecundus dictus Flandrenſis, qui huic Hugoni Abbatiam dimiſerat, diem clauſit anno 1204, ſexto Kal. Maji. Balduinus, Comes Flandriæ & Hannoniæ, Imperator conſtituitur Conſtantinopolitanus, & ſequenti anno ipſe Balduinus Imperator in prælio à perfidis Græcis capitur; illique ſucceſſit Henricus frater ejus. Dominus Hugo tertius Gandenſis dictus morte vitam commutavit anno 1209.

Arnoldus Prior Ottone quarto & Frederico ſecundo Imperatoribus vixit.

Arnoldus de Swynaerde Prior, fuit Abbas ordinatus anno 1209. Temporibus iſtius Arnoldi, Bertrannus quidam nomine, cum ſe Balduinum Conſtantinopolitanum Imperatorem & Comitem Flandriæ ſimulaſſet, pro ſuæ temeritatis audacia equis diſtractus & laqueo ſuſpenſus, interiit anno 1225. Abbas Arnoldus Abbatiam dimiſit anno 1230. Qui duos ſibi ſucceden-

Digitized by Google

cedentes vidit, quibus defunctis, Arnoldus iſte denuo Abbas ordinatus eſt, atque ideo ipſius mortem infra annotabimus.

Theodericus imperante Frederico ſecundo, mortuus eſt.

THEODERICUS *Abbas* XXXIII, hujus monaſterii Monachus, & Abbas Gerardimontenſis, noſtri Cœnobii Blandinienſis ſuſcepit regimen anno 1230, ac poſtea an. 1234, naturæ conceſſit.

Sigerus 3, Frederico ſecundo imperante mortuus eſt.

SIGERUS III, Præpoſitus, *Abbas* XXXIIII, ſui nominis tertius, ſtatim, poſtquam Abbas electus eſt, migravit ex hac vita, atque idcirco in nonnullis noſtrorum Abbatum catalogis, non ſcribitur Sigerus Abbas, ſed Sigerus electus.

Arnoldus imperante Frederico 2 mortuus eſt.

ARNOLDUS DE SWYNAERDE Prior, Abbas iterato eligitur, eſtque in ordine Abbas XXXV. Superius jam vidimus, Arnoldum hunc anno 1230 Abbatiam dimiſiſſe, atque nunc rurſus anno 1237 eligi in Abbatem, in cauſa nimirum fuit ſubita ſuccendentium ſuorum mors. Ipſe quoque Arnoldus primo poſt ſecundam ordinationem ſuam anno in fata conceſſit; jacetque ſepultus in ſacello divi Dionyſii. Inſcriptio autem lapidis ſuperpoſita ejus ſepulchro talis adhuc conſpicitur, atque legitur: *Hic jacet Dompnus Arnoldus, dictus de Swynaerde, Abbas Sancti Petri, qui obiit anno Domini* 1238, *cujus anima per miſericordiam Domini requieſcat in pace. Amen.* Deinde ſequuntur duo iſti verſiculi.

Quiſquis tranſieris per me, ſta, perlege, plora.
Sum quod eris, vixique quod es, prome, precor, ora.

Robertus de Velde imperante Frederico 2 mortuus eſt.

ROBERTUS DE VELDE, *Præpoſitus* quondam de Cluſa, *Abbas* XXXVI, ordinatus eſt anno 1238, atque dehinc anno 1242 Abbatiam dimiſit ſexto nonas Maji; ſuccedente Roberto de Camphin quarto Idus Maji.

Robertus de Camphin imperante Frederico 2 mortuus eſt.

ROBERTUS DE CAMPHIN *Abbas* XXXVII, ordinatus eſt anno 1242; quarto Idus Maji. Hinc anno ſecundo Joanna Comitiſſa Flandriæ obiit, & Margareta ſoror ejus ſucceſſit: atque hoc eodem anno 1244, renovata eſt Eccleſia Beatæ Mariæ de Ellemaere, & in majorem elegantiam reſtituta eſt à Domino Laurentio Monacho Sancti Petri, ejuſdemque loci Præpoſito. Robertus de Camphin in fata conceſſit anno 1245, ſuccedente Joanne de Scalda. Eodem anno dedicata eſt Eccleſia de Ellemaere à Walthero Tornacenſi Epiſcopo, XVIII Kal. Octobris.

Joannes à Scalda interregno; quod à Frederici morte ad Rodulphum uſque fuit, vixit.

JOANNES DE SCALDA *Abbas* XXXVIII, ordinatus eſt anno 1245, præfuitque huic Monaſterio annis viginti & quatuor, ac ita rebus humanus exemptus eſt anno 1270. De hoc Vener. Domino hoc ſequens habemus Epitaphium:

Anno ab Incarnatione Jeſu Chriſti M CC LXX, III *Kal. Auguſti, Apoſtolica Sede vacante, Joanne de Adenghen ſedi Tornacenſi, Margareta filia Balduini Imperatoris Conſtantinopolitani, Flandriæ & Hannoniæ, præſidentibus, obiit Joannes de Scalda, qui præfuit huic Monaſterio annis* XXIV, *cujus anima per miſericordiam Dei requieſcat in pace. Amen.*

Ægidius Spelmaelgem interregno illo, quod à Frederici morte ad Rodulphum uſque fuit, vixit.

AEGIDIUS SPELMAELGEN *Abbas* XXXIX, ordinatus eſt anno M CC LXX, & ſecundo poſt ordinationem ſuam anno è vita ſublatus eſt. De eo ſubſequens extat Epitaphium:

Aegidius venerandus apex, & nobile lumen
Iſtius Eccleſiæ fuit hic, cui fama ſuperſtes
Inferior meritis præconia ſolvet in ævum.
Ter quadringentis, & ſeptuaginta duobus
Annis poſt Chriſtum, jam ſub luce ſecunda,
Hic obit, cura Patriis, ac moderamine fretus
Menſibus hepta quater ſemel octo decemque diebus.
Quem loca ſuſcipiant, ubi lux, ubi gaudia plena
Sunt, ubi vera ſalus, pax integra, vita perennis. Amen.

Theodericus Abbas Rodulpho imperante vixit.

THEODERICUS DE YPRA *Abbas* XL. Secundo anno, à quo Theodericus de Ypra Abbas ordinatus eſt, anno videlicet 1274, habito conſilio à Gregorio Papa decimo Lugduni, multa ordinum genera deleta ſunt; ſcilicet Fratres B. Mariæ Saxiti, aliique quam plurimi irreverenter mendicantes. Hugo dictus de Ooſtburch, Præpoſitus de Elmare, obiit anno 1275, in profeſto B. Petri ad vincula. Anno 1081 Theodoricus Abbas Abbatiam dimiſit, ſuccedente Domino Joanne Piſcatore, jacetque ſepultus ante oſtium Sacelli S. Dionyſii; & quamvis ipſius Theoderici mortem infra adhuc invenies, ejus tamen hoc loco ſubjecimus Epitaphium, quod lapidi inſculptum habetur

Anno ab Incarnatione Domini M CC LXXXIV, *octavo Idus Octobris obiit Theodericus de Ypra, quondam Abbas Sancti Petri Gandenſis: cujus anima per miſericordiam Dei requieſcat in pace. Amen.*

Joannes Piſcator Rodulpho imperantem vidit, ſed & Adulphum & Albertum.

JOANNES PISCATOR *Abbas* XLI. Anno 1281, Theoderico de Ypra dimittente Abbatiam, Dominus Joannes Piſcator, Monachus hujus loci & Cantor, Abbas ordinatus eſt; qui præfuit huic Monaſterio annis viginti & ſex, menſibus decem. Reddidit idem ſpiritum anno 1308, quod perſpicuum eſt ex ejus hic ſubjuncto Epitaphio:

Anno ab Incarnatione Jeſu Chriſti M CCC VIII, *quarto Kalend. Decembris, Pontificante Domino Clemente Papa quinto, anno quarto, Guidone de Bononia Sedi Tornacenſi, Roberto Comitatui Flandriæ, præſidentibus, obiit Joannes dictus Piſcator, qui præfuit huic Monaſterio annis viginti ſex, & menſibus decem; cujus anima per miſericordiam Dei requieſcat in pace. Amen.*

Balduinus de Lake Henrico VII imperante vixit, & Ludovico IV Bavaro.

BALDUINUS DE LAKE *Abbas* XLII, vitam morte commutavit in Hollein pago Galliæ, anno 1317, quinto Idus Martii, & ſepultus eſt in Blandinio, in Sacello D. Dionyſii, ejuſque ſepulturæ lapide ſequens inſcriptum habetur Epitaphium:

Anno milleno Domini ter C *quoque deno,*
Juncto ſepteno, ſcripto numero tibi pleno,
Balduinus natus Gandæ, de Lake vocatus,
Clauſtri Prælatus necnon fuit hujus amatus.
Luce ſub undena Martis linquens aliena
Mundi cum pœna, ſibi ſit nunc cœlica cœna.
Hic humilis fuit atque ſcius, ſimplex & honeſtus,
Qui tumulis valde pius his jacet atque modeſtus.
Si pro peccatis quicquam meruit gravitatis,
Indulge gratis, & eum Deus adde Beatis.
Omnipotens, flamen præſta cœleſte juvamen,
Mortis ad examen his qui dicent precor, Amen.

Fulcro Abbas ſub Ludovico IV Bavaro mortuus eſt.

FULCRO DE RYCKE *Abbas* XLIII. In vetuſto quodam catalogo Abbatum noſtrorum, omnes Abbates præcedentes hunc Fulcronem, nullo addito numero, ponuntur: ſolus hic Fulcro habet aſſcriptum numerum, quotus ſit in ordine, nimirum Abbas XLVIII, quum tamen, etiam ſi numeres omnes in eodem catalogo poſitos Abbates, ſolummodo ſit Abbas XLIII. Sed illi fortaſſis annumerant (*quanquam non fuerant aſſcripti*) *quinque illos Comites, qui Abbatiam Canonicorum tempore poſſederunt.* De hoc ergo ſatis. Fuit enim Fulcro Abbas confirmatus, ac conſecratus per Joannem Papam viceſimum ſecundum, anno Domini 1320, ipſo die Apoſtolorum Petri & Pauli. Hujus Abbatis tempore, anno 1322, Comes Ludovicus emit urbem Mechliniam à Duce Geldriæ cum Eccleſia Leodina CLXX millibus ſcutorum Franciæ. Fulcro Abbas diem ſuum clauſit anno 1337, poſt decimum ſeptimum regiminis ſui annum. De eo tale habetur Epitaphium:

Anno ab Incarnatione Jeſu Chriſti 1337, tertio Nonas Martii, Pontificante Domino Benedicto Papa duodecimo, anno quarto, Andrea de Florentia ſedi Tornacenſi, Ludovico Comitatui Flandriæ, præſidentibus, obiit Fulcro dictus de Rycke, qui præfuit annis ſeptemdecim, & menſibus quatuor, cujus anima per miſericordiam Dei requieſcat in pace. Amen.

Per Joannem Papam confirmatus fuit ipſo die Apoſtolorum Petri & Pauli.

M. Joannes Pitthem imperante Ludovico 4 Bavaro vixit, pervenitque ad Carolum quartum uſque.

Magiſter JOANNES PITTHEM *de Gandavo Abbas* XLIIII, ordinatus fuit anno 1337. Margareta filia primogenita Domini Ludovici Flandrenſis, Nivernenſis & Rethenſis Comitis, ac uxoris ſuæ Margaretæ, filiæ Joannis Ducis Brabantiæ, fuit de ſacro fonte levata, & propria manu baptizata apud Male, per Magiſtrum Joannem Pitthem, Abbatem Monaſterii S. Petri Gandenſis, anno 1350, qui fuit annus Jubileus, decima quinta die menſis Aprilis. Anno 1342 Eccleſia de Elmare, excepto choro, fuit facta per Magiſtrum Joannem Pitthem. Venerabilis iſte Dominus Joannes Pitthem rebus humanis exemptus eſt anno 1375, quinto Idus Februarii, jacetque ſepultus in ſacello Beatæ Mariæ. Sepulchrum ipſius inſigni lapide metallo cooperto obſtructum eſt. Inſcriptio autem talis eſt: *Hic requieſcit piæ memoriæ Joannes Pitthem Abbas hujus Monaſterii, qui temporibus Ludovici patris, & filii, Comitum Flandriæ, eidem præfuit triginta ſeptem annis, undecim menſibus, & ſexdecim diebus.* Hic refectorium ædificavit, Morum emit, Theſaurarium adornavit, multas eleemoſynas & plura alia bona fecit, ac Duciſſam Burgundiæ baptizavit: qui obiit anno ut ſupra. Anniverſarium ipſius celebratur prima feria poſt feſtum S. Anſberti.

Sub Gregorio undecimo, Pontificatus ſui anno primo, ad annum videlicet Chriſti 1371, hoſpitatur in Blandinio Simon S. R. E. Presbyter Cardinalis tit. S. Sixti, ad Reges Francorum & Angliæ Nuntius, Eccleſiamque Blandinienſem indulgentiis ornat.

Balduinus de Grutere floruit imperante Venceslao.

BALDUINUS DE GRUTERE *Abbas* XLV. Fuit autem ordinatus Abbas anno Domini 1375, deſiitque in vivis eſſe Valencenis, anno Domini 1384, die XVIII Februarii, eſtque ſepultus apud Carthuſienſes Valencenis.

JOAN-

Joannes de Rycke floruit imperante Venceslao.

Joannes de Rycke *Abbas* xlvi. Mortuo Balduino de Grutere, Joannes de Rycke Abbas conſtituitur: qui dehinc in fata conceſſit anno 1387, ultima Septembris; ſepultus eſt in Sacello Divæ Virginis, prope ſepulchrum M. Joannis Pitthem, ſub ingenti lapide, cui nihil prorſus inſculptum habetur; ejus anniverſarium celebratur in feria poſt feſtum Divi Hieronymi.

Gerardus tertius imperante Venceslao floruit.

Gerardus de Munte *Abbas* xlvii, illius nominis tertius, ordinatus eſt anno 1387, atque dehinc nona die Septembris, anno 1390. Pariſiis (*quo cum ceteris deputatis Flandriæ miſſus erat*) diem clauſit, & huc allatus, ſepelitur in hoc noſtro Blandinienſi Cœnobio. Erat enim Gerardus iſte, quum ordinaretur Abbas, Prior hujus Monaſterii, juſſitque ſcribi Miſſalem librum ſummi altaris.

Gerardus Leeuwaert Roberti vel Ruperti imperio vixit.

Gerardus Leeuwaert *Abbas* xlviii, illius nominis quartus. Iſte ſumma diligentia tutatus eſt libertatem Monaſticam, atque, ob inſignem ejus virtutem, ſubſequentes verſiculi fuerant compoſiti:

Ardua facta gere, Gerarde, nec infima quære;
Sic age, ne ſine re nomen videaris habere.

Idem Gerardus naturæ conceſſit anno 1412, ſepultus eſt in Sacello Chriſti Virginis Amelbergæ, celebraturque ejus anniverſarium prima feria poſt feſtum Marci. Epitaphium illius, quod tumbæ ſuæ inſculptum habetur, verſibus rhythmicis conſcriptum eſt hunc in modum:

Leeuwaert Gerardus jacet hic non ad bona tardus,
Qui prælaturæ præerat moderamine curæ.
Annis cumque tribus bis decem ſubdere, quibus
Aſpera multa tulit, clauſtri pro jure tuendo,
Atque refundavit navem templi reparando,
Partim ſic reficit Mare, Mars quod Pyrque peremit.
M C quater ſex bis, Marci ſit craſtina triſtis,
Huic clauſtro flenti tanto Paſtore carenti:
Ut Filii lux detur cæleſtis quiſque precetur.

M. Joannes Maeyghem Sigiſmundo imperante vixit.

Magiſter Joannes Maeyghem *Abbas* xlix, fuit ordinatus anno 1412, quo exiſtente Abbate, Philippus, Dux Burgundiæ, & Comes futurus Flandriæ, in adventu ſuo jucundo, juramentum præſtitit in hoc Monaſterio in hunc modum: *Nous Philippes jurons à garder comme bon & loyal gardien ſans moyen, bien & loyaulement, contre tous & vers tous, tous les privileges, libertez franchiſes, uſages, couſtumes, biens, poſſeſſions, perſonnes, ſubjects & familieres de ceſte Egliſe de Sainct Pierre, au mont Blandin, fondée de noz predeceſſeurs Roys de France. Ainſi Dieu nous veuille ayder, les Saincts, dont les corps repoſent icy, eux & tous les Saincts de Paradis.* Prædictus Abbas Joannes Mayeghem, mortis ſolvit debitum anno 1422. xvi Martii; jacetque ſepultus in ſiniſtra parte chori prope oſtium ſacelli Divi Joannis. Anniverſarium ejus celebratur prima feria poſt feſtum D. Gertrudis.

Buſſardus iſte imperante Sigiſmundo vixit, ſed & Albertum & patrem Friderici 3 vidit.

Bussardus de Munte *Abbas quinquageſimus*, præfuit huic monaſterio annis viginti: nam fuit ordinatus Abbas anno 1422, atque dehinc extremum obiit diem anno 1442, quarta die Aprilis. Sepultus eſt in ſiniſtra parte chori prope oſtium cœmiterii, ejuſque anniverſarium celebratur quinta die Aprilis. Temporibus illius Abbatis, inundatione maris ſubmerſa eſt Præpoſitura de Ellemaere, cum multis aliis vicinis pagis, anno 1424, xix die Novembris, in nocte Feſtivitatis S. Eliſabeth.

Joannes Haesbyt imperante Frederico 3 mortuus eſt.

Joannes Haesbyt *Abbas* li, primo ordinationis ſuæ anno tranſacto, migravit ex hac vita, anno videlicet 1443, ultima die Martii; jacetque ſepultus in ſiniſtra parte templi prope ſacellum divi Joannis. Ejus anniverſarium celebratur ultima die Martii.

Philippus Conrault imperante Frederico 3 obiit.

Philippus Conrault *Abbas* lii, ſui nominis primus, filius Joannis & Stephanæ in hoc Monaſterio ſepultæ, oriundus de Poligmaco prope Arboſium, in Comitatu Burgundiæ, Abbas diligentia Philippi Comitis ordinatus eſt. Qui cum diu ſumma cum laude Cœnobio præfuiſſet, reſignavit Abbatiam nepoti ſuo Philippo Conrault, reſervata ſibi annua penſione ccc lib. g. Denique reſervato caſtro Zuinaerde, & primo in choro loco, in monaſtario, ſi quando ipſe divinis ibi intereſſe vellet. Philippus iſte ſui nominis primus fato conceſſit anno 1475, xiii die menſis Auguſti, jacetque ſepultus ante altare Divi Nicolai, ſub ingenti lapide, abſque aliqua inſcriptione. Anniverſarium ejus celebratur prima feria poſt octavam S. Laurentii.

Philippus ſecundus ſub imperio Frederici 3 defunctus eſt

Philippus Conrault *Abbas* liii, & ſui nominis ſecundus, prioris Philippi nepos. Vir iſte præclarus erat, Abbaſque or-

ordinatus eſt, reſignante Abbatiam Philippo Conrault illius nominis primo, anno ſcilicet 1471. Hujus viri effigies ſpectatur in tabula in ſacello D. Mariæ ſummo artificio expreſſa. Philippus iſte ex parte Principis in legationem miſſus fuit ad Regem Angliæ, deinde brevi poſt reditum ſuum vita defunctus eſt anno 1490, jacetque humatus eodem tumulo, quo Philippus primus ipſius avunculus, ſub magno lapide ante altare Divi Nicolai. Inter alia egregia ſuæ gubernationis opera, auxit Bibliothecam Blandinienſem, qua, ante nuperam Iconoclaſtæ rabiem, celebrior inſtructiorque vix ulla toto Belgio fuit. Codicibus illius manuſcriptis magna ex parte emendatam lectionem veterum ac claſſicorum auctorum debemus.

Joannes Cauwerburch Maximiliano imperante vixit.

JOANNES CAUWERBURCH *Abbas* LIIII, Venerabilis iſte Dominus Joannes Cauwerburch hujus monaſterii Præpoſitus erat cum eligeretur Abbas. Fuit autem oriundus loco ter Kahen dicto, extra portam Gandenſem, vulgo de Ouverpoorte vocatam: ipſa, in quibus Abbas efficitur, tempora plane turbulenta atque diſſidiis undique plena erant. Nam Maximilianus Imperator, quum tutor Philippi filii ſui intendit fieri, Primatibus Flandriæ in hoc minime acquieſcentibus, negotio infecto captivus Brugis detinetur. Hæc ubi intellexiſſet Fredericus Maximiliani pater, in Flandriam feſtinat, quo filium liberet, ac de diſſidio inter ipſos, quod rectius viſum fuerit, ſtatuat. Præter has temporum calamitates, fuere etiam huic Abbati Cauwerburch multa alia adverſa perferenda. Primo namque, Cardinales aliquot nihil non moliti ſunt, quo noſtra hac Blandinienſi potirentur Abbatia, redditibus Cœnobii magis inhiantes (ut nunc quoque ſunt tempora) quam de ovibus ſibi committendis ſolliciti. Iſtiuſmodi igitur obſtaculis præpeditus dictus Abbas, annos in Abbatia quindecim non confirmatus ſedit. Abbas iſte Cauwerburch morſus à cane inſano S. Hubertum inviſere cogitur, non ſine periculo ac gravi diſpendio. Carolus Quintus Imperator Romanorum, hujus Abbatis temporibus juramentum præſtitit ante ſummum altare in hoc Blandinienſi Monaſterio, dehinc in templo Divi Joannis, anno 1514, quarta die Martii, quæ erat dies Dominica Venerabilis Abbas Joannes Cauwerburch extremum obiit diem anno 1517, octavo Idus Junii, ipſo die Trinitatis. Anniverſarium ipſius celebratur ſecunda feria poſt diem Animarum; jacetque ſepultus in ſummo Choro, circa finem, ſub magno & pulcherrimo lapide, cui nulla inſcriptio inſculpta habetur. Ipſi autem de eo tale compoſuimus Epitaphium:

Lake me genuit, pagus prope mœnia Gandæ,
Et tumulo captum nunc Libitina tenes.
Blandinium rexi, & quæ tunc neglecta jacebant
Erexi, colui, vivere cum licuit.
Annis quingentis à Chriſto & mille peractis,
Adde decem & ſeptem, mors inamœna rapit,
Ergo quiſquis ades, præſentem perlege tumbam,
Et quæſo dicas, Vive beate Deo.

Gerardus V partem Imperii Imperatoris Maximiliani vidit, & ſub Carolo Quinto mortuus eſt.

GERARDUS CUELSBROUCK nominis ſui quintus, Abbas in ordine LV. Si Comites annumeres, qui Abbatiam tenuere Canonicorum tempore Abbas LX. Gerardus iſte, venerabili viro Joanne Cauwerburch prædeceſſore, ac nepote ſuo defuncto, Abbas canonice electus eſt in feſto Beati Gudwali anno 1517, qui poſtea confirmatus eſt. Interim tamen *Epiſcopus Atrebatenſis in penſionem annuam duo millia florenorum extorquet.* Locus hic poſtulare videtur, priuſquam ultra progrediamur, pauca de hujus Gerardi quinti origine, ac laudabili ſtirpe in medium adferre. Fuit igitur *Gerardus iſte, Gerardo Culsbrouck, & Judoca Damman nobilibus parentibus ortus in civitate Aloſtenſi*, quam mater ejus, inſtante die partus, accedere ſolebat, non ſatis tuta in pago de Lede dicto, propter frequentes hoſtium in Flandriam incurſus. His ergo præmiſſis carptim, & ut quæque memoria digna videbuntur inſignia ejus facta, & opera proſequamur: nam ſingula deſcribere ſuperfluum fuerit. Quanta autem pietate ac labore vir iſte piiſſimus Eccleſiam rexerit, haud facile eſt memoratu, ita ut nihil illi ad exactam prudentiam defuiſſe videatur. Inter inſignia illius opera, Crux ſacra numerari poteſt, quod quantum valeat opus ipſum palam oſtendit. Tria deinde ſedilia artificioſe ex lydio atque alabaſtro lapide ſculpta, ferreum etiam opus, in quo Divorum aliquot Reliquiæ quieſcunt, tanta arte fabricatum, ut nullus ſit, qui artem non laudet, ac maxime admiretur. Juſſit etiam fieri venerabilis Sacramenti ædiculam; Turrim a Philippo Conrault inceptam abſolvit, Theſaurariam adeo locupletavit, ut antehac ita adornata fuerit nunquam; ſed his finem impono: nam difficile foret omnia ipſius facta deſcribere: præſertim cum vix aliquid ſpectetur in toto monaſterio, quod non aut reparaverit, aut à fundo extruxerit; omitto

to interim Pontes ab ipſo in uſum Mercatorum magnis ſumptibus factos. Principum aulas ingenita quadam prudentia, (quanquam tamen Primatibus foret gratiſſimus) ſemper abhorruit, ſatius eſſe ratus, commiſſo ſibi gregi recte conſulere, quam apud vulgi aures magni Abbatis nomine perſonare. Anno 1522, (quo anno reformatum eſt Cœnobium Einhamenſe) Chriſtiernus, Danorum Rex, profugus una cum uxore ſua Iſabella, Cæſaris Caroli ſorore, in Zuinaerde honorifice acceptus eſt à Gerardo Abbate. Anno Domini 1537 Monachi Divi Bavonis Canonici facti ſunt: & anno dehinc 1540, Monaſterium illorum dirutum eſt, ibique Caſtrum fieri juſſit Carolus Quintus Imperator. Anno 1548, ipſo die Agnetis ſecundo, crux ſacra à quodam fure domeſtico Vincentio Woeſtine, furtim ablata eſt, atque diſrupta. Cumque Vincentius iſte adhuc in Monaſterio eſſet, intelligeretque hoc factum ſuum nefarium omnibus palam eſſe, conſternatus animo, arreptis crucis aliquot partibus; nam crucem diſruptam in ſua cella habebat) fugam fecit; quem quidam celeri greſſu inſecuti ſunt, eaſque. quas ſecum habebat, crucis partes, in pago Eertvelde reddere coëgerunt, ipſum vero dimiſerunt. Crux ipſa, gravi licet diſpendio, brevi poſtea reficitur. Anno 1549, XVII Julii, Philippus Hiſpaniarum Rex, Caroli Quinti filius, juramentum præſtitit in præſentia Gerardi Abbatis ante ſummum altare hunc in modum:

Ego Philippus Dei gratia Princeps Hiſpaniarum, utriuſque Siciliæ, Hieruſalem, &c. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Comes Abſpurgi & Flandriæ, &c. Promitto, quod in adventu meo & ſucceſſione hujus patriæ, & Comitatus Flandriæ, conſervabo tanquam bonus, fidelis & ſupremus Gardianus, ſive Advocatus & conſervator immediatus, bene & fideliter, contra & erga cunctos, omnia privilegia, libertates, franchiſias, uſus, conſuetudines, bona, poſſeſſiones, perſonas, ſubditos & familiares hujus Eccleſiæ S. Petri in monte Blandinio à prædeceſſoribus meis fundatæ. Ita me Deus adjuvet, & omnes Sancti, quorum corpora hic quieſcunt, omneſque Sancti Paradiſi. Actum anno 1549, XVIII *Julii, ut ſupra.*

Abbas Gerardus altaria vetuſta totius ferme templi amovit, novaque erexit; ut ſunt, altare D. Laurentii, & S. Nicolai; item altare S. Trinitatis in altiori parte templi, ubi & alia duo Sacella conſtituit cum ſuis aris. Hæc autem omnia facta ſunt circa annum milleſimum quingenteſimum quinquageſimum ſecundum, tertium & quartum: quo poſteriori anno, videlicet LIV, inauratum, picturiſque egregie decoratum eſt ferreum opus, in quo Sanctorum corpora quieſcunt. Eodem anno vetus altare, ubi matutinalis Miſſa in dies celebratur, amotum, nonnunquam erectum eſt ex marmore, & alabaſtro lapidibus, operis expenſas Domino Sigero Piſcatore Priore ſolvente, qui paucis quoque ante diebus D. Dionyſii Sacellum expenſis propriis pulchre decoraverat. Anno 1555 Abbas Gerardus opus novum ſummi altaris, anno præcedenti ab eodem inceptum, abſolvit, feretrumque Divi Bertulphi, ubi prius fuerat in vetuſto altari, ſuperponi juſſit. Cumque magna ex parte argento ſpoliatum fuiſſet, denuo argento novo conveſtiri fecit, atque hoc opus omnium operum ſuorum (proh dolor!) poſtremum fuit. Nam circa hujus operis finem Venerabilis Dominus Gerardus Cuelsbrouck, omnium Religioſorum exemplar unicum, aliquot hebdomadibus adverſam valetudinem incredibili patientia pertulit; ac ſic tandem victus à morbo, animam reddidit anno 1555, decimo octavo Kalendas Septembris, ſive ipſo die Aſſumptionis Beatæ Mariæ, quæ erat dies Jovis, inter ſextam & ſeptimam horam pomeridianam, anno ætatis LXVII, imperante Carolo Quinto, & Henrico II Rege Franciæ exiſtente. Rexit autem laudabiliter monaſterium iſtud annis XXXVIII, menſibus duobus, diebus XIIII, jacetque ſepultus in choro inter ſummum altare & ædiculam venerabilis Sacramenti. De ipſo annua fit memoria in die Animarum. Nam ipſe adhuc ſuperſtes ordinaverat, ut in hac die officium divinum paulo ſolemnius celebraretur, & eadem opera ſui memoriam fieri voluit. Et, quo poſteris omnibus religioſis hoc ſuum inſtitutum manifeſtius foret, fundavit, ut cuilibet Religioſo darentur hoc eodem die ab infirmario ſex aſſes, juvenibus vero in capitulo adhuc exiſtentibus, tres. A prima Monaſterii Blandinienſis fundatione, uſque ad mortem Gerardi quinti, anni ſunt DCCCCXLV, menſes II, dies XIIII. Ipſius hic ſequuntur Epitaphia.

Epitaphium Domini Gerardi Cuelsbrouck quinti Auctore Henrico Phileno.

Cujus in hoc tumulo corpus ſit quæris inane!
Hic paucis elegis, docte viator, habes.
Natus Alosſenſi patria, virtutibus olim
Aetate in tenera ſe dedit, atque ſacris.

Si genus ignoras, hic natus patre Gerardo
Cuelsbrouck, de patris nomine nomen habet.
Præſul Joannes juvenem ſic moribus apte
Ornatum in ſacris complacuiſſe probat.
Namque illum officiis donavit forte duobus,
Ut vitam, fugiens otia, liber agat.
Hunc ſua provexit virtus, quæ non ſinit unquam
Optima cultori præmia deeſſe ſuo.
Ergo cum Præſul prædictus fata ſubiſſet,
Abbatis meruit conciliare pedum.
Per varios caſus, per multa pericula, functus
Hactenus eſt illo, cum pietate tamen.
Juſtitiam coluit, magnos tulit atque labores,
Debita quo poſſet munia rite ſequi.
Majorem turrim perfecit, ut ante Philippus
Cœperat, hoc fecit ſumptibus innumeris.
Si qua minabatur ſubitam ſtructura ruinam,
Reſtituit. Virtus ejus ubique patet.
Funditus extruxit quoque plurima. Sed quid? humari
Poſt mortem virtus, lector amice, nequit.
Circuitus quatuor, divis & ſacra Sacella,
Temporis attritu diruta, fecit opus.
Sunt queis magnificas juvat ædes ponere in ævum:
Aediculam ſtatuit ſed pius iſte Deo.
Hic prope quem videas, multis conducere pontem
Fundavit ſaxis, publica ſemper amans.
Denique multa docent ſtudioſe hunc eſſe ſecutum,
Quæ populo multum proſore quiſque videt.
Plurima præterea palam teſtantur, amore
Quanto complexus ſit ſacra templa Dei.
Inſigne hic quicquid, G. C. tribus, atque roſellis
Spectatur, meritis illius eſſe puta.
Ah! quoties ventis agitata Eccleſia Sanctum
Vexavit, fortis ſed ſtetit ille fide.
Qui libertates, & qui ſua jura tenebat.
Mordicus, Heroum quæ monumenta forent.
Hinc igitur ſpeculum virtutis ſumite Patres:
Sic ornate animum religione Dei.
Dicite nunc memores; O qui benefacta rependis,
Hunc requie æterna da, Pater alme, frui.

Aliud ejuſdem Abbatis Epitaphium eodem Auctore.

HAc cuicumque via eſt lege carmen triſte Gerardi,
Abbas qui quintus nominis ejus eram.
Nunc moror hic tandem fatali ſorte vocatus,
Qui Petri cymbam fluctibus eripui;
Jactatamque diu ſervavi, deinde petitos
Appulit in portus auſpice recta Deo.
Nunc aliis committo regendam urgente ſenecta,
Vermibus hanc carnem, doque animam ſuperis.
Nunc Pater omnipotens hominum qui facta rependis,
Obſecro per Chriſtum te miſerere mei.

Aliud ejuſdem Domini Abbatis Epitaphium Henrico Coſtenoblio, prædicti quondam Abbatis Secretario, Auctore.

GErardus jacet hic quintus cognomine Cuelsbrouck.
Blandinii orba ſuum defleat aula patrem.
Quam pius & prudens, quam Relligionis alumnus,
Teſtantur vitæ ſplendida facta ſuæ.

Vita Franciſci d'Helfault.

REverendus Dominus Franciscus Davroult, alias de Helfault, fuit hujus Monaſterii Abbas LVI, præfuit autem annis undecim, & mortuus eſt anno 1567, octavo Septembris, ipſo die Nativitatis B. Mariæ, cujus cultor fuerat devotiſſimus, & per quam obtinuiſſe precibus videbatur; ut ea die ſub ejus patrocinio vita defungeretur. Erat is Reverendus Dominus ex proſapia præcipuæ nobilitatis Arteſiæ oriundus, vir omnium humaniſſimus; de quo dici ſolebat, quod quiſquis cum illo ageret, ab eo non recederet niſi contentus, ſibique congratulans, quod adeo humaniter fuiſſet exceptus. Hujus humanitatis gratia, aliarumque virtutum, quibus exornatus erat, variis Abbatialibus Dignitatibus donatus fuit; ſiquidem quatuor Abbatias ſucceſſive adminiſtraſſe conſtat. Prima fuit in Licques, ordinis Præmonſtratenſis, ſecunda S. Joannis prope Morinos, ordinis S. Benedicti, tertia S. Winnoci in Flandria, cui præfuit annis circiter duodecim, quo tempore ibidem multis juvenibus habitum religionis dedit: quarta fuit hæc S. Petri, aliis & dignitate, & proventu excellentior. Nec hic finis erat ejus ad altiora promotionis: ſiquidem cum placuiſſet (quo Flandriæ, ac circumvicinis Provinciis melius conſuleretur) Summo Pontifici, & Regi noſtro Philippo plures erigere Epiſcopatus, ut vita, ſtudio, atque doctrina Epiſcoporum, in populo fides labaſcens firmaretur, perdita reſtitueretur, mores corrupti reformarentur; inter alios, qui ad Epiſcopatus electi fuerant, fuit & hic Re-

Reverendus Dominus à Rege denominatus primus Gandenſis Epiſcopus: verum, ut erat humilis, & de ſe modeſte ſentiens, præſcius, hanc provinciam humeris etiam Angelorum formidandam, ea qua decuit modeſtia, à ſe rejecit; ſicquè in ejus locum ſucceſſit Janſenius, S. Theologiæ Doctor Lovanienſis celeberrimus. Tempore porro adminiſtrationis hujus Monaſterii, multa præfatus Dominus, in commodum & utilitatem hujus domus, ac Templi ornatum, præclara fecit, ſicuti ex monumentis conſtitiſſet, niſi ea Geuſiorum (quibus religio eſt, ſacra omnia prophanare ac perdere) impietas evertiſſet. Tapetia tegendis Templi parietibus ſumma artis elegantia confici curavit, in iis vita & peregrinatio SS. Apoſtolorum Petri & Pauli expreſſa, & verſibus doctis illuſtrata. Fuit deinde ſtudioſorum hominum amantiſſimus, ac ſtudiorum fautor præcipuus, ut conſtat ex collegio Gandenſi, Lovanii ejus liberalitate & opera erecto, tum ex auctis ſtipendiis Doctorum, ibidem in Jure & Medicina publice prælegentium. Etenim cum Domino Carolo Imperatori Quinto conſultum foret, pecuniam, quam hinc mutuo acceperat, relictam à R. Abbate Domino Gerardo de Cuelsbrouck, reſtituere, receptam ejus ſucceſſor Dominus Franciſcus de Helfault, in præfatos uſus pios extendit, ſummam ſcilicet viginti millium florenorum; ſicque plenus bonorum operum, ac dierum, Deo, hominibuſque gratus, ne videret lugubrem tragœdiam à Geuſiis propediem excitandam, hujuſque ſui Monaſterii omnimodam everſionem, & miſerandum ſuorum filiorum exilium, animam Deo reddidit ſexto Idus Septembris, anno qui ſupra.

Secutus eſt eum Dominus Gislenus Temmerman, & conſecratus Abbas LVII. Blandinienſis 1570, ſexta Auguſti: fuere præſentes Einhamenſis & Trunchinienſis Abbates. Die ſequente, quod longa hic conſuetudine obſervatum, exequias Domini Franciſci d'Helfault celebravit. Sub hoc viro probo quantumvis, ac cordato extremam cladem paſſa eſt familia Blandinienſis. Obiit Dominus Giſlenus ſeu animi mœrore, ſeu aliis ærumnis confectus Duaci exul, anno 1581, vigeſima ſeptima Martii: ac ſepultus eſt in ſuo Dominio de Harnes: hæreticis Calvinianis Blandinienſem Abbatiam tunc occupantibus.

Succeſſit ei Dominus Lambertus Huberti, Ulyſſipone in Luſitania primum nominatus, dein Atrebati anno 1592, prima Dominica Adventus conſecratus, Abbas LVIII. Vir fuit amans diſciplinæ, ac ſeverus morum corrector. Obiit quinta Novembris, 1595, Bruxellæ, cum, ad fontes Spadanos valetudinis recuperandæ cauſſa profectus, Gandavum redire parat. Sepultus ante ſummum altare D. Virginis fuit in monte Blandinio; poſt tranſlatus ad ambitum Meridionalem Cœnobii, quem ſtrui juſſerat, hoc Epitaphium habet:

Primus ab everſo templo furialibus armis
Hujus qui tenuit ſceptra pedumque ſoli,
Lambertus fuit Huberti, qui ſparſa reduxit
Agmina Blandinii relligioſa Patrum.
Spirabat magnorum operum fundamina votis,
Reſque reponendas ordine quaſque ſuo.
En jacet ipſe ſuæ ſtructuræ parte; Tonantem
Factorum ut hæc ſint apta precare loco.

Dominus Federicus d'Yne, electus poſtulatus, & inſtallatus fuit Abbas LIX. Blandinienſis, anno 1596, quinta Maji, ætatis ſuæ, 56, poſtquam 32 annis Abbatem egiſſet in Maroles Cœnobio. Obiit Montibus Hannoniæ 16 Aprilis in vigilia Paſchæ, 1599.

Succeſſor Lamberto ſeu Federico huic datus eſt Cornelius Columbanus Vranx Teneramundanus, S. Theologiæ Licentiatus, Canonicus & Pœnitentiarius primum Eccleſiæ S. Bavonis, dein Monachus Blandinienſis, & ex Priore electus Abbas LX, & inſtallatus anno 1597, vigeſima Maji, ætatis ſuæ 63, per reſignationem videlicet Federici antedicti, qui alioquin Superiorum juſſu Abbatiam Maricolenſem deſerere cogebatur. Vir candidus fuit Cornelius, & talos à vertice purus ad imos, doctus, pius, largus eleemoſynarum donator, pauperum ſcholarium, pupillorum, ac viduarum amantiſſimus, in viis ſuis ſimplex ac rectus; verum (ut verbo veritas innoteſcat) facilis nimium, & ab aliquibus minus probis, aut induſtriis ſæpe numero eluſus. Conſecratus vero fuit in Abbatem 25 Aprilis, anno 1599, in pago de Swynaerde, per Reverendum Gandavenſis Eccleſiæ Antiſtitem Petrum Damantium, aſſiſtentibus Domino Jacobo Delrio Bodelonenſi, & Franciſco Scauteete Trunchinienſi Abbatibus, eodemque die ſolemniter ad monaſterium venit. Sub hoc, ut alibi diximus, Sereniſſimi Belgarum Principes, Albertus & Iſabella, Archiduces Auſtriæ, juramentum, à Comitibus Flandriæ fieri ſolitum, præſtitere. Tandem per annos aliquot datus eſt ei coadjutor, cum res monaſterii, per non ſatis exactam quorundam in œconomia rationem, diffluere vide-

De ſcriptis hujus viri; librum 2 Scriptorum Gandaven. in noſtra Flandria Bibliotheca vide.

deretur, Reverendus, admodum Dominus Joachimus Arſenius Scayck Ultrajectinus. Qui ſua induſtria ac ſollicitudine, ſenſim æs alienum, quo domus illa gravabatur, diſſlavit, aliiſque quibuſdam ejus familiæ malis occurrit. Decima quinta Auguſti, anno 1615, obiit Cornelius, annos natus 84, profeſſus Monaſticen 32, Sacerdos annis 55, Abbas ab electione 18, & ſedem nactus 16, cum trimeſtri ac diebus 15. Sepultus eſt in ambitu juxta Eccleſiæ ingreſſum. Hoc ei Epitaphium Dominus Cornelius à Marca ſcripſit:

Cornelius jacet hoc ſub marmore Vranxius, annis
Obſitus, ingenio floridus, & meritis.
Candidus, & ſimplex, & prudens ſenſibus; at cui
Plus aliquid niveæ ſimplicitatis erat.
Deſine, qui miſeris turbas hæc buſta querelis;
Si vis inferias condere, da violas.

Anno 1610 Jubileum quinquagenarium ſui nimirum Sacerdotii, millenarium item ſui Monaſterii à prima fundatione celebravit idem Vranxius. Magno Præſulum illic, ac Magnatum conſidentium adplauſu, dixit tum temporis Orationem Latinam de hoc argumento Dominus Cornelius à Marca.

Cornelio Columbano defuncto ſuccedit itaque Reverendus admodum Dominus Joachimus Arsenius Scayck, ante coadjutor, vir doctrina, prudentia, virtutibus aliis, ac zelo Religionis conſervandæ, tuendæque diſciplinæ clarus. Die XI Octobris, anni 1615, in Dominio ſuo de Swynaerde Abbas LXI. conſecratus, ac Abbatialibus infulis veſtitus fuit per Reverendum Dominum Henricum Franciſcum vander Burch, Eccleſiæ Gandavenſis Epiſcopum. Fuere præſentes Gulielmus de Caſtillo Bodeloanus, & Levinus Molinæus Trunchinienſis Abbates, venitque eadem die ſolemniter in monaſterium ſuum Arſenius: poſtridie perſoluta ſunt ex more juſta prædeceſſori ejus Columbano. Orationem funebrem dixit Dominus Michael Snouc, pius ejuſdem monaſterii Sacerdos, & vir eruditus.

1628. Vivit etiamnum prædictus Arſenius; & egregiâ ſollicitudine Blandinienſi ſuæ familiæ præeſt, diſciplinam inſtaurat, jura Cœnobii acribus animis tuetur, in ea denique incumbit, quæ nomini ſuo honorifica, ac commiſſo ſibi gregi utilia eſſe poſſunt. Collapſa paſſim ædificia, ac ruinam minitantia idem Arſenius reſtauravit; Dormitorium vaſtum, cum antea diſperſi agerent Monachi, conſtruxit ad annum 1616. cum parte ambitus illi attigua; quibus hoc anno duas alias partes opere magnifico adjunxit. Domum item Abbatialem ædificavit anno 1619. cum eminente turricula; Eccleſiam quoque variis ornamentis, cum antea ſatis exilia forent, domum ſuppellectile honorata inſtruxit. Libros ad Bibliothecam inſignem, cui locus in Septentrionali ambitus parte ſuperna commodus, ac ſpatioſus deſtinatur emit.

Gerardus Rym Abbas ſexageſimus ſecundus, ſui nominis ſextus ex Præpoſito denominatus eſt Abbas anno 1633. à Sereniſſimâ Hiſpaniarum Infante Iſabellâ Flandriæ Comitiſſâ, & conſecratus eodem anno 3. Maji. Obiit anno 1636. 27. Auguſti.

Antonius Engrand Abbas LXIII. ex Priore ad Abbatiam denominatus à Philippo quarto Hiſpaniarum Rege anno 1650. 16. Maii, Conſecratus fuit anno 1651. 1. Junii in Caſtro de Swynaerde, obiit anno 1654. 17. Septembris.

Amandus Hovelynck Abbas LXIV. ex Priore ab Archiduce Leopoldo Belgii Gubernatore denominatus eſt Abbas, & in Eccleſiâ ejuſdem Monaſterii conſecratus anno 1656. 14. Maii. Sub eodem Abbate Marchio de Caſtel-Rodrigo Belgii Gubernator ſolitum præſtari à Comitibus Flandriæ juramentum præſtitit pro Carolo ſecundo Hiſpaniarum Rege anno 1666. 2. Maii. Obiit anno 1679. 13. Auguſti.

Robertus Willocqueau Abbas ſexageſimus quintus illius nominis quartus, ex ſuppriore & Cantore denominatus eſt Abbas à Carolo ſecundo Hiſpaniarum Rege anno 1680. & conſecratus eſt Brugis in Sacello divi Cruoris, & poſt 15. menſium ſpatium obiit anno 1682. 16. Auguſti.

Maurus Verschuren Abbas ſexageſimus ſextus ex Oeconomo & Cantore denominatus eſt Abbas à Carolo ſecundo Hiſpaniarum Rege anno 1685. & in Territorio de Swynaerde eodem anno conſecratus 2. Septembris. Sub hoc Abbate ſolemniter inauguratus eſt Comes Flandriæ Philippus Quintus Hiſpaniarum Rex anno 1702. 19. Martii. Obiit anno 1712. 14. Februarii ætatis ſuæ 80. profeſſionis & ſacerdotii Jubilario, Abbatialis dignitatis 27.

Æmilianus Cruycke Abbas denominatus tantum obiit 14. Auguſti 1719. ætatis anno 73. Sub eodem ſolemniter inauguratus eſt Comes Flandriæ Carolus ſextus Hiſpaniarum Rex, & Romanorum Imperator.

An-

Antonius Musaert illius nominis ſecundus Abbas LXVIII. ex Cantore denominatus eſt Abbas à Carolo ſexto Hiſpaniarum Rege, & Romanorum Imperatore anno 1721, & in monaſterii ſui Eccleſiâ (cui ultimum perfectionis complementum & ornamentum dederat, & quam aperuerat) conſecratus eſt ab Epiſcopo Gandavenſi Philippo vander Noot, aſſiſtentibus Eenamenſi, & Trunchinienſi Abbatibus, anno 1722. 13. Septembris.

In exempto Monaſterio S. Petri in monte Blandinio juxtà Gandavum 4. Auguſti 1730. obiit Illuſtriſſimus Dominus Antonius Muſaert dicti monaſterii Abbas 68. ætatis ſuæ anno 70 complevit à longo tempore inchoatam Eccleſiam, conſtruxit aulam Abbatialem, Vir omnibus amabilis, & longiori vitâ dignus.

In ejus locum ſucceſſit R. D. Philippus Standaert, Abbas LXIX. ejuſdem monaſterii Religioſus Sacerdos, & Receptor generalis.

Monaſterium Sancti Petri Gandenſis, vulgò Sancti Bavonis, Abbatia Ordinis D. Benedicti.

Sanctus Amandus Trajecti ad Moſam, & idem Argentorati ad Rhenum Epiſcopus, illuſtris per Galliam Belgicam doctrinæ Euangelicæ præco exſtitit; huic initia debent ſua *Gandenſe ſeu Bavonicum*, Blandinienſe, Elnonenſe, & Marchianenſe Cœnobia, cum opulenta, tum perantiqua. De prioris utriuſque inſtitutione Philippus ab Eleemoſyna, Abbas II. Cœnobii Bonæ Spei, Ordinis Præmonſtratenſis, apud Binchium Hannoniæ oppidum, vir longè eruditiſſimus, & S. Bernardo Abbati Claræ-vallenſi olim familiaris, ſic ſcribit: Viam univerſæ carnis ingrediente Lothario Rege, ſucceſſor ei conſtituitur Dagobertus, ſicut regiminis, ſic virtutis, & pietatis paternæ ſtrenuus imitator: quo regnante, B. Amandus, ab urbe Roma regrediens, miniſterium verbi, ſicut aſſueverat, cœpit diligentius exercere, & animarum lucra profectu divini muneris operari. Hujus rei gratia Gandavum progreditur, & ſterilitatem gentis incredulæ fœcunditate divini germinis ſatagit adimplere: hic, ut liberius ſecuriuſque poſſit in Euangelicæ ſationis opus aſſurgere, interveniente Sanctæ recordationis Aichario Noviomenſi Pontifice, à præfato Rege ſuſcepit epiſtolas, ut nullis verbum vitæ, jugum fidei, ſacramenta gratiæ detrectaret, ſicque Regi cœleſti, Rege militante terreno, velociter curreret ſermo ſanctus, & in exitium mortis, jugulumque diaboli duo gladii convenirent, quia felix & jucunda eſt communio, cum ad claſſicum militiæ ſpiritualis erigitur terrenæ ſatellitium dignitatis. Populus autem ille, ſicut ubere glebæ, ſic ubertate gratiæ ſterilis, & jejunus, fanatici erroris cultibus, & idolorum ſacrificiis inſiſtebat: ſicque, inſtigante ſalutis adverſario, dura fronte & indomabili corde, pacis æternæ conſilium reſpuebat, & ſalutaribus monitis cervicoſo reluctabatur adniſu. Satagebat nihilominus vir Domini ſtudio pertinaci & jugi opera, ut in diverſoria mortis inductos, in regnum vitæ per gratiam ſanctificationis educeret. Remittebatur impietas pietatis obſequiis, & miniſtrum vitæ frequentibus ad mortem trahere moliebatur inſidiis. Ille, ſpretâ ſui corporis morte, ſæpenumero cæſus, affectus contumeliis, pulſatus injuriis, opprobriis laceſſitus, frequenter præcipitatus in flumen, ab ipſis etiam mulierculis perſecutionis injuriam ſuſtinebat. Fratres itaque, qui eum nimiâ devincti caritate ſecuti fuerant, & in opere Dei præſtabant familiare conturbernium, timore mortis, & inediæ ſqualore compulſi, fracti animo receſſerunt, relicto eo ad propria remeantes. Ille, ne quem gravaret, & ut ſine ſumptu poneret Euangelium, propriis manibus laborabat, unde viveret, & pro facultate miniſtraret neceſſitatem patientibus. Nihil eſt tam arduum, tamque difficile, quod non expugnet opera pertinax, & frequens lima complanet: maximè cum diligentiæ comes gratia ſuffragatur. Applauditur tandem laboribus ſanctis; & Magnatibus ad fidem cum populo confluentibus, vir ſanctus in virtute Dei confringit idola, templa deſtruit, altaria demolitur, cultum miſeræ ſuperſtitionis excludit, & abdicat deceptæ gentilitatis errores. Ad laudem igitur & gloriam nominis Dei, vivificæ Crucis erigitur triumphale vexillum, &, mutato ritu, pro fidelibus offeruntur hoſtiæ ſalutares. Ædificatur in eodem loco fidelium ſumptibus fabrica celebris, quæ in Fidei domicilium ſolemnibus edita ſacramentis, ſub Apoſtolorum Principis honore & nomine, B. Amandi miniſterio conſecratur. Ita Philippus Abbas. Qua autem ratione ea res inceperit, ac quando; quibus denique incrementis fuerit promota, ut diſtinctius & enucleatius intelligamus, Chronicon ejuſdem monaſterii adducam, quod uti antiquiſſimum, ita ſingulari fide conſcriptum eſt.

In Hiſtoria vitæ S. Amandi, quæ Mſc. extat Elnone & alibi.

Horrida, ſilveſtris, inculta iis temporibus maxima Flandriæ pars erat.

Anno 47. ante nativitatem Domini noſtri Jesu Christi, à Cajo Julio Cæſare Romanorum conſtructum nobile & famoſum

Chronicon S. Bavonis.

Digitized by Google

ſum caſtrum ſuper flumina Scaldis & Legiæ, ubi idem Scaldus Legiam recipit; cui à nomine ſuo Cajo Ganda nomen impoſitum eſt. Is poſt ſubjugatam à ſe Britanniam, ante ſuum regreſſum verſus Romam, in eo reliquit quoſdam milites Romanos ad illud Caſtrum cuſtodiendum. A quo quidem Caſtro, Ganda poſtmodum civitas Gandavenſis nomen & originem ſibi aſſumpſit; ita ut illud Caſtrum & urbis & nominis initium fuerit: & cum poſtea ex illa vetuſtiſſima arce conditum ſit inſigne monaſterium ordinis S. Benedicti, in honorem S. Bavonis, qui illic ſanctiſſimè vixit, & in Domino obdormivit, Monaſterium Gandenſe, & S. Bavonis ſemper vocitatum fuit, denotando per hoc, potius illum locum D. Bavonis cum toto ejuſdem diſtrictu, & verius vocari Gandam, quam ipſam nunc civitatem, quæ ei ſolùm adjacebat.

Ita illud.

Anno verò Domini noſtri Jesu Christi 608. B. Amandus tam Deo, quam hominibus amabilis, ex nobilibus Aquitaniæ Provinciæ parentibus oriundus, & per Gallias prædicationis gratiâ clareſcens, inque dicto Caſtro Ganda primo verbum Dei prædicans, contrivit idolum Mercurii, & aram ejus ſubvertit, & ibidem Eccleſiam conſtruxit. Ita Chronicon. Ex argenteo Mercurii ſimulacro conflata eſt imago pia Chriſti in Cruce pendentis ad juſtam viri magnitudinem: quam ſe in D. Bavonis vidiſſe narrat Varnewicus. Fides ejus rei penes auctorem ſit. Anno verò Domini 611. Eccleſia Gandæ ab incredulis deſtruitur. Anno Domini 613. Eccleſia Gandæ auctoritate Aicharii Noviomenſis Epiſcopi, & Dagoberti Regis Francorum, per B. Amandum reformatur. Eodem tempore inſignis Pater Aloinus, qui & Bavo, ex Francorum genere ortus, Hasbaniæ Comes, & Auſtraſiorum Ducum hæres, Spiritu ſancto cor ejus illuſtrante, S. Amandum in dicto Caſtro Gandæ adiit, inhianter cupiens ejus ſanctâ prædicatione, & doctrinâ ſalvari. A quo, contemptis opibus, & honoribus ſæculi, Chriſti gloriam plenius edoctus, deinceps certâ animi deliberatione ſoli Chriſto crucifixo militare ipſe quoque ſtatuit; pecuniam autem & theſauros ſuos in pauperes diſtribuens, cæteras terras, ac prædia, quæ in Brabantinorum agro, alibique plurima poſſidebat, in pios uſus contulit, præclarumque hoc inter cætera Monaſterium apud Gandam, ad Scaldis, & Legiæ confluentiam, eodem B. Amando promotore, in honorem B. Petri Apoſtoli magnifice exſtruxit, egregieque dotavit, quod ab eo poſtea S. Bavonis nominatum eſt, crevitque in magnum Monaſterium.

Anno 616. Eccleſia Ganda dedicatur Idibus Novembris, in honorem S. Petri Apoſtoli, à S. Amando Epiſcopo, qui Clericos Deo ſervientes ibidem primo inſtituit, & S. Bavonem, omnibus ſuis pro Deo prius erogatis, tonſura Clericali inſignivit.

Anno 618. S. Amandus in Eccleſia Ganda, quam opibus præcipuè B. Bavonis fundaverat, amotis Clericis ſæcularibus ſimul viventibus, ob cauſam, quod ipſi à primæva ſua ſanctimonia degenerare ac licentius vivere inciperent, catervam monachorum inſtituti Sancti Benedicti aggregavit, ac collocavit, quibus Abbatem honorabilem virum nomine Florbertum, virtutibus & ſancta religione decoratum, præfecit.

Anno Domini 629. Sanctus Bavo, per Sanctum Amandum, & venerabilem virum Abbatem Florbertum converſus, poſtquam hominem nomine Adunum, in labore ſuæ cellæ defunctum, poſt trium horarum ſpatium ab inferni faucibus revocaſſet, & palam vitæ reconſignaſſet, in eadem cella arctiſſima, in Cœnobio Gandæ fundata & conſtructa, ſanctitatis exempla cunctis derelinquens, non ſine admirabili multorum lamentatione, quinto Idus Novembris, ſolitaria recluditur. Anno Domini dcxxxi. Qui, poſt multiplices hujus ſæculi labores, corporiſque macerationes, & diverſas Spiritus ſancti viſitationes, in Cœnobio Gandæ die primo Kalendarum Octobrium, animam corpore exutam, in manus Creatoris ſui, efflavit. Affuerunt autem in ejus tranſitu, Sanctiſſimus Amandus Epiſcopus, & venerabilis Abbas noſter Sanctus Florbertus, cum venerando ſuorum Fratrum Gandenſis Cœnobii collegio, nec non Dominus Turholtenſis Eccleſiæ Presbyter, ad præfatum ſanctum Bavonem Angelo comitante perductus. Apparuit autem felix ipſius anima in ejus egreſſu ſalutari Beatiſſimæ Gertrudi Virgini, Abbatiſſæ Nivellenſis Cœnobii, jubens ſibi veſtimenta ad ſepeliendum corpus ſuum tranſmitti; quod & miraculoſè factum eſt. Corpus miraculis coruſcando, cum reverentia, & condigno honore à B. Amando Epiſcopo, & Venerabili Abbate Florberto, necnon Domino presbytero, cum utriuſque ſexus ingenti mœrore, in cella recluſionis ſuæ, ſita in Cœnobio Gandæ, Eccleſiaſticæ traditur ſepulturæ. Vulgatus de S. Bavone verſiculus eſt:

Ante perit mundus, redeat quam Bavo ſecundus.

S. Levinus Gandavenſium quoque Apoſtolus, & Patronus carmen elegiacum in mor-

mortem S. Bavonis conſcripſit: quod venerabili Florberto, primo Gandenſis, & Blandinienſis Cœnobii Abbati, tranſmiſit. Extat etiamnum, & legitur in libro Officiorum SS. Eccleſiæ Gandavenſis, qui Gandavi apud Gerardum Salenſonium ſuperiori ſæculo editus eſt. Hodie, ſi Antiſtitum quiſpiam carmen ſcribat, aut Poëtico ſtilo moduletur aliquid, à Theologis vapulat, & probrum ferè patitur. Adeò inſulſa ſunt hæc, & iniqua bonis artibus tempora: cùm olim Patres, & Eccleſiæ Doctores præſtantiſſimi quique, magnos ſe eſſe non poſſe ſine his diſciplinis putaverint; donec in ſordes & barbariem poſteriora ſæcula defecerunt.

Eadem hæc in Chronico Blandinienſi leguntur.

Anno 633. Beatus Livinus, genere Scotus, & Hiberniæ Archiepiſcopus, Cœnobium Gandæ cum tribus diſcipulis ſibi & Deo dilectis, decimo ſeptimo Kalendas Auguſti peregrè viſitavit, ibique ab Abbate noſtro Florberto, & devotis Fratribus inibi commorantibus, caritativè & benignè hoſpitio ſuſceptus eſt. Qui pridie Idus Novembris in villa, quæ Eſcha vocatur, pro fide *Chriſti* martyriſatus, decollatur. Cum quo etiam nobilis matrona, nomine Craphaildis, cum Brictio infante, in fruſta, mactato capite, ſecatur. Beatus autem Martyr Livinus, in ſepulchro novo apud villam Holthem, Angelicis manibus præparato, à diſcipulis ſuis cum Brictio infante, decenter & honorificè, ſepulturæ traditur; Beatam quoque Craphaildem Chriſti martyrem ſeorſum, juxta ſepulchrum S. Martyris Levini, poſuerunt.

Anno verò 636. Beatus Landoaldus, in Eccleſia Romana Archipresbyter, & Cardinalis, à Beato Amando Epiſcopo in Eccleſia Tungrenſi, ſive Trajectenſi, ſubſtituitur; ubi per novem annos vices Pontificis, uſque ad tempus S. Remacli, decenter adminiſtravit.

Anno 643. S. Vinciana virgo, ſoror S. Landoaldi, obiit in Wyntershove, & ibidem à fratre ſuo ſepelitur.

Anno 645. Sanctus Wandregiſilus ædificavit Fontanellam, receptaculum & Cœnobium multorum Sanctorum; nec invenio Monaſterium aliquod citra Alpes, in quo tot ſanctiſſimi viri degerunt, ſicut in Fontanella; ædificavit & Fiſcannum Monaſterium hic Beatiſſimus, multorum miraculorum patrator; requieſcit in hoc Monaſterio noſtro Blandinienſi, prout infra dicetur ſub Abbate Gerardo.

Anno 646. S. Landoaldus Epiſcopus, Archipresbyter & Cardinalis S. Romanæ Eccleſiæ, obiit in Wyntershove, & ibidem in Eccleſia B. Petri, quam ædificaverat, & dedicaverat, decenter ſepelitur.

Anno Domini 813. totum Cœnobium Gandenſe caſuali incendio deſtruitur.

Anno 846. Henricus Abbas Gandenſis, incurſiones Normannorum & Danorum metuens, corpus S. Bavonis, cum aliis multis reliquiis, ad S. Audomarum, quaſi ad tutum locum, tranſportari fecit, & ipſe una cum ſuis Monachis eo fugit, tanquam ad tutiorem & munitiorem locum.

Anno 851. Normanni & Dani barbara crudelitate Gandavum, cum Cœnobiis Gandenſi, Blandinienſi, ac Trunchinienſi, ferro & igne vaſtaverunt.

Anno 937. Arnulfus Magnus, Comes Flandriæ, hortatu venerabilis viri Tranſmari, Noviomenſis Epiſcopi, Cœnobium Gandenſe, tunc dirutum & deſerto ſimile, reſtauravit, & in melius reformavit, qui in eo virum illuſtrem S. Gerardum Bronienſem Abbatem conſtituit, dicti Gandenſis Cœnobii vigeſimum Rectorem, virum eximiæ virtutis, qualem omnia illa tempora poſtulabant.

Anno 916. Cœnobium Gandenſe cum congratulatione Fratrum a S. Gerardo Abbate reformatur, & in melius exaltatur.

Anno 956. Arnulfus Comes Flandriæ multa Cœnobio Gandenſi detraxit, quæ ſuæ diviſit nobilitati, ut in pago Cortracenſi Eliſachiam, Aldeghem & Holthem; in pago Melantheſii Sikelinas cum molis duabus & cambis duabus; in pago Tornacenſi Fontaneiam; in pago Trecenſi Colomam & Nielam; in pago Brachbatenſi Merem, Craynham, Bellavicum, Burgennam, Milunam, Menskeym, Aingham, Badingam, Morteſelam & Maſminam; in pago Flandrenſi Bettinghem, Oltanam, Oſtold, Adinghem, Rodenborch, Halkeſſandam, Lapſairam, Velthem; in pago Mempiſco Gontrenghem, Caneghem; in pago Gandenſi Haes, Houtorp, Huſdine, Bergine, Waeſmonaſterium, Merendram.

Anno 967. deprecatoribus Balduino Comite Cameracenſi & Womaro Abbate Gandenſi, cum multis aliis confirmata & adprobata rurſus ſunt à Lothario Rege Gandenſi Cœnobio univerſa ſua bona, & privilegia. *Vide Meyerum in Annal.*

Anno 974. Otto Imperator Romanus, ejus nominis ſecundus, confirmavit poſſeſſiones Gandenſis cœnobii, illique multa alia ab aliis ablata reddidit, & ſuper his privilegia, & privilegiorum confirmationes dicto Cœnobio, cujus fraternitatis fratrum ſocietatem adeptus fuerat, benignè conceſſit.

Anno 980. in cœnobio S. Bavonis ædificatur novum templum cum choro.

Anno Domini 1156. Hadrianus Quartus

tus, diplomate dato, omne peculium S. Bavonis, ſub protectione ſedis Apoſtolicæ conſtitutum, declarat 3. Cal. Januarii Pontificatus ſui anno tertio.

Anno 1161. Alexander Tertius ratam habet erectionem Altarium quorundam ſub patronatu S. Bavonis: legitur & aliud ejuſdem diploma, quo inter Abbatem S. Bavonis, & S. Petri Blandinienſis firmantur pacta, ſuper patronatu & regimine parochiarum utrique Abbatiæ ſubjacentium.

Anno 1181. Lucius Tertius confirmat canonicam conceſſionem factam ab Epiſcopo Tornacenſi Abbati, & capitulo Divi Bavonis, perſonatus Altarium de Zela, Grimberga, &c.

Anno Domini 1185. Urbanus Tertius diplomate dato mandat, ut Sacerdotes Divi Michaëlis Gandenſis, de Eckerghem, item & Wondelghem obediant Abbati & fratribus S. Bavonis, ſecundum formam indulgentiæ quam idem Papa fecit.

Anno 1188. Cœleſtinus Tertius concedit & mandat, ut Abbas S. Bavonis rebelles monachos per cenſuram coërceat.

Anno Domini 1195. Innocentius Tertius confirmat jus patronatus Eccleſiæ de Biervliet, datum per Balduinum Conſtantinopolitanum Imperatorem Abbati S. Bavonis.

Anno 1214. ab Honorio Tertio confirmatur, & ſub protectione Apoſtolica ſuſcipitur libertas ſæcularium exactionum in bonis à Philippo Comite monaſterio S. Bavonis conceſſa.

Anno 1242. Innocentius Quartus confirmat omnes libertates, & immunitates, à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus ſuis, exemptionum à Regibus, & Principibus monaſterio S. Bavonis indultas.

Idem, diplomate dato Lugduni Pontificatus ſui anno 5, concedit, ut Abbas & conventus S. Bavonis, exceptis feudalibus, petere & retinere poſſint ſucceſſiones, quæ contigiſſent illis, ſi in ſæculo manſiſſent.

Anno 1254. Alexander Quartus diplomate dato Viterbii xv Kal. Januarii Pontificatus ſui anno tertio, concedit, ut Abbas & conventus S. Bavonis in parochiis Eccleſiarum, in quibus jus habent patronatus, novalium decimas percipere poſſint, pro ea portione, qua in iis veteres decimas recipiunt.

Idem diplomate dato Viterbii 3 Idus Aprilis Pontificatus ſui anno quarto concedit, ut pellitis veſtibus vicini mari in divinis uti poſſint.

Idem diplomate dato Anagniæ 3 Kal. Decembris Pontificatus ſui anno quinto, confirmat exemptionem ab omni exactione ſæculari, & teloneo per totum imperium conceſſa ab Henrico Romanorum Imperatore.

Idem diplomate dato Anagniæ 4 Kal. Decembris Pontificatus ſui anno quinto concedit, ut Monachi S. Bavonis coopertis capitibus intereſſe poſſint divinis officiis hiemali tempore, & proceſſionibus.

Anno 1262. Urbanus Quartus diplomate dato Viterbii ad xv Kal. Octobris Pontificatus ſui anno primo jubet, ut intra ſepta monaſterii perpetuis temporibus habeatur magiſter docens in ſacra pagina. Nullum illo ſalubrius ſtatutum fieri poteſt; at illo etiam eheu in multis locis nullum neglectius!

Anno Domini 1280. Martinus Quartus confirmat omnes libertates & immunitates à Romanis Pontificibus, Regibus ac Principibus monaſterio S. Bavonis datas, x. Kal. Sept. Pontificatus ſui anno primo apud urbem Veterem. Ejuſdem ad Abbatem & fratres S. Bavonis extat diploma Pontificatus ſui anno tertio.

Anno 1286. Nicolaus Quartus, anno 1353. Innocentius ſextus, & anno 1390. Bonifacius Nonus, variis idem Monaſterium privilegiis honorant.

Innocentius VI. diplomate dato Avenione Idibus Februarii Pontificatus ſui anno ſexto, ſcribit ad Epiſcopum Cameracenſem, ut Eccleſiam parochialem B. Mariæ Ardenburgenſis in collegiatam & collegium Decani, & Canonicorum evehat, ad petitionem Ludovici Comitis Flandriæ, Decanatu ad præſentationem & nominationem Abbatis, Canonicis quatuor ad nominationem ejuſdem Comitis, reliquis ad plenariam diſpoſitionem Abbatis relictis.

Anno 1379. Urbanus VI, diplomate dato Romæ apud S. Petrum vi Kal. Jul. Pontificatus ſui anno 4, concedit Abbati S. Bavonis, ut mitra, annulo aliiſque Pontificalibus ornamentis inſignitus, ſolemnes benedictiones impertiatur.

Anno 1403. Clemens VI, poſt eum Joannes Vigeſimus tertius, præter alia, indulget Abbati, ut quælibet ad res ſacras ſpectantia ornamenta poſſit benedicere, Bononiæ dato diplomate xviii. Kal. Sept. Pontificatus ſui anno primo.

Anno 1415. Martinus Quintus, præter alia, concedit Abbati S. Bavonis, ut novitios Monachos ad minores ordines promovere, veſtes & vaſa ſacra, &c. benedicere valeat, diplomate dato Romæ 4 Kalend. Febr. Pontificatus ſui anno duodecimo.

Anno 1430. Eugenius Quartus, anno

1477.

Digitized by Google

1477. Nicolaus Quintus, Calixtus item Tertius, Paulus ſecundus, Innocentius Octavus, Julius ſecundus, & Leo Decimus, variis monaſterium S. Bavonis honorant gratiis & privilegiis.

Anno 1526. Clemens ſeptimus, diplomate dato Romæ 6 Kal. Novemb. Pontificatus ſui anno 3, concedit, ut Levinus Abbas novitios Monachos non ſolum ad minores ordines, ſed ad ſubdiaconatum etiam promovere poſſit.

Variis eandem Eccleſiam honorarunt privilegiis ſuo quiſque tempore Carolus Magnus, Ludovicus Pius Imperator, Caroli filius, Philippus, & Theodoricus Elſatii, Balduinus, Robertus, Carolus Bonus, Margareta, Ferdinandus, Thomas, Guido Flandriæ Comites; Philippus Dux Burgundiæ; Godefridus Dux Lotharingiæ, & Brabantiæ; Philippus Marchio Namurcenſis; Joannes Dux Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgi; Philippus Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgi Dux; Robertus Advocatus Bethuniæ & Teneramundæ Dominus; Sigerus & Hugo Caſtellani Gandavenſes, è quibus familia Villana, quæ & ejuſdem Cœnobii Advocatiam habuit; denique Remenſis Archiepiſcopus, & Tornacenſis Epiſcopus, aliique Reges, Præſules ac Magnates; quæ omnia, ut & alia ejuſdem Monaſterii ornamenta in manuſcripto familiæ Bavonianæ Chronico, & Eccleſiæ Gandavenſis archivis (ubi plurima originalia diplomata latent, quorum aliqua Miræus etiam evulgavit) eſt invenire.

Vitæ Abbatum S. Bavonis.

PRimus itaque hoc in Catalogo Bavonienſium Abbatum occurrit *Florbertus*, de quo ejuſdem Monaſterii Chronicon in hunc modum: Anno Domini 618, B. Amandus in Eccleſia Gandæ, amotis Clericis, catervam Monachorum aggregavit, quibus præfecit Abbatem venerabilem virum nomine Florbertum, virtutibus & ſancta religione decoratum. Anno vero 642 obiit venerabilis Florbertus primus Abbas Gandenſis 8 Idus Octobris in præfato Cœnobio Gandenſi, & ibidem ante altare S. Petri honorifice ſepultus, per multa annorum curricula in eodem loco in pace requievit.

Vide Molanum in Natalib. Sanctorum Belgii ad primum diem Novembris. Aſſerunt Blandinienſes Florbertum in Blandinio quieviſſe.

Anno 633 S. Levinus Epiſcopus in Brachbanto ab impiis occiditur. Sigebertus in Chronico.

Adalbertus vir Dei à B. Amando ſecundus Abbas Gandenſis Cœnobii conſtitutus. Ita Chronicon. Florberti vitam ampliorem inter Abbates Blandinianos habes. Adalbertus vero, teſte eodem Chronico, confirmationes privilegiorum Gandenſis Cœnobii ab Eugenio Papa conceſſas obtinuit. Obiit 660, Kalend. Julii.

Anno Domini 643 B. Vinciana virgo, ſoror S. Landoaldi, obiit in Wintershove, & ibidem à fratre ſuo ſepelitur.

Anno 646 S. Landoaldus Epiſcopus, Archipresbyter & Cardinalis S. Rom. Eccleſiæ, ut loquitur Chronicon, obiit in Wintershove, & ibidem in Eccleſia S. Petri, quam ædificarat, & dedicaverat, decenter ſepelitur.

Fulco Abbas ſucceſſit Adalberto, & quarto Nonas Decembris, anno 674 mortuus eſt.

Anno 661 B. Amandus Epiſcopus obiit in Elnone.

Anno vero 676 facta eſt elevatio corporis S. Amandi Epiſcopi à B. Eligio, Noviomenſi & Tornacenſi Antiſtite.

Fulconi ſucceſſit *Wilfridus*, qui obiit anno 690, duodecimo Kalend. Octobris.

Anno 680 elevatio Sanctiſſimi egregii Confeſſoris Chriſti Bavonis, multis miraculorum ſignis longe lateque per eum patratis, celebrata eſt magnifice in Cœnobio Gandenſi à B. Eligio Noviomenſi Epiſcopo, & Wilfrido Abbate Kalend. Auguſti.

Anno 693 Childeſa Sancta dedit ad Eccleſiam S. Bavonis in Megmedonck res ſuas, in Furſito, in Henninga, & Hamma & d'Anceliaria.

Reynerus Abbas ſucceſſit Wilfrido, qui obiit 704, Idibus Maji, eique ſucceſſor datus

Albericus Abbas, qui obiit 711, 2 Novembris; eique ſucceſſit

Wilradus, qui diem clauſit ſuum 728, 14 Kal. Januarii.

Anno 735, elevatio prima SS. Landoaldi, Vincianæ, Amantii, Adriani & aliorum Sanctorum facta eſt in Eccleſia S. Petri de Wintershove, Kalend. Septembris à S. Florberto dignæ memoriæ Leodienſi Epiſcopo, præ multitudine miraculorum, quæ ibidem fiebant, ſuper illis divinitus admonito.

Hildebertus ſucceſſit Wilrado. Hic anno 752, cum Gandavi excitatus fuiſſet civilis motus propter Sanctorum imagines, multique eas, tamquam idololatriæ inſtrumenta, è templis & conſpectu Chriſtianorum rejiciendas docerent, fortiter ſe fautoribus impiiſſimi Cæſaris Conſtantini, cognomento Copronymi, oppoſuit, piumque imaginum uſum, & cultum adverſus hæreticos non modo verbis eruditiſſimis, ſed ſanguinis etiam ac vitæ profuſione confirmavit,

Perperam hunc Meyerus Blandinienſem Abbatem dixit. Vide Molanum in Natalibus, 4 Aprilis.

mavit, cum à prædicti Imperatoris Conſiliariis ob eam cauſam interfectus fuerit, quam ob rem & inter beatos Martyres haud immerito relatus eſſe creditur.

Poſt Hildebertum vero *Egilfridus* 752. Leodienſis Epiſcopus per Stephanum Papam Abbas Cœnobii Gandavenſis creatus eſt. Is anno 754, ab Urbe Roma rediens, multas Reliquias Sanctorum Apoſtolorum & aliorum Sanctorum, deque Lotharingia corpus B. Pharahildis Deo dicatæ virginis ſecum detulit, & in Cœnobio Gandenſi, 16 Kal. Decembris decenter & honorifice collocavit. Obiit Egelfridus Epiſcopus Leodienſis & Abbas Gandenſis cœnobii nonus anno 762, cui ſucceſſit

Ita quoque Sigebertus in Chron.

Robertus, mortuus 771, quinto Kal. Februarii, habuit ſucceſſorem

Wericum, ſive Wedericum, cui anno 780 defuncto ſucceſſit

Eynoldus, obiitque 794. Lidericus Comes Harlebecenſis Comitatum Flandriæ ſuſcepit, & primus factus Comes Flandriæ.

Wenebaldus ſucceſſit Eynoldo, in ejus autem, anno 809, defuncti locum venit

Briddo, qui obiit 816, undecimo Kal. Martii. Poſt cujus mortem facta eſt fratrum diſperſio in Angliam uſque ad creatum Eynardum in Abbatem.

Eynardus, Capellanus Ludovici piiſſimi Imperatoris, & ante Caroli Magni Imperatoris Cancellarius, fit anno 826 Abbas Gandenſis Cœnobii. Is ſtatim Cœnobium incendio deformatum reſtituit, vagoſque Monachos in unum reduxit, & anno 828 reliquias SS. Marcellini & Petri allatas ad ſuam Eccleſiam Gandavenſem tranſmiſit 5 Non. Julii. Impetravit etiam à Ludovico Imperatore approbationem privilegiorum Cœnobii Gandenſis, quæ antea pater ejus Carolus ei conceſſerat, & alia privilegia nova. Conceſſit quoque Liderico Harlebecenſi, primo Flandriæ Saltuario (alii Odoacrum Liderici filium dicunt) licentiam venandi in ſilva S. Bavonis, quæ tunc Heynaerts Trieſt, nunc vero Loo nominatur, tali conditione, quod de omni venatione ſua daret ipſi Abbati decimum cervum ſive beſtiam. Obiit 8 Kal. Auguſti, anno 844.

Vide Locrium in vita Audoacri ad annum 824.

De hoc Eynardo quidam vir eruditus & in patriis Antiquitatibus egregie verſatus ſic ait: Pace multorum dicam ego quod ſentio; Eginarthum, ſeu, ut Hermannus Nuenarius variat, Eynardum, Archicancellarium Caroli Magni fuiſſe, floruiſſeque circa annum Domini 790, quo tempore uxorem duxerat nobiliſſimæ ſtirpis Germanam; nam & ipſe Germanus erat, vel, ut alii volunt, è Ducatu Styriæ, qui tum Francis etiam parebat: quare ab opido Tergeſto tum deſolato, quid ni nomen acceperit, cum & Dominus illius fuiſſe tum videatur, utpote in finibus ſuæ patriæ? Quia vero in dignitate ampliſſima conſtitutus magnas opes cumularat, diverſis in provinciis territoria, ſilvas, & allodia coëmit; cum autem Gandavi frequentius cum Carolo Magno ageret (ut ipſemet fatetur in vita Caroli Magni, quam ſcripſit) ſilvam illam, utpote jucundam & oportunam ſibi, ſuo ære vindicavit. Hoc mihi pæne certum eſt, ſed quod uxor ſterilis eſſet, primum Abbatiam Salichſtadienſem, medio inter Moguntiam & Herbipolim itinere, ſuis impenſis exſtruxit, & dotavit, dein dimiſſa dignitate, & ſæculi vanitatibus Gandenſis Abbas à Ludovico, Caroli filio, factus eſt, ea potiſſimum de cauſa, quod multas in Flandriæ terras poſſideret, ſic deſolatum S. Bavonis monaſterium ſuo ære reædificaturus. Ita ille. Qui & Eynardum ejus fuiſſe ſtirpis ſentit; quæ nobilis & antiqua, Trieſt vocitata, nunc Gandavi floret.

Anno 842 elevatio S. Levini Archiepiſcopi & Martyris egregii, & S. Brixii infantis, facta eſt apud villam Holthem, per Theodoricum Cameracenſem Epiſcopum.

Eynkericus ſucceſſit Eynardo. Hic propter incurſiones Normannorum, corpora SS. Bavonis & Pharahildis cum aliis reliquiis Sanctorum tranſtulit ad Caſtrum S. Audomari. Obiit 852, Id. Julii. Vide Locrium ad annum 846.

Anno 851 Normanni & Dani Monaſterium S. Bavonis incenderunt & devaſtarunt. Vide Locrium in Chronico ad annum eundem, qui Blandinienſe & Trunchinienſe aſceteria ferro & igni vaſtata jungit.

Tafradus, aliis Tafridus, ſucceſſit Eynkerico. Hic anno 853, cum ſuis Monachis, & corporibus Sanctorum, ac Reliquiis ex Caſtro D. Audomari terrore Normannorum Laudunum Clavatum, Galliæ civitatem, transfugit; cum animadverteret ſe cum ſuis, ne quidem in S. Audomaro tutum fore, & tandem anno 867 obiit Lauduni, 12 Kalend. Aprilis, apud Nigellam, ibidem ſepultus.

Radulfus ſucceſſit Tafrado, à fratribus Gandenſis Cœnobii Abbas electus; quia dicti fratres in prædicta Nigella cauſſa diſperſionis degebant. Obiit is 882, Lauduni, & in monaſterio de Nigella ſepultus 6 Id. Auguſt.

Anno 880 Normanni hiemarunt in Gandavo.

Elias Abbas, à fratribus poſt hunc electus,

ctus, obiit 895, quarto Id. Decemb. Lauduni in Eccleſia S. Vincentii ſepultus. Poſt cujus obitum magna exſtitit diſperſio Monachorum, quæ plus quam 40 annis duravit. Nam eo tempore à die adventus Normannorum tanta fuit in Flandriæ calamitas, ut Monachi S. Bavonis totos propemodum centum annos exulare, perque diverſas civitates, & regiones peregrinari cogerentur. Semper tamen corpus Divi Bavonis aliorumque Sanctorum, ceu theſaurum longe omnium pretioſiſſimum, ſecum diligentiſſime, ac religioſiſſime circumferentes, eorum præſentiæ fiducia ſe tantis in miſeriis conſolabantur: & quanquam huc illuc incerti oberrare cogerentur, ſimul tamen ſemper & in commune, quantum licebat, vivebant, ſub uniuſque capitis obedientia ſeſe humiliter continebant, ac ſimul atque Abbas ex humanis exceſſerat, alium ſtatim in ejus locum, nihil obſtante exilio, eligebant.

S. Gerardus Cellenſis vir ſingularis exempli, idemque unicum pietatis ornamentum, Bronienſis Cœnobii *in* Hannonia fundator, per Tranſmarum Epiſcopum Noviomenſem, & Arnulphum Comitem Flandriæ fit Abbas vigeſimus Gandenſis Cœnobii; quod prius reſtauraverat prædictus Comes Arnulfus. Qui ſtatim Monachos diſperſos ex Francia domum revocavit una cum corpore Divi Bavonis, & omnibus Reliquiis. Hic eſt ille Divus Gerardus, cujus opera, ac meritis prædictus Comes Arnulfus, & una Prælatus Divi Bertini, ab acerbiſſimo dolore calculi miraculo liberatus fuit.

Anno 939 S. Bavo cum aliis Sanctorum pignoribus, & Reliquiis, de Lauduno ad monaſterium de Nigella tranſlatus, ad arcem opidi ſui cum ſeptem Monachis ad Eccleſiam in novo Caſtello conſtructam reportatur 13 Kalend. Octob. quia Cœnobium Gandæ nondum plene reſtauratum fuerat.

Anno 940, aliquibus SS. Bavonis & Pharahildis Reliquiis in Eccleſia prædicta novi Caſtelli ſuper ripam fluminis Legiæ ſita, ad inſtantiam, & devotam ſupplicationem Arnulfi, Comitis Flandriæ, relictis tali conditione, quod Clerus præfatæ Eccleſiæ, cum ſupradictis eorum Reliquiis annuam peregrinationem dicto Cœnobio Gandenſi venerabiliter perſolveret; SS. Bavonis & Pharahildis corpora cum aliis Sanctorum pignoribus à Sancto Gerardo Abbate Gandenſi de ſupradicta novi Caſtelli Eccleſia, cum innumerabili multitudine populorum ad Cœnobium Gandenſe reportantur, & cum ingenti lætitia & tripudio ibidem decenter collocantur.

Anno 946 Cœnobium Gandenſe cum congregatione fratrum à Sancto Gerardo Abbate ræedificatur, & in melius exaltatur.

Anno 947 Tranſmarus Epiſcopus, ad rogatum Arnulfi Comitis Flandriæ, Eccleſiam S. Petri in Caſtro Ganda ſuper Scaldim & Legiam ſitam, quæ dicitur Cœnobium Gandæ, privilegiavit, & liberam fecit.

Anno 957 Columbanus Abbas Hibernienſis, vir ſanctiſſimus, incluſit ſe in Cœmiterium Gandenſis Cœnobii 4 Non. Februarii, ſanctam ibidem ducens vitam.

Anno 959 S. Gerardus Bronienſis Cœnobii fundator, quondam Abbas Cœnobii Gandenſis (munus enim hoc anno 953 reſignarat) vir ſanctiſſimus migravit ad Dominum: & eodem anno Columbanus Abbas vir ſanctiſſimus, & Gandenſis Eccleſiæ S. Bavonis Incluſus, in ipſo Cœnobio Gandenſi obiit; qui in crypta B. Mariæ ante altare B. Andreæ parum remotius ſub arcu lapideo ſepultus requieſcit.

Anno 960 prima Capella in opido de Rodenburch dedicatur in honore B. Bavonis egregii Confeſſoris.

Hugo Abbas Gandenſis Cœnobii 965 reſignavit, & in eodem anno obiit; cui ſucceſſit venerabilis vir

Wolmarus Abbas. Sub hoc, anno videlicet 980, corpora SS. Landoaldi Præſulis, & in Eccleſia Romana Archipresbyteri & Cardinalis, Amantii Archidiaconi, Adriani Martyris, ad Regem Hildricum ſui internuntii, Vincianæ virginis, ejuſdem S. Landoaldi ſororis, & Landradæ virginis inclytæ Beliſienſis Abbatiſſæ, de Wintershove, Hasbaniæ vico, ad Gandenſis Caſtri Cœnobium, cum multa miraculorum gloria, ſunt delata, facultatem concedente Joanne Romano Pontifice, Nodgero Leod. Epiſcopo, & Othone II. Cæſare.

Anno 982 elevatio S. Landoaldi ſociorumque ejus à Landulfo Noviomenſi Epiſcopo in Cœnobio Gandenſi coram infinita populi multitudine ſolemniter celebrata eſt, Domino Wolmaro Abbate, qui hanc Sanctorum elevationem ſanctiſſimam fieri diligentiſſime procurabat ibidem tum præſente; qui Wolmarus Abbas eodem anno obiit, cui

Wido Levita ſucceſſit. Eodem anno ſponte ſua etiam ſolutus: illi ſucceſſor fuit Odwinus. De Widone ſic Locrius, ad annum 947, B. Agitone, de quo jam diximus, è vivis erepto, Wido Divi Gerardi nepos, conſentiente Arnulfo Comite, Bertinici aſceteri xxv Abbas conſecratur; qui pro-

promotus in Abbatem (iterum Iperius) juventutis ſuæ gaudia nimium ſectabatur; quam ob rem fuit à B. Gerardo depoſitus, vixque Comes à B. Gerardo obtinere potuit, ut eum permitteret ad alium locum promoveri: ſed finaliter, inſiſtente Comite, tranſlatus eſt ad Abbatiam S. Bavonis Gandenſis.

Odwinus mortuus 998, XVI Kal. Julii. Sub hoc inchoatum eſt 985, in majori excellentia, majus ædificium Eccleſiæ & Chori Gandenſis Cœnobii Kalend. Aprilis. Poſt illum venit

Eremboldus, qui 1003, VII Kal. Maji, inchoavit opus occidentale Gandenſis Cœnobii; mortuus 1017, IX Kal. Auguſti, ibidem ſepultus in crypta B. Mariæ in eminenti tumba.

Reliquiæ SS. Pancratii, & Barbaræ cum plurimis aliorum Sanctorum reliquiis de urbe Roma per Eremboldum Abbatem ad Cœnobium Gandenſe ſunt delatæ.

Ita & Sigebertus in Chronico.

Anno 1007, Cæſar Henricus ſummo, ſed irrito conatu, Gandavum oppugnat.

Anno 1007 ad Cœnobium Gandenſe idem Eremboldus Abbas corpora SS. Levini & Brixii infantis cum multis miraculorum inſignibus ſtatim à Cæſaris Henrici diſceſſu tranſtulit ab Holthem, ad Gandenſe Cœnobium, maxima populi multitudine obviam ſibi concurrente.

Anno 1011 in Cœnobio Gandenſi adventus B. Macarii Peregrini, viri nobiliſſimi, & Antiochenæ Sedis Archiepiſcopi.

Anno 1012 S. Macarius mortiferam Gandavenſium peſtem precibus, & lacrymis continuis redimens, eademque peſte ſe divinitus adfligi obtinens, in Cœnobio Gandenſi 4 Idus Aprilis obiit ſanctiſſime, & ibidem in crypta B. Mariæ ante altare S. Pauli Apoſtoli, miraculis plurimis coruſcans, ſepelitur honorifice.

Quidam nomine Bruno dedit Sancto Bavoni novem marcas auri & pondus 18 denariorum continens, duos calices auri, patinas quinque marcas habentes, duas caſulas, duas cappas, & duo pallia in refrigerium animæ ſuæ.

Othelboldus fit poſt mortem Eremboldi Abbas 26: anno 1019, & obiit 1034, Nonis Decembris. Poſt illum fuit

Lidwinus Atrebatenſis, qui 1036 reſignavit Abbatiam. Succeſſit

Rumoldus Bergenſis, qui 1038 deponitur; & in ſequente anno *Folbertus* ordinatur.

Anno 1037 Balduinus Pius Comes Flandriæ, cum Adela uxore, Cœnobio Divi Bavonis Gandenſis multo ampliſſimas aſſignavit poſſeſſiones.

Anno 1066 Folbertus hic ſecundam tranſlationem S. Bavonis fecit 7 Idus Martii.

Ita & Sigebertus in Chronico.

Anno 1067, ſeptimo Idus Maji, facta eſt elevatio S. Macarii in Cœnobio Gandenſi à Balduino Noviomenſi, & Lietberto Cameracenſi Epiſcopo, præſentibus Abbatibus pluribus & Monachis, cum Sanctorum ſuorum corporibus ex ipſorum Cœnobio ibidem ſecum allatis, præſentibus etiam Philippo Rege Franciæ, Balduino Comite Flandriæ, cum filio Balduino Montenſi, aliiſque Principibus & magnatibus quam plurimis, cum innumerabili utriuſque ſexus populo ibidem tunc congregato. Aureo fulgore ſignum Sanctæ Crucis, ad declarandum B. Macarii meritum, cœlitus illuſtravit ſanctæ elevationis locum. Officium Sanctorum Eccleſiæ Gandavenſis.

Sigerus poſt Folbertum fuit Abbas. Hic 1073 ſponte ſua abſolvitur, & *Stephanus* de Egmundis introducitur.

Anno 1072 Eccleſia parœcialis in Caſtro Gandenſi ſita, quæ vulgariter appellatur Eccleſia S. Chriſti, dedicata eſt in honore S. Crucis ſanctique Bavonis, à Radbodo Noviomenſi Epiſcopo, Abbate Sigero hoc promovente.

Stephanus de Egmundis anno 1074 Reliquias diverſorum Sanctorum tranſtulit cum fratribus ſuis in Eccleſiam parœcialem S. Crucis, ſanctique Bavonis Gandenſis ſupradictam, inibique in novo ſcrinio ad hoc præparato decenter collocavit; poſtea 1076 ipſe deponitur, & ſuccedit

Wichmannus, qui anno 1092 deponitur, & *Adelardus* introducitur. Sub hoc tranſlatio prima facta eſt Reliquiarum S. Levini, Pancratii & Barbaræ. Obiit Adelardus 1099, VI Non. Martii. Sub hoc Eccleſia S. Jacobi 1093 in Gandavo fundari cœpit.

Anno 1095 cum Roberto Flandrorum Comite ad bellum ſacrum profecti Balduinus, ictu lapidis ad Niceam cæſus, Giſlebertus & Winemarus à Gandavo, ejus fratres, Arnoldus item à Gandavo, Winemari filius, & Steppo ejus gener.

Wulfricus Abbas obiit 1031, XI Kal. Julii. Succeſſit

Everdeus. Sub hoc, videlicet 1138, inchoatum eſt occidentale opus majoris turris Gandenſis Cœnobii prima die Martii. Hic 1151 ſua ſponte abſolvitur.

Anno 1148 dedicatio cryptæ Cœnobii Gandenſis facta eſt ab Anſelmo Tornacenſi Epiſcopo.

Betto ſuccedit Everdeo, obiitque 1177, III Non. Novembris.

Anno 1156 reliquiæ parœcialis Eccleſiæ S. Crucis, Sanctique Bavonis Gandenſis, tranſlatæ ſunt in die Palmarum de primo

Digitized by Google

primo ſcrinio in ſecundum, à Domino Gerardo Epiſcopo Tornacenſi, Cleri & populi multitudine copioſa ibidem confluente.

Theodericus Elſatius anno 1165 quartum in Palæſtinam proficiſcitur.

Anno 1165 dedicatio oratorii, ſeu capellæ infirmorum Gandenſis cœnobii celebrata eſt in honore S. Trinitatis.

Anno 1170 Philippus Flandriæ Comes S. Thomam Archiepiſcopum Cantuarienſem in Angliam uſque comitatur. Sigebertus in Chronico.

Anno 1171 tranſlatio ſecunda S. Levini facta eſt in cœnobio Gandenſi per Walterum Tornacenſem Epiſcopum ſub Bettone Abbate, qui ibidem tunc præſens exiſtens, caput & corpus integrum B. Martyris Levini, per manus præfati Epiſcopi oſtenſum, cum devotione magna videre promeruit, & eodem anno adventus Reliquiarum undecim millium Virginum in præfatum cœnobium Gandenſe, & corpus Eremboldi Abbatis Gandenſis transfertur.

Anno 1177 S. Macarius Archiepiſcopus de crypta ſuper Sanctuarium, per Bettonem Abbatem transfertur.

Bettoni ſucceſſit *Wilhelmus*, qui obiit 1187.

Anno 1179 facta eſt dedicatio Capellæ, ſive Oratorii S. Macarii, ſuper Lavatorium, per Everardum Tornacenſem Epiſcopum.

Anno 1194 odio, ut ait Meyerus, exitiabili inter ſe digladiantur Gandenſes.

Anno 1195, XI Kal. Julii, dedicata eſt Eccleſia in cœmiterio Gandenſi a Stephano Tornacenſi Epiſcopo, in honore S. Dei Genitricis Mariæ, S. Thomæ Apoſtoli, & Stephani protomartyris, Sanctarum Agnetis, Catharinæ, & Margaretæ virginum, tempore Everdei Abbatis, Gerulfi Monachi, & ibidem Capellani.

Anno 1190 Elſatius Flandriæ Comes, paratis Gandavi, quæ ad ſacrum bellum erant neceſſaria, Machtildi uxori principatus gubernationem tradit. Locrius.

Everdeus ſecundus Abbas Gandenſis ſponte ſua 1206 abſolvitur. Succeſſit

Guido Remenſis Archiepiſcopus, Gandavi moritur & ſepelitur 1205. Miræus.

Balduinus natus de Ponterave, qui anno 1208 etiam abſolvitur. Succeſſit

Euſtatius quadrageſimus in ordine Abbas, natus de Herheym, quod nunc dicitur opidum Gandenſis Caſtri. Anno 1214 graviſſimum Gandavi, Brugis ac Ipris incendium, flamma non domos ſolum numeroſas, ſed homines quoque populante.

Henricus ſecundus, natus de Herdenburch, ſucceſſit; obiitque 1224, quarto Non. Novembris. Succeſſit

Balduinus ſecundus filius Balduini Advocati S. Bavonis. Is bona dicti cœnobii plurimum augmentavit, & ædificia magna conſtruxit. obiit 1251, Idibus Octobris. Teſte Harduyno in Analectis hujus cœnobii, titulus ei fuit: Heer Baudewyn Borluyt, Abt byder gratie Godts vander kercke van S. Baefs 1250. *Anno 1255 Sanctus Ludovicus Gallorum Rex Gandavum venit ad redimendos de Ceſare Margaretæ liberos. Meyerus.*

Anno 1244 Reliquiæ parœcialis Eccleſiæ S. Crucis & S. Bavonis Gandenſis, ſuperius iterato nominatæ, de ſecundo ſcrinio in tertium, 8 Idus Nov. ſunt repoſitæ per Dominum Abbatem Balduinum & Sigerum priorem, & quam plures ejuſdem cœnobii Monachos, & Theobaldum ejuſdem Eccleſiæ parœcialis Presbyterum.

Thomas Flandriæ Comes, ſuſcepto contra Brabantos bello, Bruxellam obſidet ac ſubigit; Henricum Ducem Lovanienſem cum Godefredo ejus fratre captivum Gandavum deducit anno 1242. Vide Locrium.

Theodoricus de Maldeghem, vir bene litteratus, & honeſtus, ſucceſſit Balduino. obiit 1262, prid. Id. Auguſti. Hic anno 1258 condolens, venerabilem virum Florbertum primum ipſius cœnobii Abbatem, pedibus tranſeuntium ibidem irreverenter conculcari, conſultis Fratribus, quadam die matutinis dictis, ipſiſque Abbate & fratribus albis indutis, ſtoliſque decoratis, cum reverentia ejuſdem Florberti ſepulchrum, ſublato ſarcophago cum ipſius Epitaphio inſculpto, aperiri fecit: ibidem corpus ejuſdem Florberti cum albo lapide marmoreo ejus capiti ſuperpoſito, hiſque verbis inſculpto invenerunt: *Hic requieſcit Florbertus Abbas Gandenſis cœnobii. Obiit octavo Idus Octobris.* Hujus autem ſepulturæ locus olim erat ante majus altare S. Petri à B. Amando conſecratum, qui locus nunc eſt juxta Chorum verſus conventum ſub arcu lapideo, ubi aqua benedicta à fidelibus populis ſuſcipitur. Levato autem ipſius corpore de prædicto ſuæ ſepulturæ loco, aquaque abluto, oſſa ipſius in arca plumbea decenter, & honorifice incluſerunt, & in muro ante Capellam S. Benedicti cum ſupradicto lapide marmoreo, prout adhuc patet, venerabiliter poſuerunt. Domino Hugone de Hoeſtbroeck, Priore S. Petri in Blandinio, cum tribus Monachis ſuis fratribus ibidem præſente.

Anno 1274 ſignabatur moneta Flandrica Gandavi, & Aloſti, Hannonica, Valentianis. Locrius.

Anno 1278 prolatum Gandavi pomœrium. Vid. Meyer.

Reſignante D. Theodorico 13 Abbate monaſterii de Dunis ſucceſſit XIIII Dominus Thomas de Gandavo, qui Cameram Prioris & Cellerarii & molendinum aquæ in Sando conſtruxit. Præfuit annos XII. Hujus tempore mare limites ſuos egrediens in quatuor officiis terram de Sando occupavit. Chron. Dunenſe. Anno 1278 ſit Abbas D. Bertini Galterus Bloc, patria Gandenſis, qui magna præfuit cum laude, omneſque Monachos ex nimia luxuria ad frugalitatem ſumma moderatione reduxit. Meyerus.

Theodorico de Maldeghem ſucceſſit *Joannes Vromandt* natus de villa S. Bavonis, qui anno 1296 ſponte ſua reſignavit.

Anno 1275 Gandavi Caſtrum vetus, annuente Margareta Comite, à civibus opido adplicatur, ejuſque foſſæ oppletæ, & lapidibus paviatæ, viam prætereuntibus præbere occipiunt. Locrius.

Joanni ſucceſſit *Walterus* de Ardenburch, qui etiam 1306 ſponte ſua reſignavit, & in ejus locum ordinatus eſt eodem anno

Henricus Tertius, dictus Piſcator, qui eodem anno obiit, & eidem ſucceſſit

Walterus Secundus, dictus de Roden, mortuus 1311, Kalend. Februarii. Succeſſit

Nicolaus dictus Juvenis. Obiit 1320, 5 Idus Januarii.

Anno 1322 ſtatutum à Ludovico Nivernenſi Flandriæ Comite, ut quicumque Prætor eſſet Gandenſis, idem eſſet Prætor veteris quoque Burgi, territorii Aloſtenſis, & quatuor officiorum. Meyerus.

Nicolao ſucceſſit *Gerelinus* dictus Borluyt, vir venerabilis. Obiit 1338, Kal. Julii.

Guilielmus Wenemarius, Gandavenſium Capitaneus, fortis homo ut gygas, & animoſus valde Brugenſes juxta Donſam cædit 1326. Chronicon Blandinienſe.

Anno 1336 portiones Reliquiarum Sanctorum Bavonis, & Pharahildis in Eccleſia novi Caſtelli, tranſlatæ ſunt de veteri ſcrinio in novum, &c.

Gandavenſes Ludovicum Comitem Nivernenſem contra Brugenſes, Franconates, alioſque, quos populares vocabant, egregie juvant.

Petrus ſecundus de Albania, Monachus S. Bertini, magiſter in Theologia, ordinatus eſt Abbas Gandenſis cœnobii, per Benedictum Pontificem duodecimum anno 1341.

Anno 1326 Sigerus de Cortraco, & Hector Vilanus, ductores Gandavenſium, octingentos populares Brugenſes inter Aldenardam & Cortracum cum 40 equitibus funditus delent. Solus Balduinus de Hanſeghem letaliter vulneratus capitur.

Anno 1343 Dominus Petrus Abbas Gandenſis cœnobii ſponte ſua reſignavit in manus Domini Clementis Pontificis Sexti, per quem venerabilis vir,

Joannes Secundus, dictus de Moro, fit Abbas. Is anno 1345 Indulgentias ſalutares in feſtivitatibus SS. Bavonis, Livini, Macarii, & Landoaldi in prædicto cœnobio Gandenſi acquirendas, à Papa Clemente gratioſe impetravit. Obiit Idibus Martii, 1349.

Anno 1380 obſeſſo per Comitem Gandavo, Gandavenſes, Ducibus Joanne de Helſt, Jacobo de Borſt, & Simone Colpaert Gerardimontium profecti viam aperiunt, qua ex Hannonia Gandavum annona venire poſſit; Ninoviam capiunt, & arcem vaſtant, Aloſtum obſident, & tandem ſagittis igne pyrio rutilantibus incendunt, ac civibus Teneramundam fugientibus, urbe tota potiuntur: muris dejectis, inde Teneramundam profecti, eruptionem hoſtium fortiter repellunt, ac in urbem redire compellunt; cum alia parte exercitus Donſam capiunt; prædas Gandavum opulentas vehunt, ac currus annona plenos à matre Comitis ad caſtra miſſos intercipiunt, ac Gandam cum omni commeatu introducunt.

Succeſſit *Joannes* III. 1350, die Tiburtii & Valeriani, de S. Amando cognomento Fayta, Doctor in S. Theol. à Pontifice Clemente contra ſectam Flagellatorum miſſus ante ſuam promotionem ab univerſitate Pariſienſi, ad dictum Dominum Clementem, ſermones, & actus publicos in ejus præſentia ſolemniter prædicavit & exercuit; quorum virtute idem Pontifex dictam ſectam annihilavit, pluresque alias legationes tam in civitate, & diœceſi Leodienſi, quam alibi, auctoritate Apoſtolica conceſſas ad debitum deduxit effectum. Qui quidem Joannes reſignavit prælaturam ſuam in Septembri, 1394, & obiit die 7 Februarii, 1395, ſepultus in capella S. Amandi

Anno 1369, XIIII Kal. Julii, die Martis, Gandavi ad S. Bavonis maxima celebritate & magnificentia nuptiæ celebratæ ſunt, inter Philippum Ducem Burgundiæ, fratrem Caroli Regis Francorum, & Margaretam filiam unicam Ludovici Maleani Comitis Flandriæ, ſacris operante Philippo Epiſcopo Tornacenſi. Vocatus ad nuptias Dux Brabantiæ Wenceſlaus & Joanna ejus uxor, matertera ſponſæ, cum alia maxima nobilium frequentia. Vide Locrium ad eundem annum.

Anno 1382 conſtituitur Philippus Arteveldius, Jacobi filius, Capitaneus Gandavenſium cum ſumma rerum poteſtate. Sub eo alii ductores ordinum, Franciſcus Ackerman, Petrus de Boſce, Jacobus de Rycke, Jacobus de Heyſt, Raſo de Voorde, viri fortes & ſtrenui.

Walterus de Senzeles eligitur via Spiritus Sancti in profeſto nativitatis, anno 1394, Divæ Virginis. Obiit 1405 in die BB. Criſpini & Criſpiniani: ſepultus in Capella S. Benedicti, ſub arcu lapideo.

Anno 1379 graves Gandavi tumultus Vide Meyerum. Luxus Principis Maleani ſolitam Gandavenſium libera-

Anno 1382 Matthæus Coolman, Navarchus Gandavenſium, arcem de Saeftingen obſidet, ac rem fortiter gerit. Circa hæc tem-

lutatem ſoſtis. Anno 1383 Princeps Malcanus moribundus, ſeu pœnitentia, ſeu miſericordia motus, omnia Gandavenſibus remiſit, ac pro illorum pace generum ſuum moriens orat, &c. Meyerus. Captus à Turco Joannes Burgundio, ope Flandrorum, ac præcipue Gandavenſium, liberatur. Vide Meyer. ad annum 1396.

tempora tota fere Flandria in poteſtatem Gandavenſium venit. Vide Meyerum.

Succeſſit *Georgius* vander Zickele, filius Simonis Domini de Nazarette, & Weldene in Zeeuverghem. Obiit 1418, ſepultus in Choro. Succeſſit ei

Guilielmus ſecundus, dictus Boſſuyt. Hic pluribus annis præfuit, & reditus Eccleſiæ mirabiliter augmentavit, & ædificia excellenter in melius amplivit. Ipſe inſtituit Miſſam quotidianam celebrari ad altare SS. Vincianæ & Landradæ ſub organis ſitum, quod ipſe fundavit; & anno 1450, per Guilielmum Epiſcopum Sareptanum, vices gerentem Epiſcopi Tornacenſis in ſpiritualibus, conſecrari fecit. Miſſa debet celebrari ſub ſumma Miſſa de Sanctis iſtius loci.

Anno 1488 male inter Philippum Principem & Gandavenſes convenire incipit ob nova tributa. Vide Meyerum.

Anno 1452 Abbas Guilielmus multa patienter ſuſtinuit pro libertate ejuſdem Eccleſiæ conſervanda, tandem multis laboribus fatigatus Pariſios ſe tranſtulit; ibidem naturæ ſolvit tributum, ubi honorifice in Eccleſia SS. Coſmæ & Damiani inhumatur ſub arcu lapideo, circa cornu ſummi altaris, anno 1460, decima Decembris.

Anno 1452 obſidetur à Gandavenſibus Aldenarda.

Anno 1453 multis in locis fortiter feliciterque pugnarunt Gandavenſes. Ad Gaveram tamen 10 Kalend. Auguſti XV aut XVI cæſa eorundem millia. Meyerus.

Jacobus dictus de Bruxella introductus à Philippo Duce Burgundiæ, & Comite Flandriæ, obiit poſtea ſenio confectus anno 1474.

Anno 1477 Maria, Caroli Audacis ad Nanceum interempti proles unica, atque ditionum omnium paternarum hæres, Gandavi, cum Margareta Eboracenſi noverca, annum agens viceſimum, Gallo tumultuante, ſubſidet: & eodem anno nubit Maxæmiliano Auſtrio. Guido quoque Brimæus, Imbercurtii Toparcha, atque Megæ Comes, idemque aurei velleris Eques, Gandavi ab irata plebe captus, nequidquam adlaborante ad ejus liberationem Maria Principe, capite multatur. Locrius.

Robertus à Lacu Gandavenſis inchoat Collegium Baccalaureorum utriuſque Juris in Academia Lovanienſi 1483. ab aliis auctum nunc floret.

Jacobi ſucceſſor *Joannes dictus de Sicleers*, qui ejus avunculus fuit, octo annis præfuit, & ceſſit Raphaëli de Marcatellis anno 1478, & obiit in fine Maji, ſepultus in navi Eccleſiæ ante altare S. Joannis, anno 1488.

Raphael de Marcatellis, Licentiatus S. Theologiæ, primo conventualis S. Petri Blandinienſis, illic etiam profeſſus, ſed pro tunc temporis Abbas S. Petri Aldenburgenſis; & ſic per Joannem de Sicleers Abbas 58 Gandenſis fuit. Brugis domum pulcram & aptam habitationi erexit. Hic anno 1478 conſecratus eſt in Epiſcopum Roſenſem. Obiit Brugis, 3 Auguſti, in domo ſolitæ reſidentiæ, anno 1508. Hic autem Epiſcopus Roſenſis, propter diſſenſionem Epiſcopatus inter Dominum Ludovicum à Pot, & Dominum Petrum Quicke, admonitus à Rege Philippo patre moderni Imperatoris, tribus vicibus ordines ſacros celebravit; videlicet ſemel Inſulis, Sabbatho poſt S. Luciæ; ſecunda vice Gandavi, in S. Joannis; & tertia vice, in monaſterio ſuo S. Bavonis. Qui etiam ſumptuoſam Bibliothecam comparavit, prout adhuc in dies conſtat. Qui & reſignavit Abbatiam ſuam in manibus Domini Ægidii Boele, quondam ſui Capellani.

Filius nothus fuit Philippi Burgundiæ Ducis.

Anno 1483 Margareta Philippi ſoror, annorum quatuor puella, Gandavo à Franciæ Regis Legatis educta in Gallias proficiſcitur, quo, ex lege pacis anno ſuperiore proclamatæ, in thalamum concederet cum Carolo Delphino. Vide Locrium.

Anno 1497 Robertus Briconetus 70 Vedaſtini monaſterii in Atrebatibus Antiſtes pedum cum vita depoſuit. Ejus dignitatem excepit Jacobus de Kelles patria Gandavenſis, non ignobili ortus proſapia; cujus electio ingens Aſcetis gaudium produxit, quod ex grege proprio aſſumpto Præſule, externorum jugum effugiſſent. Vide Locrium.

Aegidius Boele de Teneramunda anno 1507, conſecratus Antverpiæ in Eccleſia S. Michaelis fuit à Domino Suffraganeo Cameracenſi, in feſto decollationis S. Joannis. Is loca plurima antiquitate collapſa in melius reſtauravit, videlicet cryptam in S. Bavone, domum Abbatialem extra civitatem in Loo Chriſti, & alia plura. Fuit & Epiſcopus Roſenſis. Sub hoc Abbate Carolus V. fecit ſuum lætum introitum Gandavi, ut Comes Flandriæ. Obiit anno 1517, Feria tertia in Paſcha, circa horam ſextam. Auro etiam decoravit feretrum S. Bavonis, & Sancti Macarii argento, & alia plura.

Anno 1512, verno tempore Carolus Philippum parentem imitatus (vide ad annum 1498) Bruxellæ in ludicro Baliſtariorum certamine emiſſa ſagitta, buxeam volucrem longiore pertica eminentem diſtricto ictu dejicit, magna opidi lætitia & adplauſu. Vide Locrium.

Anno 1517, eadem Feria tertia, celebrata fuit Miſſa de S. Spiritu, & via Spiritus Sancti fuit electus Dominus *Levinus Hugenoys*, hujus nominis primus, natus in S. Bavone, qui non curavit de Epiſcopatu Roſenſi; quia non ambulavit in ma-

gnis, neque in mirabilibus ſuper ſe; tum quia Epiſcopatus Roſenſis tantum titulus eſt, ſine profectu.

Anno 1530 naſcitur Gandavi Maxæmilianus Vilain de Gandavo, Iſeghemii Comes, Raſeghemii Baro, arcis S. Joannis liber Toparchus, Calkenæ, Wetteræ, Maſminiæ Dominus, Collator hæreditarius officiorum & beneficiorum Aſſenedæ & territorii Aſſenedani.

Lucas Munich per aliquot annos dicti Levini coadjutor, ultimus Abbas S. Bavonis fuit. Hic fecit ſtatuta Eccleſiæ S. Bavonis in primæva illius in Eccleſiam Collegiatam erectione, condita & edita anno 1537, Indictione decima, menſis vero Julii die ultima, in profeſto elevationis S. Bavonis, Pontificatus SS. D. N. Pauli Papæ 3, anno 3. Quo tempore, hoc ſequenti titulo dictus Abbas Lucas eſt uſus:

Lucas permiſſione divina Abbas Collegiatæ Eccleſiæ S. Bavonis Gandenſis, Tornacenſis diœceſis Romanæ Eccleſiæ immediate ſubjectæ.

Anno 1537 Decanus ejuſdem Eccleſiæ erat Petrus Hueribloc, Joannes Boele Cantor, Judocus de Lidekercke Theſaurarius, Daniel Duerman Scholaſticus, Judocus Arentius de Vivario, Laurentius Boele, Carolus Poucke, Joannes Utenhove, Melchior de Dixmuda, Antonius Andries, Petrus Mariſcal, Alexander van Vaernewijck, Martinus Huele, Antonius Daneels, Franciſcus vander Gracht, Jacobus Damme, Guilielmus van Eecke, Livinus de Dixmuda, Canonici S. Bavonis.

In Bullis, ſub data Romæ apud S. Marcum, 9 Kal. Auguſti, Pontificatus Sanctiſſimi Domini noſtri Pauli PP. III, anno ſecundo; continetur, quod dictus pontifex Paulus Tertius ad preces, & ſupplicationem, felicis memoriæ, Sereniſſimi Caroli quinti Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, in monaſterio S. Bavonis, Ord. D. Benedicti, Tornacenſis, diœceſis, apud Gandavum ſito, nomen & titulum monaſterii, ac dignitatem Abbatialem, & conventualem, nec non ordinem ejuſdem, omnemque ſtatum, ac dependentias regulares, ac Prioratum, nec non S. Amandi, & in Papenloo Præpoſituras, ac theſaurariam, eleemoſynariam, infirmariam, & hoſpitalariam, & pitantiariam, & alia officia, illorum qualitates, & denominationes antiquavit, & delevit. Ita ut de cætero prioratus, præpoſituræ, theſauraria, eleemoſynaria, infirmaria, hoſpitalaria, pitantiaria, & alia officia, nominari, ac cenſeri non poſſint; ac ſingulas Monachorum portiones, hujuſmodi auctoritate Apoſtolica, perpetuo, penitus, & omnino ſuppreſſit, & extinxit, & in Eccleſia Monaſtica D. Bavonis ſtatum regularem in ſtatum Canonicorum, & Presbyterorum, & Clericorum ſæcularium commutavit, & ad ſtatum ſæcularium illum reduxit, ipſaque Eccleſia in ſæcularem, & Collegiatam, ac in ea Capitulum ſæculare, cum menſa capitulari, ſigillo, & arca communibus, aliiſque Collegialibus inſigniis, necnon loco ſuppreſſo Abbatialis dignitatis, unam Præpoſituram, quæ principalis pro uno Præpoſito ſæculari, qui ſimilem juriſdictionem, poteſtatem, auctoritatem, & præeminentiam, & quoad Pontificalem uſum, & exercitium, ac ſolemnis benedictionis elargitionem habeat, prout Abbas dicti monaſterii habere conſueverat, nec non loco Prioratus, unum Decanatum pro uno Decano, & loco præpoſitatus unam cantoriam pro une Cantore, ac loco Theſaurariæ regularis, unam theſaurariam ſæcularem, pro uno Theſaurario, & loco præpoſituræ in Papingloo unam Scholaſtriam; dignitates inibi principales, necnon viginti quatuor Canonicatus, & totidem præbendas, pro viginti quatuor Canonicis, qui cum Præpoſito, Decano, Cantore Theſaurario & Scholaſtico præfatis, Capitulum ipſius Eccleſiæ faciant & conſtituant, & qui omnes horas Cononicas, diurnas pariter ac nocturnas, ac Miſſas, & alia divina officia, ſecundum uſum, ritum & obſervantiam Romanæ, ſeu Tornacenſis Eccleſiæ, recitare poſſint, perpetuo erexit, & inſtituit, & bona dicti monaſterii dictæ novæ Collegiatæ Eccleſiæ perſonatibus, & Canonicis attribuit, & aſſignavit.

Anno 1540, die 12 Maji. tranſlatum eſt Capitulum ex monaſterio olim S. Bavonis, ad Eccleſiam olim Parochialem S. Joannis, mutata prius invocatione Sancti Joannis in invocationem S. Bavonis.

Anno 1540. Antonius Lalainus, Montigniaci Dominus primus Hoochſtrati Comes, à Cæſare Carolo V declaratus, moritur Gandavi. Miræus.

Anno 1562. die 18. Januarii, ſtilo Gallicano, diem clauſit extremum Reverendus in Chriſto Pater Dominus Lucas Munich, qui præfuit annis 27. multa foris, & in urbe ſplendida, ac ſumptuoſa conſtruxit ædificia.

Anno 1562, eodem menſe Januario, die vero 21, admiſſus eſt per procuratorem ad poſſeſſionem Præpoſituræ Dominus

minus Viglius Aytanus de Zwichem, Præſes Arcani Concilii.

Eodem menſe celebratæ ſunt exequiæ Domini Lucæ Munich, & 3 Februarii ſequentis ſolemniter inductus eſt Dominus Viglius in Eccleſiam ſuam Collegiatam S. Bavonis.

Anno 1564, ipſo feſto Paſchæ celebravit Dominus Viglius Præpoſitus Matutinas, ſummum Sacrum, & Veſperas ſolemniter cum mitra.

Franciſcus Nieulant Gandenſis auſpicatur Collegium, vulgo Gandanſe, nunc Vaulxianum, quia à Joanne del Vaux dotatum, 1593, in Academia Lovanienſi.

Anno 1566, die 22 Auguſti, Sectarii ſectæ Calviniſticæ intra undecimam, & duodecimam noctis intrarunt Eccleſiam S. Bavonis Gandenſis, & fregerunt omnes imagines, & altaria dictæ Eccleſiæ; occaſione quorum de præcedenti Eccleſia corpora Sanctorum Bavonis, Livini, Chryſogoni, Adriani, Landoaldi, Macarii, Idæ, Barbaræ, Vincianæ, Landradæ, & Pharahildis tranſlata fuerunt in Caſtrum novum extructum tempore Caroli V Imperatoris, in Dominio S. Bavonis, & ibi fuerunt uſque ad ſeptimum Octobris anno 1637, excepto B. Livini corpore, quod allatum fuit eodem anno in Junio, pridie tranſlationis ejuſdem, & collocata fuerunt, cum omni reverentia, in Eccleſia Collegiata S. Bavonis, ad quam ſpectant.

Elogium vide apud Miræum, Valerium Andream in Bibliotheca & aliis.

Anno 1577, VIII Maji, obiit Bruxellæ Dominus Viglius Ayta Zwichemus, vir magnis in Repub. muneribus honoratus, aurei velleris Cancellarius, Sanctioris Concilii Præſes; monumentiſque litterariis etiam clarus. Ad Divi Bavonis ſepultus eſt.

Ita hactenus Chronicon & ejus additamentum, quod mihi tradidit R. D. Gerardus de Nebra, Eccleſiæ Cathedralis Gandavenſis Canonicus, vir legum, præſertim ſacrarum, cognitione, ac virtute conſpicuus.

Eccleſiæ Divo Bavoni ſacræ ſunt, in primis Cathedralis Gandavenſis, Eccleſia una de Ardenburch, Mendonck, Vinderhoute, Zinghem, Vlierſele, Caneghem, Wilrick in Brabantia, & Bochaute: Cathedralis quoque Eccleſia Harlemenſis in Hollandia. Olim in Litaniis etiam Tornacenſis invocavit.

Monaſterium de Bodelo, Abbatia Ordinis Ciſtercienſis.

BALDUINUS de Bocla Monachus Blandinienſis, vir admodum pius & religioſus, vitam Eremiticam in Waſia ducens, per revelationem B. Mariæ Virginis cœpit ædificare Monaſterium de Bodelo, anno à Nativitate Domini M C. XCVII. vitam ejus ampliorem ex archivis Bodelonenſibus excerptam in noſtro Flandriæ Hagiologio videbis. Sunt qui etymon Monaſterio inditum arbitrentur, vel ab hoc Balduino primo ejus auſpice, vel ab illo, qui Flandriæ Hannoniæque Comes, & Conſtantinopolitanus Imperator, fundi, in quo ſitum fuit, donator, ac præcipuus ejuſdem Cænobii benefactor fuit. Apud illos idem eſt Bodelo, quod Balduini laus, vel lucus. Socios ſanctæ converſationis Balduinus hos aſſumpſit; Gulielmum dictum Priorolum, Impinum primum Abbatem, Hugonem Magnum Monachum, Arnulfum de Elmara, Dominum Amelium extraneum Abbatem, Dominum Gerardum extraneum Abbatem, Euſtatium Male, Lorinum de Lokeren & Fulconem. Hi poſt mortem Domini Balduini primi fundatoris geſſere habitum S. Benedicti, ad annum uſque M C C XXXV. quo demum anno ad habitum Ciſtercienſem tranſiere.

Abbates.

I. *Impinus.*
II. *Amelius.*
III. *Gerardus*, Hi tres Abbates erant Benedictini, & ex aliis Monaſteriis aſſumpti.

I. *Theodoricus*, primus Abbas inſtituti Ciſtercienſis, anno 1235.
II. *Jacobus.*
III. *Theodoricus II.*
IV. *Jacobus de Munte*, S. T. B.
V. *Gerardus*, ex Abbatia Dunenſi aſſumptus, circa annum 1270.
VI. *Balduinus Brooſche.*
VII. *Joannes Albus.*
VIII. *Ægidius Amicus.*
IX. *Guilielmus Speliaert.*
X. *Joannes de Berlandia.*
XI. *Jacobus de Moneta.*
XII. *Gilbertus de Paepe.*
XIII. *Guilielmus Pitthem.*
XIV. *Gerardus de Zypa*, S. Th. Doctor. Hic relictâ Abbatiâ fugit in Brabantiam, quod Clementi Antipapæ adhærere nollet; tametſi Philippus

Audax anno 1393 Flandrorum Princeps, & Tornacenſis ac Morinenſis Epiſcopi, eum ad hoc inducere precibus & minis tentaſſent.

XV. *Goſwinus de Vinea.*

XVI. *Petrus Schuttere.*

XVII. *Petrus Schoonaert.*

XVIII. *Daniel Militis.*

XIX. *Joannes Blockſchoenmaeckere.*

XX. *Livinus de Hooghe*, vixit anno 1480.

XXI. *Guilielmus van Wymeerſche.*

XXII. *Petrus van Eetvelde.*

XXIII. *Guilielmus de Merica*, alias *van der Heyden.*

XXIV. *Joannes van Deynſe*; ædificavit Refugium Gandavenſe, ubi nunc Monaſterium.

XXV. *Vincentius Impens*, primus ſibi ac ſucceſſoribus mitram obtinuit.

XXVI. *Jacobus de Draeyere:* obiit anno 1562.

XXVII. *Jacobus Del-Rio*, Brugenſis: deſtructo per bella Monaſterio, per annos quatuor exulavit Coloniæ, unde redux Gandavum anno 1585, ibidem novum clauſtrum cum Monaſterio cæpit extruere. Mortuus eſt anno 1610 die 23 Martii, ætatis 88. prælaturæ 48.

XXVIII. *Guilielmus de Caſtillo*, Abbas in Baudeloo. Obiit anno 1636, die 9. Julii, ætatis 87. profeſſionis 74. Sacerdotii 65. prælaturæ 26.

XXIX. *Joannes Dyſembaert*, qui omnibus relictis, omnia acquiſivit dum ad omne bonum fuit 4. Febr. anno 1647. ætatis ſuæ 61. Profeſſionis ſuæ monaſticæ 42. Prælaturæ 11.

XXX. *Balduinus vander Schure*, dum adhuc ordiretur calculo, ſuccidit eum mors, & velut triticum in horreum, collegit ad Patres ſuos 14. Feb. anno 1649. ætat. 50. Profeſſ. 31. Prælat. menſe 11.

XXXI. *Livinus Vaentkens*, pluribus annis ad Flandriæ Comitia deputatus, Epiſcopatus Gandavenſis judex Synodalis ordinis ſui per Belgiam Syndicus ac tandem Vicarius Generalis, quibus omnibus non minori Laude functus quam pace defunctus eſt 24. Decembris 1680. æt. 89. Prof. 64. Sacerdotii 59. Prælaturæ 32.

XXXII. *Gregorius van Rooden*, prædeceſſoris ſui Coadjutor ordinis ſui per Belgiam Vicarius Generalis, cui honori ſponte ceſſit 15. Maii 1685. æt. 60. Prof. 48. Sac. 41. Præl. 5.

XXXIII. *Petrus Everaert*, per Belgium Vicarius Generalis Zeloſus, per 13. annos ad Flandriæ Comitia deputatus fuit, fato tandem ceſſit non Labori 14. Julii 1703. æt. 70. Prof. 48. Sacerd. 44. Præl. 18.

XXXIV. *Bernardus Zoetaert*, ordinis ſui per Belgium Vicarius generalis ad Flandriæ Comitia deputatus, in Comitiis Bruxellis de hoſpitio terreno ad Patriam cæleſtem migravit 17. Martii 1709 æt. 60. Prof. 39. Sac. 36. Præl. 6.

XXXV. *Joannes Valckgrave*, Abbas vigilantiſſimus, vir prudens atque omnibus Charus, nullos captans honores ſed oblatos ſæpè recuſans, Jubilæi anno inchoato, Domum non manufactam æternam in cælis ſortitus eſt 11. Decembris 1720. æt. 71. Sacerdotii 47. Præl. 9.

XXXVI. *Gregorius Duermael*, hodiedum Fæliciter regens quem D. O. M. ad commune bonum, diu ſalvum & incolumem ſervare dignetur.

Reliquias nunc habet Eccleſia hæc. Octo videlicet capita de ſocietate undecim millium Virginum. Quæ Jacobus Delrio Colonià Gandavum advexit. In ſummo Altari viſitur imago Henrici van Balen, eximii apud Antwerpienſes pictoris, in qua aſſumpta Virgo Deipara à Sacroſancta Trinitate coronatur. In dextro latere ejuſdem manu depictus deponitur Chriſtus è Cruce, in ſiniſtro admonetur & convertitur à S. Bernardo Gulielmus Aquitaniæ Dux. Viſuntur & aliæ tres in eadem Eccleſia, imagines admodum elegantes, prima Chriſti nativitas manum ferè Eyckianam refert, altera à Jacobo Backerio pictore olim famoſo delineata moribundum Ezechiam, & ab Iſaia Propheta territum exhibet, tertia immani vaſtitate Chriſtum cum duodecim Apoſtolis ſuis ultimo cænantem Palermianà, vel Pourbuſchianà manu expreſſum repræſentat.

Elenchus eorum, qui cænobio Bodeloano benefactores fuere.

BAlduinus Flandriæ & Hannoniæ Comes, ac Conſtantinopolitanus Imperator donat terram de Bodelo in Sinai pago Waſiæ, cum libertate à decimis. Actum in Capella S. Pharahildis in Gandavo, anno 1200, menſe Julio, die octava Kal. Auguſt. Teſtes Gerardus Præpoſitus Brugenſis, & Flandriæ Cancellarius, Sigerus Caſtellanus Gandenſis, Daniel de Corteriaco, Ringerus de Praet, Simon de Vaernewijck.

Goſwinus Epiſcopus Tornacenſis confirmat donationem loci de Bodelo, & bonorum per Religioſos acquiſitorum & acquirendorum, Tornaci 1204, pridie Kalend.

Iend. Octobris, conſecrationis ſuæ anno primo.

Walterus Epiſcopus Tornacenſis donat decimas in Waſia, 1253, feria ſexta ante feſtum BB. Apoſtolorum Simonis & Judæ. Ratum id habet Decanus, & Capitulum Eccleſiæ Tornacenſis, eodem anno.

Stephanus Epiſcopus Tornacenſis approbat inſtitutum Balduini de Bocla, illique curam ſecum commorantium committit, 1203. Adprobat idem donationem Balduini Comitis eodem anno.

Wulfardus miles & Præco de Hulſt concedit Bodelonenſibus omne jus, quod habet ſpectans ad ſuum præconatum in terris, quas poſſident in officio de Hulſt, anno 1233, menſe Decembri, in feſto B. Luciæ virginis.

Balduinus filius Adelizæ de Zelſaten donat omnem terram, quam habuit in parochia de Steenlandt, jacentem inter Ouden Steenlant, & Eccleſiam anno 1293, menſe Junio.

Philippus Elſatius Flandriæ Comes confirmat immunitatem à Theodorico Elſatio patre ſuo Ciſtercienſibus datam, Furnis, 1164.

Florentius Hollandiæ Comes immunitatem concedit à Teloneo, &c. in terris ſuis 1290, menſe Junio.

Matthias filius Jutæ de S. Bavone eximit Bodelonenſes à Teloneo, apud S. Bavonem, 1240, menſe Junio.

Joanna Flandriæ & Hannoniæ Comitiſſa concedit monaſterio de Bodelo exemptionem à Winagiis, & Teloneo per totam Flandriam, 1223, menſe Martio.

Ferdinandus & Joanna Flandriæ & Hannoniæ Principes idem faciunt anno 1232, menſe Majo.

Idem facit Margareta Flandriæ Comitiſſa 1252, in menſe Aprili.

Guido Comes Flandriæ & Marchio Namurcenſis rata habet beneficia Margaretæ Bodelonenſibus facta, anno 1270.

Gulielmus Dominus de Dampetra ſub ſua protectione ſuſcipit monaſterium de Bodelo, anno 1240, menſe Aug.

Robertus Atrebatenſis, Advocatus Bethunienſis, & Teneramundæ Dominus eximit à Teloneo Bodelonenſes, per Dominum ſuum de Bethunia & Teneramunda 1228, menſe Martio.

Theodoricus Dominus de Beverna, Caſtellanus de Dixmuda, eiſdem concedit immunitatem vectigalis in villa de Axela. Actum in domo apud Bevernam, anno Domini 1227, VI Kal. Jan.

Balduinus Flandriæ & Hannoniæ Comes, confirmat immunitates Ciſtercienſibus à Theodorico & Philippo Elſatio datas. Actum Watanis 1197.

Honorius Papa anno 1296, menſe Auguſto, jubet per univerſam Eccleſiam inviolabiliter ſervari privilegia ordini Ciſtercienſi data.

Gregorius Papa concedit ſepulturam ſæcularium in Eccleſiis ordinis Ciſtercienſis, ſalva ſemper, ut ait, juſtitia Eccleſiæ Parochialis. Datum Laterani, 3 Id. Jan. Pontificatus ſui anno primo.

Joanna Flandriæ & Hannoniæ Comitiſſa circa annum 1218 multa confert Bodelonenſibus beneficia.

Beatrix de Lyſdonck pro ſalute animæ ſuæ, & ſuorum, omnia ſua donat Bodelonenſibus anno 1205, menſe Auguſto.

Razo de Gavera confirmat donationem & locum de Bodelo 1305, menſe Julio, ex parte Domini Comitis & ex jure officii ſui, XI Kal. Aug.

Joannes Scoltetus de Lokerna donat Bodelonenſibus decimam jacentem in Sinai & Waeſmunſter, quam Arnulphus de Saemſlacht approbavit 1270, menſe Septemb.

Villa ſeu civitas Gandenſis vendit monaſterio de Bodelo locum refugii ſub annuo cenſu 40 ſolidorum Flandrenſium, in feſto S. Remigii ſolvendorum, anno 1259, in vigilia B. Mariæ virginis.

Gregorius nonus concedit Abbatibus Ciſtercienſibus & inter illos Bodelonenſi, ut ſi diœceſanus noluerit electum benedicere, ipſis liceat ab aliis benedictionem accipere. Datum Peruſii, VI Idus Februarii, Pontificatus ſui anno octavo.

Facta eſt autem diverſis temporibus confirmatio bonorum, & in tutelam Principis ſuſceptæ poſſeſſiones monaſterii de Bodelo, per Guidonem Flandriæ Comitem, per Ludovicum Nivernenſem & Robertum, per Duces Burgundiæ Joannem, Philippum, & Carolum audacem, per Philippum Regem Caſtellæ, Cæſaris Caroli quinti patrem, per Maxæmilianum etiam ejuſdem Cæſaris avum.

Margareta quoque Flandriæ Comitiſſa approbat venditiones omnes bonorum factas monaſterio de Bodelo, 1252.

Clemens V confirmat privilegium, ne quis in monaſteria, Abbates, fratres ordinis Ciſtercienſis ſententiam ex communicationis depromat, item ne Archiepiſcopi, Epiſcopi, &c. Abbates benedictos, aut benedicendos, contra ordinis ſui inſtituta facere profeſſiones compellant. Datum Avenione, quarto Non. Sept. Pontificatus ſui anno quarto.

Joanna Flandriæ & Hannoniæ Comitiſſa donat exemptione Telonei per univerſam

ſam terram ſuam, 1220, 3 menſis Mart. Scripto appendet ſigillum, in quo ipſa equo inſidens falconem in manu habet. Ab altera parte Leo Flandriæ cum ſymbolo, Secretum meum mihi, viſitur.

Gregorius nonus confirmat donationem factam per Walterum Epiſcopum Tornacenſem decimarum Waſiæ, excepta tertia Garba, Peruſii, IX Kal. Martii, Pontificatus ſui anno octavo.

Idem facit Innocentius Lugduni, XI Kal. Dec. Pontificatus ſui anno 5, atque iterum Lugduni, III Non. Januarii, anno ſui Pontificatus ſexto.

Nicolaus Tertius confirmat omnia privilegia & immunitates Ordini Ciſtercienſi & monaſterio de Bodelo datas, exemptiones item ſæcularium exactionem à ſuis prædeceſſoribus conceſſas. X Kal. Octob. Pontificatus ſui anno ſecundo.

Idem facit Innocentius quartus Laterani, 6 Idus Februarii, Pontificatus ſui anno primo.

Alexander quartus confirmat immunitatem à ſolutione decimarum, Laterani, XIV Kal. Martii, Pontificatus ſui anno ſecundo.

Confirmat idem immunitates alias & exemptiones à ſuis prædeceſſoribus & regibus conceſſas monaſterio de Bodelo, Viterbii, X Kal. Junii, Pontificatus ſui anno quarto.

Gregorius nonus confirmat donationem decimarum de Aſſenede, Laterani, VI Idus Nov. Pontificatus ſui anno primo.

Clemens quintus confirmat omnes immunitates conceſſas Bodelonenſibus, Avenione, IV Non. Sept. Pontificatus ſui anno quarto. Idem facit Nicolaus Tertius Romæ, V Kal. Dec. Pontificatus ſui anno primo. Idem facit Bonifacius Octavus Laterani, V Id. Feb. Pontificatus ſui anno primo. Idem Gregorius X Lugduni, V Id. Maji, Pontificatus ſui anno tertio. Idem prohibet ne exactionibus graventur, Peruſii, VI Id. Febr. Pontificatus ſui anno octavo.

Gregorius nonus varia dat eis privilegia, Peruſii, 1235, Pontificatus ſui anno octavo.

Urbanus Sextus concedit eis indulgentias anni Jubilæi, Romæ, VI Id. Apr. Pontificatus ſui anno undecimo.

Innocentius concedit Bodelonenſibus Monachis ut poſſint ſuccedere in bona parentum, feudalibus exceptis, Lugduni, IV Idus Maji, Pontificatus ſui anno tertio. Idem non vult eos viſitari aut corrigi ab aliis, quam per quos ab Abbatibus fuerit ordinatum, Lugduni, XV Kal. Sept. Pontif. ſui anno 4. Idem mandat ut Decanus S. Pauli Leodienſis defendat ab omni eos injuria, Lug. XI Kal. Sept. Pontif. ſui anno quinto. Atque hæc ſunt quæ inpræſentiarum de Bodelonenſi aſceterio commemoranda duximus è diplomatis iſtic exſtantibus, aliiſque probæ fidei monumentis excerpta.

Trunchinium, vulgò Drongene, Ordinis Premonſtratenſis Cœnobium.

PRIMAM hujus loci Eccleſiam, in pago Mempiſco ſuper fluvium Legiam, Deiparæ Virgini ſacram, à S. Baſino Regulo, & Martyre conſtructam, & dotatam, B. Amandus Trajectenſis Epiſcopus, & Gandavenſium Apoſtolus, Collegio Canonicorum, ſive (ut veteres loquebantur) Monaſterio Clericorum in communi viventium decoravit, circa annum Domini 633. Ubi ædificata eſt Eccleſia. Caſtellum ante fuerat. *Ex ejuſdem Cœnobii monumentis mſc. & Auberti Miræi Chronico Præmonſtratenſi.*

Anno 883. Normanni hiemarunt in Gandavo; & Monaſterium B. Mariæ, quod dicitur Trunchinium, deſtruxerunt, & incenderunt.

Anno vero 884, ut monumenta ejuſdem monaſterii habent, quod à Normannis dirutum erat, inſtauratum eſt à Balduino Calvo Flandriæ Comite, appellatumque Altum Monaſterium in Trunchinio, & Canonicis operâ ejuſdem Balduini Calvi reſtitutis, factus eſt Præpoſitus Joannes.

Anno 914. elevatur S. Gerulphus Martyr in Merendra ab Eynardo Noviomenſi & Tornacenſi Epiſcopo, & Balduino Calvo Comite VIII. Id. Octobris, & defertur ad monaſterinm S. Mariæ, quod dicitur Trunchinium, comitante cœtu infinito fidelium populorum.

Anno 934. obiit Joannes Præpoſitus Trunchinienſis, & Reynerus ſucceſſit.

Anno 944. Trunchinium adveniunt SS. Wandregiſilus, Ansbertus, & Wulframnus, inde ab Arnulpho Comite in Blandinium tranſlati.


Anno 951, obiit Reynerus Præpoſitus Trunchinienſis, cui ſucceſſit Albertus, qui & Aſcelinus, Pariſiorum Epiſcopus, Comitis Flandriæ frater.

Anno 977. obiit Albertus, qui & Aſcelinus, Epiſcopus & Præpoſitus Trunchinienſis, cui ſucceſſit Walterus.

Anno 1025. obiit Walterus, & Sindradus ei ſucceſſit.

Anno 1027. ſub Præpoſito Sindrado Balduinus Barbatus, Flandriæ Comes, cum uxore ſua Ogina, obtulit Eccleſiæ B. Ma-

Tom 1 pag 323



R. Blokh. F.

Mariæ Trunchinienſi dentem S. Joannis Baptiſtæ. Aſſerit Meyerus contigiſſe hoc 1017.

Anno 1030. omnibus Reliquiis Sanctorum corporum Flandriæ Aldenardæ adunatis pro pace conjuranda, S. Gerulphi Martyris, Bavonis, Amandi, Wandregiſili, Vedaſti, Bertini, Winoci, Donatiani, cum innumerabilibus aliorum Sanctorum Reliquiis, Comes Balduinus Barbatus rogatus, cujus in ordine proceſſionis Reliquiæ eſſent præferendæ, conſtituit, præſente Hugone Noviomenſi Epiſcopo cum aliis pluribus Epiſcopis, Abbatibus, & Regni ſui Primoribus, Sancti Gerulphi Martyris, patriæ ſuæ indigenæ, reliquias ante omnes honorabiliter deportari, & magnificè præponi.

Anno 1068. obiit Sindradus Præpoſitus, cui ſucceſſit Folcardus.

Anno 1072. facta eſt tranſlatio S. Gerulfi Martyris à Rabodone Tornacenſi Epiſcopo.

Anno 1075. proſternitur orientale opus Trunchinienſis Cœnobii, & in majore elegantia conſtruitur à Folcardo Præpoſito.

Anno 1078. obiit Folcardus, & ſucceſſit Fulco Gandenſis. Anno 1080. obiit Fulco, & ſucceſſit Amandus presbyter.

Amando Præpoſito ſponte ſua depoſito, electione Canonicorum anno 1087. conſtitutus eſt Præpoſitus Godezo.

Anno 1088 occidentale opus Trunchinienſis Eccleſiæ proſternitur, & in majore elegantia conſtruitur à Godozone Præpoſito.

Anno 1090. VII. Kal. Martii facta eſt ſeditio inter ſervos Stephani Canonici & homines Cononis Villici, & veniens Cono illos in captivitatem duxit, frangens libertatem Eccleſiæ Trunchinienſis. Godozo Præpoſitus cum Canonicis eccleſiam in banno poſuit, donec Cono ſolveret captivos; qui iratus reſtitit, & omnes Canonicos de domibus ſuis expellens, omnia bona eorum diripuit. Interea, ſcilicet in media Quadrageſima, XI. Kal. Aprilis accenſa eſt domus Godozonis Præpoſiti ab inimicis, & ex ea combuſtum eſt Monaſterium S. Mariæ, & tota villa. Tunc Cono, ultione divina percuſſus, 5. Id. Aprilis, hoc eſt Feria quinta in Paraſceve, ſubità morte periit. Et læti Canonici ad loca ſua redierunt.

Balduinus Dominus Trunchinii, cum Flandriæ Comite, in terram Sanctam profectus, obiit Niceæ 1111.

Anno 1108. Folcradis Sanctimonialis allodium ſuum ad honorem Dei & S. Mariæ Trunchinienſis, ut inde Canonici quo quo anno in die anniverſarii ſui, hoc eſt 17. Kalend. Novemb. quatuor ſolidos paratos habeant, devotè donavit; deinde tres annos ſuperſtes feliciter obiit in via, rediens à S. Jacobo Apoſtolo, qui in Galicia quæritur.

Anno 1117. Godozo Præpoſitus obiit 8. idus Maij, cui Meinardus, Gandenſis Scholaſticus, præcepto Balduini Comitis Flandriæ, in electione Fratrum ſucceſſit.

Anno 1118. obiit Meinardus, cui filius ejus Odgerus ſucceſſit juſſu Balduini Comitis.

Anno 1121. mittuntur Reliquiæ S. Crucis Jeroſolyma Trunchinium.

Anno 1138. VI. Nonas Maji ceſſit Præpoſituram Odgerus; & amotis Canonicis, Iwanus Comes Aloſtanus Præmonſtratenſes ex monaſterio S. Martini Laudunenſis evocavit, locumque eis attribuit, atque cum aliis multis Ducibus, Comitibus, necnon nobilibus ditavit. Obiit autem Iwanus in flore ætatis, & in Trunchinienſi monaſterio anno 1144. eſt conditus. Ita Miræus. Obiiſſe verò illum 1138. annales domeſtici tradunt. Cujus hoc Epitaphium:

Quem ſpectas pario marmore gnaviter
Expreſſum celebri vaſe quieſcere
Iwanum Comitem, &c.

PRÆPOSITI.

I. *Joannes*, primus hujus loci Præpoſitus inſtitutus à Balduino Calvo Flandriæ Comite: obiit anno 934.
II. *Reynerus*, defunctus anno 951.
III. *Aſcelinus*, Balduini Comitis Flandriæ è Concubinà filius, nec non Pariſienſis Epiſcopus; ab Epiſcopatu dein dejectus in Flandriam rediit, vità functus anno 977, & ſepultus Gandavi in Monaſterio S. Petri Blandinienſi.
IV. *Waltherus*, obiit anno 1025.
V. *Sindradus*, obiit anno 1068.
VI. *Folcardus*, mortuus anno 1078.
VII. *Fulco*, Gandavenſis: poſt biennium obiit.
VIII. *Amandus*, Presbyter, Præpoſitura ſeſe ſponte abdicavit anno 1087.
IX. *Godezo*, obiit anno 1117.
X. *Meinardus*, Scholaſticus Gandavenſis, à Canonicis electus anno 1117, ſequente anno defunctus.
XI. *Odgerus*, filius præcedentis; Præpoſituram anno 1138 dimiſit in favorem Præmonſtratenſium.

ABBATES.

I. *Goſwinus*, Religioſus Monaſterii S. Martini

tini Laudunenſis ord. Præmonſt. rexit uſque ad annum 1149.
II. *Joannes*, obiit anno 1160.
III. *Waltherus*, obiit anno 1166.
Poſt hunc ſeries quorumdam Abbatum, injuriâ temporum interiit.
IV. *Sigerus*, electus circa annum 1235, obiit 1250.
V. *Gerardus*, Abbas ab anno 1254, uſque ad 1263.
VI. *Waltherus*, obiit anno 1273.
VII. *Gulielmus*, anno 1279.
VIII. *M.* Abbas obiit anno 1284.
IX. *Arnulphus*, defunctus anno 1295.
X. *Henricus*, obiit 1323.
XI. *Raimondus*, 1331.
XII. *Sigerus*, obiit anno 1336.
XIII. *Joannes*, ſubmerſus ad portam Brugenſem anno 1397.
XIV. *Joannes* II. obiit anno 1417.
XV. *Oliverius*, Magiſter Artium & Medicinæ Licentiatus, obiit 1445.
XVI. *Joannes III.* obiit 1472.
XVII. *Raſo Goetgebuer*, mortuus anno 1480.
XVIII. *Gualtherus Boulyn*, vitâ functus anno 1485.
X X. *Guilielmus II*, obiit anno 1514.
XX. *Petrus Block*, Gandavenſis, ſibi ac ſucceſſoribus ſuis uſum mitræ ac pontificalium obtinuit. Vivere deſiit anno 1544.
XXI. *Ægidius Baes*, obiit anno 1558.
XXII. *Livinus Baes*, obiit anno 1584, ſepultus Gandavi in Eccleſia S. Michaëlis, deſtructo per Iconoclaſtas Monaſterio.
XXIII. *Franciſcus Schautect*, Teneramundanus, obiit Furnis anno 1602.
XXIV. *Levinus Molinæus*, alias *Van der Meulen*, anno 1625. aquis ſubmerſus prope Quaetrecht, & poſt dies 34 aquis extractus in Wetteren, ſepultus eſt in Tuſſchenbekâ Ordinis ſui Cœnobio prope Aloſtum.
XXV. *Jacobus Goethals* Gandavenſis, antea Paſtor Trunchinienſis, & paucis menſibus Prædeceſſoris ſui Coadjutor. Obiit anno 1647.
XXVI *Auguſtinus Merlin*, antè acceptas infulas erudite tam Philoſophiam quam Theologiam prælegit. E Cathedra exaltavit vocem ſuam diverſis in locis inſignis concionator; declaratur Prior & præeſt cum laude.

Conſecratur aſſiſtentibus Illuſtriſſimo Domino Trieſt, Ampliſſimo Domino Carolo Severi Vicario generali, præſide Conſilii Flandriæ, die 26 Januarii 1648.

Vix infulatus Canonicos ſuos ex auguſto Gandavenſi refugio in locum fundationis noſtræ reducere cogitat. Quapropter anno regiminis 6. 1653 invitato Senatu, ac ex eodem præſentibus deputatis nobiliſſimis Dominis Emanuële de Cortewile, Toparcha de Laecke, Senatore 1. primi ſubſellii nobiliſſimo Domino Joanne Borluyt Toparcha de Aſſenburg & Domino Thoma Gyſelincx &c. Lapidem fondamentalem poſuit.

Hic zeloſus reſtaurator curâ infatigabili, ambitum, dormitorium, refectorium, culinam, Capitulum, ac Sacriſtiam erexit, Eccleſiamque inſigni cum campanili perfecit. At morte præventus & obſtante Marte in Refugio ſuo Gandavenſi brevem vitæ ſuæ curſum conſummavit ætatis 58 Regiminis 13 anno 1661 cujus lemma.

Juſtitia & lenitate.

XXVII. *Norbertus van den Kerckhove*, ex Priore Abbas declaratur 26 Februarii 1662 ſolemniter in Eccleſia noſtra Ampliſſimis Dominis Leſſiennenſis & Ninovienſis Abbatibus aſſiſtentibus, benedicitur ab Illuſtriſſimo Domino Carolo vanden Boſch, Gandavenſi Epiſcopo, vir nulli notus quin amatus, imo non tam electus, quam poſtulatus, diuturna enim experientiâ regere edoctus.

Ædificium prædeceſſoris imperfectum ſtatim ac mitratus, perficere machinatur, conſtruxit novam in Trunchinio Abbatiam, Eccleſiam argenteis candelabris ac cruce miræ pulchritudinis prætioſiſſimiſque ornamentis adornavit.

Nedum Trunchinii ſed & patriæ protector fuit, cum univerſo Flandriæ clero applaudente, electus eſſet in Deputatum primarium illuſtriſſimorum Ordinum ejuſdem Flandriæ brevi explevit tempora multa 22 Februarii anno 1672. Vixit enim tantum 58 annis, religioni impenſis 38. & ſacerdot. 34. Digniſſimi Abbatis hujus in inſigniis gnoma.

Et omnia inde.

XXVIII. *Auguſtinus Mackoen*, præviâ Canonicorum electione regioque favore 19 Junii 1672 declaratur ac 26. ab illuſtriſſimo Domino Eugenio Alberto d'Allemont conſecratur. Propter regularis diſciplinæ obſervantiam ac innatam pietatem 12 Decembris 1665 ex Magiſtro novitiorum & Circatore conſtituitur Prior, & Confeſſarius monialium de Groenenbrile.

Adverſis licet temporibus ſedulo, & utiliter Eccleſiæ ſuæ præfuit, inchoatumque Trunchinienſe monaſterium ædificando ampliavit. Vir vere cordatus & omnibus omnia factus.

Bis

Digitized by Google

Bis univerſo Flandriæ clero congratulante Primarius illuſtriſſimorum Ordinum Flandriæ deputatus conſtituitur.

Plenus meritis filiis ſuis lugentibus 15 Aprilis 1693 pius in Divam Virginem pater animam creatori reddidit ætatis 65 profeſſionis 43 ſacerdotii 41 regiminis 22; cujus lemma.

Cor Date.

Hic Abbas cum tribus ultimis prelatis tumulatus jacet in Eccleſia refugii Gandavenſis in choro ante ſummum Altare.

XXIX. *Claudius Steuperaert*, quem Deus diu incolumem ſervet; inauguratus & conſecratus eſt Abbas Anno 1693. 19 Julii ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Alberto de Hornes, Epiſcopo Gandavenſi, aſſiſtentibus Abbatibus S. Petri, & Ninovienſi.

Goſwinus obtinuit, & Trunchinienſi cœnobio incorporavit præpoſituram de Nevele, erat autem ea præpoſitura cum ſeptem Sacerdotibus, quorum cum aliquis ad plures iret, in locum ejus Canonicus è Trunchinio Præmonſtratenſis ordinis ſuccedebat. Nunc ab eadem Trunchinienſi Abbatia magiſter conſtituitur cum duobus Norbertinis, quorum primus officio fungitur paſtorali, alter Capellanus audit, vocaturque vulgo, den meeſter van het hofoer Munchen.

Trunchinienſium Abbatum catalogo ex archivis monaſterii S. Nicolai Furnenſis Dominus Petrus de Waghenare, eruditiſſimus ejus loci cœnobita inſerendum mihi ſuggeſſit Simonem quendam, à me in Trunchinienſibus ſcriptis haud repertum. Is anno 1249, cum N. Abbate Dunenſi, & Michaele Calas Canonico S. Walburgis, electus fuit arbiter ad ſopiendas controverſias inter cœnobitas Furnenſes, & Canonicos S. Walburgis, motas ſuper quibuſdam decimis; qui cum duobus ſupra nominatis præbendam majorem præfatis cœnobitis in Eccleſia S. Walburgis æternaliter poſſidendam adjudicavit. Ceſſit hic dignitati, ut colligitur ex declaratione articulorum aliquorum inter prædictos S. Nicolai religioſos, & Capitulum S. Walburgis: quæ ſic incipit: Univerſis præſentes litteras inſpecturis *Simon Abbas quondam Trunchinienſis*, &c. ſic autem finit, & quia ego dictus Simon proprium ſigillum non habeo, uſus ſum ſigillo Dompni mei Abbatis. Datum anno Domini 1257, feria tertia poſt feſtum S. Joannis Baptiſtæ. Ita Archiva Furnenſia.

Habuit olim Trunchinium corpora SS. Baſini, Aldegundis ejus filiæ, & Gerulfi Martyris: nunc poſt furores hæreticos ſupereſt cranium ejuſdem Martyris, pars corporis S. Baſini, ac dens S. Joannis Baptiſtæ; quem Meyero teſte, olim Præpoſito Trunchinienſi donavit Balduinus Calvus, ejuſdem Monaſterii inſtaurator.

Elenchus quorundam qui de Trunchinienſi cœnobio bene meriti ſunt, & quorum aliqua pars ibidem ſepulta.

GOſwinus primus Abbas, Simon Epiſcopus Tornacenſis, Laureta uxor Ywani, filia Theodorici Comitis Flandriæ, Theodoricus Aloſtanus Ywani filius, Theodoricus Comes Flandriæ, Præſente Milone Morinenſi Epiſcopo, qui alias Divi Judoci in nemore, alias Domp Martini primus Abbas fuit; Swanahildis uxor, Sybilla filia Fulconis Regis Hieroſolymitani, etiam Theodorici uxor, Gulielmus de Lidekercke Ywani nepos, anno 1138.

Anno 1141 Innocentius ſecundus, Pontificatus anno 12, Radulphus Caſtellanus, frater Ywani cum uxore, quæ neptis erat
Theodorici Comitis; Balduinus de Wa- 1143.
ſia, præſente Domino Bernardo Abbate
Calrevallenſi, Euſtatius de Peteghem, fra- 1145.
ter Domini Goſwini primi Abbatis.

Anno 1147, &c. Eugenius Tertius anno Pontificatus ſui tertio. Anſelmus Tornacenſis Epiſcopus.

Adrianus quartus anno Pontificatus ſui 1154.
primo, Geraldus Epiſcopus Tornacenſis, 1160.
Philippus Comes Flandriæ & Viromandiæ
filius Theodorici Comitis, Petrus Epiſco- 1166.
pus Cameracenſis, Alardus Epiſcopus Ca- 1173.
meracenſis.

Godefridus Lotharingiæ Dux, Henri- 1177.
cus ejus filius, Henricus de Halla, Henricus ejus filius, Godefridus, Goſwinus fratres, Godefridus Epiſcopus Trajectenſis, ad Rhenum videlicet.

Balduinus Comes Flandriæ & Hanno- 1197.
niæ, nepos Philippi Comitis prædicti.

Razo de Gavere, Clarina uxor, Raſo 1200.
filius. Maria uxor Balduini prædicti. 1201.

Beatrix Comitiſſa de Ghines, Gerar- 1217.
dus Dominus de Grimberges & Ninove, Agnes uxor, Ludovicus de Erzeele.

Godefridus à Domo, oppidanus Gan- 1221.
denſis, Walterus Dominus de Nivella.

Balduinus de Nivella, dictus macer, 1225.
Beatrix uxor, Michael Coneſtabularius Flandriæ.

Gulielmus de Bethunia, Dominus de 1226.
Molembeka, & ponte Roardi, Eliſabeth ejus uxor.

1227. Ferdinandus & Joanna Flandriæ & Hannoniæ Comites, Robertus Advocatus Atrebatenſis, Dominus de Bethunia & Teneramunda.

1238. Thomas Comes Flandriæ & Hannoniæ, Joanna uxor ejus.

1239. Ivo Ballivus Gandenſis.

1243. Margareta Comitiſſa Flandriæ & Hannoniæ.

1248. Innocentius quartus anno Pontificatus

1261. ſui quinto. Henricus Trajectenſis Epiſcopus, Oliverius de Axele, Walterus de Axele.

1263. Ejus avunculus Gerardus de Gandavo.

1248. Iſabella de Trunchinis, Sigerus de Cortraco, Alidis uxor.

1255. Joannes de Praet, Catharina ejus uxor. Alexander quartus anni Pontificatus ſui quinto.

1269. Guido Comes Flandriæ, & Marchio Namurcenſis.

1271. Henricus Comes Luxemburgenſis, Rupenſis, Marchio Arlonenſis.

1285. Martinus quartus anno Pontificatus ſui tertio, Robertus Decanus de Bella, Raſo de Gavere, Dominus de Lidekercke, Boelaere, & Breda, Gerardus van Weſemaele Dominus Ormontii, vulgo Bergen op Zoom.

1292. Robertus Comes Flandriæ.

Prioratus de Waerſchoot, Religioſorum Ordinis Ciſtercienſis Gandavi.

HOc Monaſterium in honorem B. Mariæ Virginis fundari cœptum eſt anno 1444 in vico de Waerſchoot altero a Gandavo lapide verſus Waſiam, per nobilem Virum Dominum Simonem Uyttenhove Philippi Burgundiæ Ducis Oeconomum ejuſque Conthoralem Margaretam s'Buſers. Primi Religioſi ex Prioratu Waermondano juxta Harlemum in Hollandia evocati ſunt; fuitque novi hujus Cœnobii Viſitatio per Abbatem Ciſtercienſem commiſſa Abbati Villarienſi in Brabantia. Anno 1448 nova Eccleſia aſſentiente Joanne Chevroto Epiſcopo Tornacenſi per ejus ſuffraganeum Nicolaum ex Ordine FF. Minorum Epiſcopum Sareptenſem. Quin & Dominus Simon Fundator in Warſchotano Cœnobio exinde Ciſtercienſem FF. Converſorum habitum ſuſcepit, & anno 1462 die 3 Martii piè obiit, uxore in Abbatiam Bilocanam ejuſdem Inſtituti, quæ Gandavi eſt, ſecedente: quæ ſeſe dein vocavit Fratris Simonis Viduam, & anno 1480 die 4 Junii ibidem piè obiit: ejuſque ſepulchrum hodieque viſitur in ſacello Noſocomii Bylocani.

Anno 1587 cura Cœnobii Waerſchotani commiſſa fuit Abbati Baudeloenſi, ejuſdem Ordinis Gandavi, ac deinceps omnes ferme Priores ex præfatâ Abbatia fuêre aſſumpti. Anno 1650 tranſlatum fuit in ipſam Urbem Gandenſem: ubi hodieque Priores jus ſeſſionis habent in Comitiis Statuum Flandriæ Priorem nominat Princeps patriæ.

Lemma Prioratûs Warſchottani ſic habet. *In ſolitudine requies.* Vide Deſcriptionem ampliorem in Bibliotheca ſcriptorum Ordinis Ciſtercienſis per Carolum de Viſch. pag. 305.

PRIORES.

I. *Judocus*, primus Prior Warſchot, aſſumptus fuit ex Monaſterio de Mariendonck prope Heuſdenum, nunc Diœceſis Sylvæducenſis anno 1447.

II. *Nicolaus Petri*, Harlemenſis, ex Religioſo Prioratûs de Waermont inter Harlemum & Lugdunum Batavorum, factus Prior de Waerſchot anno 1449.

III. *Theodoricus de Gouda*, Prior.

IV. *Arnoldus de Geervliet*, creatus Prior anno 1453.

V. *Guilielmus Regnerii*, electus Prior anno 1457.

VI. *Nicolaus de Grutere*, factus Prior anno 1462.

VII. *Arnoldus*, Prior.

VIII. *Guilielmus Sart*, factus Prior anno 1470.

IX. *Gerardus Haſart*, Prior anno 1477.

X. *Ægidius van Weſtvoorde*, Prior anno 1478.

XI. *Arnoldus ab Herenthals*, Prior.

XII. *Balduinus*, factus Prior anno 1483.

XIII. *Nicolaus a Catwyck*, factus Prior anno 1486.

XIV. *Arnoldus Hollock*, creatus Prior anno 1488.

XV. *Henricus Variaerts*, electus Prior anno 1489 præfuit annis 15 continuis. Anno 1499. die 23 Aprilis incendi vidit ſuum Monaſterium per hoſtilem exercitum.

XVI. *Joannes Fernier*, factus Prior anno 1504, reædificavit Monaſterium anno 1513. præfuitque iteratis vicibus per annos 17. obiit anno 1535 ſepultus in Abbatia Virg. Ciſterc. dictâ Ter-haegen, olim prope Axellam, nunc Gandæ.

XVII. *Oliverius de Vos*, præfuit ab anno 1513

Digitized by Google

1513 uſque ad 1523, quo renunciavit in favorem Joannis ſui prædeceſſoris; & obiit anno 1530.

XVIII. *Joannes Faber*, anno 1530, præfuit tribus tantum menſibus.

XIX. *Jacobus de Draeyere*, Religioſus Abbatiæ Baudeloenſis 19 Auguſti 1530 per Litteras Cæſareas conſtitutus fuit Prior in Waerſchot. Anno 1550 factus Abbas Baudeloenſis, ibidem obiit 10 Decembris 1562.

XX. *Franciſcus de Wintere*, Religioſus Abbatiæ Baudeloenſis, Prior per Litteras Cæſareas datas 11 Decembris 1551, obiit 26 Aprilis 1556.

XXI. *Joannes van den Nieulande*, Jubilarius, electus Prior per Conventum 21 Octobris 1556, præfuit ann. 3. menſ. 2.

XXII. *Joannes Hemelghem*, electus Prior anno 1559, obiit cum præfuiſſet 3 menſibus anno ætatis 33. Hunc denuò per Patentes regias ſecutus fuit Joannes van den Nieulande, qui poſt aliquot menſes vitâ functus eſt.

XXIII. *Andreas Coymans*, Religioſus Abbatiæ Baudeloenſis, Prior per Litteras Regias 4. Septembris 1561, obiit anno 1571.

XXIV. *Philippus Stercke*, Religioſus ac Prior Monaſterii de Baudeloo, litteris regiis factus Prior anno 1571 die 22 Martii. Anno 1580 die 26 Auguſti per hæreticos & rebelles Brugas captivus abducitur, nec niſi mediante lytro 2426 florenorum libertatem obtinuit. Sequenti anno 1581 per eoſdem hæreticos omnia Warſchotanæ Domus mobilia ablata, & loca regularia igne conſumpta, quin & bona immobilia divendita, & ad ſæculares diſtracta fuêre. Obiit Prior Philippus Stercke 22. Julii 1587.

XXV. *Guilielmus de Caſtillo*, Religioſus ac Prior Baudeloenſis, anno 1595 per litteras regias deſignatus fuit Prior in Waerſchot, poſteaquam Domûs Waerſchottanæ ad tria & amplius florenorum millia obæratæ adminiſtratio per octennium commiſſa fuiſſet *D. Jacobo Del-Rio* Abbati Baudeloenſi. Poſt obitum, hujus Abbatis, Guilielmus de Caſtillo, Abbas Baudeloenſis inauguratus fuit anno 1610, retentâ ſimul Prioratûs Waerſchotani adminiſtratione uſque ad annum 1618. Obiit anno 1636, die 9 Julii.

XXVI. *Philippus Boonem*, ex Religioſo Baudeloenſi inſtallatus Prior Waerſchotanus 1 Januarii 1619. Inde anno 1622 Prior S. Salvatoris Antverpiæ; obiit 11 Octobris 1631, cum jam eſſet Coadjutor deſignatus Guilielmi de Caſtillo Abbatis Baudeloenſis.

XXVII. *Joannes van der Beke*, ex Religioſo Baudeloenſi Prior Warſchotanus, obiit anno 1628.

XXVIII. *Theodorus Pybes de Adame*, Ruræmundenſis, S. T. Doctor Romanus, olim Paſtor Dunkercanus, dein Religioſus Abbatiæ B. M. de Dunis Brugis, aſſumptus hic Prior, obiit die 5 Decembris 1632.

XXIX. *Judocus du Coron*, Athenſis antea Religioſus & Prior B. M. de Dunis, anno 1644 nominatus fuit Abbas Dunenſis, benedictus 1 Aprilis 1645, obiit 10. Februarii 1648.

XXX. *Joannes Waetervliet*, Gandavenſis, etiam Religioſus B. M. de Dunis, Monaſterium ſuum Gandavum tranſtulit anno 1650. Obiit 1671, ætatis 72. Prælaturæ 27.

XXXI. *Joannes Richart*, obiit 22 Februarii 1695 ætatis 76. Prælaturæ 24.

XXXII. *Judocus van der Cruycen*, Monaſterii Waerſchotani Religioſus ac Supprior, novam Eccleſiam a fundamentis erexit, vitâque functus eſt anno 1706 ætatis 64. Prælaturæ 11.

XXXIII. *Andreas Goethals*, Gandavenſis, antea Religioſus B. M. de Baudeloo, Deputatus ad Comitia ſtatuum Flandriæ pro diſtrictu Gandavenſi. Obiit 15 Februarii 1719 ætatis 73. Prælaturæ 13.

XXXIV. *Leo de Mahieu*, Religioſus B. M. de Baudeloo ibique Supprior, nominatus Prior Warſchottanus per litteras Cæſareas 31 Julii & inſtallatus 9 Novembris 1719.

Carthuſia Gandavenſis.

TITULUM *Vallis regalis prope Gandavum* in veteribus libris habet, extrui cœpta ad annum CIↃ CCC XX. Ordini verò incorporata 1328. Fundator ejus ſeu dotator præcipuus fuit Joannes Willebartius Brugenſis, ad Divi Donatiani Canonicus; acceſſit privatorum munificentia, ac pius etiam Ludovici Flandrorum Principis favor, qui eam multis privilegiis atque immunitatibus exornavit, prout è diplomatis etiamnum exſtantibus liquet. Fuit autem primus hujus loci Prior Michael Cœlian. Qui cum eſſet in ſæculo magnarum opum vir, ac prædives, amore ſolitudinis incenſus, mundo nuntium remiſit, plurimaque è ſua ſubſtantia domui contulit; cui demortuo ſucceſſit Joannes. Poſt quem Dominus Gulielmus de

de Vaernewyck regimen ſuſcepit, nepos nimirum generoſi, ac nobilis viri Domini Gulielmi de Vaernewyck, qui cum non haberet liberos, in gratiam nepotis ſui, ait Miræus in Orig. Carthuſ. omnium bonorum ſuorum immobilium, quæ in Haſſelt, hoc eſt inſigne prædium non procul à Gandavo, ſita ſunt, Carthuſianos Gandenſes conſtituit hæredes: permotus, ut fertur, inſtinctu divino, occaſione nimirum virtutis, humilitatis, & patientiæ laici cujuſdam ejus Conventus, ex eorum genere, quos Converſos nuncupant. Qui cum quodam tempore ſpicas legeret, & fortè in proximè adjacentem agrum, qui prædicti Nobilis erat, imprudens incidiſſet, illicque quaſi in Conventus ſui fundo, nonnullas colligere ariſtas inciperet, Vaernewyckius id conſpicatus, indignabundus actutum accurrit, hominique inſignem alapam impegit. Qui id patientiſſimè tolerans, veniam inſuper demiſſè precatur, ignoſci ſibi poſtulans, quod inſcius peccaſſet. Quo patientiæ exemplo ita commotus eſt animus generoſi viri, ut in ſequenti nocte ſomnum haud quaquam capere potuerit; correptus nimirum horrore quodam terribili; adeò ut ſe illico exſpiraturum crederet. Unde prima aurora Carthuſiam adiens, Priorem interpellat, exponit quid pridie cum laico crudeliter egerit, atque in pœnitudinis ſignum terras ſuas omnes Ordini ſuapte ſponte offert. Dein erat & aliud quoddam prædium Monaſterio propinquum, & domicilium alterius cujuſdam viri nobilis, qui dum intempeſta nocte cum uxore in lecto decumberet, atque inde Carthuſianorum Fratrum (erat enim illorum Eccleſia vicina admodum) cantus exaudiret, ſingulari in Deum amore inflammatus: En, inquit, ad uxorem, quam alacriter boni iſti Religioſi divinas concinunt laudes, cum interim nos molli decubantes lecto, otioſi conquieſcimus. Quidni prædium hoc noſtrum viris iſtis Religioſis, cæleſtem in terris vitam degentibus, offerimus, quatenus nos aliquando ſecum recipiant in æterna tabernacula, cum ſint cives Sanctorum, & domeſtici Dei. Dictum factum. Neque hic ſtetit res, quin & Gandavenſis Magiſtratus pia conventualium converſatione inflammatus, ex ærario ſuo tres ibidem conſtruxit cellas, & complures alii utriuſque ſexus poſſeſſiones ſuas, agros, ac prædia in Monaſterii ejuſdem uſum lubentes contulerunt. Floruere autem in inſigni hoc Cœnobio duo præſtanti eruditione viri; quorum unus fuit Goſwinus de Beka, qui anno Domini 1417. Priorem ibidem egit, ac primum Provinciæ viſitatorem: alter verò Gulielmus Bibaucius, qui cum eſſet illius loci alumnus, ac præfectus, magnaque polleret rerum agendarum prudentia, tandem anno Domini MDXXI. in totius Ordinis Generalem eſt cooptatus. Splendidum olim juxta mænia, & aquis undique ferè cinctum Monaſterium fuit Brugenſi portæ vicinum: ſed anno 1577. per Iconoclaſtas funditus everſum, & Monachi pulſi ſunt. Redierunt tamen in urbem anno 1584. & ubi quondam Fratres de pœnitentia inſtitutum Tertii Ordinis Franciſcanorum profeſſi vixerant, ſedem elegere. Ambitus auguſtus olim juxta urbem, ad 340 paſſus communes in quadro longus, in eo Cœnobio fuit. Reliquiæ nunc apud illos ſunt duo capita de ſocietate undecim millium, S. Urſulæ; quibus nuper acceſſerunt cum validis teſtimoniis aliquot notabiles partes de Legione Thebeorum & aliæ Martyrum Trevirenſium. Imagines elegantes, ſed ab ignoto penicillo: una B. Virginis cum S. Ludovico Francorum Rege, ac B. Margareta virgine & Martyre; altera ejuſdem virginis cum Maria Magdalena, & Maria Ægyptiaca. Porrò Carthuſiani à S. Brunone Colonienſi, qui Canonicus Remenſis, ac Doctor Theologus Pariſinus fuit, originem anno 1084. habent. Eos in epiſtola ad Fratres de Monte Dei ſic laudat Divus Bernardus: *Altiſſima eſt profeſſio veſtra; cælos tranſit; par Angelis eſt, Angelicæ ſimilis puritati. Aliorum eſt Deo ſervire; veſtrum adhærere. Aliorum eſt Deum credere, ſcire, amare, revereri; veſtrum eſt ſapere, intelligere, cognoſcere, frui.* Profectò venerabile hoc in primis eſt inſtitutum, quod jam annis amplius quingentis per ſingularem Dei gratiam in primævo ſpiritu conſtitit, & in rigore ſalubris diſciplinæ permanſit. Qui autem in Carthuſia Gandavenſi, non ſine evidentibus innocentiæ & ſanctitatis argumentis, hinc migrarunt, paſſim in Auctario ſuo ad Natales Molani notat Arnoldus Raiſſius Canonicus Duacenſis, qui etiam, poſt Gramaium in primitiis antiquitatum Gandavenſium ſcribit hanc Carthuſiam, poſtquam ad Monaſterium Tertiariorum S. Franciſci tranſlata fuit, intra mænia Civitatis, & limites Parochiæ S. Salvatoris, vocatam *S. Brunonis in Eremo*; & quanquam ita factum ſit, etiam auctoritate ſive ordinatione capituli generalis anno MDLXXXV. die XIX. Maji: cum nulla tamen ordinatio capituli generalis vim ſolidam ſortiatur, niſi per capitulum ſequens confirmetur, nec iſta confirmatio fuerit ſubſecuta, neque forte petita, minus valida ap-

appellatio illa S. Brunonis in Eremo cenſeri debet. Quin ut omnia majori cum ſoliditate fierent, dum comitia generalia ordinis habentur anno M DCXXVII. ad inſtantiam Domini Levini de Jagere tum temporis & modò ejuſdem domus Prioris, & Provinciæ Conviſitatoris R. pater Dominus Bruno d'Aſtringues Prior Carthuſiæ,& totius ordinis moderator conceſſit antiquum & celebre nomen Vallis Regalis huic domui reſtitui. Nec immerito, cum non minus novo, quam antiquo loco conveniat; vera enim vallis eſt, amœniſſimis hortis, arboribus, gramine, herbis odoriferis, floribus, aliiſque naturæ pigmentis, quæ per valles conſpici ſolent, ornata; etiam limpidiſſimis aquis cincta & interciſa heroico & alto ædificio C XXX pedum in longitudine, & XXX in latitudine inſtructa à moderno Priore. Cui pulcra turris non ſine ſingulari ornamento civitatis adjuncta eſt, quibus cùm templum, ambitus clauſtri, aliaque ædificia, Deo bono adjuvante, adjecta fuerint, opus verè regium conſurget, meritoque Vallis Regalis vocabitur. Præterea cum ſint iſtius loci domini feudales ſub Caſtellania veteris caſtri quod Audenburch vocant, ibique per prætorem, conſulem & alios Sexviros, jus feudale dicatur, & juſtitia adminiſtretur, omnia quoque ſua inſigniis Vallis Regalis, nimirum Trifolio, parochiæ S. Martini in Ackerghem notent, abjici nomen illud antiquum non debuit, ideoque merito reſtituendum modò, ac perpetuà memorià celebrandum. Sciendum tamen eſt, quod hæc Carthuſia *Vallis Regalis* nomen accepit non ab amplitudine & mole regia, ut quidam avide accipiunt, & in originibus Carthuſiarum Belgii noviſſime editum eſt: ſed à loco & dominio Roy-heym, quod nomen è Gallico & Germanico idiomate conflatum eſt. *Roy* enim Gallis regem, Heym vero Germanis locum ſignificat, ſic Royheym Latine diceres: *Locus Regalis*. Ita, ut vulgo fertur, appellatus, quod ibi tres olim reges Gandam obſidentes tentoria fixerint, ad cujus vallem Carthuſia Gandavenſis conſtructa, *Vallis Regalis* dicta eſt, quod patet ex literis compoſitionis, quando cœpta eſt ædificari, & necdum ad eam molem pervenerat, ut Regalis dici potuiſſet; à parvis enim cæpit initiis. Ita nec regale nomen nunc loco quadrat, ad quem tranſlata eſt, qui Merheym, id eſt, locus paluſtris dicitur, licet adhuc antiquum nomen Vallis Regalis eadem Carthuſia retineat.

Cœnobium Dominicanorum.

Ex Ejuſdem loci mſc. monumentis, Gramaio, & aliis.

VIVENTE B. Dominico Prædicatores, dono Sigeri Parys, domum obtinuerant, Valetudinario, juxta Divi Michaelis publico, quod mox in Bilokam migravit, propinquam, idque ante annum 1221. Ferdinandus autem Comes impenſè deſiderans è domo formari Cœnobium; Valetudinarium quidem anno 1227. aliò tranſtulit; domum autem & locum in vicino poſt decem ferè annos Monachis aſſignavit. Ita Gramaius. Inſcriptio tamen domeſtica ſic habet: *Anno Domini* M CC XXVIII *hic conventus Fratrum Prædicatorum in Gandavo fundatus eſt per Illuſtriſſimos Dominos Ferrandum Portugalenſem, Flandriæ, & Hannoniæ Comitem, & ejus conthoralem Joannam, & per diligentiam Domini Walteri Epiſcopi Tornacenſis: ac Templum quidem Cœnobii anno 1240. inchoatum; dormitorium verò cum cænaculo anno 1302. perfectum.* Anno Domini 1473. Margareta, ſoror Eduardi Anglorum Regis, & uxor Caroli Burgundiæ Ducis, fundavit ambitum cum Bibliotheca; quatuor item ferreis trabibus ingentem Eccleſiæ fabricam, quæ minitari ruinam videbatur, fulcivit, & variis ad divina celebranda officia ornamentis eandem Eccleſiam locupletavit. Templum latum eſt pedes LX operis admirandi, nullis columnis innixum: ambitus ſive clauſtrum duplex, quadratoque lapide conſtructa ad ripam Legiæ domus ampliſſima. Bibliothecam habuit inſignem, omnique genere auctorum, ac manuſcriptis præſertim codicibus refertam, quam cum cæteris lymphatica Iconoclaſtarum rabies anno 1579. diſſipavit.

In Eccleſia Fratrum Prædicatorum Gandavi duæ ſunt Confraternitates Apoſtolicà auctoritate inſtitutæ, magniſque gratiis, ac ſpiritalibus theſauris exornatæ. Prima in honorem S. Roſarii; Altera dulciſſimi nominis JESU; quibus plerumque honoratiores cives, ac Nobilitas inſcribi ſolet. De viris verò ſanctitate in hoc Cœnobio claris, vide meum de Sanctis Flandriæ Hagiologium, ac Hyacinthum Choquetium in ſuo, de ejuſdem Ordinis in Belgica Sanctis libro, nuper Duaci apud Baltazarem Bellerum edito.

Altare ſummum in eà Eccleſia è marmore magnificum, ac ſumptuoſum donavit illuſtris ac generoſus vir Jacobus de Bette Eques, variorum locorum Toparchus. Reliquias habent ſpinas duas de corona Domini, cum parte vivificæ Crucis argento in-

Digitized by Google

inſerta. Illam à Maxæmiliano Cæſare Nicolaus Brugman ejuſdem Ordinis Epiſcopus, & Principi à ſacris confeſſionibus, impetravit. Habent & quidpiam de corpore S. Joannis Baptiſtæ, S. Blaſii Epiſcopi & Martyris, S. Annæ, S. Barbaræ virginis & Martyris, S. Appolloniæ, S. item Petri Martyris Dominicani lipſanon aliquod ad pellendas febres efficax. Comitia Ordinis, ſeu capitulum, ut aiunt, Provinciale, hic, quam ullibi, frequentius celebrata, nominatim annis 1505. 1549. 1574. 1594. 1604. 1607. & ante annis 1331. 1376. 1410. aliiſque intervallis. De viris in eo Cœnobio doctrinâ claris, vide noſtrum de Scriptoribus Gandavenſibus tractatum. Cæterùm in hujus Cœnobii æde ſepulti ſunt non pauci è nobilibus Gandavenſium familiis orti proceres, è *Serſanderia* nimirum, *Grutere*, *Bette*, *Blaſere*, *Rym*, *Mortaigne*, *vander Grachte*, *Wtenhove*, & aliis non inferioris notæ. Præter prædictos gentis Bettiæ, Blaſeriæ, & aliarum hac in urbe illuſtrium proceres hic ſepultos, in capella divo Dominico ſacra poſitus eſt Maxæmilianus Vriendius elegantis ingenii poëta, & Senatui Gandavenſi à Secretis cum hoc cenotaphio.

D. O. M.

Maxæmiliani Vriendii quod condi potuit,
Spe Reſurrectionis hic jacet.

Obiit XXVII. DECEMB. ANNO MDCXIV.

Carmelus Gandavenſis.

SIGERUS Archimandrita Cambronenſis, à Giſelberto Bouck manſuram quandam in Briela, juxta Gandavum, obtinuerat, à conſanguineo ſuo Hugone Caſtellano Gandenſi, intra cujus dominium erat, in poſſeſſionem miſſus anno CIↃ C XXX. Interjecto tempore B. Abbas Cambronæ parum ſibi ad uſum eſſe hunc fundum obſervans, Fratribus de Monte Carmelo in Gandavo jam tum, ſed ex conducto habitantibus, tranſcripti auctoritatem faciente Gerardo Sottengemio, Caſtellano Gandenſi, ad annum 1287. eum donavit, ac paulo poſt Cœnobium formari cœptum, quod Clemens & Alexander, Romani Pontifices, ſuam in protectionem aſſumpſere. Verùm enim vero locum hunc, & ſedem primitivam, commoditatis gratiâ, religioſi poſt deſeruere, in eum, quem modo incolunt, commigrantes. A qua tranſlatione elapſis CLXXIX. Anno, id eſt anno Chriſti CIↃ CCCCLXVI. mandato & cura R. P. Generalis Joannis Soret, Religioſi nonnihil à priſca vita, & morum aſperitate declinaſſe viſi, in Ordinem redacti ſunt, auctumque tam viris quam viribus Collegium, porticu, ædificiiſque à fundamento exædificandis par fuit.

Ita Gramajus in ſuis primitiis, ſed non ſatis ex vero pleraque, ut nuper me monuit *Levinus Caniſius* Carmelita, S. Theologiæ Magiſter, vir raræ eruditionis ac virtutis, nunc Carmelo Antverpienſi præfectus. Nam præterquam quod Abbas Cambronenſis non obtinuit à Caſtellano Gandenſi manſuram illam in Briela, ſed immunitatem familiæ, quæ in ea habitaret, etiam Abbas eam non donavit, ſed vendidit Carmelitis, ut patet ex inſtrumentis duobus, quæ in archivis Carmelitarum ſunt, alterum de immunitate, alterum de venditione. Deinde ex manſura illa Cambronenſi non emigrarunt alio uſpiam Carmelitæ, ſed hæc ipſa eſt pars Conventus, in quo nunc habitant. Meminerunt enim religioſi ſeniores ædificii Cambronenſis, quod in Conventu fuit, quodque Cambronenſe vocabatur, quodque annis abhinc 33 vel 34 eſt deſtructum. Fuitque ex eodem ædificio reliquus paries cum imagine B. virginis Cambronenſis, uſque ad annum 1632, cum ad fornices porticus tunc factæ à janua Conventus uſque ad clauſtra extruendas, eſt deſtructus. Occaſionem errandi dedit, quod manſuram prædictam inſtrumentum dicat fuiſſe in Briela, quod locus ille, etiamnum Brielæ, ſive viridis Brielæ nomen retinet, longiuſcule à Conventu abſit, ſed Briela, ut veriſimile eſt, obtinebat tum ſpatium illud omne, quod à monaſterio Groenenbriele, ſive viridis Briele uſque ad mænia urbis antiqua protendebatur, tunc adhuc domibus vacuum, in quo & locus Conventus prædicti Carmelitarum erat.

Cæterum quia manſura ſive manſio præfata non ſufficiebat ad erectionem Conventus, etiam alia vicina loca empta ſunt, prout ex inſtrumento adhuc exſtante factum liquet anno 1289. Quod autem ante Gandavi habitaverint, atque adeo ante annum 1286, certum eſt ex inſtrumento originali in membrana facto, in quo Prior Conventus Harlemenſis concedit terminum Territorii de Berſele & Berlant Carmelitis Gandenſibus, anno 1286, XXIX Auguſti, quod in prædicto Conventu adhuc exſtat. Verum quo in loco, vel quo anno ibidem cœperint habitare, non conſtat, &c.

Anno

Anno 1466 Reliquias S. Alberti à Maſſanenſibus in Sicilia impetravit M. Adrianus vanden Eeuchoute, S. Theol. Doctor, ac Prior Gandavenſis, è nobili ac antiqua familia natus; filius enim fuit Rolandi vanden Eeuchoute Angerelis, dicti de Grimberghe, nepos Domini Ægidii vanden Eeuchoute, dicti de Grimberghe Abbatis S. Adriani Gerardimontenſis à Pontifice conſecrati, & mortui 1417. Fuit in hoc Monaſterio brachium B. Simonis Stock, quinti in ordine Generalis; quem veſte ſacra, quod Scapulare vocant, à Deipara Virgine donatum ferunt. Exemptionem huic loco conceſſit Joannes Papa XXII. impetrante eam Magiſtro Gerardo de Bononia, primo ejus Ordinis Pariſienſi Doctore. Variis etiam immunitatibus, & privilegiis non Gandavenſe modo Cœnobium, ſed univerſum Ordinem Carmelitarum Clemens Papa Quartus anno 1292 decoravit, cum elargitione aliquarum ſpiritalium gratiarum: eum quoque Parochis commendavit Gandavi Joannes *Epiſcopus Tornacenſis. Fuit* & in hoc Monaſterio de ligno Crucis, quod è Gerardimontenſi Divi Adriani Abbatia allatum donavit Gandavenſibus religioſis, vir illuſtris Gulielmus de Poppeto Eques, Dominus temporalis de Calce, Conſiliarius Caroli Burgundionum Ducis. Eſt in ejus Monaſterii Eccleſia imago Deiparæ Virginis in altari nomini ejus ſacro elegans admodum, à Petri Pauli Rubenii manu; eſt & altera octo Euangelicarum beatitudinum ab ignota quidem, at minore neutiquam artificio elaborata. Reliquias habent hoc tempore, partem corporis B. Alberti. Ante Iconoclaſticos tumultus habuere ejuſdem Divi brachium, de B. Simone Stock, partem quoque vivificæ Crucis. Eſt ibidem confraternitas Sancti Scapularis. Veſtem illam, ut dixi, à Beatiſſima Virgine, poſt aſſiduas pro ſui Ordinis neceſſitate ſublevanda preces, accepit B. Simon Stock, ſextus ejuſdem inſtituti Generalis, ſub Innocentio quarto. Olim, & nunc quoque, apud pios magno in pretio habita fuit, dederuntque ei nomen S. Ludovicus Galliæ Rex, Eduardus item primus Angliæ, Henricus Dux Lancaſtrius, Henricus Dux Northumbriæ; S. Angela, filia Raimundi Regis Bohemiæ, Joannes Dux Britanniæ, Joanna & Anna de Tholoſa, nuper item piiſſimi noſtri Principes Albertus & Eliſabeth. Porrò gratias illi ſpiritales conceſſere Pontifices plures. Leo IV. Adrianus II. Stephanus V. Sergius III. Joannes X. Joannes XI. Sergius IV. Innocentius IV. Clemens IV. Honorius IV. Benedictus XI. Gregorius VIII. Sixtus IV. Urbanus VI. Quas omnes Gregorius XIII. & nuper Paulus Quintus, ſtabiles, rataſque eſſe voluerunt.

Eſt inter Gandavenſes illuſtris, & antiqua familia de Baronaige; quæ ut in Eccleſiaſticum ordinem mirè munifica, atque domeſticis honoribus locuples ſemper fuit, ita quoque in Religioſorum Carmelitarum cœtum quam propenſa, quamque profuſa extiterit archiva hæc, etiam Bruxellenſia, & Antverpienſia loquuntur. Gens è Flandria originem ducit (utque fide Heraldorum archivorumque Aldenardenſium conſtat,) vander Weede primum dicta; donec ſub Duce Godefrido Bullonio, Jeroſolymâ expugnatâ, Joanni vander Weede militi Jeroſolymitano nomen mutatum eſt, in cognomen Baronaige, armiſque gentilitiis impoſitum eſt caput devicti Saraceni; tum additi ſunt duo gryphi, qui inſignia ferrent, ſeu tenerent. Inſerta eſt illuſtris hæc domus nobilioribus ſtirpibus Flandriæ, ut van Roo, Syne, Eſcornez, Vichte, Vilain, Moues, Brimeu, Haerlebeke, Cortroſyn, Haricourt, Maldeghem, Serſanders, Halowyn, van Heurne, S. Omaers, Cabelliau, van Zickele, Embiſe, Vaernewijck; donec circa annum 1330. hoſtili ferro Flandrenſem agrum depopulante, à Guidone Flandriæ Comite Dominus Joannes de Baronaige miles Legatus mittitur ad Joannem I. Ducem Brabantiæ: apud quem adeo gratioſus Orator extitit, ut, diſſidio ſopito, Dominam Catharinam de Wavre, legitimam filiam ſui fratris naturalis, in conjugem ei Dux dederit, ſimulque in dotem, peculiaribus privilegiis, etiamnum conſpicua loca Pamele, Perck & Elewyt. Quæ quidem Perck & Elewyt rectâ & maſculinâ ſerie Dominus Guilhelmus de Baronaige, Toparchus præterea de Herſeaulx, & Oicke, caput ejuſce familiæ adeptus, dum hæc ſcribo, cælibem vitam in cæleſtem commutavit; unicam linquens ſororem, hæredemque, Dominam Margaretam de Baronaige, quam duxit vir generoſiſſimus Dominus Fredericus de Marſelaer, Eques auratus, & Lauretanus, Toparchus de Loxem & Nederockerzeel, perantiquo Brabantûm ſtemmate, nec ſolum fortunæ, ſed & animi & ingenii dotibus præſtans. Is edidit lib. 2. de Legationibus; ſcripſit item Conſilia & Conatus Illuſtrium. In Brabantia itaque per Ducem conſtituta Baronagiis ſede, nobiliſſimarum rurſus familiarum affinitates admiſit, Wavre, Bets, Steenhuyſe, Edinghem, t'Serarts, Berckhem, Ophem, Ligne, vanden Heetvelde, vander Meere, Boevekercke, Dyve, Hinckaert, Mar-

Marſelaer. Anno 1623. Domina Chriſtina de Baronaige, digniſſima Præſul Canonicarum Malbodienſium. Anno 1624. Dominus Gulielmus de Baronaige, eques Toparchus de Mouwe & Direndonck Anno 1625. Rolandus Renatus de Baronaige, Toparchus de Craynhem, Poddegem, & Fonaines, in fata conceſſere: & horum liberi cum prædicta hærede de Percq, quarto conſanguinitatis gradu eundem proavum reſpiciunt. Verum enim vero etiam aliis in provinciis ſua luce & laude clari fuere iſti Proceres. Sic apud Leodios Baronaige de Surleth, Baronaige de Fontaines, Baronaige de Hozemont. Et anno 1268. Arnoldus de Baronaige Dominus de Wezemael & Toparchus de Euvrenhuys arbiter fuit inter Magnum Bertholdum Mechliniæ Dominum & Aleydem, Henrici Brabantiæ Ducis viduam. Dum hæc ſpreto & in monaſterium protruſo majore natu, Joannem ſecundogenitum ejus Provinciæ Ducem ſtatuiſſet. Idemque Arnoldus anno 1269. tutor erat Gerardi de Roden. Patet ex hiſtoriis Brabanticis, & hic ex archivis Cœnobii Sancti Bavonis anno 1292. Euſtacius de Baronaige, miles Caſtellanus Ninoviæ. Ut liquet ex archivis Monaſterii de Beaupré. Non ita pridem etiam Baronaigii Toparchias de Moeſike, Morſele, &c. poſſederunt, cumpluribuſque functionum, jurium & locorum dignitatibus fuere conſpicui. Sed non inhæreo.

Ex hoc Conventu viri ſcriptis clari etiam fuere, *Joannes Truck* Poëta, qui vitam Joannis Soreth, Generalis, miraculis clari, metro ſcripſit. *Philippus* item *Kersbellus* Theologus exquiſitæ doctrinæ. *Joannes Aldenburgius. Arnoldus Boſtius. Petrus Brunius. Joannes Diophylax*, & alii, de quibus fuſius in noſtro de Gandavenſibus eruditionis fama claris tractatu ſcriptum eſt.

Vixit in hoc quoque Conventu, patrum memoria, *Leo du Lan*, cui ſic aliquoties Prior fuit, ut multum profuerit. Fuit autem ea pietate vir, ut ejus merito hic mentio fiat. Magnam noctis partem tranſigebat orando, ac licet ſodalium diſciplina jam remiſſior, poſt illatam cœnobiis cladem per Belgicos tumultus, haberet, ut ſurgeretur ad preces matutinas hora demum quarta mane, ille tamen media nocte reperiebatur perpetuo Deum orans in templo, ab iis, quos forte luminis ſibi accendendi, vel precum gratia illuc venire contigiſſet, neque tamen à matutinis precibus aberat hora quarta. Denique & mortuus eſt inventus, corpore orantis geſtu, ſcabello incumbens, anno nuper ſæculari, ipſa die S. Franciſci. Ferunt eum læto vultu atque animo iviſſe cubitum Sacriſtam, quo die è lecto ſurrexerat ejuſdem Conventus Prior. Non eſt dubium, quin in eo & alia multa fuerint memoria & imitatione digna, ſed non erat, cui cordi eſſet, ea ſcriptis notare, ac poſteris ad laudem & exemplum tradere. Plerunque enim homines male feriati.

Virtutem incolumen odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Monaſterium Patrum Capucinorum.

AD Capucinos Patres quod attinet, ex epigraphe quæ pro foribus hujus eſt Cœnobii, patet, quo primum tempore, & quorum ſtudio flos ille Chriſtianæ religionis ac ſeverioris diſciplinæ in hortulo Gandavenſis Eccleſiæ plantatus ſit. Illa autem eſt talis:

Anno Domini MDLXXXIX. *ſexto Idus Decembris, Joanne Bette & Franciſco van Wychuyſe Coſſ. S. P. Q. G. hunc agrum publico ære coëmptum cum ædificiis, Patribus Capuciuis tum primum in hanc urbem receptis, in Dei Opt. Max. Beatæque Mariæ Virginis, ac Divi Franciſci honorem habitationis ergo conceſſit.*

Eorum aliquos hoſpitio ante exceperat Reverendiſſimus Dominus Cornelius vander Hagen, Eccleſiæ Bavoniæ Canonicus, vir pius admodum ac eruditus. Capucinos verò generatim Alexander Farneſius, Parmæ ac Placentiæ Dux, Belgicæ Gubernator, primus in Belgium egregio ſanè zelo ex Italia evocavit. Qui poſtmodum, opitulante cælo, per præcipua earundem regionum opida ſunt diſperſi, cum maximo divini honoris augmento.

Cœnobium Eremitarum Ordinis S. Auguſtini.

INtra limites Ackerghemii ſacellum vetus fuit, ſancto protomartyri Stephano inſcriptum, & curiali Martinianæ obnoxium: circa quod ampliter habitantes Borlutii, è nobilitate Gandenſi antiqua, Eremitis Divis Auguſtini, ædes ſuas in Cœnobium transformandas obtulerunt anno MCCXCVI. pridie Kalend. Auguſti. factum probante Joanne Nerviorum Antiſtite. Cumque ſub annum MCCCL. à tribus ſacrilegis, cum argentea quantivis pretii theca, venerabile Chriſti corpus ſublatum eſſet; inque prato confini depoſitum, ſanguinolentum miraculoſe repertum,

tum,

tum, & ab Auguſtinianis adſervatum foret, ſacra civium, titulo ſancti Cruoris, ſodalitas inſtituta, ac Clementis etiam Octavi indulgentiis decorata eſt; ſupplicatio inſuper votiva annuatim maximâ populi frequentiâ, & anno MDCIV. ipſâ Belgarum Principe Eliſabethâ, piiſſimâ, heroinâ, proſequente honorata. Templum ac Cœnobium (cænaculo excepto, quod in nuptiale triclinium converterunt) ab Iconoclaſtis anno MDLXXX. profanatum, everſumque eſt, plateâ per medium deductâ. At reſtitutâ Regi & Religioni urbe, Joannes Cools Cœnobiarcha, civium eleemoſynis adjutus, ambitum, dormitoriumque reſtituit, & noviſſimè Senatus patrocinio templi fundamenta jacta ſunt, lapides auſpicales ponentibus Gulielmo de Coorenhuyſe, Auguſtino de Herera, Jacobo de l'Anglee, & Roberto Hellinio: id eſt, Concilii, Arcis, Opidi, & Senatus Præſidibus, die XXVIII. Martii. Annum Vrientius ſic expreſſit:

DIVe ades aVgVſtIne, tIbI noVa teMpLa ſtrVVntVr,
beLLInI & bLaſorI ConsVLIs aVſpICIIs.

Hactenus Gramajus. Idem verò nunc templum eadem populi ac Senatus Gorduni munificentia, cum ambitu, ædibus aliis, ſcoliſque humaniorum litterarum, quæ iſtic jam non abſque magno patriæ juventutis bono docentur, ad faſtigium ſurrexit. De hujus autem Cœnobii exordiis ejuſdem etiam loci monumenta audire nonnullum operæ pretium fuerit.

Ex monumentis Cœnobii Auguſtiniani.

Bonifacio ejus nominis VIII. à Petro Barjona, Pontifice ducenteſimo ſedem Apoſtolicam moderante, Alberto Romanis imperante, una etiam Comite Guidone Dampetra Flandris principante, erectus eſt hic cultui divino Conventus Fratrum Eremitarum Ordinis S. Auguſtini Africani, Joanne Vaſſonio, Tornacenſi tunc Præſule gratiſſimo, id approbante, anno videlicet à ſacro virgineo partu MCCXCIX. menſis Julii noviſſimâ luce. Lux illa increata creaturarum omnium creatrix nobis lucem perennem miſericorditer donet. Amen. Ita domeſtica monumenta. Conſentit Fr. Nicolaus Cruſenius in monaſterio Auguſtiniano, parte tertia cap. 8. Fuit Dominus Gedeon vander Gracht, Epiſcopus Caſtorienſis, in Archiepiſcopatu Thebano, S. Th. Lector ac Prior hujus Cœnobii ad annum 1535. Egregiis etiam hujus monaſterii viris meritò adnumerentur R. P. Joannes Cools; is natus Lovanii 1548 die 24. Novembris, profeſſus Middelburgi in Zelandia 1564 quondam Ordinis S. Auguſtini Provincialis, ſæpius viſitator ac definitor, diverſiſque in locis Prior, divini verbi præco eximius, diverſis linguis, Latinâ, Teutonicâ, Hiſpanicâ, Gallicâ, ultra trigeſies ſexies Adventum, & Quadrageſimam prædicavit; Templi hujus novi auctor & erector 2. Obiit anno 1613. Januarii XXIII. ætatis 63. profeſſionis 46. Sacerdotii 39. Prioratus in Gandenſi Cœnobio 25.

Borlutios autem nobili vetuſtate conſpicuos (ut è Gramajo ante audivimus) potiſſimum fundatores habet. Quod ex antiquis Monaſterii inſcriptionibus anni MCCCXXI. &c. etiam patet. Cæterum vir nobilis & eruditus Adrianus Borlutius anno MDCXXI. cum fratre Franciſco Borlutio, Bouclæ & alibi Toparcho, viro præſtantiſſimo aliiſque gentis hujus ſuperſtitibus, publicum ejus rei teſtimonium, ſic palam confitentibus Cænobitis, impetravit à Senatu Gandavenſi, Philippo Seclinio Herpelghemio & Joanne Baptiſta Rodoanio equite Coſſ. nona die Junii. Epitaphium hoc apud Auguſtinianos quondam habuit Joannes Borlutius vir bello clarus:

Joannes jacet hic, miles fortiſſimus olim,
De Borluut dictus, nullo certamine victus.

Ex eodem monaſterio eſt P. Ignatius Dyckerius, origine Gandavenſis, vir moribus niveis, litterarum amans & ſciens, Theologus quoque ac Poëta, qui editis hactenus quibuſdam, in commendationem præſertim alienorum opuſculorum, verſibus inclaruit. Is nunc in Aquiſgranenſi ſui inſtituti Cœnobio Priorem agit. Alios hujus Monaſterii viros doctrina celebres Catalogus meorum Gandavenſium recenſet. Imagines in templi pariete pendentes vidi nuper admodum elegantes, & antiquas, ſed ab ignota manu. Eas vel Rogerii Bruxellenſis, vel Joannis Eyckii ſuſpicari licet; in iis nativitas Chriſti, adoratio Magorum, & Reſurrectio Domini, artificio mirabili exprimuntur. Fieri juſſæ à majoribus Marci Laurini, Domini de Watervliet, viri eruditionis, ac illuſtratarum antiquitatum Romanarum fama clariſſimi. Reliquias habent Auguſtiniani, de chlamyde S. Matris Tereſæ, de ſpongia ſanguinis Chriſti, de S. Carolo Borromæo; eſt & illic theca SS. Martyrum Urſulæ, Thyrſi, & Gereonis.

Conventus Fratrum Minorum.

FRANCISCANORUM non minus celebre, quam vetus Cænobium, ante obitum Divi Franciſci in hoc oppido

LIll 2 cœpit,

cœpit, auſpiciis Ferdinandi, & Margaretæ (ego Joannem exiſtimo) Flandriæ Comitum, ad annum redempti orbis 1225. uti Tornacenſis hiſtoriæ lib. 4 c. 7. ſignat Cognatus. Inſtitit pro hac re apud Comitem Toparchus de Materen, eques in Flandria clarus. Itaque licet in Lupara Pariſiis captus teneretur Princeps, aſſentiente Rege, & Comite, cum uxore ſua, locum illis ad habitandum, condendumque Monaſterium conceſſit. Primum ejus generis Franciſcani fuere, qui Regulam S. Franciſci vix ulla Pontificum indulgentia mitigatam tenuerunt; poſt Conventuales, id eſt, ejus conditionis fuiſſe exiſtimo, ut poſſeſſiones in communi habere potuerint. At enervata lapſu temporum diſciplina, iterum ad obſervantiæ normam venere, anno 1503. id eſt, à fundatione ducenteſimo circiter octogeſimo tertio. Quæ obſervantiæ norma cum rurſus bellorum civilium in Belgica motu diuturno, minore ſuperiorum quorundam cura, aliiſque de cauſis imminuta eſſet, ante paucos annos, alio miſſis, aut arctiorem vitæ Religioſæ ſemitam amplectentibus veteribus colonis, in eorum locum venere Patres Recollecti. Qui nunc inſigni pietatis exemplo divina iſtic agunt officia, & populum Gandavenſem verbo Dei, ac ſalutaribus ſacramentis jugiter paſcunt. In quam rem optimus tunc Gandavenſium, ac Reverendiſſimus Antiſtes Jacobus Boonen, & Frater Petrus Marchantius, ejuſdem Ordinis Religioſus, vir planè egregius, ac Theologus nulli ſecundus, qui primum eos huc adduxit, illiſque præfuit, inſigniter laborarunt. Paulò minus centum aliquando Fratres hic Conventus habuit, & Lectores utriuſque Theologiæ binos; nunc unus Theologiam, & alter Philoſophiam docet, Concionatores XXX. Templum, quod nuper ornatius, ac fidelium devotioni aptius redditum eſt, Apoſtolorum Principibus, & ſororibus Magdalenæ Marthæque conſcribitur, appoſitè inſtituto Minorum reſpondentibus Patronis. Viros hujus Cœnobii virtute, ac eruditione claros tibi noſter Scriptorum Gandavenſium Catalogus exhibebit. Sepulturæ locum hic elegerunt viri magni aliquot. Margareta in primis, Eduardi Anglorum Regis ſoror, Caroli Audacis uxor, Mechliniæ, anno 1503 defuncta, Cœnobiorum Gandenſium eximia benefactrix; ſimiliter Theodoricus Bevernenſis, Dixmudæ Toparchus, & Maria ejus filia, multi etiam è gente Wallia, Stelanda, Triestia, Bettica, Serſanderiaque viri primarii, ac matronæ. Ex armis, quæ ibi conſpicua ſunt, bonam Cœnobii partem ſtruxiſſe videtur Dominus quiſpiam de Fiennes, aurei velleris eques, è familia Luxemburgica; quem eum fuiſſe exiſtimo, qui ante annos ferè centum Flandriæ Gubernator fuit. Bibliothecam habent inſtructam quidem ſatis, at non illi comparandam, quæ ante luculenta admodum illic fuit. Imagines in Eccleſia binæ à Petri Pauli Rubenii manu, una ſtigmatibus ſacris Franciſcum inurit: altera Magdalenam exhibet morientem. In ſummo altari varia Salvatoris myſteria cernuntur graphicè depicta; in Divæ Virginis, à Joannis Janſenii penicillo, eadem Diva ab Angelo Gabriele Euangelium audit.


Bogardi.


FRATRES tertiæ Regulæ Franciſcanæ triplicis generis Gandavi fuerunt, Bogardi, Alexiani (de quibus alio loco) & Tertiarii: illi retro Franciſcanos juxta Santportam, antiquis mœnibus urbis attigui, congregati, Textores initio erant, & ſub Joanne Divionenſi regulam aſſumpſere, at jam dudum, quod Zepperenſi Capitulo non obnoxii licentius viverent, extirpati ſunt. Tertiarii autem griſeis amicti, ſive Fratres de Pœnitentia Jeſu Chriſti, inſtituta tertii Ordinis Franciſcanorum profeſſi, ex laicis in commune viventibus cœperant Gandavi ſub anno MCCCIV. ſed cùm ad inſignem redacti paucitatem, ad duos videlicet, eſſent, diſciplina inſuper flacceſcente, & peculio multum imminuto, minus utiles cenſerentur, Regia & Pontificia auctoritate & ex concordato cum provinciali miniſtro Ordinis S. Franciſci Provinciæ S. Andreæ, locus Carthuſianis anno 1584 aſſignatus eſt: cum prius hi per furores hæreticorum anni 1577 pulſi, ac ſuburbanum eorum Cœnobium ad flammas damnatum eſſet.

Collegium Societatis JESU.

MISSIO prima Patrum Societatis JESU ad hanc urbem fuit anno quingenteſimo ſexageſimo ſecundo ſupra milleſimum. Venit tum temporis Gandavum P. Franciſcus Coſterus, vir virtute, ſcriptiſque clariſſimus, & per ſacros Quadrageſimæ dies in Monaſterio Blandinienſi concionatus eſt. Miſſio dein luculentior fuit anno 1585. ſtatim à feſto Paſchæ, adnitentibus cumprimis Nobilibus viris Joanne Bette, & Gerardo de Blaſere. Eodem anno in Septembri cœpit reſidentia; & adfulgente ſpe naſcentis Collegii, octo vel novem Religioſi huc adventarunt, quibus præ-

Digitized by Google


COLLEGIUM
SOCIETATIS IESU
GANDAVENSIS


MONS
PIETATIS
GANDAVI.

Digitized by Google

præfuit P. Ægidius Bavarius, vir optimè de eadem Societate apud Gandavenſes meritus. Venit is in urbem ære modico, ac pæne nullo inſtructus; cum enim non amplius quam aſſes quinque ſecum deferret (ut ex ore optimi candidiſſimique viri aliquando intellexi) fiduciâ tamen in Deum plenus, amplam familiam, magnique jam nominis Collegium auſpicatus eſt. In tantum divina bonitas, quæ multa olim hominum millia quinque panibus, ut Euangelica narrat hiſtoria, in deſerto pavit, rem incepti Collegii promovere, cœptaque ad majorem ſui nominis gloriam, ſecundare dignata eſt. Empta igitur domus pro Collegio 1591. eodemque anno facta Collegii acceptatio XXII. Novemb. adprobante eam Senatu. Anno verò ſequente felicibus auſpiciis apertus ludus litterarius prima die Quadrageſimæ; ſolemnitatibus ejus rei ad medium ſacri illius temporis dilatis. Itaque pridie Id. Martii ſolemniter ea res peracta eſt, & in pleno virorum nobilium, ac eruditorum conſeſſu, P. Antonius Haeck de liberali juventutis inſtitutione orationem habuit elegantem. Anno demum 1605. Rectore R. P. Marco van Doorne, claro Societatis Jeſu Theologo, cœptum ædificari Templum, quod anno 1621. ab Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Gandavenſium Epiſcopo Jacobo Boonen, nunc Mechlinienſis Eccleſiæ Archipræſule, in honorem Sancti Levini Pontificis, ac Martyris, Gandavenſium Patroni, fuit dedicatum, exiſtente ejuſdem Collegii Rectore P. Andrea Pevernagio. In eo ſummum altare, quo vix auguſtius ullum tota Ganda adſpicit, piè ac liberaliter nuper donavit Reverendiſſimus Dominus Antonius Trieſt, ejuſdem nunc Eccleſiæ, Gandavenſis Epiſcopus. Viſitur in illo imago Chriſti Domini inter brachia Joſephi ab Arimathea eleganter à Gaſpare de Crayere Antverpienſi depicta. Anno denique 1623. regente Collegium eodem R. P. Marco van Doorne, peregregia domus cœpit ædificari, quam Scholæ erudiendæ juventuti commodæ, aliaque piis Societatis Jeſu exercitiis apta ædificia ſubſequentur. Viros doctrina præſtantes, deque Eccleſia Dei bene meritos plures è Societate Jeſu origine Gandavenſes hodierna dies adſpicit. Vita functi quidam. Ab anno autem reparatæ ſalutis 1591. Rectores hujus exſtitere Collegii RR. PP. Ægidius Bavarius, Joannes David, Jacobus de Bloys, Marcus van Doorne, Carolus Goſwynus, Andreas Pevernage, iterum Marcus van Doorne, Otto Silius Ferdinandus del Plano, Petrus Verreycken, ac rurſus Ferdinandus del Plano,

Vide noſtrum de Scriptoribus Flandriæ tractatum.

poſt hunc Ignatius vander Burcht, deinde Franciſcus ab Hees. Reliquias in Eccleſia Societatis veneratur populus Gandavenſis, dentem S. Levini, quatuor capita ex congregatione S. Urſulæ, de legione item Thebeorum. Etiam Roma ad hoc Collegium nuper advenit corpus S. Roſæ, ſed publico nondum cultui expoſitum. Sodalitates in eodem Collegio variæ pontificia auctoritate inſtitutæ ſunt, multiſque ſpiritalibus gratiis dotatæ. Prima Civium conjugatorum, altera Civium cælibum, tertia Juniorum non Scholarium, quarta B. Virginis, quinta denique Sanctorum Angelorum, ſexta puellorum. Sacellum in æde Collegii hujus divo Ignatio ſacrum ſumptuoſe exornavit Dominus *Georgius Dellafaille* magnus Caſtellaniæ Audenburgenſis Prætor.

Patres Societatis Angli ad hanc urbem venerunt anno 1621. circa Auguſtum, ac Collegium habent non procul ab arce nova Carolina, vulgo **den Steendam**. Primus eorum ſuperior fuit P. Michael Alfordus, alter ab eo Gulielmus Anderſonus, tertius Joannes Nortonus, è Comitatu Cantiæ diœceſis Cantuarienſis.

Sacellum Melitenſe, ſeu domus Templi vulgò, **het Tempel-Hof.**

SACELLUM Melitenſe, ſeu domus Templi cum particulari juriſdictione & immunitate ante annum 1180. fundata colligitur ex diplomatis dicti loci. Sequentibus enim illum annis Philippus Comes donationes varias, ad opus Templariorum factas, ratas habet, anno 1181. Gilberti de Nivella. Anno 1182. Wilhelmi Govela, idque ad manus Theobaldi de Furnis, qui in Flandria Templariorum beneficia cuſtodiebat. Item anno 1223. Comes terram apud Gandam intra, & extra clauſuram, domui & Fratribus Sancti Templi aſſignat. Anno 1271 Decanus B. Pharahildis collata ab Ægidio Viſchero Canonico domui militiæ S. Templi confirmat. Arnoldus Abbas S. Petri, qui vixit anno 1209 fatetur nihil ſibi juris eſſe in terra ad meridiem dictæ domus jacentes. Item anno 1186. Amianus in partibus Ciſmarinis domus Templi miniſter decernitur Gandavi. Anno 1280 Gerardus van Maelſtede certa quædam aſſignat *Commendariæ, domum Templi in Flandria ad opus Templi de Saemſlacht.* Ex quibus convincitur, Templarios hos latè in Flandria divites, in primis cuſtodem beneficiorum in Ciſ-

marinis habuiſſe, ſub quo Commendaria Flandriæ erat, & ſub ea diverſa Templa ſervantia nomen. Extirpatis porrò Templariis, cum bona Melitenſibus eſſent aſſignata; eis anno 1434 Synodus Baſileenſis Abbatem Bavonicum & Archidiaconum Cameracenſem dedit conſervatores, rogatu Rocoaldi de Rochicourt Commendatoris Præceptoriæ Hannoniæ & Flandriæ.

Hoſpitale Gandavenſe modo Abbatia Ord. S. Benedicti.

INter antiquiſſima Gandavenſis Urbis Cœnobia numeratur, ac Divæ Eliſabethæ ſacrum eſt; a bonorum proventibus *Dives Hoſpitale* appellatur. Anno 1424 ſub Walthero Tornacenſi Epiſcopo certa ſtatuta ac Divi Auguſtini regulam obtinuerunt Virgines in hoc Noſcomio curam infirmorum, ac præſertim Leproſorum gerentes: ſed anno 1626. S. Benedicti Regulam ſunt amplexæ, Noſocomio in Abbatiam commutato, vocatiſque duabus Monialibus ex Abbatia Cortembergenſi juxta Bruxellas ad inſtitutionem dandam. Potiſſima opum pars, aut Menſæ Spiritus Sancti, aut puerorum indigentium ſcholis, aut Militum ægrotorum ac vetraneorum ſubſidiis, regiâ ac pontificiâ authoritate tunc fuit applicata; quandoquidem hiſce temporibus à lepræ contagio Belgium noſtrum ſit immune. Vocatur nunc *Abbatia B. Mariæ Lazariorum.* Vide Miræi Diplom. Belg: Lib. I. Cap. 83. Præfuerunt hactenus Abbatiſſæ ſequentes.

I. *Eliſabetha van der Saeren*, obiit 8 Auguſti 1654.
II. *Gertrudis van den Boſſche*, obiit 11 Martii 1656.
III. *Eleonora Du Blioul*, obiit 22 Martii 1695.
IV. *Eleonora Franciſca de Smet*, obiit 16 Octobris 1706.
V. *Barbara Gertrudis Vinck*, benedicta anno 1707. mortua 6. Martii 1720, ætat. 45. Profeſſ. 23.
VI. *Anna Thereſia van der Saeren*, benedicta 1. Septembris 1720.

Abbatia B. M. V. De Biloka Ord. Ciſterc. Gandavi.

Ex monumentis ejuſdem loci.

PER Trunam Utenhoviam, fœminam nobili loco natam, & per Fulconem ejus fratrem, Eccleſiæ Inſulenſis Canonicum, incorruptæ converſationis virum, cives Gandavenſes anno MCCI. juxta Prædicatores Noſocomium hoc, ad pauperum ſolatia, & ægrorum, præcipuè hujus urbis, receptaculum, inchoatum fuit fundatumque partim propriis, partim etiam hoſpitalis vetuſti bonis. Quod in Parœcia S. Nicolai ſitum, vulgò Wittoet vocabatur, ac incendio, aliiſque caſibus collapſum, ſuis opibus ſe reſtaurare non poterat. Domum itaque ipſa ſuam, cum iis quæ adhærebant, quam juxta Divi Michaëlis Eccleſiam poſſidebat, in pium hunc uſum contulit. Quod Chriſtianæ liberalitatis exemplum cum plures, collata etiam aliqua ſuarum facultatum portione, ſequerentur, ac illud ab omnibus paſſim approbari inſtitutum videret Epiſcopus Tornacenſis, idem Ferdinando, ac Joannæ ejus conjugi, Flandriæ Hannoniæque tum Principibus, commendavit. Qui, ejuſdem inſtinctu, videntes locum huic propoſito juxta Divi Michaëlis minus idoneum, omnem illum tractum extra cupam uſque ad Cuitre portam, quæ vulgò Leproſorum vocabatur, urbi adjacentem, ac Biloka nominatum, Hoſpitali conſtituendo donaverunt. Sacellum itaque iſtic ac Noſocomium, aliaque multa, quæ in hanc rem neceſſaria videbantur ædificia, fundatorum opibus, curaque, & auſpiciis piorum illorum Principum, conſtructa ſunt. Prior verò illa domus, quæ juxta Divi Michaëlis erat, uſui Fratrum Prædicatorum eſt applicata, atque anno MCCXXVI. facta tranſlatio ſupellectilis & ægrorum à Divi Michaëlis ad Bilokam, ſive portum Mariæ, ubi eadem Truna & Fulcone ejus fratre Cœnobium Monialium Ordinis Ciſtercienſis, antedicto opitulante Epiſcopo, eſt ædificatum, non ſine multis immunitatibus ac privilegiis. Biennio autem poſt, F. Robertus Abbas Clarevallenſis Abbati de Bodelo ſcripſerat, ut, cum opus eſſet, è Monaſterio Novi Boſci tot in hoc noſtrum Moniales induceret, quot expedire judicaret, & eaſdem ſuo regimini ſubjiceret. Igitur vigiliâ Aſſumptionis B. Mariæ anno inſequente primum iſtic celebrari cœpit officium, omniaque ejuſdem Noſocomii bona Abbatiæ Monialium & diſpenſationi earundem relicta ſunt. Verùm cùm paulò poſt non pauci quererentur, non æquam fieri eorundem bonorum diſpenſationem, ac plura, quam par eſſet, adjungi impendique monaſterio, ſubtrahi vero hoſpitali, ad inſtantiam Principis, ac multorum civium Gandavenſium, anno 1237. facta eſt per Epiſcopum Tornacenſem, Abbatem Claræ-vallenſem, S. Bavonis & alios bonorum

Digitized by Google

norum diviſio, conſtitutumque, ut cum tam paucis Monialibus ac ſororibus, quam decenter fieri poſſet, ſecundum Ordinem Ciſtercienſem ſeptem horarum Canonicarum ibidem officium fieret. Quæ autem hactenus dictam Monialium ſocietatem, cum titulo Abbatiſſæ rexerunt, hic ſequuntur:

ABBATISSÆ.

I. *Eliſabetha Vytenhove*, Cognata fundatoris electa anno 1230, obiit anno 1249: fuerat ex Abbatia Novi Boſci Gandavi aſſumpta per Abbatem Bodeloenſ.
II. *Maria Vytenhove*, Soror primæ Abbatiſſæ, obiit anno 1285.
III. *Eliſabeth de Sto. Bavone*, obiit anno 1298.
IV. *Maria de Sto. Joanne*, obiit anno 1306.
V. *Maria de Poperode*, obiit anno 1323.
VI. *Jutta van der Mude*, obiit anno 1329.
VII. *Margareta van den Berghe*, obiit anno 1363.
VIII. *Anaſtaſia Spapen*, obiit anno 1366.
IX. *Catharina van Maſſeme*, obiit anno 1384.
X. *Bela Serſimoens*, obiit anno 1423.
XI. *Agatha Serſimoens*, obiit anno 1433.
XII. *Agatha Serſanders*, obiit anno 1465.
XIII. *Gertrudis de Pottellis*, in Sanctitatis opinione defuncta anno 1472. Vide Hagiologium Flandriæ.
XIV. *Catharina van Keerberghe*, obiit anno 1490.
XV. *Maria s'Kerels*, obiit anno 1530.
XVI. *Joſina Van Kueninckdonck*, obiit anno 1557.
XVII. *Agnes van Loudenhove*, obiit anno 1581.
XVIII. *Anna de Blaſere*, anno 1587.
XIX. *Eliſabeth van Temſeke*, anno 1612.
XX. *Anna van Crombrugghe*, obiit anno 1616.
XXI. *Levina d'Hooghe*, obiit 12 Novembris 1639.
XXII. *Anna Bertolf*, mortua 3 Decembris 1644.
XXIII. *Franciſca de Wulf*, obiit 28 Novembris 1657.
XXIV. *Antonia Leemput*, defuncta 10 Martii 1694.
XXV. *Franciſca de Steenberghe*, Brugenſis, obiit 22 Februarii 1707.
XXVI. *Agnes Trieſt*, Brugenſis, benedicta anno 1707. obiit 22. Januarii 1722.
XXVII. *Lutgardis de Rouck*, Gandavenſis, benedicta ab Abbate Baudeloenſi 11 Octobris 1722.

De Fulcone autem, præcipuo hujus, cum ſorore ſua, Noſocomii fundatore operæ pretium ſit audire Chronographum noſtrum Meyerum ad annum 1210. Is in hunc modum loquitur: Fulco patriâ Gandenſis percelebri vir ſapientia, qui cum nullis poſſet modis impelli à Jacobo Vitriacenſi, Innocentii Legato, ut expeditionem (in Albigenſes hæreticos) pro more concionaretur, idoneum ſe eſſe negans, ſubito, ſeu vindice irato numine, graviſſima correptus eſt homorrhoide: quam viginti quatuor per annos tam forti infractoque tulit animo, ut Chriſtum Servatorem ante mortem videre, ut ajunt, diemque obitus præſcire meruerit.

Conditus eſt Fulco in medio templi; & hoc olim habuit Epitaphium: *In hoc vicino Sacello B. Mariæ requieſcit Dominus Fulco Wtenhovius, qui ex hac luce migravit anno Domini* CIↃ CCXL *tertio Kal. Septemb. Ad ejus ſiniſtram vero pauſat venerabilis Domicella Truna Wtenhovia, ejuſdem Fulconis germana, quæ obiit anno Domini* MCCXLII. 4. *Kalend. Aprilis, qui favore inclytorum Ferdinandi, & Joannæ Flandriæ Comitum, inchoaverunt & fundarunt Hoſpitale & Monaſterium, unicum profecto, atque ſupremum pauperum infirmorum ſolamen atque refugium. Requieſcant in pace. Amen.*

Abbatia de Ooſteeckeloo Ordinis Ciſtercienſis Gandavi.

FUndata fuit ſub medio ſæculi XIII pro Monialibus Ordinis Ciſtercienſis in pago de *Ooſt-Eeckeloo* prope Ecloniam, tertio lapide à Gandavo: ſed diruto per civiles Belgii tumultus Cœnobio, circa annum 1585 Moniales ſedem fixêre Gandavi in loco dicto *de Poſterna*, qui Ludovici Maleani, aliorumque quorumdam Belgii Principum olim fuit habitaculum. Hactenus hæ præfuerunt Abbatiſſæ.

I. *Iſabella de Flandria*, obiit anno 1230.
II. *Giſla de Salſyne*, anno 1267.
III. *Lyna Trys*, anno 1286.
IV. *Lyna de Boulers*, anno 1288.
V. *Ida Dammand*, anno 1290.
VI. *Agnes van Hove*, anno 1308.
VII. *Heylſoeta de Roeleers*, anno 1310.
VIII. *Maria Keelcapons*, anno 1322.
IX. *Belina van Somerghem*, anno 1333.
X. *Clara Tollins*, anno 1364.

XI. *Margareta van den Berghe*, anno 1382.
XII. *Margareta van Wilſen*, anno 1405.
XIII. *Catharina d'Appers*, anno 1440.
XIV. *Margareta van den Voorde*, alias *van den Warde*, ea Abbatia Marquettana juxta Inſulas aſſumpta, anno 1442 præfuit.
XV. *Catharina Seyſens*, anno 1468.
XVI. *Clara Smeyers*, anno 1578.
XVII. *Chriſtiana Laus*, anno 1488.
XVIII. *Catharina van Raveſchot*, poſt 14 menſes reſignavit.
XIX. *Margareta Poleyts*, obiit anno 1492.
XX. *Agnes Cabeliauw*, anno 1499.
XXI. *Gentina de Maſtin*, anno 1504.
XXII. *Catharina de Beer*, anno 1527.
XXIII. *Anna de Pottelsberghe*, anno 1531.
XXIV. *Philippina de Maſtin*, anno 1536.
XXV. *Joannes Sanders*, anno 1583.
XXVI. *Eliſabetha Franſmans*, anno 1610.
XXVII. *Joanna de Hertoghe*, anno 1630.
XXVIII. *Maria de Bruynſwyck*, filia Ducis de Bruynſwyck, quæ obiit anno 1634.
XXIX. *Franciſca van den Steene*, obiit anno 1668.
XXX. *Iſabella Clara Eugenia Houchin*, dicta *de Longaſtre*, antea Prioriſſa, benedicta anno 1669. fecit jubilæum anno 1720. Obiit 2 Maii 1722 ætatis 93. Profeſſionis 77. Abbatialis dignitatis 53.
XXXI. *Juliana van den Bogaerde*, Brugenſis, antea Prioriſſa, benedicta ab Abbate Baudeloenſi 19 Octobris 1722. Obiit anno 1725. æt. 70.

Abbatia Ter Haeghen Ordinis Ciſtercienſis Gandavi.

PRimitus cæpit anno 1220 auſpiciis Margaretæ Flandrorum Comitis, juxta Axellam, in Parochiis de Zuytdorpe & Booſtenblyde, favente imprimis Walthero Domino Axellano. Sed tum propter continua pericula ab inundatione maris, tum propter rei familiaris inopiam Moniales anno 1255 diſperſæ ſunt. Sed anno 1268 Iveta Van Breyen Matrona Gandenſis, eam revocavit ac prædia ei dedit in Parochia de Merelbeke, conſentiente Abbate Blandinienſi hujus loci patrono, ut ibidem habitarent.

Anno 1272 Margareta Flandriæ Comes juſſit eas ad veterem locum redire, utque illic commodè permanerent, 242 terræ jugera donavit. Verum ſubmerſis partim hiſce terris, partim ob tumultus belgicos, circa annum 1585 Gandam migrarunt, ubi templum novum anno 1614 à Franciſco Van der Burchio Gandavenſi Epiſcopo conſecratum fuit hodieque ſub Ciſtercienſi regula, & directione Abbatiſſæ Baudeloenſis (olim Dunenſis erat) inſigniter floret hoc Cœnobium, quod vulgo nuncupatur *Domus Gaudii Beatæ Mariæ Virginis.*

ABBATISSÆ

I. *Margareta de Vulbeke*, regere cæpit circa annum 1272.
II. *Aleydis de Lembeke*, præfuit anno. 1338 & 1352, quo obiit.
III. *Adeliſa van Eversbeke*, obiit anno 1355.
IV. *Aleydis de Moesbroeck*, peſte correpta interiit eodem anno 1355.
V. *Catharina van Avenſvoorde*, reſignavit anno 1369 & obiit ſequente 1372.
VI. *Agatha van Weſt*, obiit anno 1376.
VII. . . . . .
VIII. *Margareta van Weſt*, defuncta anno 1414.
IX. *Catharina Maes*, obiit anno 1436.
X. *Laurentia de Maldeghem*, peſte extincta anno 1452, ſepulta Gandavi in Abbatia Bilocana.
XI. *Jacoba van Geldre*, eodem morbo, eodem anno obiit, & in eodem loco ſepulta.
XII. *Anaſtaſia van Giſtele*, mortua anno 1481.
XIII. *Maria à Sto. Audomaro*, quæ cum leprâ tacta eſſet, munus reliquit, & obiit anno 1496.
XIV. *Beatrix van Buxtale*, quæ reſignavit, & obiit anno 1516.
XV. *Joſina Gooſins*, obiit anno 1529.
XVI. *Barbara Rommelinx*, obiit anno 1544.
XVII. *Amelberga s'Vos*, obiit anno 1572.
XVIII. *Ludovica Anchyn*, quæ motu metuque hæreſeon fugit Adomaropolim. Obiit anno 1599.
XIX. *Guilielma van Boonem*, obiit anno 1603.
XX. *Maria van Houcke*, obiit anno 1609.
XXI. *Joſina de la Royere*, obiit 26 Septembris 1636.
XXII. *Maria de la Beuverie*, obiit 30 Januarii 1675.
XXIII. *Eliſabeth van den Bogaert*, obiit 10 Maii 1682.
XXIV. *Angelina van Dendere*, obiit 7 Julii 1700.
XXV. *Conſtantia Ghellynck*, obiit 28 Novembris 1716 æt. 69.
XXVI. *Petronilla de Backere*, benedicta anno 1717.

Mo-

Digitized by Google

Monaſterium Sanctæ Margaretæ, vulgò de Groenen-Briele.

MONIALES Sanctæ Margaretæ vulgò Victorinæ nuncupantur, & Divi Auguſtini Regulam ſequuntur. Fundatorem habet Cœnobium hoc virum nobilem Simonem Mirabellium Equitem, Comitis Flandriæ Conſiliarium, ab Haele dictum, Dominum de Pereweys; uxor ei fuit Iſabella ſoror naturalis Ludovici Flandriæ Comitis. Ad annum 1340. dedit is Monialibus domum ampliſſimam, vulgò, het hof te Walle/ quam inhabitabant, cum adjacente prato, uſque ad Liviam. Sed cum Anno 1368. Comes Ludovicus eum ſibi locum vendicaſſet, cenſu annuo ducentarum librarum Pariſienſium aſſignato, biennio poſt, Viridis Briela, in quo nunc Cœnobium, à Joanne Vilain, Domino S. Joannis te Steene/ empta eſt: in eam itaque tunc Moniales migravere. Plura eaque ingentia in eaſdem contulit beneficia Mirabellius; de iis & optimè merita eſt familia Serſanderiorum. Anno 1372. Philippus Tornacenſis Epiſcopus confirmat tanquam Commiſſarius Apoſtolicus, cum Abbatibus S. Petri & Bavonis Gandavenſibus collegis ipſi datis, Monaſterium hoc conſtructum & fundatum per executores Domini Simonis de Hale militis in villa Gandenſi. Extant ejus rei literæ in Archivis Epiſcopatus Tornacenſis, quas vidi. Præfuere hactenus Abbatiſſæ ſequentes.

I. *Beatrix Vlaminck*, aſſumpta ea Monaſterio de Blyenbergh, tunc juxta Mechliniam ſito: conſecrata fuit anno 1374, & obiit 1384.
II. *Eliſabeth de Bolloe*, ex eodem Monaſterio de Blyenbergh, obiit anno 1416.
III. *Maria Serſimoens*, obiit anno 1440.
IV. *Barbara s'Backers*, obiit anno 1461.
V. *Catharina s'Hooghen*, eodem anno defuncta.
VI. *Georgia Lackens*, obiit anno 1491.
VII. *Margareta Serſanders*, reſignavit anno 1514, & ſequente triennio obiit.
VIII. *Bernardina Goetgebuer*, defuncta anno 1541.
IX. *Catharina Lanckhals*, obiit anno 1564.
X. *Jacoba de Saint Genois*, præfuit menſibus trib. s, è vivis erepta anno 1564.
XI. *Catharina van Steelant*, obiit anno 1573.
XII. *Lævina Vranx*, ob tumultus Gandavenſes exulare coacta anno 1576, obiit Tornaci anno 1583, ſepulta in Eccleſia Parochiali S. Brixii.
XIII. *Lucia van der Haere*, Gandavum reverſa eſt anno 1586 cum 14 Monialibus: Obiit anno 1608.
XIV. *Judoca de Loots*, obiit anno 1611.
XV. *Maria Sturme*, obiit 13 Februarii 1626.
XVI. *Florentia van Steenlandt*, defuncta 21 Octobris 1645.
XVII. *Franciſca Avelin*, obiit 26 Martii 1648.
XVIII. *Maria Anna van Hamme*, obiit 30 Martii 1676.
XIX. *Margareta van der Elſt*, obiit 2 Decembris 1679.
XX. *Eliſabeth Bordinck*, obiit 16 Septembris 1697.
XXI. *Carola Thereſia de Camargo*, obiit 17 Junii 1715.
XXII. *Maria Florentia de Vulder*, benedicta anno 1716, obiit 28 Decembris 1719 ætatis 59. profeſſ. 33.
XXIII. *Catharina Helena Gieſens*, benedicta anno 1720.

Ejus Eccleſiæ lapis auſpicalis poſitus eſt 12. Sept. 1614. à Sereniſſimis Belgarum Principibus Alberto & Iſabella; conſecrata eſt 17. Julii 1616. ab Henrico Franciſco vander Burch, tunc Epiſcopo Gandavenſi, in honorem B. Mariæ Virginis Victoris, Auguſtini, Fiacrii & Margaretæ.

5. Septembri 1619. poſita ſunt fundamenta ampliſſimæ domus, quam 12. Decembris 1623. Abbatiſſa cœpit inhabitare. Anno 1624. adnitente Reverendiſſimo Domino Antonio Trieſt, moderno Eccleſiæ Gandavenſis Epiſcopo, clauſtrum admiſere Moniales, cum aliis piis, ac ſalubribus ordinationibus, atque ſtatutis.

Colitur in ea Eccleſia S. Fiacrius, ejuſque Divi meritis, ac interceſſione plures, præſertim juvenculi, à variis hactenus morbis liberati. Sunt inibi aliquæ ejuſdem Divi Reliquiæ; item S. Margaretæ, quæ ſæpe puerperis difficultatem patientibus profuere. Eſt & illic particula S. Crucis, SS. Vincentii, ac Sebaſtiani, ac Cypriani Epiſcopi & Martyris.

Abbatia de Nonnenboſche, Ordinis Ciſtercienſis Gandavi.

CElebre Monialium Ciſtercienſis inſtituti Cœnobium, inchoatum fuit anno 1215 in Veteri Buſco in Waſiâ, per piam Matronam Margaretam nomine, quæ

quæ ut Prioriſſa præfuit uſque ad annum obitûs ſui 1225. Subjectum fuit hoc Cœnobium curæ ſpirituali Abbatis Baudeloenſis, nunc Gandavi, & anno 1247 tranſlatum eſt è Veteri Buſco, in locum dictum Heuſdene juxta Gandavum, ad Scaldim: qui locus exinde nominatus fuit *Novus Boſcus*, vulgo *Nonnenboſch*. Tandem ſæculo XVI propter tumultus Belgicos tranſlata fuit hæc Abbatia in Urbem Gandavenſem, eique hactenus præfuêre ſequentes Abbatiſſæ. Curam ſpiritualem ibidem gerit Abbas Camberonenſis.

ABBATISSÆ.

I. *Oda*, electa anno 1218, obiit anno 1224.
II. *Chriſtina*, obiit anno 1235.
III. *Aleydis*, obiit anno 1255.
IV. *Agatha*, obiit anno 1257.
V. *Maria*, quæ reſignavit anno 1279. & obiit anno 1288.
VI. *Maria*, quæ obiit anno 1298.
VII. *Agatha vander Volderſtraete*, vivere deſiit anno 1311.
VIII. *Avezoeta de Vico Fullonum*, obiit anno 1323.
IX. *Maria s'Baken*, obiit anno 1355.
X. *Catharina Pytteus*, mortua circa annum 1367.
XI. *Avezoeta s'Gruters*, obiit anno 1380.
XII. *Eliſabetha Militis*, defuncta anno 1384.
XIII. *Margareta Swolleſlaegers*, obiit anno 1393.
XIV. *Odina de Pomerio*, alias *van den Boogaert*, obiit anno 1416.
XV. *Iſabella de Brake*, obiit anno 1433.
XVI. *Eliſabeth ex Curia*, vulgò *Uyt-tenhove*, obiit anno 1452.
XVII. *Margareta van Uyt-ten-hove*, ſoror præcedentis obiit anno 1464. cum paulò antè reſignaſſet, ut fieret Abbatiſſa de Dorrizeele tunc prope Gandam.
XVIII. *Amelberga Brandins*, tantum rexit octo menſibus, defuncta anno 1465.
XIX *Eliſabeth de Moro*, obiit anno 1475.
XX. *Catharina van Bedruaen*, obiit anno 1505.
XXI. *Catharina Dammans*, obiit anno 1537.
XXII. *Eliſabeth Cabelliau*, obiit anno 1567. fuerat antea Coadjutrix.
XXIII. *Margareta Rieſe*, quæ anno 1603 propter ſenium reſignavit.
XXIV. *Barbara Blancquaert*, obiit anno 1614.
XXV. *Margareta van Lummere*, defuncta anno 1627.
XXVI. *Clara van den Bundere*, mortua 8 Febr. 1652.
XXVII. *Joanna Poyvre*, vitâ fungitur 3. Febr. 1686.
XXVIII. *Margareta van der Zype*, obiit 7. Martii 1698.
XXIX. *Juliana de Grutere*, benedicta anno 1698, obiit 23 Maii 1627 ætat. 88 Profeſſ. 66.
XXX. *Catharina Billet*, Gandavenſis, antea ſupprioriſſa, benedicta anno 1727. die 27 Julii.

Otto Gereon Epiſcopus Cyrenenſis, Colonienſis & Trevirenſis Vicarius, diplomate ea de re dato, teſtatur partes Reliquiarum ſubſequentium in diverſis ac celebribus urbis Coloniæ Eccleſiis reverenter ac dudum aſſervatas eſſe, & ad hoc Monaſterium miſſas:

S. Sophiæ Virginis.
S. Blaſii Martyris.
S. Vincentii Martyris.
S. Mariani Martyris.
S. Brigidæ Virginis & Martyris.
S. Huberti Epiſcopi.
De S. Lamberto.
De ſociis S. Gereonis.
S. Petri Apoſtoli.
S. Sebaſtiani Martyris,
S. Margaretæ Virginis & Martyris.
S. Laurentii Martyris.
S. Conſtantiæ Virginis.
S. Lucæ Euangeliſtæ.
S. Leonardi.
S. Chriſtophori.
S. Jacobi Apoſtoli.
S. Gereonis Martyris.
S. Barnabæ Apoſtoli.
S. Adriani Martyris.
S. Andreæ Apoſtoli.
S. Damiani.
Magna pars corporis S. Gertrudis.
S. Servatii Epiſcopi.
S. Euſtachii Martyris.
De crinibus S. Agnetis.
S. Urſulæ Virginis & Martyris.
Alia de congregatione ejuſdem.
S. Severi Martyris.
S. Aaronis.

Hoc autem Monaſterium opibus præcipuè duarum ſororum, Margaretæ & Odæ, ex familia, ut creditur, Wtenhovia, quæ Principi Joannæ contubernales erant, fundatum eſt. Venerunt primo ad urbem Moniales anno 1584. inde anno 1598 ad Hojam, ubi anno 1603. Templum cum ædibus magnificis ædificarunt.

Abbatia

Digitized by Google

Abbatia de Dorrizeele Virginum Ordinis Ciſtercienſis Gandavi.

ANte tumultus Belgicos ſita erat hæc Abbatia extra Urbem Gandavenſem in pago de Everghem, qui olim patrimonium S. Bavonis, dein titulo Comitatus in dominium ceſſit Epiſcopi Gandavenſis. Fuerat illic fundata circa annum 1200 in loco vepribus ac ſentibus conſito, (inde nomen vulgare *Dorrezeele*) opibus familiæ Ghiſtellanæ, auſpiciis Margaretæ Flandriæ Comitis.

Sub finem ſæculi XVI. vaſtato per hæreticos forenſi Monaſterio, Religioſæ Gandam profugæ in hoſpitio ſuo juxta Divi Salvatoris ſedem fixerunt, ibique agunt ſub cura ac regimine Abbatis Baudeloenſis.

ABBATISSÆ.

I. *Aleydis van de Walle*, prima Abbatiſſa, obiit anno 1213.
II. *Eliſabetha Briſtels*, de Harlebeca, obiit anno 1219.
III. *Margareta*, defuncta anno 1240.
IV. *Margareta II.* obiit anno 1263.
V. *Maria*, devixit anno 1285.
VI. *Aleydis van de Poele*, mortua anno 1295.
VII *Aleydis van de Walle*, defuncta anno 1299.
VIII. *Gertrudis Wittewatters*, devixit anno 1320.
IX. *Catharina de Villain*, obiit anno 1331.
X. *Paſſchaſia van den Putte*, mortua anno 1342.
XI. *Margareta Silverberghe*, devixit anno 1360.
XII. *Aleydis van den Poele*, vivere deſiit anno 1370.
XIII. *Sophia*, obiit....
XIV. *Gertrudis Wittebaert*, è vivis exceſſit. . . .
XV. *Margareta*. . . .
XVI. *Catharina Steelandt*, obiit 1396.
XVII. *Margareta Uyttenhove*, obiit anno 1420.
XVIII. *Margareta van Axpoele*, obiit anno 1440.
XIX. *Margareta van Axpoele*, Neptis præcedentis, mortua anno 1457.
XX. *Margareta Uytenhove*, antea etiam Abbatiſſa de Nonnenboſſche, ejuſdem Ordinis Gandavi, obiit anno 1464.
XXI. *Margareta de Bruaen*, mortua anno 1473.
XXII. *Joanna Rabauts*, defuncta anno 1492.
XXIII. *Maria s'Voghels*, vivere deſiit anno 1519.
XXIV. *Catharina s'Boex*, obiit anno 1564.
XXV. *Maria à Burgundia*, obiit anno 1585.
XXVI. *Gertrudis de Montenegro*, obiit anno 1623.
XXVII. *Maria Durmans*, obiit anno 1631.
XXVIII. *Margareta Coene*, Tornacenſis, antea Monialis Abbatiæ Vallis Virginum, ejuſdem Ordinis Aldenardæ, obiit anno 1639.
XXIX. *Adriana le Grand*, ex eâdem Abbatia Aldenardenſi evocata, obiit anno 1640.
XXX. *Jacoba van Burne*, obiit eodem anno 1640.
XXXI. *Catharina Cocquelet*, ex Abbatia Cameræ Ordinis Ciſtercienſis prope Bruxellas aſſumpta, vivere deſiit anno 1660.
XXXII. *Margareta Gaudier*, mortua anno 1691.
XXXIII. *Beatrix Gillarts*, defuncta anno 1711.
XXXIV. *Beatrix van Loo.*

Abbatia Benedictinarum Anglarum Gandavi.

HÆ Virgines, omnes nobili atque antiqua apud Anglos proſapia oriundæ Gandavum venere anno 1624, ducente Dominâ Luciâ Knatchbull è Comitatu Cantiæ, Diœceſis Cantuarienſis oriundâ. Primæ Moniales ex Abbatia nobilium Benedictinarum Anglarum Bruxellis traductæ ſunt, earumque Conventus titulo Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis honoratur.

ABBATISSÆ.

I. *Lucia Knatchbull*, fundatrix ac prima Abbatiſſa, obiit 5. Auguſti 1628.
II. *Eugenia Pulton*, obiit 9 Novembris 1645.
III. *Maria Roper*, mortua 20 Aprilis 1650.
IV. *Maria Knatchbull*, defuncta 6 Martii 1596.
V. *Juſtina Petre*, Soror celeberrimi Patris Petre ſocietatis Jeſu, qui dum eſſet Confeſſarius Jacobi II Angliæ Regis, ab eodem præſentatus fuit ad Archiepiſcopatum

patum Eboracenſem & ad Cardinalatum. Obiit hæc Abbatiſſa die 7 Decembris 1698.

VI. *Maria Magdalena Lucy*, obiit 7 Julii 1703.

VII. *Scholaſtica Gerard*, mortua 6 Septembris 1711.

VIII. *Maria Helena Knatchbull*, benedicta anno 1712.

Recluſoria.

AB omni ſæculari ſtrepitu alieni, & divinarum rerum contemplationi penitus addicti (Recluſos vocant) homines aliquot Gandavi vivunt. Ad Deiparæ in Blandinio vir unus, cui Prælatus Blandinienſis neceſſaria præbet, ad Divi Martini in Ackerghem alter; ad Divi Salvatoris nobiliſſima virgo Magdalena Tranſigniaca, Principum noſtrorum honoraria quondam contubernalis, altera ad S. Quintini Sacellum, etiam in Blandinio; ac tertia juxta Templariorum ædem.

S. Agnetis Cœnobium.

SANCTÆ *Agnetis Cœnobium*, quod Regulare eſt S. Auguſtini, ante duo fere ſæcula coaluit. Liberæ antea & exleges ibi Virgines fuerunt: donec an. CIↃ CCCCLII. Junii ſeptima meliuſculè ſibi cautum, ait Gramajus, æſtimarunt, emiſſo ad præſcripta Divi Auguſtini Religionis voto triplici, promovit harum conatus Margareta Comes; & anno ejuſdem ſæculi LXXII. primum Eccleſiæ lapidem poſuit, ubi Joannam Luxemburgicam, Comitis Sanpaulini filiam, anno 1478. cum pompa introduxit monaſtico habitu induendam. Ibi ante ſummum altare lapis cupro tectus ſic loquitur: *Hic jacet ſepulta Domina Jueta Rhyms, filia Danielis vidua Ghiſelberti de Grutere, F. Ghiſelberti, præcipua fundatrix hujus Monaſterii, quæ obiit anno Domini* 1468. *prima Maii. Orate pro anima.* Celebris in eo Monaſterio puellularum, quæ bonos mores, & litteras illic edocentur, Schola eſt. Ante eam quadrato lapidi hoc inciſum: *Reverendus Dominus D. Joannes Carondelet, Dei gratia Archiepiſcopus Panormitanus, hujus ſcholæ fundator præcipuus.* Reliquias habent de corpore S. Agnetis, dentem S. Petri, de Spina Domini, de
1624. SS. Gereone, Dorothea, Hilaria. Præeſt nunc ſoror Anna Cabelliau, nobili loco nata; ſub qua, adnitente Domino Antonio Thrieſt, Gandavenſi Antiſtite, ad reſtituendam firmandamque diſciplinam, admiſſum clauſtrum cum Romano officio; varia quoque Cœnobii ædificia conſtructa.

Monaſterium Donzanum.

CURTHEMENSES in Deynſa opidulo, tertio ab urbe lapide, ad ripam Legiæ ſito ortæ, quo Agnetanæ tempore, Beginæ primum, mox Tertiariæ; demum exuſto aliquoties Cænobiolo, anno 1427. Auguſtini Sectatrices ſe profeſſæ ſunt, Gandavumque profugæ anno 1501. Cœnobium coaptare cœperunt circa parochialem Divi Martini in Ackerghem. Templum nuper elegans, aptumque earundem virginum inſtituto, auſpiciis venerabilis Domicellæ Alexandrinæ de Noyelles Prioris, ædificarunt; & hoc, quo ſcribimus, anno 1624. Monaſterii pomærium ingenti muro clauſum. Servantur in eo Reliquiæ, Pixis de Trevirenſibus Martyribus, dono Religioſi Trevirenſis iſtuc profugi, crux miraculoſa, è radice roſæ in monte Calvariæ natæ, per Religioſos ejuſdem Ordinis olim allata. Nunc præeſt pia, & religioſa Domina Catharina de Valcke, quam præceſſit Iſabella de Noyelles, illuſtris familiæ virgo. Ad arctiorem diſciplinæ obſervantiam, ſub Jacobo Boonen, Antiſtite Gandavenſi, clauſtrum admiſere. De Donſanis verò Monialibus Simon Lalanus, Eques fortiſſimus, cum uxore ſua, circa annum 1450 optimè meritus eſt. Ad diem decimam quintam Septembris aqua hic benedicitur, quæ dudum incorrupta manet, febribuſque ac aliis languoribus pellendis utilis eſſe perhibetur.

Monaſterium Georgii Vranx.

MONASTERIUM ab auctore ſuo nomen habet. Titulus, ei teſte Gramajo, Sanctæ Barbaræ in Jeruſalem: & exſtant donationis litteræ anno MCCCCL. exaratæ. Prima ei præfuit Jacoba van Ottinghen. Reliquiæ in eo Cœnobio, de corpore S. Barbaræ, S. Laurentii, S. Margaretæ, de congregatione S. Urſulæ, etiam ante nuperam imaginum demolitionem fuere.

Monaſterium Galilææ.

MONASTERIUM earum, quæ Divi Auguſtini quoque regulam ſectantur, exordium habet anno 1433. fundatorque

Digitized by Google

torque ejus exſtitit Joannes Eggartius, ab Amſtelodamo Batavorum. Is eodem anno Gandavum venit, & duas in eo loco filias Deo conſecravit. Caſu exuſtum fuit idem Cœnobium anno 1515. Eique ad annum 1530. præfuit Catharina Burgunda, ac alias aliæ è præcipua Flandrorum nobilitate, ac è gente Halowinia, Seburgica, Pratana, virgines Monaſticen profeſſæ. Reliquias habent Spinam de Corona Domini, ob quam fundatum ſacrum ſingulis Feriis ſextis. Ibidem ſepultus cum filiabus ſuis fundator. Clauſtrum nuper reſtituit P. Antonius van Beereghem, Prior Viridis Vallis juxta Bruxellam in Brabantia.

Divites Clariſſæ.

DIVITUM, ut vulgo ajunt, Clariſſarum Monaſterium primitus extra oppidi muros opibus Gulielmi de Hameida, & uxoris in Aureo Prato conditum fuit circa annum Domini MCCXXXIV. per turbas civiles nuper deſolatum. Et Moniales fugere compulſæ, tandem Gandavo Religioni, & Regi debito, ad urbem venere, mitiorem S. Franciſci Regulam ex diſpenſatione Urbani Pontificis habent, unde & Urbaniſtæ vocantur. Prima præfuit ſeu uxor, ſeu filia fundatoris, Agata de Hameyda, annis XXV. Secunda titulo Abbatiſſæ Geila vanden Kerchove annis XXXIV. Tertia Maria vanden Putte annis XXV. poſt eam Margareta van Wallekene annis VI. Maria vanden Putte annis 2. Margareta Cabelliau annis XXV. Sequuntur Catharina de Rycke, Agata Annoens, Maria van Herzele, Margareta vanden Meere, Margareta van Nevele, Eliſabeth Goetghebuer, Anna vander Zype, Catharina vander Hameyden, Margareta Vyls, Eliſabeth Heymans, Joanna vander Bare, Clara Matrahies, Levina van Morſlede annis XL. Agnes Lyxſalx annis XXV. Eliſabeth de Baenſt annis V. Adriana van Waelwijck annis VII. Barbara Lyvaert: quæ nunc præeſt egregia & præſtantis animi mulier: Catharina de Salas, empto fundo, in quo nunc Cœnobium, anno 1613. Septembris 17. in platea S. Levini, auſpiciis Sereniſſimorum Principum Alberti & Iſabellæ fundamenta Templi poſuit; ædeſque poſt magnificas conſtruxit; & variam ſupellectilem paravit.

Domus S. Georgii.

MONASTERIUM, quod domus S. Georgii, vulgò S. Jooris huys/ vocitatur, prima rexit ſoror Margareta de Lathem, quæ obiit anno 1516. quinta Septembris. Regulam S. Auguſtini iſtic Moniales ſervant: à Maxæmiliano Cæſare anno 1505. fundationem habent, & hoſpitalis S Georgii quod Cœnobio attiguum eſt, & ad Gildam ejuſdem Divi Gandavi celebrem ſpectat, curam gerunt.

Pauperes Clariſſæ.

RIGIDIOREM Franciſci regulam ſecutæ ſorores, vulgò pauperes Clariſſæ, fundatrices habent Helenam & Barbaram, è gente Holowina nobiles domicellas. Monaſterium eſt in hanc uſque diem ab optima diſciplina & numeroſo veſtalium cœtu commendatiſſimum. Ab annis etiam ſexaginta, teſte Varnewico lib. 4. cap. 49. ſeveritate diſciplinæ cætera quæ Gandavi erant anteibat. Sepulta eſt hic B. Coleta virgo, ex Burgundis oriunda, ſanctitate clariſſima. Quæ & ibidem obiit anno 1447. Oſſa verò ejus elevata, ac ligneo clauſa feretro, anno 1492. annoque 1536. cum in numerum Beatorum relata eſſet, plumbeo, & Capella per Nicolaum Epiſcopum Sareptanum nomini ejus dicata. Chlamys, veſtis, corda ejuſdem virginis ibi ſunt: tria item capita ex congregatione S. Urſulæ, quorum primum S. Odiliæ; item de corpore S. Mauricii. Nuper in illud ſacro veſtiendæ habitu, à Sereniſſima Belgarum Principe Iſabella, ductæ virgines Emerenciana de Hamal, & Maria à S. Aldegonde.

Tereſanæ.

TERESANÆ virgines à B. Tereſa admirabili ſanctitate fœmina ſic appellatæ, Regulam Carmelitarum olim quidem ab Alberto Jeroſolymorum Patriarcha ſcriptam, ſed ab Innocentio Quarto Pontifice maximo anno 1248. modicum temperatam, & ſub ipſo temperamento pro primitiva habitam ſequuntur. Quodque de Tereſa ipſa, initioque Carmeliticæ reſtaurationis Miræus ait præf. Orig. Tereſ. tam cupide in hanc uſque diem amplexantur, ut primævam illam obſervationem, quæ Innocentii mitigationem anteceſſit ſi non ſuperent, certè æquent. Nata eſt autem B. Tereſa Abulæ, quod eſt Caſtellæ opidum, nobili in primis apud Hiſpanos claraque gente Ahumada & Cepeda, anno ſuperioris ſæculi quinto decimo v. Kal. Aprileis pridie feſti S. Bartoldi, familiæ olim Carmelitanæ ſodalis.

A' parentibus ſummâ curâ diligentiaque educata, una cum lacte ea virtutis ſemina imbibit, quæ per omnem ætatem adhæſerunt. Annos viginti & menſes ſeptem nata, Carmelitanas inter Moniales Abulæ in patria nomen dedit in Cœnobio ejus urbis primario, quod *Incarnationis* vulgo nuncupant. Poſt vitæ auſterioris cupida, inde, Superiorum permiſſu, cum ſodalibus aliquot digreſſa, novum Abulæ Monaſterium, S. Joſephi cognomento nobile, excitavit; in eoque primam, ut vocant, Regulam, quam Albertus, ut diximus, Patriarcha concinnavit, exactè ſervari voluit, atque præcepit. Hujus inſtar plurima poſtmodum cum Virginum tum virorum Cœnobia apud Hiſpanos, B. Tereſa procurante, ſunt exædificata, Gregorio XIII. & Sixto V. Romanis ex ordine Pontificibus adprobantibus. Pium hoc inſtitutum exinde Italia, Gallia Celtica & Belgica, atque ipſa etiam India utraque, Orientalis & Occidentalis, aliæque Chriſtiani orbis Provinciæ avide ſunt amplexæ. Beata porrò Tereſa vitæ ſtadio ſanctiſſimè decurſo, libris aſceticis plurimis, Deo inſpirante, conſcriptis; rebus denique domi foriſque præclarè, ac fortiter geſtis, Albæ in Hiſpania, quod regni Caſtella eſt oppidum, diœceſis Salmanticenſis, Ducatus titulo inſigne, anno MDLXXXII ætatis LXVIII. piiſſimè in Domino obdormivit. Sacrum ejus corpus ibidem honorificè eſt conditum, quod hodieque incorruptum, non ſine miraculo odorem ſpirat ſuaviſſimum, oleumque ſtillat ſaluberrimum, totâ inſpectante, atque obſtupeſcente Hiſpania. Ne cui autem iſta minus credibilia videantur, moneo ſimilia legi de S. Catharina virgine & Martyre Alexandrina, deque S. Walburga virgine Britanna, Eychtadii in Germania, quieſcente, aliiſque. De Tereſa autem virgine qui plura deſiderat, adeat is Franciſcum Ribera, Societatis Jeſu Theologum, Didacum Jepeſium, Epiſcopum Turiaſonenſem, quorum uterque virgini à ſacris confeſſionibus fuit, Joannem à Jeſu Maria Calagurritanum, Franciſcum Panigarolam, alioſque. Qui omnes copioſe vitam, & miracula ejuſdem Divæ ſcripſere. Cæterum Tereſenas Gandavum duxit anno 1612. quæ & etiamnum præeſt, ſoror Eleonora à S. Bernardo, pia & induſtria mulier, quæ ab Alberto & Iſabella Sereniſſimis Belgarum Principibus, optime in familiam Tereſenam adfectis, è Gallia in Belgium cum M. Anna de Jeſu, & Beatrice à Conceptione, aliiſque, virginibus quatuor primum evocata eſt. Ejus etiam opera ejuſdem inſtituti alia Montibus Hannoniæ, Lovanii & Mechliniæ Cœnobia excitata ſunt. Anno 1623. ipſo præſentatæ Virginis feſto, Sereniſſima Princeps Iſabella, Alberti Pii vidua, in hoc Cœnobium è ſuis nobiles aliquot virgines duxit, decenti adparatu ac ſplendido, pioque populi, ac Senatus Gandavenſis adplauſu. Earum nomina erant, Domina Magdalena de Conſlans, ſoror Marchionis de S. Remy, nunc ſoror Magdalena à S. Eliſabeth, Domina Maria de Noyelles, hæres & primogenita Comitis de Noyelles, nunc ſoror Maria à S. Joanne, Domina Maria de Halewiin, è nobili Flandrorum familia, nunc ſoror Maria à S. Joſeph, Domina Catharina Barea, filia Antonii de Barea, qui portui Gandavenſi præfuit, nunc ſoror Catharina de Chriſto. Ab elegantibus penicillis variæ in earum Sacello viſuntur imagines.

Virgines Annunciatæ.

DUXIT Annunciatas Gandavum Frater Petrus Marchantius Theologus Recollectus, alio à me loco nominatus, anno 1624. feſto Divo Antonio Eremitæ ſacro, curantibus in primis Fratre Andrea à Soto, Minoritâ Hiſpano, qui nuper Sereniſſimæ Belgarum Dominæ Eliſabethæ à ſacris confeſſionibus fuit, & Gregorio de Breydel, Presbytero, Eccleſiæ Divi Michaelis Gandavi Parocho. Conventus nomen S. Catharinæ habet, & locum accepere, ubi nuper Griſeæ Divi Franciſci ſorores, è regione Cœnobii Dominicani, agebant, petente id ſorore Catharina Stevenin cum novem aliis Religioſis; quæ omnes ſtrictiorem hanc vivendi normam amplexæ ſunt. Prima, quæ etiamnum præeſt, Lovanio venit, Mater Ancilla, ut dicunt, Maria de Smet, cum tribus profeſſis virginibus, unaque laica. Religioſa hæc mulier eſt, cujus etiam ſtudio variis in locis ejuſdem inſtituti Monaſteria, ut Trajecti ad Moſam, Bruxellæ, Venlonii, Nivellæ, Antverpiæ, & Namurci condita. Primum adventantes egregie juvit Georgius della Faille, veteris Burgi Prætor, & Horatius Bretel Italus, civis nunc Gandavenſis. Eſt in earum Eccleſia confraternitas ſeptem Dolorum B. Mariæ Virginis, à Philippo patre Caroli Quinti Cæſaris inſtituta de qua libellum vide nuper à Georgio Colvenerio, Duacenſi Cancellario, editum. Habent verò Annunciatæ originem ſuam à B. Joanna Valeſia Bituricenſi, Ludovici XI. Gallorum Regis filia, Caroli Octavi ſorore, ac Ludovici XII. itidem Gal-

Galliæ Regis conjuge. Quæ viri lege ſoluta ſacrum hunc Ordinem prima inſtituit.

Dominicanæ.

ET hæ à paucis jam annis Virgines ſub regula Divi Auguſtini & inſtituto S. Dominici Chriſto militantes in urbem Gan-
1627. davenſem admiſſæ ſunt.

Monaſterium Eeclonianum.

EECLONIANÆ S. Franciſci regulam, ſed mitiorem ſectatæ, veſte cineritii coloris induuntur, juxta Santportam (ubi olim Legatis ad Principem Flandriæ miſſis hoſpitium erat, unde hodie nomen manet) nunc agunt flumine clauſæ. Primum Eecloniæ in Diœceſi Brugenſi habitarunt, at inde turbis civilibus actæ Monaſterioque funditus everſo Gandavum venerunt.

Alexiani.

GANDAVI eorum qui peſte laborant, curam habent; item funera curant, vitaque functos ſepeliunt. Pia hæc omnia & miſericordiæ plena ſunt opera. Civem tamen à ſuæ ſortis hominibus ſepeliri, meo judicio, decentius ſit, ac honorificentius: minus etiam Reipublicæ oneroſum: nam merces geſtantibus his danda. Olim ex Fratribus communis vitæ fuerunt, at anno 1459. Novembris XIV. Regulam S. Franciſci, molliorem videlicet aſſumpſere, & factum Pius Pontifex probavit. Sunt apud eos, non inſalubri Reipublicæ ſtatuto, & nam plures ſæpenumero id promeriti in eis claudantur! Sunt, inquam, pro acolaſtis, diſcolis, filiis protervis ac immorigeris, nulliuſque frugis hominibus ergaſtula: quibus aliqui aliquando incluſi ſuæ contumaciæ pœnas dedere; ſunt & pro amentibus ac inſanis. Ædificia habent ſplendida, ac ſacellum, cujus primum lapidem anno 1480. poſitum invenio. In vetuſtis juxta Turholtanam portam opidi mœnibus habitant, & eorundem foſſa, quam nunc de Hautleye vocant, cinguntur. Fuiſſe autem olim & hujus inſtituti ſorores aliquas, quæ infirmis ac moribundis operam impenderent, certiſque legibus eas vixiſſe patet ex archivis Epiſcopatus Tornacenſis, in quibus narratur, quod ad annum 1461. vicarii generales Guilielmi Epiſcopi Tornacenſis V. Septemb. dant ſtatuta & regulam fratribus & ſororibus de cella dictis in villis Gandenſi, Brugenſi & Aldenardenſi.

Sorores Nigræ.

ITA ab habitu vocitantur, quem gerunt, non procul ab æde Dominicana degentes, Regulam S. Auguſtini, & ſtatuta quædam Epiſcopalia amplectuntur. Ægris ac peſte laborantibus inſerviunt; quos & in domum ſuam recipere quandoque coguntur. Earum initium non inveni: ante annum tamen 1470. hic exſtiterunt. In earum Eccleſia, quæ Sodalibus Divæ Urſulæ ſacra eſt, hæ exponuntur Reliquiæ de Sepulchro Domini, de Beata Maria Magdalena, de innocentibus pueris, de Beato Joanne Chryſoſtomo, de ſepulchro Beatæ Catharinæ virginis & Martyris. Anno 1514. qui Leonis decimi fuit ſecundus, ad ſupplicationem nobilis viri Franciſci de Maſtaing, magni Gandavenſium Prætoris, iis qui certis quibuſdam feſtis hanc inviſerent, & *juvarent* ædiculam, indulgentias centum dierum, Paulus Oſtienſis, Dominicus Portuenſis, Jacobus Albanenſis, & Franciſcus Tiburtinus Epiſcopi S. R. E. Cardinales conceſſere.

Sorores Griſeæ S. Jacobi.

QUEM ortum habeant, ex domeſtica inſcriptione conſtat; ea talis eſt: *Illuſtriſſima & potentiſſima Princeps Iſabella, filia Joannis Portugalliæ, & Algarbiorum Regis, conjux illuſtriſſimi, ac potentiſſimi Principis Philippi Dei gratia Ducis Burgundiæ, &c. Comitis Flandriæ, &c. fundavit hoc Monaſterium in honorem Dei omnipotentis, ac S. Franciſci* MCCCCLXII. *ſexta Aprilis.* Reliquiæ ibi ſunt, caput de ſocietate S. Urſulæ, pars item S. Mauritii.

Sorores Griſeæ S. Joannis.

QUÆ mitiorem quoque Regulam S. Franciſci profitentur, Mariam de Burgundia, ejuſdem Principis naturalem filiam, fundatricem ferè habent. Nihilominus hujus ætate antiquiores ſunt, & ante trecentos quinquaginta annos in Ootbriela, juxta Carolinam arcem, habitaſſe feruntur. Virgines in eo Conventu fuerunt è nobilitate primaria, Margareta de Heule religioſa annis 72. obiit 1522. Maji 23. Philipota vander Gracht religioſa an. 68. obiit in Octobri 1544. & aliæ. Reliquias habent de ſocietate Urſula-

Digitized by Google

ſulana, de Corona Spinea, de S. Blaſio, de S. Stephano, de S. Cruce.

Magdalenianæ.

ABjuratâ lubricitate, pœnitentes, etiam olim apud Gandavenſes fuere; nunc exſpirarunt: earumque peculium, Pontificio, Regioque conſenſu, aliis Reipublicæ uſibus adplicatum.

Hoſpitale Hebbrecht.

HOSPITALE Hebbrecht ſub auctoritate, & patrocinio Abbatis Blandinienſis poſitum, ſuæ fundationis auctorem, Joannem Hebbrecht nomine præfert. Hoc auctori characteribus ferè attritis in eodem ſupereſt Epitaphium: *Anno Domini 1327. in craſtino B. Mariæ Virginis... dictus de Tanniis. Orate pro eo.* Ægris, egenis, ac peregrinis ſervit.

Hoſpitale S. Jacobi.

DOMUS ſive Hoſpitale S. Jacobi certam nobis ſui originem non tradit. Aluntur in eo tringinta tres, tam viri, quam mulieres; qui ſingulis menſibus binos tritici modios accipiunt, & aſſes per ſeptimanam viginti & unum. Sub tutela Prætoris, utriuſque Conſulis, & Subprætoris eſt; beneficium tamen à Principe confertur. Ferialibus illic feſtiſque diebus fit ſacrum per Dominicanos, excipiuntur & hoſpitio peregrini.

Domus Amentium S. Joannis in Foro porcario, vulgò S. Jans-huys.

UTRIUSQUE ſexus mente captos ergaſtulis ſuis claudit. Mulierum curam Moniales, Divi Auguſtini Regulam ſecutæ, habent; virorum Fratres quidam ſolebant laxioris inſtituti. Ad tutelam ſpectat Senatus Gandavenſis, ſine cujus conſenſu, nemo intromittitur: is etiam quotannis rationes expenſarum audit. Habet Eccleſiam in qua res divina quotidie peragitur, Divo Joanni Baptiſtæ ſacram, unde & locus nomen accepit. Locum admodum vetuſtum eſſe vel ipſa ædificia indicant, & ante tempora Ferdinandi Portugallenſis fuiſſe etiam certum. Aluntur & in ea duodecim mulieres ſeniculæ, olim cum facultates majores erant, duplo plures. Media autem quibus illi ſuſtentantur, qui mentis ſunt impotes, pleraque Reſpublica Gandavenſis conceſſit. Fuit & primitus Hoſpitale urbis, in quo & ægri curabantur, & peregrini admittebantur. Cæterùm illuc primum ante ducentos ſexaginta annos venere Moniales, quæ cum antea ſedem haberent juxta Noviam, Flandriæ urbem, bellis iſtic ſævientibus, in hunc locum commigrarunt.

Domus Orphanorum ad Santportam.

ORphanotropheion, quod nunc ad Santportam cum hac inſcriptione; *Commodiſſima hæc Orphanorum domus ære publico in bonum publicum empta prid. Kal. Novemb. anno* MDCV. *Roberto Hellinio Waſſenhovio, & Ludovico Blaſerio Idewallio Coſſ.*
olim ad angulum Ramæ vico Burgenſi fuit. Aluntur & in eo publicis ſumptibus mente ac cerebro debiles. Illi adjacere Pœdotropheion bonorum infantium aſſerit Gramajus; illud tamen ego hactenus quæſitum non invenio.

Gerontocomeion D. Catharinæ.

DOMIBUS ac præbendis inſtructum, ſitum eſt loco op de Tzaemleye/ vulgariter nuncupato. Earum ſex ab Ingelberto Immerzelio, Vicecomite Aloſtano, totidemque à Nicolao Serſanderio, & pari numero à Cornelio Pottelbergico, & Joanne Stelando, ut conferantur, & proventus ab eis, eorumque hæredibus, ut gubernentur ſententia anni 1571. decretum eſt. Probabile eſt itaque ab eorum majoribus id fundatum. Ac primitus quidem à familia *de Halliis*, à qua nomenclaturam longo tempore retinuit. Poſt eam gentem rediit ad Immerzelios & Serſanderios, à quibus cum prærogativa hujus loci diviendita eſſet *Levino de Pottelsberghe* Cæſareo quæſtori, à Serſanderiis poſterioribus ea res reſciſſa fuit, ceu, compoſita potius in eam formam, ut ſex iſtic domibus novis ædificatis per familiam de Pottelsberghe, tres præbendæ, quibus mulieres ætate graves aluntur, per eorum poſteros, &, tres aliæ per Stelandicos in perpetuum conferantur.

Wenemarii Gerontotropheion.

MULIERCULIS ætate confectis ſervit: fundatorem ſuum nomine præ-

Digitized by Google

præfert Gulielmum Wenemaer 1322. Conſulem Gandavenſem, virum nobilem ac bello ſtrenuum; ejus uxor in viduitate hic egenis ſe mancipavit, teſte ejus ibidem Epitaphio ad annum 1590. renovato. Aluntur autem XVI mulierculæ, quæ aliquam, ut admittantur, religioſarum iſtic exiſtentium ſanguine debent attingere. Curam domus & proventuum habent hi, qui fundatoribus ſtirpe proximi ſunt. Interemptus eſt autem Wilhelmus Wenemarius à Roberto Caſletano ad pontem Rochelanum juxta Donſam, dum fortiſſime pro Gandavenſibus pugnat, quinta Julii anno 1325. Uxor Margareta Sbrune virum ſecuta eſt 1352. in Septembri, prout ibidem annotatur.

Gerontotropheion de Poortackere.

A VARNEWICA gente nobili & vetuſta luculenter dotatum eſt. Octo vetulas alit ſub tutela Divi Alberti. Sacellum Divo Dionyſio dedicatum ubi primos egiſſe ajunt Minoritas.

Hoſpitale ad portam Brugenſem.

DIVI Joannis vocitatum, à Joanna Flandriæ Comite, Ferdinandi Portugallenſis uxore, quæ mulier in ſimilia pietatis inſtituta admodum liberalis fuit, originem habet. Aluntur in eo vetulæ, quæ rem divinam iſtic feſtis & Dominicis diebus quoque audiunt.

Domus ad angulum Ramæ.

AD Hoſpitale verò quod attinet, quod ad angulum Ramæ vico Burgenſi fuit, ad Sanportam tranſlatum eſt. Remanſit nihilominus Sacellum, in quo ſacris diebus, magno vicinorum commodo, Miſſa legitur.

Seminarium Epiſcopatus Gandavenſis.

GERARDUS de Gandavo, ſeu Villanus, Sigeri Caſtellani Gandenſis filius, Hugonis Caſtellani frater (qui, Lindano aſſerente, lib. 3. cap. 3. de Teneramonda, idem à quibuſdam eſſe creditur, qui Maurus appellatus eſt) ædes habuit Gandavi ad flumen Scaldim, quæ etiam Meyero ad annum 1342. Petra Gerardi diaboli vocitatæ ſunt; hæ ad annum Domini milleſimum quadringenteſimum vigeſimum nonum mutatæ ſunt in Scholam Fratrum Ordinis Divi Hieronymi, florentiſſimum quondam Gymnaſium. Ubi melioris vitæ & eruditionis (ait de ſe Lindanus) rudimenta hauſi, ſub doctiſſimis viris, Audomaro de Viſchere, Judoco & Simone, patre & filio, Kerchoviis. Turris inibi eſt quadrato opere, cujus meridianum latus magna parte cavum eſt, ut ſæpe injecto lapide, vel ſigno expertus ſum. Cavum illud ocream vocant. De hac quoque turri longa inter populares fabula eſt, à dæmone ſtructam, quod figmentum ex dicto Gerardi agnomine trahi peritioribus non eſt obſcurum. Eam itaque domum annos amplius centum Hieronymiani Fratres inhabitarunt, in ea litteras humaniores cum magno juventutis patriæ bono docuerunt. De eis generatim Miræum in Chronico loquentem audire hic non abs re fuerit. *Ordo*, inquit, *vitæ communis à Gerardo Teutonico inſtitutus, & à Gregorio XI. approbatus eſt anno 1376. ſub Regula S. Auguſtini. Fratres ejus, ſeu vitæ communis clerici, à Germania noſtra inferiore primi litteras humaniores excitarunt, & plurima olim, eaque celeberrima (ut hodie Patres Societatis Jeſu) per Galliam Belgicam, Germaniamque Gymnaſia habuere, in his Daventrienſe, Swollenſe, Druſo-Burgenſe, Ultrajectenſe, Groningenſe, & Gandanum apud Batavos & Friſios; Bruxellenſe, Silvaducenſe, & Machlinienſe in Brabantia; Gandenſe, Gerardimontenſe, & Winocibergenſe in Flandria; Noviomagenſe in Geldria, Embricenſe & Veſalienſe apud Clivios, Leodicenſe item, Cameracenſe, Colonienſe, aliaque alibi. Hodie ferè omnia temporum iniquitate deſierunt, aut aliis Religioſis hominibus ſunt adtributa. Fuere autem inter Fratres plurimi cum vitæ ſanctitate, tum doctrina illuſtres: quorum res geſtas Thomas Kempenſis, ipſorum diſcipulus, ad poſteros tranſmiſit. Inter eos qui ſcriptis ſibi famam pepererunt, Gerardus Zutphanius ſcriptor Aſceticus, Gabriel Biel Theologus Tubingenſis, Chriſtianus Maſſæus Chronographus, & Georgius Macropedius Comœdus ac Philologus, eminent. Ex eorum verò ſcholis plurimi ſcriptis itidem illuſtres viri, ut ex Daventrienſi Thomas Kempenſis, Alexander Hegius, Deſiderius Eraſmus & Joannes Murmellius; ex Embricenſi Matthæus & Tilmannus Bredenbachii; ex Noviomagenſi Petrus Caniſius & Buſæi fratres; ex Ultrajectenſi Cornelius Valerius, Henricus Cuyckius, Franciſcus Hareus & Henricus Sedulius; ex Winocibergenſi Joannes Deſpanterius; ex Silvaducenſi Joannes Nemius, Simon Verepæus, Chriſtophorus Vladeraccus, aliique alibi prodierunt. Inter*

ter Fratres porrò alii Hieronymiani, alii Gregoriani nuncupabantur: ſed quo diſcrimine nondum certò comperi. Hactenus ille. Inter Hieronymianos verò Gandenſes duo Ægidii memorantur, qui circa annum 1480. Domui Fratrum Gandavenſi præfuerunt; ſepulti etiam in ejuſdem ſcholæ Eccleſia cum hac epigraphe:

Ægidios lapis iſte duos operit reverendos,
Condignos longa poſteritate coli.
Ut potuit quiſque, domui prodeſſe ſategit:
Et Templum hoc opibus ſtruxit uterque ſuis.
Alter in hac Rector quartus fuit æde, ſed alter
Oeconomus Fratrum tempore quiſque ſuo.

Cæterùm Hieronymianis Gandenſibus alii poſt ſcholarum Magiſtri ſucceſſere, ac iis denique ceſſare juſſis, lectio nuper Theologica, auctoritate Antiſtitis & Capituli Gandavenſis, ſubſtituta eſt; cujus nunc alumni partim Duacum, partim Lovanium neſcio quorum conſilio miſſi, ſacris iſtic litteris imbuuntur, & Epiſcopatum hunc, cui obnoxii ſunt, mox, uti paſtorali functione erunt idonei, adjuvabunt.

Camera Pauperum, vulgò de Aerme Camer.

NULLA nobis è Chriſti diſciplina, ſacriſque litteris virtus commendatior ſubventione ac miſericordiis pauperum, refocillatione ac ſolatiis egenorum eſſe debet. Itaque ſi in rem ullam, in hanc præcipuè curam Reſpublica Chriſtiana debet incumbere, ut civibus ſaltem ſuis, ac inquilinis egeſtate preſſis civitas unaquæque proſpiciat. Ea propter magnam mihi laudem promereri Ganda videtur, quod inter præclara majorum inſtituta, hoc illi ſemper præcipuum fuerit, egenos publicis opibus tueri, ac eorum neceſſitatibus annua certaque eleemoſynarum elargitione occurrere. Præter illas enim eleemoſynas, quas ære vicatim & in concionibus collecto, ex proventibus item menſarum, quæ in parœcialibus Eccleſiis ſunt, in millia quatuor pauperum impendit. Cameram pauperum habet, dotatam quidem hactenus luculentè, ſed dotatione luculentiori maxime dignam. Ea conſtituta eſt Gandavi anno 1533. Nicolao Trieſt Equite, & Antonio vander Vichte Coſſ. Ædes nunc curiæ Senatorum vicinas habet. Curatores ejus aliquot, quotannis credo, aut unoquoque biennio, è nobilitate, ac civibus honoratioribus aſſumuntur. Curatores illi, præfecti cameræ pauperum vocitantur, & ſunt numero tredecim honoratiores è Republica viri. Hi per hebdomadem bis, feria videlicet ſecunda & quarta conveniunt, de negotiis ad hoc inſtitutum pertinentibus tractaturi. Rationes accepti & expenſi Prætor cum Senatoribus audit, quorum juſſu Quæſtor urbis quotannis etiam ex ærario publico in piiſſimos hos uſus aliquot impendit millia.

Anno 1563. Nicolao Trieſt Equite Domino de Auweghem, & Jacobo Bette Domino de Angerellis Coſſ. lego apud Varnewicum, qui eidem tunc Cameræ præfectus erat, pluſquam tria millia Flandrenſium librarum fuiſſe erogata. Nunc major in ſingulos annos ſumma venit. Quam aliqua utinam portione augeant illi, ac deſipiant minus, qui peſſimo ſæculi exemplo, ac magno animarum ſuarum malo, re ac opibus adfluentes, in luxum, ganeam, faſtum, pompam aliaſque ſordidas vanitates, ac mille dedecora quotidie prolabuntur.

Scholæ Pauperum utriuſque ſexus.

UT è vicinarum urbium ſimilibus ſcholis clariſſimè videmus, inſtitutum hoc pauperum erudiendorum Reipublicæ proficuum admodum eſt, & ſalutare; de eo itaque Gandavi etiam promovendo quidam circa annum 1620. præcipuè cogitare cœperunt, per quos cum neceſſitas ejus rei, ac fructus inde manaturi illuſtriſſimis & Reverendiſſimis Dominis, Jacobo Boonen, & Henrico vander Burch Cameracenſi Archiepiſcopo, expoſiti eſſent, ab iiſdem junctim millia florenorum octo accepere; cui eleemoſynæ cum acceſſiſſet liberalitas Reverendiſſimi Domini Antonii Trieſt, moderni Gandavenſium Antiſtitis, qui mille quadringentos contulit, aliorum item varia tam Clericorum, quam laicorum munificentia, tandem donationum ſumma ultra vigeſies mille, & octingentos florenos crevit. Anno itaque 1621. Philippo Seclynio Domino de Herpelghem, & Joanne de Vos Domino de Herlebaut Coſſ. rem curante Carolo à Burgundia, Ordinis S. Jacobi Equite, Barone de Wacquen, magno Gandavenſium Prætore, conſtituti Scholarum præfecti, Conſulum alter Joannes de Vos, Joannes Stalins Senator, Martinus van Houte Dominus de Philippines, & Joannes du Pers civis mercator. Ad inſtantiam quoque co-

eorundem Archiepiſcoporum, pro ſequiore puellularum ſexu empta domus inde Onderſtraete/ quam ante annos aliquot Claranæ virgines mitioris regulæ inhabitarant. Pro maſculis quoque emptæ ædes; ac omnis ille fere locus, quem olim Bogardi Tertiæ Regulæ S. Franciſci ſectatores, apud Santportam occuparunt. Intrarunt puellæ domum ſuam 25 Novemb. ejuſdem anni, die S. Catharinæ virgini, ac Martyri ſacrâ, ac paulo poſt ad felix rei auſpicium, feſto ſanctorum Innocentium in Divi Jacobi res divina ſolemniter peracta eſt, cui Magiſtratus urbis, Paſtores item Parœcialium Eccleſiarum, pauperum denique Præfecti, cum ipſis pauperibus puellis, uniformi veſte indutis, præſentes adſtitere. Utinam inſtitutum hoc (verba præcedentia iterum uſurpabo) aliquâ bonorum ſuorum portione augeant illi, ac deſipiant minus, qui peſſimo ſæculi exemplo, ac magno animarum ſuarum malo, re ac opibus adfluentes, in luxum, ganeam, faſtum, pompam, aliaſque ſordidas vanitates, ac mille dedecora quotidiè prolabuntur.

Beginagium majus, Beginagium minus.

BEGGINÆ virgines, quarum apud Belgas plurimi hodieque pii Conventus perdurant, à S. Begga, Pipini Landenſis (quem primum Ducem Brabantiæ nuncupant) filia, & S. Gertrudis ſorore, nomen & inſtitutum accepiſſe nonnulli exiſtimant. Habuit autem Begga conjugem Anſigiſum, quo defuncto, Romam religionis ergò ſe contulit, indeque reverſa, ſe & ſua Deo mancipans, Andennæ ad Moſam fluvium, in agro Namurcenſi, baſilicas ſeptem in honorem VII. Baſilicarum Romanarum extruxit, ibidemque anno 686. Virginum Monaſterium excitavit, ac dotavit, quod nobilium hodie Canonicarum Virginum Collegium, quibus, ut & aliis paſſim apud Belgas, ac Germanos, Virginibus Canonicis illuſtri loco natis, itemque Begginis Belgicis ad nuptias tranſvolare licet. Obiit porrò S. Begga anno 689. teſte Sigeberto in Chron. Martyrol. Rom. tabulis ad diem 17 Decembris adſcripta. Alii tamen Begginas Lamberto Begio, pio Sacerdoti, qui anno 1170. apud Leodicenſes floruit, initia ſua debere arbitrantur. Ægidius certè Leodicenſis Aureæ vallis Monachus, atque hiſtoricus Leodicenſis, ipſum velut auctorem prædicare videtur. Temporibus, inquit, Radulfi Epiſcopi Leodicenſis, cum Simoniacis erroribus irretita teneretur Legia, & iiſdem contaminata fuiſſet, ſuſcitavit Deus ſpiritum ſancti cujuſdam viri Sacerdotis, & Religioſi, qui Lambertus le Begue de S. Chriſtophoro dicebatur: cujus cognomine mulieres & puellæ, quæ caſtè vivere proponunt, *Beguines* Gallicè cognominantur, quia ipſe primus extitit, qui eis propoſitum caſtitatis verbo, & exemplo prædicavit. Ut ut ſit, pii ac religioſi inſtituti auctor, & princeps S. Begga habeatur licet: ejuſdem vero inſtaurator Lambertus Begius prædicetur. Ita de his in Chronico Miræus. De iis vero qui plura volet, legat Jacobum de Vitriaco, tractatu de Virginibus, Thomam Cantipratam de bis mille Virginibus Nivigellenſibus, Joannis Molani Natales Belgicos, & Federici Lumnii plenum de hiſce rebus Commentarium. Igitur ad Gandavenſes ejuſdem inſtituti æmulas ut veniamus, illæ quæ ad Hojam habitant, Beginagium titulo Deiparæ inſignitum habent: quod extra portas oppidi cœpit anno 1234. auſpiciis Joannæ Comitis Flandriæ, quibus anno 1260. permiſit Epiſcopus ut Sacellum ſtruerent. Patronos habet primos Senatorum: alterum porro titulo Divæ Eliſabethæ eandem Comitem agnoſcit fundatricem; Mecænates autem, & Advocatos Blandinienſem & Bavonienſem Abbates, dictante id ſententia an. 1531. II. Maii data. Adſervantur hic Reliquiæ S. Blaſii, & caput è ſodalibus Urſulanis. Utrumque nunc, uti numero incolentium, ita vivendi honeſtate & diſciplina, per Dei gratiam, viget.

Sacellum S. Catharinæ.

VETUSTATIS eſt ultimæ, inquit Gramajus, *Sacellum Divæ Catharinæ*, tribus civium Sodalitiis, & olim ſupplicatione votivâ annali ornatum. Ad commoditatem civium remotius à Curiali ſua Divi Joannis habitantium ſtructum, & à Guidone Legato S. Sedis indulgentiis anno 1103 locupletatum. Fit in eo Dominicis Feſtiſque diebus ſacrum, & ad populum concio quoque habetur.

S. Mauri Sacellum.

SANCTI Mauri Sacellum à Joanne Abbate S. Mauri, ex Anglia profugo, in Brielæ pratis ſtructum, ut fama tenet. Guidonianum auctorem ſuum Comitem, & tutelarem præfert; fuit circa palatium. Alia Divarum Barbaræ, & Annæ quando cœperint, non conſtat. Georgia-

gianum autem à Sodalitio civium ejuſdem tituli ſtructum anno 1499. & dicatum anno 1505. Virginibus in vicino per Maxæmilianum Cæſarem collocatis permiſſum, ſub Trunchinienſium, ait Gramajus, patrocinio.

Sacellum S. Eligii.

SACELLUM S. Eligii non procul à Petra Comitis ſtructum aliquot ſæcula præ ſe ferre videtur; Feſtis & Dominicis diebus in eo res divina fit, & per Patres Societatis magno Gordunæ juventutis bono Catechiſmus nunc explicatur.

S. Quintini Sacellum.

SANCTI Quintini Sacellum in colle montis Blandinii, & Abbatiæ Blandinienſi obnoxium, à Recluſorio, quod illic etiam nunc eſt, ante tria ſæcula, auſpiciis Arnoldi de Swynarda volunt inchoatum.

Sacellum Nautarum.

SACELLUM & Gerontocomeion Nautarum ab aliquot quoque ſæculis Gandavi fuit. Extant ejuſdem dotationes aliquot, & memoriæ in ſaxis ac laminis parieti affixis, anno 1423. item 1458. & 1529 exprimentes.

Capella Textorum.

CAPELLA Textorum cum adjunctis ædibus, in quibus ſenio, vel paupertate gravati aliquot ejus gentis viri aluntur, Gandenſes alias ut magnitudine, ita antiquitate ferè ſuperat: legitur de ea ad annum 1328. fuit & Hoſpitale circa ædem Divi Gregorii, collapſum nunc vetuſtate, aut vitio Curatorum, ſed de cujus initio nihil datum eſt cognoſcere.

Sacellum Fullonum.

SACELLUM Fullonum (nunc in eccleſiam PP. Capucinorum tranſit) olim ab eorundem opificio conditum, & egregiè à Philippo Burgundiæ Duce dotatum fuit. Res divina quotidie peragi ſolebat, feſtis quoque ac Dominicis diebus cantari ſacrum cum laudibus veſpertinis; haberi denique concio per fratres Minoritas. Decem ex opificio Gandenſes alebantur, quatuor ejuſdem præfecti locum tuebantur, & cum Prætore ac Senatu Gandavenſi beneficia conferebant.

Mons Pietatis.

IN pleriſque Belgii Civitatibus auctoritate Sereniſſimorum Principum inſtitutus, etiam Gandavi 1622. locum accepit, abactis fæneratoribus, per quorum avaritiam populus in neceſſitate conſtitutus, immitibus ante uſuris premebatur. Is egentibus pecuniam præbet pignore accepto, ac quamvis ei ſupra ſortem non modicum adcreſcat lucrum, per eum tamen (cum vix aliter publicæ neceſſitati, ac frequenti civium indigentiæ occurri poſſit) minora populus ſentit onera, quæ etiam ſenſim minuentur, & tandem quoque paſſim nulla erunt, cum proventibus eorundem Montium, ac ædificiis ex lucro nunc naſcente conſtitutis, laboribus quoque eorum, qui in hac re occupantur, aliiſque incvitabilibus ſumptibus proſpectum erit. Hoc interim lucrum uſuram non eſſe gravium, ac magnorum Theologorum ſententia, cui tuto acquieſcere poſſimus, declaratum eſt.

Domus contage laborantium.

HOſpitale ſeu Domus contage laborantium, curà publicà aliquando ad ripam Liviæ, ſeu veteris potius ad mœnia foſſæ apud Alexianos fuit; nunc circa confluentem Scaldis; vulgò **tuſ Dintgaten** dictam, an. CIↃ IↃ XC IIX. ſumptu Reipublicæ tranſlata. Ædes laborantibus commodas, hortum, aquas, ac aerem purum & apertum habet.

GANDÆ Elogia.

AD Palatium Gloriæ Fama appellit Gandavi laudes celebrans, quam Gloria inibi jubet ſiſtere. Illi ſuggerit Themis adſidens ſingulos Deos, deaſque ſua munera Gandavo pleno ſinu effudiſſe, inſtar trium ibi fluminum. Ac proinde Atlantides ver perenne vovent, & Gandæ accinunt, cœlo terraque adplaudente.

ODA I.

Fama Gandæ ad Regiam Gloriæ advolat.

SUPERBA claræ Regia gloriæ
Adſurgit, aſtriſque æmula fulgurat;
Et ima terrarum decoro
Monte ſuper radians triumphat.

Hic

Hic marmoroſis ardua turribus
Triton canoro nubila buccino
Admurmurantium jocoſis
Perſonat Aeolidum ſub alis.
Ars perſpicaces pertudit inviis.
Muris feneſtras pervia ſolibus
Inerrat aulæ luminoſis
Irradians oculis Eous.
Hic Diva ſellà pervigil aureà
Paſſim feneſtras adſidet obvias,
Famæque jucundos ſonoro
Colligit ab lituo canores.
Fors Fama Belgis advena finibus
Aurita latè limina prævolans
Argenteà tubà ſonandos
Belgiadum celebrat triumphos.
Hic Ganda, pulcro Ganda ſub omine
Felixque Gandæ laurea clarigat
Claros honores, quos canoris
Laus crepitans foliis renarrat.
Iſtic retortis æripedem ſtitit
Dux Fama habenis Pegaſon, imperat
Auguſta ſceptris Imperatrix
Gloria magnanimis in armis.
Advertit aures ilico *Gloria*,
Concors *maritis* pignorat auribus
Utrumque lumen, ut veneſtos
Hauriat, inſpiciatque honores.
Inſigne pictà textile ſindone
Hic Ganda in aura fulgurat igneo
Præluſtris appendix decoro
Fama tuo lituo, & coronæ.
Gandæ coruſcis Gloria turribus,
Templiſque & aris adſtupet aureis
Auguſtaque admiratur urbis
Culmina, Romulidum labores.
Nam Septicollis grande ſonantibus
Adſurgit Urbis ſemper honoribus
Par Ganda nomen. Sic venuſta
Fama canit latias per arces.
Cui tum profatur Conſiliantibus
Themiſta Divis quæ ſedet arbitra,
Et æquilibrii fluctuantem.
Temperat arbitrio Senatum.
Quæ dona Divi ſingula dividunt
Parcente cura, largiter influunt
Hæc cuncta Gandam, cui capaci
Fons tot opum Gremio redundat.
Nam parca divum dextera provido
Nunc ſtillat imbri, munera prodigo
Nunc undat amnis. ô beatum
Ganda caput placidis ſub aſtris!
Cui par aquarum copia copiæ
Stat aureorum conſcia fontium.
Ut indidem rivi remanent
Auriferis gravidi fluentis.

ODA II.

Dii Deæque ſua dona plenâ manu in Gandæ ſinum profundunt.

CRISTIS comantem verſicoloribus
Mars qui Chimæram caſſide ſuſtinet
Nec non cruento ſub flagello
Armiſonas agitat quadrigas.
Inſpirat iras igneus igneas
In ima Gandæ pectora, & implicat
Hic vividis faces medullis
Magnanimos acuens furores.
Quis non Gradivo campus inhorruit
Turmis recuſſus quadrupedantibus,
Qua Ganda bellatrix in hoſtem
Ignipedes glomerat phalangas?
Laborioſi, ſuſpice, penniger
Nepos Atlantis devolat ardua
In tecta & arguto decoros
Erudit hic genio labores.
Hic Dædaleæ gloria dexteræ
In erudito ſplendida pulvere
Ignota terris elaborat
Egregiæ monumenta famæ.
Huc fluctuoſi cærulus adnatat
Tridentis hæres, qui ſimul impulit
Terram, ter icta ſub triſulco
Terna dedit properare ſceptro,
Fluenta ternis dedita finibus.
Queis criſpiſulco par chorus alveo
Vectigal argenteum parenti
Najades Oceano refundunt.
Hic Liza prono defluus agmine
Tranquillis æquis advena fluctibus
Colludit agnato recenter
Quem peperit ſibi Bruga Lizæ.
Flavoque Scaldis gurgite turbidus
Longinqua latè qui ſola perſecat
Iſtic arenoſas ſerenis
Advoluit fluviis procellas.
Lizaſque adoptat biſgeminas ſuum
Concors in amnem par tribus amnibus
Superba ſic urnis ter unis
Cornua ut Oceano recumbant.
Sequeſtra juſto pondere libripens
Injurioſiſque aſpera fraudibus
Adtollit ultrix hic reorum
Horrifico in ſcopulo tribunal.
Aſtræa terris altera mobili
Hic fulget aſtro, tuta metu Themis
Quæ vindicem ſuo remulcet
Magnanimum gremio leonem.
Quin & decoris arbitra mentibus.
Elimat acri judicio Themin
Et eruditiore Pallas
Expolit hic cata corda torno.
Et Juno Princeps gloria cœlitum,
Clariſſimarum præſes & urbium

Digitized by Google

Sceptris adoptivas maritat
Ganda tuo in ſolio coronas.
Hic & triſulcis terror ab ignibus
Tremendus orbi cœligerum furor
Vis fulminatrix, quem Tonantis
Devolvit trepidas per arces.
Teſtis coruſci fulminis ignipes
Cuſtos, & hæres, quo duce Carolus
Diffulminandis luctuoſum
Intonat exitium Chimæris.
Torva hic minacis cornua Cynthiæ
Defringit armis triſte ſonantibus
Omen, cruentandoque dirum
Excidium Scytico Tiaræ.
Armata roſtris ſurget aheneis
Columna, quam Mars eriget Auſtrius
Victor ſuperbarum profundo
Auſonio Jonioque Aquarum
Limæ pudorem. Boſphorus anxius
Has ad columnas erubuit mori.
Thracemque Neptunum fugaci
Pæne timor glaciat ſub unda.
Quid magna magni prælia Cæſaris
Claro renarrem cætera claſſico,
Qui tot Giganteis tropæis
Adſtruit armipotens coronas?
Haud indecoro ſordida pulvere
Virtus quod armis parturit aureis:
Hoc in triumphales perenne
Fama canet generoſa lauros.

ODA III.

Atlantides ver æternum Gandæ Exoptant.

TOt Ganda tandem dives adoreis
Jam macte, latoque orbe volubiles
Texe & retexe inexplicatâ
Uſque choros glomerans catenâ.
Audin? Canoræ ver ut Atlantides
Huc æviternum dulcibus evocant
Plectris, & aſtris, queis coronant
Sidereo citharas Theatro.
Quin & ſonorâ Mercurius lyrâ
Fraterna amœnis plectra ſororibus
Concors maritat, Ganda lætis
Orgia dum celebrat choræis.
Quà non in orâ fluminis accinit
Imago minus æmula vocibus
Et Ganda, rurſum, Ganda, Ganda
Uſque novi recrepant ſonores.
Hæc ſumma neſcis? Gloria gloriæ
Ut plaudat æther conſonus ætheri
Applaudat orbis. Euge concors
Terra mari Chorus, & Triumphus.

Aliud.

Delitium terræ,Flandri caput orbis,ocellus
Belgicæ, & enixo Cæſare virgo parens,
Concilio illuſtris, bello horrida,florida pace,
Pulchra ſitu, felix aëre, dives aquis,
Gandavum breviter. Nil ultra quære, nec urbem,
Verum orbem, in tanta mole videre puta.

Aliud.

Roma ſuo Tiberi formoſa, Colonia Rheno,
Londinum Tameſi nobile ab amne tumet:
Sequana Pariſios, Grudiorum Dilia Athenas,
Leodium lato limite Moſa ſecat.
Pulchræ omnes, amplæque urbes, pulchra omnia, & ampla
Flumina diſtinctis ſingula quæque locis.
Unam ſed Gandam juncto ſimul agmine ditant
Oceanus, Scaldis, Livia, Liſa, Cala.
Jupiter hanc molem, purum dedit aëra Phœbus,
Florida prata Dryas, cærula Naisaquas.

Maxæmilianus Vrientius.

Divorum Genitrix, hominum ſuprema voluptas
Aſpice quam latè regia Ganda patet.
Longum iter eſt, quodcunque vides, ſtat Cæſare digna,
Et regni ante oculos totius inſtar habet.
Bis duo concurrunt fluvii, venturus in urbem
Rex Scaldis Comites tres ſibi jungit aquas.
Ipſa parens, nutrixque ſui eſt, ſibi ſufficit undam;
Urbanus ſegetem ſponte miniſtrat ager.
Hinc domus Aſtrææ populis dat jura, forumque:
Hinc Mavors valida clauſus in arce ſedet.
Septem urbes urbs una æquat; ſi pœnitet urbis,
Rus pete, rus ingens urbs tibi noſtra dabit.
Murorum oblitus formoſos incolis hortos,
Et prope jam noſtris mœnibus illa capi.
Contraxit natura orbem, tam prodiga nuſquam eſt,
Totius ſpecimen molis in urbe dedit.

Daniel Heynſius Gandenſis.

Si triplices lymphas, & vitrea regna viator
Adſpicis, hîc ſolam Nain habere putes.
Si virides Gandæ fluviorum in margine ripas,
Cum Zephyro cultam luxuriare Napen.
Si volucrum liquido reſonantes murmure lucos,
Hæc domus eſt fuſcis, inquis, Hamadryadis.
Si divum ingentes numeroſis turribus ædes,
Unica relligio mœnia tanta colit.

Si

Si roſeos juvenes, & lactea colla puellas,
Non alium credas Cyprin amare locum.
Si facunda virûm ingenia, ingenitamque Suadam,
Pallada non alibi, Mercuriumve petas.
Si grandeis in bella animos, generoſaque facta,
Martis, & Alcidæ robur ineſſe putes.
Denique Gordunâ, quicquid miraberis urbe,
Aut Deus, aut aliquo pars habitata Deo eſt.

Juſtus Rycquius Gandenſis.

Felix Gandavum, Flandri caput orbis, honoſque!
Olim Clarineæ quam poſuêre manus.
Seu libet auctorem potiorem agnoſcere Cajum:
Cæſaris auſpiciis fama tibi orta vetus.
Quæ modo macta volat, nomenque tuum omnibus oris.
Dedit ovans, qua ſol occidit, aut oritur.
Tu bello, tu pace potens, nullique ſecunda
Juſtitiâ antiſtas, & pietate viges.
Te facilis frugum tellus, te liquidus aër,
Mitiſque, & rerum copia larga beant, &c.
Tempus erit, nec priſca oberunt, miraculum in orbe
Gentibus octavum cum memorabile eris.

Janus Lernutius.

Primaria Flandriæ urbs eſt Gandavum, cujus cives frequentia, nobilitate, opibus, animis ſunt eximii.

Petrus Bertius Regis Gallorum Ludovici xiii *Coſmographus.*

Gandavum civitas, quo ad ſitum munitiſſima, & perampla, ita ut inter maximas Europæ urbes debeat connumerari.

Adrianus Romanus in Theatro Urbium.

Gandavum magnitudine, & trium fluviorum (jam plura ſunt cum foſſis & canalibus novis) confluentia ſpectabilis Flandriæ urbs.

Abrahamus Ortelius in Theſauro Geographico.

Gandavum civitas ampla & bene munita, &c. cives habet locupletes, qui pro magna ſui parte vivunt ex cenſu & redditibus. Abundat opificibus (hoc olim erat) potiſſimum textoribus, qui varia pannorum, & linteorum genera perficiunt, &c. communi opinione, & doctorum hominum auctoritate, inter omnes etiamnum conſtat, hanc urbem vetuſtate eſſe commendatiſſimam.

Seb. Munſterus in Coſmographia.

Urbem fluminibus nobilem, amœnam, ſpatioſam, innumeris cultiſque domibus, facundis virorum ingeniis, antiquis moribus, frugalibus mage quam parcis, cælo perquam benigno nominat.

Barlandus in Indiculo urbium Belgii.

Non arbitror quaqua patet Chriſtiana ditio civitatem reperiri, quæ cum hac conferri queat, ſive ſpectes amplitudinem, ſive politiam, ſive gentis indolem.

Eraſmus epiſtola ad Utenbovium.

Suſpicio in Gandenſi urbe amplitudinem, populo induſtriam, clero majeſtatem, in hiſtoria res geſtas, etiam, ſi ab æquo judice cenſeantur, quibuſvis veterum conferendas.

Juſtus Lipſius.

Dii boni! quantam, qualemque urbem! in qua orbem video, & in orbe miraculum.

Martinus Hamconius in dialogo cum Gramajo de rebus Gand. cap. x.

A Gandenſibus iſta potius quærenda, qui ut viros omni litteratura clariſſimos, ita in hac palæſtra populari verſatiſſimos habent innumeros.

I. Baptiſta Gramajus ibidem.

Gandavum vidi Julio Cæſare conditore ſuperbum.

Franciſcus Petrarcha epiſtola ad Card. Columnam.

Nec inani gloria, ait Gramajus, cum indies ager caſtello olim Gandenſi obnoxius infinita Romanæ antiquitatis eruat monumenta.

Meminiſſe non potero, qua totius patriæ laude, Gandavum Flandriæ caput inter urbes totius orbis fortiſſimas à Gallo ipſo Hiſtorico quondam numeratum ſit; ac mihi profecto ſpecies quædam, audacter dicam, veteris illius Romæ ſemper viſa, &c.

Auctor panegyrici quadrimembris Flandriæ.

Gandavum pæne prætermiſeram, quod & civium multitudine, & opum copia, & metropolitanæ urbis titulo ſuperbum, & infinitis nominibus, quibus ſemper floruit, nobile, &c.

Hubertus Rodulphus in panegyrico Alexandri Farneſii, Ducis Parmenſis.

Ganda decor Flandris, Superis ſtupor, hoſtibus horror,
Auguſto cunæ, Principibuſque domus.

Juſtus Rycquius.

Gandavum amplitudine, antiquitate, populo frequente & induſtrio, ingeniis ad ſtudia litterarum natis, idiomate Flandrico, fluentibus aquis, terris civium juri ſubditis, lanificio ac textura (ita olim) lineis etiam telis, piſcium abundantia, aëris

ris ſalubritate, inter omnes orbis Chriſtiani eminet civitates.

M. Varnewicus L. 4. antiq. Belg. C. 56.

Gandavum ſane inter fortiſſima orbis opida recenſendum; neque enim circumſideri undique poteſt, niſi ducentis hominum millibus ambiatur.

Froiſſardus in Annalibus.

Atque hæc quidem Rempublicam Gandavenſem tangunt, cujus decora percurrere non unius codicis, & neſcio an unius hominis foret. Plenæ ſunt hiſtoriæ, plena omnis annalium vetuſtas.

I. Bapt. Gramajus C. 36 antiq. Gand.

Aëris benignitate, ſitus amœnitate, trium navigabilium & piſcoſorum amnium, & aliquot inſuper alveorum manuductorum commoditate, (quæ laus ei ſane peculiaris eſt, neque cum alia Europæ urbe communis) omnium quæ ad victum pertinent ubertate, rei frumentariæ emporio, magnitudine, munitionibus, ædium privatarum pulcritudine, vicorum munditie, aliis denique univerſis dotibus, queis natura felices urbes ornare conſuevit, pleraſque totius etiam orbis famigeratas vincit ac ſuperat.

Dionyſius Harduynus I. C.

Plura, & ampliora Gandæ elogia Lector ſi deſideras: ea Janus Lernutius, Daniel Heynſius, Janus Douza, Nicolaus Burgundius, Carolus Utenhovius, Cornelius à Marca, Maxæmilianus Vrientius in poematis, Matthæus Quadus, in Deliciis Germaniæ Inferioris, Julius Scaliger in urbibus, Gerardus Corſelius in Epiſtola ad Marcanum, Hieronymus Cardanus in libris de varietate rerum, Valerius Andreas in Bibliotheca, Laurentius Surius in ſupplemento Naucleri, Levinus Lemnius in libro de occultis naturæ Miraculis, Belleforeſtus, Thevetus in Coſmographia, alii in aliis ſuis ſcriptis fuſiora dabunt.

Ad Reverendum ac Clariſſimum Virum

D. ANTONIUM SANDERUM,

S. Theologiæ Licentiatum Canonicum Iprenſem et Scholaſticum; cum res Gandavenſes ederet.

SANDERE *magnis clare ſcriptionibus,*
Carum Camœnis, atque Gratiis caput
Novus quis apparatus iſte, quis labor?
Nulla calami quies, nec ulla mentis eſt?
Patriæ dediſti nuper INDIGETES *Deos,*
Hos infulis, illos cruore nobiles;
Sed ipſe tam pio labore nobilis.
Ergò à cruore ad PURPURAM*: ſcribis viros,*
Et inclytam virtute ſcribis PURPURAM*;*
Dignumque celſo ſcribis Alfonſum polo,
Lumen tepentis Heſperi. Mox additi
Armiſque clari, Litteriſque ANTONII*:*
Tot neſciam nominibus unius tuum.
Illuſtrius ſit, an tuo tot nomina.
Nunc Civium REBUS *tuorum, maximis*
Domi foriſque, cum ſtili pendis decus:
Pendis novum DIVIS*, novumque* PURPURÆ*,*
Novumque ANTONIIS *decus, novum tibi,*
SANDERE *magnis clare ſcriptionibus,*
Carum Camœnis atque Gratiis caput.

E. PUTEANUS BAMELRODIUS.
Hiſtoriographus Regius.

AN-

ANTONII SANDERI FLANDRIA ILLUSTRATA.

LIBER QUINTUS, AGENS De Gandavenſibus Eruditionis fama claris.

FActis olim ſtrenui, & armorum exercitatione clari Gandavenſes præ cæteris Flandriæ populis & civitatibus fuere, ſed martiali illo ceſſante ſtrepitu, acceſſit à doctrina & litteris decus. Nec eorum gloriam hactenus cæteræ æquarunt urbes, ni Brugas fortè quæ, ſi vero locum concedimus, & non adfectui pluſculum in patriam ac philautiæ, quæ vituperium meretur, indulgemus, parem cum Gandenſibus ab æternarum artium ſtudiis laudem tulit. De Gordunis pulcrè Eraſmus: *non aliunde*, inquit, *quam Gandavo feliciora prodeunt ingenia, nec expreſſiora priſcæ virtutis exempla.* Epiſtola ad Carolum Wtenhovium. Non addam hic optimorum auctorum Elogia, quia ſtudeo brevitati. Et in omni quidem liberalium diſciplinarum parte magna Gandenſium ingeniorum excellentia eſt.

Adrianus Damantius Lymbergius, Gandavi Humaniorum Litterarum Profeſſor, Scripſit *Elegias quaſdam*, quæ inter opera Jacobi Sluperii exſtant. De Græco in Latinum multa tranſtulit, Syneſii Hymnos emendavit, & *Bartaſii Septimanam*, opus inter Poëmata Gallica præſtantiſſimum, *Carmine Heroico* Latinum fecit. Carmine etiam gratulatorio Franciſcum Andium Ducem, Gandavum ſolemni pompà venientem ſalutavit. Vidiſſe ſe, ait Dionyſius Harduinus, verſus nonnullos Græcè ab ipſo compoſitos, ejuſdemque manu tam variis litterarum nexibus, tamque venuſta ac compendiaria ſcribendi ratione pictos, ut aſſerat ſe, vel in Roberti Stephani, aut Joannis Criſpini Chalcographia non vidiſſe quidpiam impreſſum elegantius Tandem à Georgio Buchanano ad Nobilem juventutem politiſſimis litteris imbuendam acceſſitus in Scotiam fuit. Fœlix & majore laude dignus, ſi has præclaras animi dotes Calviniana hæreſi non vitiaſſet.

Adrianus Proostius Presbyter, Legum Doctor, præter ea quæ in Jure, præſertim canonico, ad editionem parat, Edidit *Orationem in laudem ſancti Thomæ Aquinatis*, Lovanii apud Philippum Dormalium, floridam & eruditam, quam Bruxellæ coram variis aulæ Magnatibus aliiſque viris doctrina claris recitavit 1620.

Adrianus Todeschinus Gandenſis Pontificis δορυφόρων Capitaneus, de caſtrorum metatione, & machinis bellicis commentarium ſcripſiſſe fertur. Illum Romæ mortuum hujuſmodi Cœnotaphio honoravit Adrianus Scorelius Batavus:

Pontificis qui fida fuit cuſtodia Pauli,
Hæc Todeſchini ſunt monumenta Ducis.
Quo non militibus Dux gratior extitit alter,
Quo non Pontifici gratior alter erat.
Gandavi natus Romanâ conditur urnâ
Et patriæ, & tumuli nobilis ille loco.
Quis vigor ingenii fuerit, quæ bellica virtus
Vis referam? famæ crede viator, abi.

Adrianus Priecls ſecundus Academiæ Duacenſis fuit Cancellarius. J.U. Doctor. Cognitione legum excellens.

Adrianus Rodius Gerardimontenſis Medicinæ Doctor in Academia Duacenſi Regius Profeſſor fuit.

ÆGIDIUS A GANDAVO, Theologus ac Philoſophus, reliquit *Quodlibeta triginta quatuor manuſcripta* Lovanii ad S. Martinum, quod Canonicorum regularium eſt cœnobium. Tractat quæſtiones varias, Logicas, Phyſicas, Metaphyſicas ac Morales. Vide Valerium Andream in Bibliotheca.

ÆGIDIUS BAVARIUS Societatis Jesu Theologus ac Sacerdos Jubilarius, inſulis quidem Flandrorum natus, ſed longâ habitatione, egregiiſque per ſacros labores in Rempublicam Gandavenſem meritis, noſtratibus accenſendus, vir ætate etiam decrepitâ amœniſſimi ingenii, integrique pectoris, ſeptuagenario quoque major, Poeticis ſtudiis ac Maroniana præſertim majeſtate delectatus, edidit *Summam doctrinæ Chriſtianæ*, ſeu Petri Canſii itidem Societatis JESU Theologi *Catechiſmum*, quem quia Virgilianis potiſſimum verſibus, magnâ profectò fœlicitate & ingenii acrimoniâ, contexuit, *Maronianum* appellavit. Idem *Heroicis Verſibus*, è Marone potiſſimum deſumptis, deſcripſit *Paſſionem Domini noſtri Jeſu Chriſti*, prout à quatuor Evangeliſtis nobis enarratur. Liber nunc ſub cenſura eſt, magno Reipublicæ litterariæ ac Chriſtianæ pietatis bono, brevi evulgandus. Luſit & alia quædam poëtico ſtylo, partim variis amicorum doctorumque virorum operibus præfixa. Vide de eo plura libro rerum Gandavenſium, ubi de Collegio Societatis Gandavenſi agitur.

ÆGIDIUS HOUCANUS Philologus, Pauli Houcani frater, Gordunæ Juventutis Didaſcalus fuit. Ejus in hunc modum meminit Joannes Baptiſta Gramajus in ſuis Gandavenſium antiquitatum primitiis: Aperuere ludum Græcæ Latinæque locutionis ſpectabilem Ægidius & Paulus Houcanus, ſed an quidpiam in lucem emiſerit, hactenus ignoro.

ANDREAS BAVARIUS, Jacobi Bavarii Juris utriuſque Doctoris & in Concilio Flandriæ Graphiarii, pater. Vir Latinè Græceque fuit doctiſſimus, ac Prætor Gandenſis ſuburbanus, quem nunc locum tenentem civilem nominant, qui cum poëtices amœnioribus in primis ſtudiis deditus eſſet, *varios ac elegantes ſcripſit verſus*, qui Mſc. apud Nepotem Jacobum Bavarium Prætorem Aſſenedanum latent.

ANDREAS A BEKA, litteris quidem Latinis non excultus, ſed operis Phrygii, atque artis acu pictoriæ ſcientiſſimus, atque inter artifices totius Europæ maximos meritò numerandus; varia hactenus induſtriæ ſuæ præbuit argumenta, atque in dies elegantiſſimis emblematis, ac florum, avicularum, atque ſimilium rerum imaginibus præbere non deſinit.

ANDREAS PAPIUS, Gandavenſis Livini Torrentii è ſorore Cornelia Nepos, Poëta, Philoſophus & Mathematicus. A pueritia in liberalibus ſtudiis ab avunculo ſuo Coloniæ primum Agrippinæ, tum in Studiorum Academia, unà cum Joanne Livineio conſobrino ſuo ſemper liberaliter habitus Græcæ & Latinæ linguæ ſedulò aſſuevit, poëticæ potiſſimum addictus. Quumque Maronem ad verbum teneret, muſicam quoque artem adjunxit: ita ut utrâ laude excellentior fuerit, incertum videatur. Poſt Lovanii ſub Joanne Wamelio & Philippo Sucrio Jus civile didicit, ſed Leodicum ab avunculo evocatus, dum magnis Julii caloribus, æſtus temperandi gratiâ in Moſa ſe lavat, natando periit. Eximius procul dubiò futurus, ſi non ante diem obiiſſet. Poſteritati reliquit *libros duos de muſicis harmoniis*; *Dionyſium Alexandrinum de ſitu orbis*, totidem pænè verſibus quot Græcè extat, Latinum fecit. Elegans item *Muſæi poëma de amore Erus & Leandri*, quod Principi Chimacenſi dedicavit. Defunctum avunculus egregio monumento, nos pro inſtituti hujus ratione paucis hiſce verſiculis honoramus.

Quod rapis immeriti corpus miſerabile Papi,
Dum fertur tumidas anxius inter aquas:
Scilicet hoc magnum tibi dedecus, atque perennem
Moſa tui labem gurgitis eſſe puta.

ANDREAS ÆGIDIANUS Societatis Jesu Presbyter, Gandavi primùm Rhetoricam in Collegio ejuſdem Societatis docuit: & *Carolo Maſio* Gandavenſium Epiſcopo Quinto *Panegyricum* Heroico carmine *ſcriptum*, typis Manilii, *decantavit*. Pòſt inſigni zelo in Indiam Occidentalem, religionis propagandæ gratiâ profectus, ſanctis laboribus fractus, ibidem in Domino obdormivit.

S. AMANDUS Gandavenſium Apoſtolus, Trajectenſis ad Moſam, & pòſt Argentoratenſis ad Rhenum Epiſcopus, *Teſtamentum ſuum* Latinè *ſcripſit*. Memoratur ab Auberto Miræo in faſtis Belgicis. Plura de Viro planè Apoſtolico, in vitis Sanctorum noſtratium leges.

AMBROSIUS GANDENSIS Ordinis Divi Bernardi, in Hiſpania annos multos claruit. Mathematicus in primis clarus & excellens. Scripſit Hiſpanicè de ratione temporum: *Repertorio de los tiempos*; liber Brugis in 8. excuſus eſt. Vide Valerium Andream in Bibliotheca Belgica.

AN-

ANNA SMITERIA, Gandavenſis picturæ callentiſſima inter eximios ætatis ſuæ pictores floruit 1560. Ejus paſſim in templis opera non pauca extant. A Guicciardino in ſua Belgii deſcriptione memoratur. De ea etiam agit Carolus Vermanderius in ſuo de Pictoribus Belgis Volumine, cum inſigni laude.

ANTONIUS CLAVA. Virum hunc præſtantem fuiſſe, vel ex eo patet quod ab Eraſmo Roterodamo, Epiſtola ad Carolum Utenhovium Baſileæ Kal. Febr. 1529. ſcripta, ſenex quidem ætate, ſed animi bonis omnibus unicè vernans nominetur.

ANTONIUS SCHOONHOVIUS, à Ludovico Guicciardino inter viros Gandavi illuſtres poſitus. Fertur ſcripſiſſe *quidpiam de Eccleſiaſtica diſciplina.* Fuit reverà Brugenſis & ibidem ad Divi Donatiani Canonicus. Emendavit Eutropium, & alia quædam Reipublicæ litterariæ monumenta ſuæ doctrinæ reliquit.

ANTONIUS SANDERUS Presbyter, Livini filius, hujus libri auctor: Scripſit hactenus *Panegyricos quatuor in laudem beatiſſimæ Virginis* MARIÆ, ad illuſtriſſimum Cardinalem Ludoviſium S. R. E. Camerarium, Gregorii XV. Pontificis Maximi nepotem, *Poëmatum libros tres* ad Philippum Ludovicum Comitem Egmundanum cum *libro Præfationum variarum*, ad Joannem Havræum Walli Toparchum virum conſularem. Scripſit & *Elogium B. Iſidori Agricolæ Hiſpani*, à præfato Gregorio, M. DC. XXII. in divos relati, ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Joannem Franciſcum ex Comitibus Guidiis à Balneo, Archiepiſcopum Patracenum, ad Belgas & Burgundiones Nuncium. *Panegyricum* item *in laudem B. Thomæ de Villa-nova*, ad Illuſtriſſimum Alphonſum à Cueva, S. R. E. Cardinalem, Regis Catholici apud Belgas Legatum. *Orationem de myſterio Incarnationis Dominicæ*, ad Nobilem virum Guillielmum Blaſerium Conſulem Gandavenſem. Editi ſunt & ejuſdem *Libri tres de Scriptoribus Flandriæ.* Item *de Brugenſibus eruditionis fama claris*, ac alius *De Sanctis ejus Provinciæ*, qui *Hagiologium Flandriæ* appellatur: ac ſecundus eſt, *Rerum Gandavenſium.* Prodiit & ejuſdem *Gandavum*, ſive *De monumentis ac Antiquitatibus ejus urbis, libri ſex.* Habet & in ſchedis atque ad editionem parat, *Apologiam pro Catholicis proceſſionibus*, ad Sereniſſimam Infantem Hiſpaniarum Iſabellam Claram Eugeniam. *De claris* quoque *Antoniis*, libri tres, *Vindiciarum Biblicarum*, libri ſex, adverſus Calvinianos, ac cæteros hujus ævi hæreticos, contemptum & injuriam ſacrarum litterarum Catholicis falſò, & per calumniam impingentes. *Ephemeridum Eccleſiaſticarum* lib. 12. ad Senatum populumque Antverp. *Librum de bono Paſtore*, *Tractatum de ſenio Muſarum*, cum brevi methodo inſtituendæ Bibliothecæ, præſertim Theologicæ: *Octodecim* item *libros*, *contra modernas ac præcedentium ætatum hæreſes.* Prioribus ſex oſtenditur, quàm ſit pernicioſa Reipublicæ Chriſtianæ hæreſis. Sex aliis, quomodo & quibus artibus graſſata ſit; demum quæ hæreſum ac novationum ſint remedia. Cui argumento pertractando Deus propitius ac benignus vires & ætatem donet! Parat demum ex Bibliotheca Dionyſii Harduyni *Elogia gentis Vitelliæ*, & *Farneſiæ.*

ANTONIUS SMETIUS Theologus, egregius, Eccleſiæque Gandavenſis Archipresbyter, & Eccleſiaſtes facundus. Scripſit *Orationem luculentam in funere Caroli Maſii Antiſtitis præſtantiſſimi.* Fuit ille Carolus, quartus Gandavenſium Epiſcopus, primùm Antverpienſium Decanus, pòſt Sereniſſimorum Archiducum Auſtriæ Alberti & Iſabellæ Belgicæ Principum Eleemoſynarius, exin Iprenſis Epiſcopus, ac demum ad ſupremum hujus Eccleſiæ culmen evectus. Vir magnis animi corporiſque dotibus exornatus; qui, ſi vitam illi Deus permiſiſſet, & ad res maximas incumbenti invidia quorundam, & obliquus livor, aliorumque malitia pervicaciæ vinculis firmata, & impatiens melioris diſciplinæ conditio non obſtitiſſet, egregiorum indubiè facinorum in hoc Epiſcopatu fuiſſet auctor. Sed etſi zelo fervidus, & eximia animi fortitudine pollens, ſub auſpicia tamen ſuſcepti jam pridem & optima quæque promittentis Epiſcopalis regiminis, curis, laboribus, inſtantiâ quotidianâ omnium Eccleſiarum, aliiſque moleſtiis fractus, obdormivit in Domino. Ipſi tale, ad Meridionalem Chori Bavoniani partem, ubi auguſto Mauſoleo quieſcit, Epitaphium eſt:

D. O. M.
CAROLUS MASIUS
H. S. E.

Ad ſumma natus, per gradus aſcendit,
Sed illuſtres.
Decanus Eccleſiæ Cathedralis Antverp.
fuit.
In quod munus ne alienus veniret,
Avunculo Rutgero de Taſſis ſucceſſit.
Fuit & Principibus BelgI ab Eleemo-
ſynis,

Rrr r 2 *Inde*

Digitized by Google

I de Ipreníium pòſt Gandenſium Epiſcopus,
Quâ dignitate eâ virtute
Eccleſiæ & Reipubicæ utilis.
Vos lugete Belgæ:
Eccleſia Antiſtitem amiſit, Reſpublica virum
xii. Kal. Junias cIↄ. Iↄc. xii. cùm vixiſſet annos liii.

Mortuum cordolio, vivum dum ſolemniter in urbem venit, hac gratulatiunculâ proſecuti ſumus.

Gorduni feſto nova dicite carmina plauſu,
Virente bonora cinge fronde tempora
Ganda, colens facilem ritu meliore Tonantem,
Bonumque cœtus omnis oret æthera,
Maſius auguſtam vehitur ſublimis ad urbem
Sacrâ coruſcus infulâ, ille Maſius
Relligionis bonos, vindex pietatis, ad aras
Favente ad alta templa ſcandit alite.
Brachia jam caſtus tollat felicia myſtes,
Potentiore qui Deum vocat prece.
Dat pia ſigna polus, ſcintillantique renidens
In orbe phœbus auſpices vibrat faces.
Ipſe Deus placidis ſpectans hæc vultibus, omnem
Amica vota cœlitum docet Chorum.
Sume novas ſpes Ganda: ſacram tibi reſtituet rem,
Tuebiturque Carolus, rapacibus
Ora feris duro ſolitus frænare lupato,
Catâque doctus edomare dexterâ.
Nulla lues pecori, contagia nulla nocebunt,
Venena dira pellet efficax manus.
Ore potens, ſano firmabit languida verbo,
Piis caduca ſuſtinens laboribus.
Horrida non iterùm miſcebit prælia, circum
Quieta raptor infremens ovilia:
Tuta nec infeſtos metuent armenta leones,
Nec ora pandet impia lupus fame.
Relligio veteri ſuperis quæ dedita cultu,
In alta ducat aſtra verticem ſacrum:
Ornet læta ſinus Eccleſia, fulgida nectat
Corona, multus & beet comam lapis.
Aurea purgatæ naſcentur tempora Gandæ,
Nec ulla noſcet æra ſancta civitas.
Hic ſpretæ legis maculas, hic vulnera morum,
Et inſolentis impetum licentiæ
Felici validus tollet podalyrius herbâ.
Sacris profana Juſtus uret ignibus.
Quiſquis ſollicitæ cernet miracla Thiaræ,
Recentioris & trophæa gloriæ:
Jurabit ſimiles Livino currere menſes,
Bavone digna dicet ire ſæcula:

Arnoldus Bostius Carmelita Gandenſis, vir divinarum ac ſæcularium litterarum cognitione ſummus, Theologus ac Philoſophus acutiſſimus, Orator & Poëta Mellitus, vita quoque ac converſatione optimus & irreprehenſus. *Scripſit volumen* inſigne *proſâ ac verſu*, in quo luculenter oſtendit ordinis ſui à glorioſa ſemper Virgine Maria protecti prærogativum, originem ac progreſſum, cui titulum fecit: *De patronatu Mariæ.* Scripſit prætereà de *Illuſtribus Viris Carthuſienſium* lib. unum. *Contra Vincentium item à Novo Caſtro Dominicanum Pro Intemerata Deiparæ Conceptione, lib. 1. Epiſtolarum Ad diverſos lib. 1. De quatuor noviſſimis lib. 1: Carmina item diverſa.* Floruit anno 1494. A Trithemio memoratur, ad quem multas ſcripſit Epiſtolas. Scripſit quoque ad hunc Arnoldum, Robertus Gaguinus Gallus, Ordinis Sanctæ Trinitatis de Redemptione captivorum generalis Miniſter, contra eundem Vincentium Carmine & ſoluta oratione pro immaculata Deiparæ Conceptione. Hermolaus quoque Barbarus Patritius Venetus Patriarcha Aquilegienſis omnium ſui ſæculi doctiſſimus ſcripſit & ad hunc Boſtium, eique opuſculum quoddam Dionyſii Areopagitæ à ſe de Græco in Latinum ſermonem converſum dedicavit.

Humanæ nil vocis eges: cum nomine donat
Caſta parens meritis præmia digna tuis.

Arnoldus Havensius, Sacræ Theologiæ Doctor, ac Gandavenſis Carthuſiæ per annos aliquot Prior, ejuſdemque Ordinis per Flandriam & loca vicina Provincialis Viſitator. Evulgavit Commentarium de *Erectione novorum in Belgio Epiſcopatuum*, deque iis rebus, quæ ad noſtram hanc uſque ætatem in eo præclarè geſtæ ſunt. Joannes Kinckius Coloniæ impreſſit 1609 *Hiſtoriam* quoque *Carthuſianorum Ruremundenſium*, qui ibidem anno Domini 1272. ſunt crudeliter interfecti, compendiosè recenſuit. Ejus titulus eſt: *Innocentius & Conſtantia Victrix.* Edidit & *Librum de crudelitate veterum & recentium Hereticorum.* Scripſit prætereà *De ſolitariæ vitæ præſtantia ſimul ac utilitate.* Ubi per varia exempla & teſtimonia tam domeſticorum, quàm aliorum plurimorum ſanctitate ac doctrinâ Illuſtrium Virorum demonſtratur, quàm ſit animæ proficuum, ſacræ ſolitudinis ſtudio incumbere. Evulgavit & meditationes Gulielmi Lindani in Pſalmos Pœnitentiales, librum item ejuſdem de fugienda impœnitentia, & alia quædam.

Ar-

Digitized by Google

Arnoldus Manilius, vulgò de Man, Gandavenſis Medicus & Poëta ſuavis; multas ſcripſit Elegias, Epigrammata & Epitaphia; Carmen item ad Victorem Giſelinum Aurelio Prudentio Clementi à Giſelino emendato præfixum. Anno 1561. menſe Aprili, huic Manilio itineris comes fuit Gandavo Pariſios eunti, Dionyſius Harduinus, quum illic ad capiendum Ingenii cultum duceret nobiles adoleſcentes diſcipulos ſuos Franciſcum Cauwenhovium & alterum Toparchi de Themſeke filium. Cujus tum profectionis comites fuere David Ongnad Bohemus, & Henricus Starenberg Auſtriacus, Barones, Doctiſſimi Juvenes, quorum prior cùm eruditionis nomine in aula Maxæmiliani Cæſaris Auguſti inclaruiſſet, Domino Carolo Rym in legatione Conſtantinopolitana ſucceſſit. Porrò Manilius hic noſter Conſtantinopoli in Comitatu Caroli Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Maxæmiliani II. apud Selimum & Amurathem Turcorum Principes legati, magnis viris diverſarum nationum propter inſignem doctrinam, & Græcæ linguæ exactam cognitionem in pretio fuit. Rediens in Germaniam multos Codices Mſc. tulit, quos etiam in lucem miſſurus erat, niſi præclaros ejus conatus immatura mors præpediiſſet.

Andomarus Edingus, an quidpiam in lucem ediderit hactenus mihi non conſtat. Innotuit tamen Eraſmo Roterodamo, & ab eodem niveis homo moribus, Epiſtola Kal. Feb. 1529. ad Carolum Utenhovium Baſileæ ſcripta, vocitatur.

Balduinus Fossa, alias à Nivella, Monachus ſancti Bavonis, Legatus ad Philippum Bonum Burgundiæ Ducem ac Flandriæ Comitem fuit pro pace Gaverenſi.

Balduinus vander Pietius, anno 1546. Gandavi natus, JC. hujus ævi clariſſimus, adoleſcens in omnibus humaniorum ſcholis, ac artium liberalium promotione in Academiæ Duacenſis Collegio regio primus fuit, pòſt ad Juriſprudentiam animum adplicans, gradum Licentiæ in ea ſummo cum honore ac merito ſuo conſecutus eſt 1569. Exin Romam profectus anno 24. ætatis jus extra ordinem docuit, atque inde Duacum reverſus, atque in Profeſſorem Regium anno 1573. aſſumptus, Juris utriuſque Doctor anno 1576. renunciatus eſt, ac Primarius tandem Profeſſor evaſit. Ad ſupremum Curiæ Mechlinienſis Senatum nominatione quaterna ultrò poſtulatus, in Juriſprudentia Philoſophari ac Judicem formare, quàm agere ſatius ducens, ut eam dignitatem acceptaret, induci non potuit. Præter Juris ſcripti cognitionem exactiſſimam (quod rarum eſſe ſolet) legum municipalium ac ſummam forenſium rerum ac praxeos eſt aſſecutus. Multa, varia ac ſolidæ eruditionis referta in Jure ingenii monumenta in ſchedis nepos Balduinus itidem vander Piet in Curia Flandrica Cauſſarum patronus, ac patrui ſui æmulus, habet. Quorum aliqua hæc ſunt. *Tractatus de fructibus, de duobus reis, de pignoribus & hypothecis, de emptione & venditione, de hæreditariis actionibus, de ſervitutibus prædiorum, de Jurejurando voluntario & neceſſario, de re judicata, Conſilia varia, Quæſtiones juris variæ*, &c. Publicus Juris Profeſſor fuit per annos 36. Obiit anno 1609. 21. Januarii. Sepultus ad Divi Albini in Choro apud Duacenſes.

Sublimi ſtantem cathedrâ te læta juventus
In Catuacenis eſt venerata ſcholis.

De eodem Vander-Pietio ita Joannes Sylvius Epiſtolâ dedicatoriâ libri ſui de conſervanda valetudine ſtudioſorum. Occurrit jam Balduinus Vander-Pietius, cujus in ore lepos talis facundaque Pitho, qualis in arguta voce. Periclis erat, &c.

Balduinus Ronsaeus, Gandavenſis Medicus, Goudanorum in Hollandia 1585. Scripſit de generatione fœtus in utero, item de Cachexia, ac libellum de magnis Hipocratis lienibus, de hominis quoque primordiis, Hictericiſque adfectibus centones, Item in *Aurelium Cornelium Celſum de re medica enarrationes.* Scripſit & *Epiſtolas ac opera quædam poëtica*, inter quæ extat venatio, quæ carminis elegantia, & materiæ raritate lectorem curioſum delectare poteſt.

Baudemundus Abbas Tertius Blandinienſis. Scripſit *Vitam ſancti Amandi*, uti aſſerit in faſtis Belgicis Aubertus Miræus, eam Surius publicavit. Exſtat ejuſdem Divi vita Mſc. Verſu Heroico per Milonem Elnonenſem, ac ejuſdem miracula per Gillebertum Decanum.

Carolus Quintus Auſtriacus, Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, æternique nominis Princeps, non armis ſolùm partiſque variis de ſuis, ac Orthodoxæ fidei hoſtibus, victoriis inclytus, verùm etiam editis promulgatiſque optimis legibus ac ſaluberrimis conſtitutionibus quamplurimis, de Republica Chriſtiana maximè meritus. Scripſit, uti in Bibliotheca ſua narrat Dionyſius Harduinus, ex opere epiſtolarum Hieronymi Ruſcellii Itali, ad imitationem Julii Cæſaris, *Hiſtoriam rerum à ſe geſtarum. Varia* evul-

Digitized by Google

gavit *edicta*, quibus impiam Novatorum inſaniam, ſi non fregit, magna tamen ex parte compeſcuit. Edidit & Conſtitutionem ſeu *Legem* perpetuam, quam *Carolinam* adpellant, Reipublicæ Gandavenſi admodum ſalubrem, qua & popularis inſolentia, & prona in ſeditionem quorundam ingenia cohibentur: & bonorum civium quieti proſpicitur. Elogia virtutibus ejus meritiſſimè data qui audire cupit, is Paulum Jovium, Zenocarum Voorthuſium Præpoſitum Daventrienſem in Phœnice, Surium, atque ut verbo dicam, omnes hujus ac præcedentis ævi hiſtoricos, Chronographoſque evolvat, atque in iis longas Encomiorum Iliades, atque heroicis ejus viri virtutibus dignas laudes inveniet. Neque verò indecoram Cæſareæ Majeſtati hanc ſcribendi curam quiſquam exiſtimet. Præter Cæſarem etiam Auguſtus,præter illum M. Aurelius, Theodoſius, Conſtantinus, Leo Imperator, Julianus, Carolus Magnus, ut alios in eo ordine, ac alios orbis dynaſtas innumeros non commemorem, litterariâ illâ tractatione ſe exercuerunt: & ſplendorem dignitatis eruditionis laude clariorem reddidêre. Inter leges & ſcripta Caroli Cæſaris particulatim recenſentur à Valerio in Bibliotheca, *Conſtitutio politiæ & Reipublicæ Imperialis*, interprete Juſtino Gobbero Franc. 1565. fol. *Epiſtola ad Clementem VII. Pont. Max.* quâ ab eo petit generalem omnium Chriſtianorum congregationem, additâ Clementis reſponſione. *Epiſtola ad Cardinales de eadem re.* Declaratio quomodo in negotiis religionis agendum, cum formula reformationis. *Reſponſio Caroli V. & Principum Catholicorum ad Confeſſionem Auguſtanam.* Varia ejuſdem Apophthegmata & ſcitè dicta apud Gulielmum Zenecarum leges. Piiſſimè mortuus eſt in Monaſterio S. Juſti Sodalium Hieronymianorum Diæceſios Toletanæ, 21. Sept. die ſancto Matthæo ſacra anno Chriſti 1558. ætatis 58. Imperii 40.

Carolus a Marca, Jacobi Cornelii Lummenæi à Marca pater, vir indole & eruditione præſtanti, atque ſi vero virtutem pretio æſtimemus, non minùs propriis animi dotibus, quàm liberorum famâ clarus, ac magnorum, ſi æquo ſemper jure munia in Republica donarentur, capax. Scripſit *Verſibus Græcis Juditham*, ſive ſacram de nece Holofernis Ducis Aſſyrii Tragœdiam. *Varia* item in gratiam amicorum *Carmina*. Edidit & *Elegiam* in Commendationem operis Joannis Garetii de Invocatione Sanctorum, operi præfixam.

Carolus Langius, æterno J. Lipſii encomio optimus doctiſſimuſque Belgarum, Leodici in Æde Lambertina Canonicus fuit, Poëta, Philoſophus, ac Criticus ævi ſui maximus. *Lyrica Poëmata ſacra quædam edidit: pereruditas quoque in M. Tullii officia, Lælii amicitiam, ac Catonem de bono ſenectutis, emendationes ſcripſit.* Item *Notas in Plautum* cœperat (ut ait Miræus) *& Senecam, Solinum ac Suetonium ſcholiis illuſtrare, multaque in Plinio Theophraſto ac Dioſcoride aliis non viſa obſervarat:* quæ ſive morte præventus, ſive modeſtiâ adductus, non evulgavit. Plura apud eundem Miræum vide in Elogiis,

Ganda potens altas cœli caput effer in arces,
Cive tuo nullus doctior aut melior.

Carolus Philippus a Rhodoan, vir non minùs virtutibus, egregiiſque in Eccleſiam Catholicam & Rempublicam Chriſtianam benefactis, quàm majorum ſtemmatis, & avitâ ſtirpe nobilis, poſt alios ſacrorum honorum titulos Eccleſiæ Gandavenſis, Epiſcopus quoque Middelburgenſis in Walachria, demum Eynhamenſis Abbas, & Cathedræ Brugenſis moderator fuit. Ut paucis dicam, Antiſtes optimis, maximiſque Belgarum Præſulibus, ob candorem ac ſingularem (ut cætera animi dona non attingam) in omnes benevolentiam, ac litteratos amorem æquandus.

Carolus Rymius Juris utriuſque Doctor, Gerardi in Curia Flandriæ Conſiliarii filius, Patritius Gandavenſis, Eques Romanus, uxorem duxit filiam Philiberti Bruxellis in Arcano Concilio Senatoris. Factus primùm Curiæ Luxemburgicæ Conſiliarius eſt. Unde à Maxæmiliano Secundo Imperatore, Philippi Secundi regis Catholici voluntate, evocatus, Legatione Conſtantinopolitana apud Selimum Turcarum Principem, annos propè ſex, magno Chriſtianorum commodo functus eſt. Inde domum rediens, ad regis Philippi in Belgio ſanctiorem Senatum eſt accitus, divitiis adauctus quoque ac illuſtri Toparchia Bellemia ac duabus generoſæ indolis prolibus fœlix. Facundus Orator, ſuaviſſimus Poëta, acutus Philoſophus, omniſque hiſtoriæ & antiquitatis ſcientiſſimus. Denique ſex linguarum Juriſque Romani non leviter peritus, & ad res agendas omninò natus. Edidit *Carmen elegantiſſimum in gentem Rymiam*, ejuſque inſignia, verſu heroico contextum: ubi memorantur omnes ferè clari viri, qui domi & foris in hac nobili antiqua familia eluxerunt. Prototypon habuit D. Franciſcus

Digitized by Google

cus Rymius Hundelghemius, Caroli frater Germanus. Scripſit & *Commentarios rerum in ſingulos dies toto Legationis tempore ab ipſo factarum*, quibus locorum, per quæ iter fecit, inſignes deſcriptiones continentur. De illo vere iſtud uſurpare poſſis, πεπλάσμενον ἐν ἑνὶ ἔργῳ.

Ingenium, virtus, ſapientia dulcior udo
Lingua favo, clarus nobilitatis honos,
Ire Byzantinam dum Carole juſſit ad aulam
Helladis & turpem flectere barbariem:
Te mulſiſſe feros Othomanni à ſtirpe nepotis
Famaque Chriſtigenis conſuluiſſe canet.

Carolus Smyterius, Gandavi in Curia Flandriæ Advocatus, & dein in Curia Hollandiæ Conſiliarius. Juris & humaniorum litterarum ſcientia clarus. Fertur *Carminum libros aliquos* reliquiſſe. Sepultus eſt Ultrajecti in Eccleſia S. Petri, Doctorum aliquot hominum honoratus Epitaphiis, quæ ibi viſuntur.

Nobili ac docto viro Domino Carolo Smytero Gandenſi
Curiæ Hollandicæ Senatori Regio.

Hic poſuit Flander Smyterus Carolus urnam,
Conſul apud Batavos Regis Ibere tui.
Cùm Batavos bellis vexat civilis Erinnys,
Fixos heu propriis viſcera vulneribus:
Martinus hunc rapuit, cœloque Aſtræa locavit;
Hic celebri tantum nomine fama viget.
Hadrianus Burchius.

Siccine ô Smyteri Chriſto, Regique fidelis
Cœlo donandus triſtia ſecla fugis? &c.

Obiit IX. Kal. Aprilis. Sic mors ipſa cùm venerit, vincitur, ſi priuſquam venerit, ſemper timeatur.

Carolus Utenhovius, *Gandavi familiâ, vetuſtate & magiſtratibus illuſtri natus*, Caroli Toparchi Markeghemii magnâ eruditione viri, quam ab Eraſmo Roterodamo hauſerat, filius, Nicolai Clariſſimi Flandriæ Præſidis nepos: ſub Joanne Othone primùm Grammaticam didicit, dein Pariſios profectus, politioribus litteris, hiſtoriis & antiquitatibus ſedulam fructuoſamque operam navavit: dum in ſingulos propè dies, Illuſtria tum ejus Academiæ lumina, Adrianum ſcilicet Turnebum, Joannem Auratum, Dionyſium Lambinum & Georgium Buchananum Scotum, qui tunc Orthodoxam colebat Religionem, adiret: non infrequenter etiam apud Regum, Principum, & Rerumpublicarum Legatos, quibus ab eruditione politiſſima & ingenii feſtivitate erat gratiſſimus, verſatus eſt. Pariſiis tres Joannis Morellii & Antoniæ de Loynes filias, Camillam, Lucretiam & Dianam, ita erudivit, ut utraque lingua doctiſſimum Carmen ſcriberent, prælegit publicè Hepheſtionem, qui tractat Græcè de Proſodia. Scripſit *Epigrammata*, *Epitaphia*, & *Epithalamia complura Græca pariter & Latina*, eademque evulgavit. Librum item cui titulum fecit, *Aſtragalus*, ſive Xenia, in quo ſunt Anagrammatiſmi, & alluſiones ad Illuſtrium aliquot Europæ hominum nomina. Scripſit & inter alia Carolus *Epitaphia in mortem Henrici II. Galliarum regis apud Robertum Stephanum* 1560. *Nonnum* Poëtam Græcum eleganti Carmine vertit. E Galliis in Cliviam profectus, uxorem nobilem duxit, ac demum Coloniæ Agrippinæ privatus in ſtudiis litterarum conquievit. Obiitque 1600. ultimâ Auguſti ibidem, nulla prole relicta ex uxore vetuſti & generoſi ſtemmatis filia Toparchi de Daelenbroeck in ditione Juliacenſi. Fuit autem Joannes Morellius Patritius Ebrodunenſis in Delphinatu, Præfectus Aulæ Regiæ, vir Græcè & Latinè doctiſſimus, & à maximis Gallorum ingeniis Aurato, Ronſardo, Joachimo Bellaio frequenter magno in honore habitus. Obiit 1581. atque in ejus laudem liber Epitaphiorum variis linguis à viris eruditis compoſitus, prodiit.

Clara Caesarea, Gandavenſis miniatrix, nobiliſſima, cælebs moritur annos nata octoginta à Georgio Vaſaro, Aretino Italo memoratur ultimo volumine, quod eſt de Pictoribus, &c. à Ludovico Guicciardino, item in Belgii deſcriptione.

Christophorus van Heurne, vir nobilis, Toparchus de Bemeghem, vanden Abeele, &c. Juris utriuſque Doctor, Patriarum præſertim antiquitatum *genealogicarumque* rerum, ac omnium delitiarum *ſtudioſiſſimus*, multas hactenus ac varii argumenti apud ſe manuſcriptas lucubrationes habet diligente cura & aſſiduo labore congeſtas, quarum aliqua pars *Inſcriptiones*, *Epitaphia*, *armaque gentilitia Illuſtrium familiarum Belgii continet. Chronicon item de rebus Gandavenſium*, *ejuſdemque urbis faſtos conſulares.* Collegit & Epitaphia, inſcriptiones ſepulchrales aliaque varia monumenta Romanæ urbis, item regni Neapolitani cæterarumque pænè omnium regionum Italiæ adjunctis pluribus inſcriptionibus Germaniæ, Helvetiæque. Collegit & ſolerte ſtudio è Theſauro numiſmatum Huberti Goltzii, Abrahami Gorlæi, Jacobi de Strada, Mantuani,

Digitized by Google

tuani, Theodori Gallæi, Adolphi Occonis, Jacobi Biæi, &c. congeſſit in unum varia eaque rariora numiſmata. Sunt apud eundem multorum ſanctorum Patrum ad vivum effigies delineatæ, omnium item Cardinalium inſignia, qui abhinc centum & amplius annis creati ſunt. Scripſit juſtum volumen in folio de officio Heraldi vulgò *Roy d'Armes*, item de duello & torneamentis; de iis denique omnibus quæ in creatione Imperatoris, Regis, Archiducis, Ducis, Comitis, Baronis, & ſimilium Heroum requiruntur, quæ omnia ſi publico concedantur, id cum egregio Reipublicæ litterariæ fructu ac ornamento fiat.

Cornelius Camerarius Presbyter, atque in æde collegiata S. Petri Inſulenſis Canonicus, vir eruditus. Scripſit *Grammaticam linguæ Latinæ*, *Rhetoricas item præceptiones*, *varios quoque verſus* doctos ac elegantes, quædam & Gallico ſermone; cujus ſe apprimè gnarum oſtendit: quibus inſolentia, crudelitas ac perduellio Batavorum ſtringitur, evulgavit.

Cornelius Columbanus Vranx, S. Th. Licentiatus, primùm in Æde Bavoniana Canonicus, exin ejuſdem Eccleſiæ Pœnitentiarius. Demum poſt amplexatam Ordinis Benedictini regulam, Blandinienſis Monaſterii Abbas, non minùs vitæ innocentià, animi candore ac morum ſimplicitate, quàm eruditione inſignis. Scripſit *Malleos tres adverſus Calvinianos pro veritate Corporis & Sanguinis Chriſti in Venerabili Eucharistia è ſanctis Patribus Chryſoſtomo, Ambroſio & Cypriano.* Item, ſed Teutonico Idiomate, *De ſancta ac perfecta vita Beatiſſimæ Virginis* Mariae. *De Catholico cæleſti vivo & vivificante vino. De vivificante cæleſti pane* Jesu *Chriſto.* Scripſit etiam *Speculum ac praxin charitatis. De Coronatione venerabilis Sacramenti. Dialogos* item *aliquot ſacros de miraculis hinc inde per interceſſionem glorioſæ Virginis Deiparæ editis.* Vir ſæculo ſuo melior, candidus planè, ac uti Symbolum ejus erat, Columbularum inſtar, ſine felle. Obiit anno Domini 1615. Succeſſit Arſenius Joachimus Schayck. Scripta ejus, tametſi pietatem ſpirent, & non vulgari doctrinà paſſim referta ſint, majori in pretio apud omnes forent, ſi non iis Rythmicos hinc inde verſiculos, & minutularum rerum narratiunculas inſperſiſſet.

Cornelius Jansenius Hulſtenſis, trium præcipuarum linguarum perfectà cognitione illuſtris, tripliciſque Philoſophiæ ſtudiis clarus, ſapientiæ amator ardentiſſimus, & ejus inquiſitor ſtudioſiſſimus, ſingulari prudentià, eximio rerum uſu, in primis verò ſummo Religionis ac pietatis ſtudio decoratus Lovanii in Caſtrenſi pædagogio Philoſophiam, deindè ſacra ſtudia in majori Theologorum Collegio ſectatus eſt. Pòſt Lectoris munus in Tongerlo Præmonſtratenſis in Brabantia Ordinis Abbatia, per annos plus minus duodecim implevit, tantoque ferè tempore apud Cortracenſes Paſtor Eccleſiæ ſancti Martini fuit. Lovanium reverſus Decani dignitate apud Divum Jacobum ornatur, & ſacræ fit Theologiæ Profeſſor. Ad Oecumenicam Tridentinam Synodum à Philippo rege Hiſpaniarum ſimul cum Michaële Bajo & Joanne Heſſelio miſſus, in 25. ſeſſione, quæ ultima fuit, in qua actum eſt de Purgatorio, Invocatione, Veneratione ac Reliquiis Sanctorum, de ſacris denique Imaginibus, aliiſque controverſiis, perſpicaciſſimi ingenii & ſingularis doctrinæ ſibi famam comparavit. Mox à reditu conſtituitur primus Gandavenſium Epiſcopus. Anno 1559. Comitis Flandriæ Philippi regis Hiſpaniarum ſalubri conſilio per univerſum Belgium inſtituti ſunt, & à Pio Papa Quarto confirmati Epiſcopi: qui in matricibus urbibus gregi Dominico vigilanter præeſſent contra Hæreticorum techuas ac incurſus. Epiſcopi enim priores nimis latas ac patentes Diœceſes habebant, quibus vix, turbulentiſſima, videlicet in Eccleſia, tempeſtate excitata, ſufficere videbantur. Scripſit auctor ſanè ἀξιόπιστος, & non violandæ auctoritatis *Commentaria in Eccleſiaſticum*, impreſſum Lovanii 1569. Volumen grande Evangelia, quod *Concordiam Evangelicam* appellamus, quod Theologorum totius orbis calculis probatum laudatumque eſt, quod in Epitomen redegit frater Matthæus à Caſtro Inſulenſis in Cœnobio Falempinenſi Canonicus. *Paraphraſim* quoque *in omnes Pſalmos Davidicos* emiſit cum argumentis eorum & annotationibus. Item *Paraphraſin in ea veteris teſtamenti cantica, quæ per ſingulas ferias, Eccleſiaſticus uſus obſervat, Commentaria* etiam in *Proverbia & Eccleſiaſten Salomonis.* Index in ejuſdem Commentarios in Pſalmos, Proverbia, Eccleſiaſten, impreſſus cum Commentariis in Eccleſiaſticum, editus eſt à Petro Simonis Tiletano Iprenſium Epiſcopo. Scripſit denique *Adnotationes* luculentiſſimas *in librum Sapientiæ Salomonis.* Senio demum & laboribus contritus, ex hac mortali & corruptibili vita, ad præſtantiorem immortalemque tranſlatus eſt, anno 1576. 3. Idus Aprilis, imminente jam Belgis calamitoſiſſimo fidei in Deum Regemque naufragio. Tumulatus

in

in Eccleſia ſua Divi Bavonis, Epigraphe hac ſepulchro inſcriptâ:

Præclariſſimis tum litterarum omnium, tum veræ Religionis dotibus, Ornatiſſimo Viro D. ac Magiſtro Cornelio Janſenio ab Hulſt, S. Th. Doctori, hujuſque Eccleſiæ primo Epiſcopo, qui poſtquam totum penè octennium, populum non minùs publicâ privatâque doctrinâ, quam ſingularis pietatis exemplo inſtituiſſet, Deceſſit 3. Idus Aprileis, anno Domini M. D. LXXVI. *ætatis ſuæ* LXVI. *bonis doctiſque omnibus magno ſui relicto deſiderio.*

Elegantia illi Epitaphia ſcripſit Franciſcus Hæmus Poëta Inſulenſis, virumque omni laude digniſſimum impenſis encomiis, omnes probi doctique proſecuti ſunt, ut novis hic elogiis egere nequaquam videatur: unum de eo dicam, quod intellexerit ſummus hic vir, quantopere linguarum ſcientia, quæ à quibuſdam hiſpidis maleque cordatis Theologis neglectim habetur, ad abſolutam ſacræ paginæ cognitionem, & interpretationem requiratur. Maxæmilianus Vrientius defunctum Verſibus honoravit, quod apud Miræum videre potes. Scripſit & illi Epitaphium in hunc modum Petrus Simonis Iprenſium, ut antè dixi, Epiſcopus.

Ab Præſul venerande nimis, ſublate dolendo
Interitu! ab mortis triſtia fata tuæ!
Sic miſerum ſine patre gregem, & paſtore relinquis?
Nec quibus obruimur te mala noſtra movent?
Vade tamen revocante Deo, & cœleſtibus olim,
Quæ totâ optaſti mente, fruare bonis.
Hoc age dumtaxat, ut qui te in honore ſequetur,
Diſſimilis non ſit moribus ille tuis.

S. COLUMBANUS Origine Hibernus venit Gandavum, & ibidem recluſus in magna vitæ ſanctitate Deo ſervivit, teſte Fabritio, in libris veterum Poëtarum Chriſtianorum. *Scripſit Carmine Hexametro Epiſtolam ad Hunaldum diſcipulum, in qua deteſtatur avaritiam.*

CORNELIUS MANILIUS, Gualteri Manilii Typographi Gandavenſis ſanè politiſſimi pater, & ipſe Typographus, Latinis etiam litteris apprimè excultus. Scripſit inter alia, Typiſque ſuis 1558. evulgavit, Latinè, Gallicè & Teutonicè, *Pompæ triumphalis*, Philippo ſecundo Hiſpaniarum Regi, cùm iſtic velleris aurei comitia celebraret, Gandavi exhibitæ *partem: Drama* item *vernaculum de morte.*

CORNELIUS GUALTERUS, vulgò Wauters, Patritius Gandenſis, Joannis Viri clariſſimi in Curia Flandriæ Conſiliarii, Domini de Vinderhoute & Merendre filius, Canonicus Divi Donatiani Brugis, ac individuus ſtudiorum Georgii Caſſandri Comes, *Emendavit* & annotationibus illuſtravit *Hegeſippum de Bello Judaico* & excidio urbis Hieroſolymitanæ, cujus Hiſtoria à Machabæis ad annum Chriſti LXXII. protenditur.

Hiſtorias Hegeſippe tuas obſcurior ætas
Infami fuerat paſſa jacere ſitu.
Dum tamen offenſo videt hoc Walterus ocello,
Latiùs indignam non tulit ire luem.
Protinus at medicâ componens Pharmaca dextrâ,
Curavit ſtupidi vulnera fœda mali.
Ergò quod immenſum peragres jam ſenior orbem,
Debebis Patriæ totum Hegeſippe meæ.

CORNELIUS MARIUS Leonardi Marii Theologi Colonienſis præſtantiſſimi pater, *Vertit* è Gallico in Teutonicum Idioma *Enchiridion Confraternitatis S. Joſephi*, in Eccleſia S. Salvatoris Gandavi rogatu Sereniſſimorum Archiducum Auſtriæ Alberti & Iſabellæ, & auctoritate Apoſtolica inſtitutæ, illudque piis ac elegantibus quibuſdam vernaculis verſibus auxit. Gandavi apud Auctorem 1624.

CORNELIUS MARTINIUS, Scripſit Gallico Idiomate *Genealogias & ſeriem Saltuariorum Comitumque Flandriæ*, cum brevi hiſtoria eorumdem ex melioris notæ Chronographis, ad Sereniſſimos Belgarum Principes Albertum & Iſabellam. Impreſſit Antverpiæ cum Iconibus Joannes Baptiſta Vrientius.

CORNELIUS REKENARIUS, Philologus, vir eruditus: *Varios* etiam vernaculo idiomate *verſus* ſcripſit. Laudat eum non uno loco Daniel Heynſius. Meminitque ejuſdem cum laude David Lindanus in Oda Gandenſium Poëtarum Encomiaſtica, quam Tragœdiæ Jacobi Cornelii Lummenæi à Marca præfixit. Hactenus tamen nihil ipſius editum videre contigit.

DANIEL HEYNSIUS, Publicus hiſtoriarum in Academia Lugduno-Batava profeſſor, magnâ eruditionis & ingenii famâ clarus, quam ſi fœdâ impiâque Calvinianorum Dogmatum, quibus adhæret, novitate non obſcuraret, ſummis Europæ Heroibus

roibus meritò comparari, nedum anteferri poſſit. Scripſit multa tum proſâ tum verſu, quorum unumquodque politum, eruditum, ingenioſum, numeris omnibus abſolutum, non immeritò Valerius Andreas in Bibliotheca vocat, & eorumdem Catalogum recenſet. Opus ingens *De diſciplinis veterum*, quod *Ariſtarchum* nominat, ac *diſſertationes Platonicas* molitur. Interim paucis id ego ſummo Viro adprecor, ut ſicut eum nunc eximiis naturæ ornamentis, ita cœleſtibus aliquando gratiæ donis illuſtrem, ac eâ, quæ ad æternam ſola fœlicitatem ducit, fide præditum videamus.

Daniel de Gerardimonte tertius fuit Abbas Cœnobii Cambronenſis, Divo Bernardo familiaris, Sanctitate vitæque integritate conſpicuus.

David Lindanus, ante annos aliquot ludi litterarii apud Teneramundanos moderator, nunc Territorii Teneramundani Actuarius, cui ſummam ingenii & doctrinæ laudem ſine injuria nemo negaverit. Scripſit, ediditque primùm, *Orationem de inſtitutione & dignitate hominis* luculentam. Deſcripſit & *Teneramundam ejuſque Territorium*, quæ omnia Typis ſuis Hieronymus Verduſſius Antverpiæ Typographus evulgavit. Habet & *varios verſus in commendationem Phyllidis*, more plurium Poëtarum; quos utinam aliquando hiſce nugis & ineptiis avulſos, *ut caſtos decet & pios Poëtas*, ad ſeria magis, & homine Chriſtiano digna incumbere videamus; ſed de hoc pluribus aliàs. Habet & in ſchedis *pro nuditate contra veſtes Paradoxon. Tres item libros diſſertationum*, quales olim ſcripſit *Petrus Mexias Hiſpanus Vir illuſtris*, & hac tempeſtate Antonius Verderius & Ludovicus Guyonius Galli. Earum Primus ſacra, Secundus Politica, Tertius Ethica continet documenta.

Dionysius Harduinus, Franciſci frater, Juris utriuſque Doctor, & Cauſſarum militarium per Flandriam auditor; Vir fuit lectioni ac laboribus litterariis deditiſſimus, quod variæ propriâ etiam ejus manu conſcriptæ lucubrationes teſtantur. An in vita quidpiam ediderit hactenus ignoro. Multa ſtudiorum ſuorum monumenta hæredibus relicta ſunt, & ab his ad alios tranſierunt. Ejus *De nobilitate tractatum* edidit Joannes Dhollanderus, penes me liber eſt *De laudibus Heroum Gentis Vitelliæ*, quæ Tipherni in Italia dominatur. Scripſit *De Cancellariis Burgundiæ, De vitis Præſidum Concilii Sanctioris in Belgio. De originibus nominum, De nobilibus familiis per Europam, Elenchum Illuſtrium Scriptorum Flandriæ, Elogia* item *Gentis Farneſiæ. De titulis ac Principibus Regni Neapolitani, De Præſulibus ac Magnatibus Hiſpaniæ, De Epiſcopatibus Galliæ, Inſcriptiones ac titulos Cæſarum Romanorum, De vitis Præſidum Curiæ Provincialis in Flandria, Epitaphia paſſim collecta varia*, ac *Inſcripta ſepulchralia, multaque alia his ſimilia.* Paulo Manutio Aldi filio, aliiſque in Italia & alibi maximis viris, uti ad eum, & ab eo ſcriptæ litteræ teſtantur, innotuit.

Everhelinus Abbas, primùm Altimontenſis in Hannonia, pòſt Blandinienſis Gandavi in Flandria. Scripſit *Vitam B. Popponis* cognati ſui & Abbatis Stabulenſis, quod eſt Ditionis Leodicenſis Monaſterium. Exſtat apud Surium 25. Maii. Electus eſt autem Blandini Abbas Everhelinus, vel ut in ejus loci Chronicis legitur Everelinus, anno 1058.

Eligius Eucharius Poëta, *Carmine Elegiaco & Ovidiano reddidit Apologiam Rythmicam Annæ Bynſiæ Virginis Antverpienſis pro fide Catholica Romana adverſus Hæreticos.* Antverpiæ apud Guielmum Vorſtermanum anno 1528. & 1581.

Eligius Houcarius, Gandenſis Poëta ſui temporis non infœlix, Pariſiis anno 1504. in Collegio montis acuti promotus, ſub Ludovico Cornelio Hiſpano, quo tempore Natalis Beda ejuſdem Collegii primatum geſſit. Scripſit Elegiaco Carmine *Vitas ſanctorum Levini Martyris, Bertulphi Confeſſoris, Poëma in Coletam virginem, Dialogum Charitis & Gandæ in Carolum Quintum electum Imperatorem.* Fuit ludi litterarii moderator, habuitque Georgium Caſſandrum Hypodidaſcalum. Ædes incolebat Gandavi in monte arenoſo. Floruit inſigni diſcipulorum turbâ, qui poſtmodum ſuo haud minores præceptore fuerunt. Ejus Opera edita primùm in Ædibus Aſcentianis Gandavi, 1511. Item Gandavi in Lince, 1513. Etiam Antverpiæ, ut Griſelis, per Michaëlem Hillenium 1519.

Engelbertus Dhollanderus, Societatis Jesu Sacerdos, vir undequaque doctiſſimus, Gandavi florentiſſimè Rhetoricam docuit; *Varia tum metrò tum proſâ ſcripſit, Dramata quoque multa exhibuit.* Scripſit & vitam Henrici Cæſaris, & Cunegundis ejus uxoris, qui admirabili caſtitatis exemplo, virgines in conjugio permanſêre. Parat egregium *De antiquitatibus Gordunis volumen*, ac interim etiam inter hæreticos, juſſu ſuperiorum degens, pro Dei gloria & animarum ſalute gnaviter ſe gerit.

Eustatius Levinus Abbas Divi Bavonis, cujus honorificam facit mentionem J. Baptiſta Gramajus cap. 54. Antiquitatum Gandavenſium. Plura vide in Catalogo Abbatum Bavonianorum, quem libro primo rerum Gandavenſium reperies.

Franciscus Capronius, Ordinis Fratrum Prædicatorum, S. Theologiæ Doctor, & apud ſuos in Academia Lovanienſi Profeſſor, nec ſæcularibus, minùs quàm ſacris diviniſque litteris excultus, præter varios hactenus, quos in amicorum gratiam præcipuè conſcripſit, edidítque magna ingenii acrimonia, ac ſtili elegantia *Verſus:* nuper Gulielmi à Tongris Bibliopolæ Antverpienſis prælo ſubjecit quæſtiones, ut ait, diſputatas, cum orationibus aliquot ſacris.

Franciscus de Nova Curia, vulgò Nieuwenhove, olim Conventus Gandenſis Ordinis S. Franciſci, Brugenſis & Dunkerkani Guardianus, Conventus item Gandavenſis Lector, & Concionatoris munere in ampliſſimis Flandriæ civitatibus egregiè functus, animum ad ſcribendum adpellens, reliquit *Concionum Tomos tres.* Primus, Sermones in totius anni Dominicas continet. Secundus, Evangelia de Sanctis explicat. Tertius, Ferias Quadrageſimales, cum explicatione Dominicæ Paſſionis, *Commentaria in Epiſtolam ad Epheſios*, *Alterum Quadrageſimale de militia. Expoſitionem in Hymnum, Gloria in excelſis Deo, In hymnum, Veni ſancte Spiritus. Tractatum in Orationem Dominicam, In Symbolum Apoſtolorum. Collationes quatuor ad Sacerdotes in primitiis*, *Tractatum de Virginibus & Viduis*, ex utroque teſtamento deſumptum, *De Viſu item & adſpectu Dei*, *Sermones in profeſſione Monachorum*, *De fructibus Spiritus*, *De ſeptem doloribus glorioſæ Virginis* Mariae, *Axiomata de ſeptem Eccleſiæ Sacramentis in uſum Juvenum*, *Oeconomiam Chriſtianam*, in qua agit de ſocietate conjugali, herili & externa, *Expoſitionem regulæ Fratrum Minorum*, *De caſibus reſervatis Epiſcopis à Jure*, *conſuetudine & ſtatutis Synodalibus.* E vivis exceſſit Gandavi anno Domini 1562. Sepultus ex adverſo Capituli.

Franciscus Harduinus, Juſti pater, quem hiſce libris inſertum varia præſtantioris ingenii opuſcula commendant. Vir fuit ad Poëſin, & artes æternitati ſacras natus. Gallia Juvenis peragravit, & Lutetiæ Pariſiorum aliquandiu cum Ludovico Lautio, aliiſque Concivibus ſuis, ſtudiorum gratiâ, hæſit; ubi & Adriano Turnebo, Joanni Aurato Gallandio, aliiſque ſummis in Gallia viris innotuit, atque ob elucentes in Juvene ingenii ſcintillas carus fuit. Scripſit *varias Odas*, *& Elegias ſingulari mentis acrimoniâ*, *& ſtili laude.* Exercuit & ingenium in Teutonicis verſibus componendis; tantâ ſanè felicitate, ut in hac urbe hactenus ego viderim neminem, ni forte filium excipias, qui æquare, nedum ſuperare potuerit. Vertit etiam in Idioma Belgicum, *Anacreontem Teium*, Vatem ſcilicet illum Siculo melle & ſeſamo ſuaviorem: Omnia apud filium in ſchedis latent, digna profecto, quæ lucem videant, & ab omnibus legantur: quod fieri facilè poſſit, ſi amœnior hiſce ſtudiis, & faventior, per hujus ævi deplorati faſtidia, & imminentem barbariem aura adſpiraret.

Non aliis titulos tales dabit, ut tibi quondam
Ganda dedit magnis Inclyta ab ingeniis:
Qualis adhuc nullos manet emoritura per annos,
Doctrinæ laus & gratia rara tuæ:
Ut Franciſce vagum qua Titan currit in orbem
Gordunæ fidicen non taceare Lyræ.

Franciscus Himannus, Gandenſis Poëta laureatus. Memoratur à Ludovico Guicciardino in Flandriæ deſcriptione. Vidi & ejus *Epiſtolam elegantem ad litterarum ſtudioſos inſertam Griſeldi Eligii Eucharii.*

Franciscus Martinius, politiſſimi ingenii adoleſcens, & ad ſumma natus. De eo vir maximus & in omni litteratura verſatiſſimus Antonius Delrio Societatis Jesu Presbyter in Commentariis ad actum ſecundum Hippolyti apud Senecam in hunc modum: Tertius (nempè Codex manuſcriptus Maximiani, qui vulgò Cornelius Gallus, ſed malè, fuit Franciſci Martinii Gandenſis amici mei intimi, in quo adoleſcente, omnia bona erant, quæ laudabilia dicit magnus Ariſtoteles. Sciunt hoc, quotquot illo familiariter uſi fuerunt. Cæteris fidem feciſſent ejus in omnia Senecæ Philoſophi opera doctiſſimæ annotationes, quarum ſpecimen vidi, & Petrus Suffridus in annotationibus ad officia Ciceronis meminit. Sed illum nobis in ipſo juventæ flore, non ſine mœrore omnium mors eripuit. Ferenda quidem mors, quod omnes eâ lege vivimus, ut noſtra commoda publicæ utilitati poſtponamus. De Martinio ſanè meritò mihi videor ceciniſſe.

Ferte pios manibus Juvenes ac ſpargite flores:

Digitized by Google

Flos Juvenum meritam marcuit ante diem.
Quid nocuit Juveni? virtus, ſapientia, mores
Hæc fecere, ſenem crederet ut Lacheſis.

Ita ille; nos pro adfectu:

Ante diem Franciſce cadis, ſed tempore nullo
Indolis, & famæ laus moritura tuæ.

Franciscus Goethalsius, aliis Eucolus dictus, Poëta, *libello* Franciſci Panegathi Brugenſis de fœlice & infœlice Republica, *Carmen præfixit*, & Gallicè emiſit *librum proverbiorum Gallicorum ac Flandricorum*, quem Chriſtophorus Plantinus typis ſuis evulgavit.

Franciscus Rufelartius Dominicanus, ac Gandavenſis Monaſterii Prior. Edidit *Expoſitionem Orationis Dominicæ linguâ vernaculâ*, Catecheſi & captui puerorum accommodam. Gandavi apud Gualterum Manilium anno 1592.

Gedericus Monachus Blandinienſis, pariter pietate & ingenio clarus, & loco natus honeſto, multis per Flandriam ac Brabantiam habitis concionibus, emendandis moribus plurimum attulit momenti perfecitque ut multi à ſceleribus ſuis retracti, converterentur ad pœnitentiam. Sex milites Geldulphum, Theobaldum, Emelinum, Hagerum, Ulbodum ac Gerardum ad Hanonem Pontificem Agrippinenſium miſit pro criminum remiſſione. Qui mox conſilio illius reverſi ad Afflighem in ſolitudinem, cellam eo loco conſtruxerunt ac juxta inſtitutum Benedictinorum Monachorum vixere. Hoc initium fuit Cœnobii Afflighemienſis. Sic Meyerus ad annum MLXXXIII. ſub Roberto Friſio.

Georgius Castellanus, Eques Gandenſis, Scripſit Gallicè *Hiſtoriam de vita, rebuſque geſtis Philippi Boni, Burgundiæ, Brabantiæque Ducis*, qua uſum ſe in hiſtoria ſua concinnanda ſcribit Pontus Heuterus. Obiit eo ipſo tempore quo Carolus Audax Philippi Boni filius Noveſium obſidebat, ut in Chronicis ſuis teſtantur Joannes Molinetus ejus diſcipulus. Conditus in aula Comitis juxta Valentianas Hannoniæ Oppidum.

Georgius Chamberlinus, J. U. Licentiatus Eccleſiæ Cathedralis S. Bavonis Decanus, Doctrinâ ac virtute clariſſimus, præter ea quæ premit hactenus: Scripſit *Carmen in Commendationem Carceris Babylonii* Tragædiæ I. Cornelii Lummenæi à Marca. *Aliud item in Catechiſmum Maronianum P. Ægidii Bavarii Societatis* Jesu *Presbyteri.* Scripſit & *Orationem funebrem in exequiis Alberti Pii Belgarum & Burgundionum Principis*, habitam Æde Cathedrali. *Varias item orationes eruditas & elegantes habuit in Laudem B. Virginis Mariæ apud Parthenios Sodales* in ſacello ejuſdem Societatis Gandavi.

Georgius ab Halewino Toparchus Halewynii & Cominii, Eques Flandrus, vetuſtæ & nobiliſſimæ Stirpis (ut ait Harduynus.) Unde tanquam ex equo Trojano prodierunt plurimi Viri, armis, magiſtratibus, maximis in Rempublicam meritis, & doctrinæ gloriâ præſtantes. De quibus opidò ſatis diximus in hiſtoria familiarum Flandricarum. At hic noſter vir numquam ſatis laudatus & humaniſſimus Doctorum Virorum Mœcenas, & idem Orthodoxæ fidei propugnator fuit; Ediditque *librum contra Martinum Lutherum.* Ad illum exſtant Eraſmi, Ludovici Vivis & aliorum illius ſæculi Doctiſſimorum hominum Epiſtolæ, & ... *Encomium quoque Mariæ* ab eodem Eraſmo Latinè conſcriptum, *Gallicum fecit*, de qua re Eraſmus ad illum lib. 3. Epiſtolarum. Scripſit & *Reſtaurationem linguæ*, quam Simon Cocus impreſſit Antverpiæ 1533. *in libros ſex diviſam.* Primus eſt de Concordia Grammaticorum. 2. De eruditione puerorum. 3. De libris per ordinem legendis. 4. De vera elegantia, de arte epiſtolica, ac de puerorum epiſtolis primis. 5. De ſententiis Ciceronis ex Epiſtolis ejus familiaribus, hujus ætatis epiſtolis convenientibus. Auctor opus dedicavit Joanni Deſpauterio Ninivitæ Cominienſis ſcholæ ludi magiſtro anno 1580. ſed multis pòſt annis preſſit. In eo miranda videbit Lector nova & inaudita, ac omnium ferè Grammaticorum recentium ſcriptis, & opinionibus contraria. Docet enim omnes ferè Grammaticos, qui poſt Adrianum Imperatorem vixere ab anno Chriſti 150. de lingua Latina & puerorum inſtitutione maximè deceptos fuiſſe, vanumque eſſe laborem eorum, qui per artem Grammaticam, & analogiam regularem in lingua Latina procedere nituntur, ſed Latinè dicit pueros diſcere debere uſu & lectione veterum ſcriptorum. Idem ſcripſit *in Virgilium annotationes*, ubi Servii expoſitiones ſæpè convellit, uti ipſe teſtatur, cap. 6. L. 1. de reſtauratione linguæ Latinæ. Item aliud *opuſculum de Muſica*, in quo etiam multa nova & inaudita adducit, uti idem teſtis eſt, dicto lib. 1. cap. 10. Huic Joannes Deſpauterius Ninivita excellens Gram-

Digitized by Google

maticus illi dedicavit illam στιχολογίαν ſeu artem verſificatoriam, in Epiſtola operi præfixa tribuit Georgio in litteris delicatiſſimum palatum, acerrimam cenſuram cui nihil non exactiſſimum placeat, ac inſuper profitetur, quod quidquid in lingua Latina profecerit, totum eſſe Georgii, ex quo plus didicerit quam ex alio quovis præceptore. Abeſt (inquit ibi Deſpauterius) verbo aſſentatio, id novit Deus. Extat Epiſtola Judoci Badii Aſcenſii præfixa operibus Angeli Politiani, ſcripta ad antiquiſſimæ nobilitatis, ſummæ virtutis & excellentis Sapientiæ Ambianorum Epiſcopum digniſſimum Franciſcum Halewinum, Data Pariſiis Idibus Novembris 1517. in qua ſcribit Badius id Haliwinæ domus proceribus peculiare ornamentum, ac decus omnium conſenſu dari: ut clariſſimis natalibus, ſummis opibus, & incomparabili generis ſplendori optimarum litterarum ſtudia adjungant. Peragravit Georgius Germaniam, Bohemiam, Hungariam, & Hiſpaniam. Scripſit & *Opuſculum de Coronatione Imperatorum*, aliud item *de laudibus eloquentiæ*. Bibliothecam celeberrimam collegit, quam in Arce Cominienſi aſſervatam inde tranſtulit Princeps Chimaii è domo Croia, per Connubium Cominii Dominus; anno 15.9. quo captum fuit Tornacum, Georgius in adoleſcentia ordines duxit, etiam à Cæſare, Caroli Quinti Orator, miſſus eſt in Angliam ad Henricum Octavum. Uxorem habuit N Noircarmiam formâ præſtantem, è qua quaternos liberos ſuſcepit, uxore defuncta cum animum adpellere videretur ad Sacerdotium: parum abfuit, quin crearetur Epiſcopus Tornacenſis. Obiit diem extremum anno 1537. phtyſi conſumptus Cominii in arce, ſepultuſque eſt Halewynii.

Gerardus a Mera Pictor, qui nitore & elegantiâ ſui penicilli ſuo tempore clarus fuit. Ejus mentionen Carolus Vermanderius, in ſuo de Belgii illuſtribus pictoribus volumine facit. Inter alias ejus, Lucretiæ Imago quædam eminuit, quæ Gandavo in Hollandiam per Livinum Tayarpum evecta, in manus venit Jacobi Ravardi Amſtelodamenſis magni elegantiarum admiratoris.

Gerardus Caselius, Giſberti Ammanni Gandavenſis frater, J. C. & Poeta non ingenii infœlicis. Scripſit *Epigrammata varia*, quæ à me lecta apud fratrem etiamnum latent; digna quæ lucem adſpiciant & volitent docta per ora virûm. Edidit *Epithalamium in nuptias* nobilium conjugum *Joannis Baptiſtæ Maſii* Regii ærarii in Belgio adſeſſoris, ac *Annæ de Blaſere.* In Curia Flandriæ Cauſſarum patronus fuit, ac per annos aliquot officio Judicis ſuburbani (locum tenentem civilem vocant) cum laude functus. Major indubiè in Republica aliquando futurus, ſi longiorem ei vitam Deus conceſſiſſet.

Gerardus Rymius, antiqua & Patritia Gandenſi Rymiorum ſtirpe natus, vir fuit, qui ſua præſtantia majores ſuos, etſi eos ſua non illuſtraſſent ſtemmata, claros reddere poterat. Scripſit heroico pede, *De laudabilibus quibuſdam avorum ſuorum factis poëma elegans & eruditum*, quod inter ſchedas Dionyſii Harduini Mſc. videre memini. Ipſi tale in Divi Michaëlis Gandavi Epitaphium eſt:

Clariſſimo viro eidemque antiqua nobilitate & Equeſtri familia ortundo Divo Gerardo Rym, Philippi filio, Domino ab Eeckenbeke, Regis Hiſpaniarum in Flandriæ Curia Conſiliario ordinario, ac unico interituri alioquin Rymiorum nominis, & gentis inſtauratori ac propagatori. Nam reliqui ejuſdem nominis aut illegitimi prognati; ac nobili D. Barbaræ Claiſſoniæ à Walebeke duæ ab Hundelghem parent. Optimus Dominus Carolus Rym eques auratus Dominus à Bellem, Schuervelt & Eeckenbeke, Conſiliarius aulicus Cæſaris Maxæmiliani Secundi, & ejuſdem apud Turcarum Principem Conſtantinopoli per quinquennium Legatus, ac poſteà dicti Regis Hiſpaniarum in ſuo privato Concilio Conſiliarius Franciſcus Rym Dominus ab Hundelghem, Levinus Rym Sereniſſimi Matthiæ Archiducis Auſtriæ Dapifer, & Domina Margareta Rym uxor D. Jacobi Wtenhovii liberi mæſti poſſ. Obiit 3. Dec. 1570. ætatis 73.

Gerardus Hoorembautius, Pictor itidem celebris, cujus apud eundem Carolum mentio fit, Henrici Octavi Regis Anglorum Stipendiarius fuit. Viſa fuit ejus in æde Cathedrali S. Bavonis, tabula, quam depingi curaverat Levinus Hughenoſius Abbas S. Bavonis, Chriſti Flagellationem & è cruce depoſitionem ſecundum artem repræſentans.

Gerardus Viverius, Gandavi natus, Scripſit *Comedias tres* Gallico Idiomate, Primam *De amoribus Theſei & Deianiræ; Alteram de fide nuptiali mariti & uxoris, Tertiam de Patriarcha Abraham & Agar* Antverpiæ excudit Henricus Henrici 1580.

Ghiselbertus Abbas Vigeſimus Eynhamenſis, Monachus Blandinienſis, Vir valde diſciplinatus, à ſuis Monachis in vincula conjectus, ac præter meritum

multa probra paſſus eſt, cùm prudens ac probus eſſet.

GHISELBERTUS QUINTUS Abbas Eynhamenſis, Monachus Afflighemienſis, cùm longo tempore Eynhamenſem rexiſſet Eccleſiam, fit Abbas Blandinienſis; Corpus B. Amelbergæ Virginis Blandinium tranſtulit 1134. Idibus Julii.

GILBERTUS DE OVIS, Ordinis FF. Prædicatorum, S. Th. Doctor. Scripſit *Commentaria in Lucam & Matthæum & Apocalypſin ſancti Joannis Apoſtoli.*

Quæ caſtus cœlo Juvenis cognovit aperto,
Per te etiam humanis illa patent oculis.

GISBERTUS VOLCARDUS, aliàs Demoſthenes, adoleſcentes patriæ ſuæ Græcis & Latinis litteris inſtruxit. Poëta & Orator non inelegans, multa veterum Poëtarum *vertit ex Græco in Latinum Epigrammata.* Scripſit *Elegiam in Aldenardiadem Eytzwertii* & alia multa moriens prælo mandanda reliquit abhinc paucis annis.

GISLENUS HAMMIUS Carthuſianus Gandenſis. Scripſit Carmine Heroico *Panegyricum in adventum Sereniſſimorum Principum Alberti & Iſabellæ Archiducum Auſtriæ in Civitatem Gandenſem.* Excudit Gandavi Gualterus Manilius.

GOSWYNUS DE BEKA, Profeſſus domus Carthuſiæ in Valle Regali juxta Gandavum, pòſt in Burgundia juxta Divionem Prior ſanctæ Trinitatis, J. U. Doctor ante ordinis ingreſſum, Vir prudentia, auctoritate ac vitæ innocentia conſpicuus. Fuit verò aliquandiu Provinciæ Teutonicæ Viſitator, libroſque aliquot, non ſolum in Jure Canonico, ſed & Theologia valdè inſignes edidit. *Epiſtolas* quoque *permultas eruditione elegantiaque plenas conſcripſit.* Meminerunt ejus cum magna laude A. Dorlandus ac B. Sutorius; Boſtius quoque in hunc modum: Inter optimos melior, inter doctiores doctior, inter ſapientes ſapientior, inter maximos major: erat utique Præco, interpres divini eloquii, Tuba Euangelii, Angelus pacis, amicus ſponſi, lingua muti, pes claudi, ſal terræ, patriæ lumen.

GULIELMUS A GANDA, Ordinis S. Benedicti in Cœnobio Audomaropolitano ad Divi Bertini Abbas fuit. Meminit ejus Joannes Baptiſta Gramajus cap. XXXIV. Antiquitatum Gandavenſium.

GULIELMUS A VALA. Ab eo nihil quidem hactenus publicà luce donatum vidi. De eo tamen Eraſmus Roterodamus Epiſtola ad Carolum Wtenhovium Kal. Februarii 1529. Baſileæ ſcripta ſic ait: Nec enim aliundè quàm Gandavo fœliciora prodeunt ingenia, nec expreſſiora priſcæ virtutis exempla. Quorum & hodiè ſuperſunt Ludovicus à Prato: de quo dubites litteris ſit ornatior an Stemmatibus; Gulielmus à Vala, cujus ingenio nihil excogitari poteſt dexterius.

GULIELMUS ABBAS TRUNCHINIENSIS, ut eſt in Chronico Ordinis Præmonſtratenſis per Miræum edito. Vir eruditus fuit, & ſoluta vinctaque oratione promptus. Scripſit *Poëmata plurima, in his & epigrammatum librum unum*, qui hodieque adſervatur. Cætera ejus opera anno 1566. Iconoclaſtarum furore perierunt. Vixit circa an. 1472.

GULIELMUS BIBAUCIUS, Patria quidem Tiletanus, ſed profeſſus Carthuſiæ Vallis Regalis propè Gandavum, ac poſteà ob inſignem virtutis ac prudentiæ opinionem ad Prioratum domus Hollandiæ propè montem S. Gertrudis aſſumptus. Vir talis fuit (Teſte Petreio) ut ignores quid in eo primùm admirari debeas, inſignemne ac raram eruditionem, an eximiam vitæ ſanctimoniam, unde & anno 1521. in totius Ordinis Generalem eſt electus ac idoneus judicatus, qui in illo ampliſſimæ dignitatis munere ſuccederet doctiſſimo illi viro Franciſco de Puteo, viro inquam uti aliis doctrinæ generibus excellenti, ita Juris utriuſque conſultiſſimo. Cæterùm quantà doctrinà ac pietate eloquentiàque & tam verborum ornatu ac ſplendore, quam rerum pondere inter ſui temporis hic Bibaucius præſtiterit, *Orationes ejus & conciones capitulares de vitæ ſpiritualis profectu conſcriptæ*, quæ in ſingulis pænè Ordinis domibus omnium manibus teruntur, pleniſſimè teſtantur. Fulmine territus & inſtar Beati Pauli divinitus vocatus, ut ait Petreius, ſacrum Carthuſiæ Ordinem ingreſſus eſt. Plura de eo apud eundem Petreium vide.

GULIELMUS BORLUTIUS, è nobili & vetuſta Borlutiorum ſtirpe Patritius Gandavenſis; in adoleſcentia ſcripſit *oratione verſâ hiſtorias memorabiles, ex Exodo ſequentibuſque libris*, quas impreſſit Lugduni Joannes Torneſius 1558. Refert Antonius Verdenus in ſupplemento Bibliothecæ Geſnerianæ & Iſrael Spachius Medicus & Profeſſor Argentoratenſis in nomenclatore ſcriptorum Philologicorum ac Philoſophicorum.

GULIELMUS COORENHUSIUS Balliolanus quidem nativitate, longà verò habitatione & incolatu Civis Gandavenſis J. C. nobili & vetuſta familia ortus. Primùm in Curia Hollandorum; deinde Flandrorum Conſiliarius, ac præſes fuit. Vir modeſtia, morum gravitate, prudentia ac magnis

Digitized by Google

magnis in Rempublicam meritis clarus. Adhuc Juvenis ſpecimen eruditionis ſuæ egregium dedit, *partitione ac methodo Pandectarum Juris Civilis in lucem emiſſa* quæ ſemel atque iterum Typis excuſa, Antverpiæ quidem per Chriſtophorum Plantinum, Gandavi vero per Jacobum Vivarium manibus Doctorum teritur.

Gulielmus Lindanus, Secundus Eccleſiæ Gandavenſis Epiſcopus, Damaſi filius (ut ore loquar Valerii Andreæ) Dordraci, anno 1525. in lucem editus eſt parentibus Catholicis Patriciis Dordracenis ac Lindæ (quæ anno 1422. communi inundationis calamitate involuta cum 71. Pagis maritimo æſtu abſorpta eſt) dominis, 12. annorum puer apud Meranos, Comitatus Hoochſtratani vicus eſt, triennium litteris melioribus operam gnaviter dedit, mox Philoſophiam Lovanii Porcenſi in Gymnaſio Joanne Bevero, Græcas in Trilingui Litteras Rutgero Reſiro ac Theodorico Langio, Latinas Petro Nannio, Hebraicas Andrea Baleno, *viris doctiſſimis præeuntibus feliciter* didicit. Theologiæ ſcientiam Ruardo Tappero, Judoco Tiletano, Jacobo Latomio ac Joanne Haſſelio anteſignanis ſingularem eſt aſſecutus. Inde in Galliam conceſſit, Rabbinorum commentariis ſcriptiſque uberius deguſtandis familiariſſimè hic Joanni Mercero, Joanni Straſelio, Adriano Turnebo, linguarum profeſſoribus aliiſque uſus eſt. Lovanium reverſus anno 1552. ſacræ Theologiæ Laurea inſignitur, alteroque pòſt anno ad excitatam tunc recens Ottonis Truchcii Epiſcopi Auguſtiniani Dilinganam Suevorum Academiam evocatus, per triennium ſacras in ea litteras docet. Lovanium revocatus anno 1557. Lauream doctoralem capit Denique ex Decano Hagæ Comitis, Conſiliario Regio Epiſcopatus Ultrajectini per Bataviam Friſiamque Vicario & in violatæ fidei reos quæſitore primus Ruremondenſium apud Geldros Antiſtes 1562. deſignatus ac conſecratus, ſeptimo demum pòſt anno in poſſeſſionem admittitur, admiſſus arduum inprimis ac periculoſum diſciplinæ Eccleſiaſticæ ac reformandi cleri negotium aggreditur. Simul iterumque exul, dum militum rabie ac tumultu plena ſunt omnia, anno 1578. relictis oviculis Paſtor Romam proficiſcitur, cujus adventus, Gregorio XIII. Pont. Staniſlao, Hoſio, Sirleto, cæteriſque Cardinalibus gratiſſimus accidit, uti & Regi Catholico in Hiſpania, quò cum Internuntio Apoſtolico profectus erat. Reverſus loca multa, peſte exhauſta reperit, è millibus aliquot vix viceſimum numerat. Quod tamen muneris ſui fuit præſtat; bonus paſtor oves diſperſas colligit, quia amat. Lindanus ut amare ſe oſtenderet oves quibus præeſſet, Diœceſim obit univerſam, ſubditos ore & ſcripto inſtruit atque in officio continet; altera Romam inſtituta profectione 1584. & abſoluta 1588. ad Gandenſem Cathedram promotus, vix trimeſtre ſupervixit, moriturque 1. Nonas Novembris, annos natus LXIII. fuit certè vir ille (Cardinalis Baronii elogium eſt in notis ad Martyrol. Rom. 13. Nov.) non tantùm omnis generis litterarum eruditione clariſſimus, verùm etiam, egregii confeſſoris fidei nobilitatus inſignibus: quippe qui exilia, proſcriptiones, ærumnas incredibiles ac mortes ferè frequentes inconcuſſo robore, fidei cauſſa ſuſtinuit. Quanti verò eundem fecerit Cardinalis ille vel ex eo liquidò conſtat, quod ſuas ad Martyrol Rom. notationes, publici uſus ac Juris facturus, prius eas unius Lindani judicio ſubjecerit. Reliqua de viri Innocentiſſimi & doctiſſimi vita, rebuſque præclarè pro religione orthodoxa geſtis, ac amplas & meritas ejus laudes vide apud Arnol. Haven lib. 2. toto de erectione novorum Epiſcopatuum in Belgio. Ubi & Luculentus operum Lindani index contextus eſt.

Gulielmus Neckerius Tiletanus, Juventutis ſtudioſæ Gandavi ſedulus moderator, aliquid & ipſe ſcripturiens *Propægnion* diſcipulis ſuis *ad cæteras Grammaticæ partes viam ſternens* reliquit.

Gulielmus Oonselius, Dominicanus, Theologus ac Conventus Gandavenſis Prior; edidit hactenus, quæ ſequuntur: *Paradiſus concionum olim ſermones ſenſati dictus*, complectens omnem doctrinam prædicabilem ſuper Epiſtolas & Euangelia totius anni. Summo ſtudio & indefeſſa opera ab innumeris mendis, tædiosiſque litterarum compendiis riſtitutus triplicique indice illuſtratus per R. P. Gulielmum Ooſelium Ordinis Prædicatorum S. Theol. Licent. & Lectorem, Antverpiæ apud Hieronymum Verduſſen. *Pratum floridiſſimum concionum de tempore F. Hugonis de Prato florido Ordinis Prædicatorum*, tomis quatuor Antverp. Apud Petrum & Joannem Belleros. *Conſolatorium animæ hinc emigrantis*, id eſt, ſuccincta methodus viſitandi ac conſolandi ægros, maxime circa mortis horam, Gandavi apud Cornelium Marium. *Enchiridion concionatorum ex Roſeto aureo Roſæ aureæ F. Sylveſtri de Prierio S. Theol. Doctoris*, Antverpiæ apud Gerardum Wolſchatium. *Syntaxis artis mirabilis prædicandi verbum Dei*. Antverpiæ apud Gulielmum à Tongris. *Conceptionum*

ſpiritualium officina ſacra locupletiſſima, in duas partes diviſa, in qua ſignificata litteralia, moralia, doctrinalia, allegorica & Myſtica, ſub quibus Anagogica & Tropologica omnium ferè dictionum ſacræ Scripturæ ordine alphabetico digeſta explicantur. Pars poſterior elucidarius ſcripturalis nuncupatur. Parat & *Conſolatorium Theologicum M. Joannis de Tambaro.*

Gulielmus Dives, vulgò de Rycke, Gandavenſis Poëta. Ejus extat *Carmen Elegiacum de paſſione Dominica*, artificioſæ pietatis pleniſſimum, quod inter illuſtrium Poëtarum opera impreſſit Judocus Badius Aſcenſius Pariſiis.

Henricus a Gandavo, Doctor Theologus cognomento Solemnis, ex antiqua Eutrachelorum familia (vulgò Goethalios indigetant) Gandavi quoque natus, Philoſophus acutiſſimus, & Eccleſiæ Tornacenſis Archidiaconus, tametſi ordinis Servorum, ut eſt in Chronico ejuſdem ordinis, cum in ſuæ Bibliothecæ ſacro adparatu annotet Poſſevinus. Sacras litteras Pariſiis in Sorbona longo tempore docuit. Scripſit *præter eruditos in Phyſica & Metaphyſica Ariſtotelis opera Commentarios, ſummam Theologicam atque ingens quodlibeticarum (ut vocant) quæſtionum volumen.* Libros etiam de *Scriptoribus Eccleſiaſticis* poſt Gennadium, Iſidorum, Euſebium, Hieronymum, alioſque non paucos evulgavit. Scripſit etiam *varios ſermones*, item *de pœnitentia librum unum, ac de ſervanda virginitate.* Obiit 1293. in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli, ſepultus in Eccleſia Cathedrali Tornacenſi. Meminit ejus Meyerus lib. x. Annalium in Guidone Dampetra, dicit quoque Marchantius in deſcriptione ſua lib. 1. hujus Henrici fratrem Joannem familiarem fuiſſe Philippo Pulico Galliarum Regi.

Henricus de Seclyn. Patritius Gandavenſis, vir doctiſſimus, uti eum Joſias Smilerus in ſua Bibliotheca vocat; *Carminum librum* fertur ſcripſiſſe, quem hactenus tamen mihi non contigit videre.

Henricus Franciscus vander Burch, Juris utriuſque Licentiatus, Patrem habuit Joannem vander Burch, poſt varias & illuſtres alias in Republica functiones, ſanctioris in Belgio Concilii præſidem, virum integerrimum, deque Belgicis rebus optimè meritum: primùm Decanus Eccleſiæ Metropolitanæ Mechlinienſis fuit, ejuſdemque Diœceſios Vicarius Generalis, ubi ſtrenuè pro Dei gloria & animarum ſalute laboravit. Poſteà ad Epiſcopatum Gandavenſem aſſumptus eſt, eandemque Provinciam magna prudentiæ & pietatis laude geſſit. *Synodum quoque Diœceſanam edidit*, in qua multa Clero, populoque Dei ſalutaria ſtatuta ſunt. Varia item quotannis ad meliorem præcipuè paſtoritii regiminis formam evulgavit. Demum non ſine magno Gandavenſium luctu, ad Cameracenſem Cathedram evocatus, egregius etiamnum iſthic in vinea Domini Sabbaoth operator eſt, & non minori zelo quam alibi, pro domo Dei inſtauranda, bonoque animarum promovendo, ardet & lucet illa præſulum gemma.

Henricus Hovvantius, Gandenſis Joanni Othoni viro doctiſſimo amicus, carmina plurima torrentis in morem rotundo ore ſæpe decantavit, ac verſibus extemporaneis inter præcipuè Genialis pocula Bacchi fœlix fuit. Scripſit Epigrammata quædam Typis commendata.

Henricus Mudanus, alius judicio Georgii Colvenerii Theologi & Cancellarii Duacenſis ab Henrico antè memorato, ac frater Joannis, inſignis ſuo tempore Theologus fuit, Philippo Galliarum Regi admodum familiaris. Hic à Baptiſta Gramajo juriſperitus fuiſſe perhibetur, cap. 34. Antiquitatum Gandavenſium.

Hermannus Verheyden, Origine Lovanienſis, cujus tamen longà habitatione, & Reipublicæ Gandavenſis medicus, præter exactam medicinæ ſcientiam, etiam in Politioribus litteris egregiè verſatus. Scripſit *duas elegias in adventum Perilluſtris viri Caroli à Burgundia.* Gandavi apud Gualterum Manilium 1619.

Hieremias Brachelius, Medicus præſtantiſſimus à Marchantio in deſcriptione Gandavi memoratus: Lovanii Medicinæ Profeſſor ac ſcriptor famæ non vulgaris, quædam *in Cornelii Celſi de arte medica libros commentatus eſt.* Laudatur multum à Gulielmo Pantino Epiſtola ad Senatum Brugenſem libris Cornelii Celſi præfixa.

Hilarius Bertulphus Gandenſis, Eraſmo Roterodamo à litterarum ſcientia charus, ad quem hujus extant aliquod eruditæ Epiſtolæ, & Eraſmi viciſſim ad Hilarium. Hic quodam die Eraſmo Gandavi è templo egredienti (cum ei nondum innotuiſſet) carmen obtulit tam plenum eruditionis, ut ille Carolo Utenhovio Markeghemio, qui ipſi latus claudebat, in aurem dixerit: Quis crederet hominem tam inſigniter deformem tam elegans carmen condere poſſe? cumque eidem poſtmodum ad prandium vocato dixiſſet: Lude mihi carmen cujus principium Naſus Bertulphi (erat enim longitudine conſpicuus, & rubentibus ardentibuſque notis, aſſidua po-

potatione exaſperatus) ex tempore Eraſmo ſatisfecit. *Multos* ſcripſiſſe etiam fertur *Ludicros verſus* Coloniæ impreſſos.

JACOBUS GANDENSIS Dominicanus. Hujus *extat Paſſio Domini noſtri* JESU *Chriſti magiſtralis cum gloſſa interlineari Alberti Magni & Eccleſiæ Doctorum ſententiis.* Floruit circa annum 1505. Hunc Valerius Gandavum Batavum facit. Sed Tigurina Bibliotheca Gandenſem.

JACOBUS BAVARIUS, Legum Doctor & in Curia Provinciali Flandriæ per annos plures Scriba: antè etiam in Academia Dolana cum Carolo Molinæo I. C. Galliæ clariſſimo earundem legum Profeſſor. Vir prudentiâ, rerumque civilium cognitione ac facundiâ præſtans. Nihil quidem, quod ſciam, hactenus in lucem emiſit, ſed ut cætera ſileam, vel ob hoc illuſtribus Reipublicæ noſtræ viris accenſeri debet, quod illo præſertim uno eadem curia uſa ſit, quo ſenſa ſcitaque Senatorum, frequentibus ad Principes & Magnates miſſis & ab ipſo dictatis elegantiſſimè Epiſtolis aperiret.

JACOBUS DE SOMERE, Gandavenſis, Adolphi filius, & Reipublicæ hujus Syndicus; Vir fuit prudens, & rerum politicarum apprimè gnarus. Scripſit varia Metrico præſertim ſtilo, & (quod mirandum) nocturnis præcipuè horis cùm per diem aliis occupationibus vacaret. Vidi hæc inprimis: *Heroicum poëma de legatione ſua*, quam ad Hanſeaticas Civitates Ordinibus Batavis confœderatas ſuſcepit juſſu Sereniſſimi Principis noſtri Archiducis Alberti. *Carmen item de Podagra*, qua affligebatur. *Elegiam*, ſed hæc Typis edita eſt, *in nuptias Philippi Julii Byveſtachii Pomeraniæ Ducis*; *Elegiacum item Poëma de gradibus, quibus ad Deum itur*, item *de exſiccatione paludis in Weſtflandria.* Item *de aggere Albertino undis excluſo*, quà in re induſtriam ſuam probavit. Vertit item *Libellum aureum Thomæ à Kempis de Imitatione Chriſti Heroicis verſibus*, & multimodis modis verſum hunc admirabilem:

Crimina quot mundo, tot ſunt tibi vulnera Chriſte.

Scripſit & *De legatione ſuâ Angelica obita juſſu Senatus Hamburgenſis*, paciſque inter Anglos & Hamburgenſes initæ potiſſimum auctor fuit. Scripſit etiam *Heroico Carmine vitam ſuam ab anno ætatis decimoquarto*, Rationes item, cur Ryhovius homo peſſimus exauctorari deberet, cum ab eodem in carcerem conjectus eſſet; *vertit etiam in Latinum ſermonem varias Epiſtolas ſacras Matthæi Wierii, de multis Religionis Chriſtianæ dogmatibus* tractantes. Item de vera hominis per pœnitentiam regeneratione. Illa omnia in ſchedis Mſc. apud filium Philippum LL. in Academia Duacena ſtudioſum latitantia vidi.

JACOBUS CORNELIUS LUMMENÆUS A MARCA, Ordinis ſancti Benedicti in monte Blandinio Sacerdos, vir elegantis ingenii, & utriuſque ſtili præſtantiâ eximius, quem genuinam Muſarum & Apollinis ſobolem vocare poſſis. Scripſit *hactenus Tragœdias varias*, tantâ & tam rarâ fœlicitate, ut ab ipſa Melpomene ad Heroicam hanc & maſculam ſcribendi rationem auctor formatus eſſe videatur. Illæ ſunt *Jephte ſive votum* Hebræi illius Ducis temerè factum, & impiè impletum, ut Divus Hieronymus ait. *Amnon ſive ſtuprum Sororis Thamar* ab Abſalone acri ultione percuſſum. *Buſtum Sodomæ* & impurarum illarum Civitatum excidium. *Carcer Babylonius*, ſive cædes liberorum Sedechiæ Regis, & exoculatio ejus in Reblatha. *Abſalon*, ſeu miſerando exitu clauſa in patrem Davidem Abſalonis filii rebellis. *Saul*, *Abimelech*, *Anaſtaſius* ſive perfidia fulminata. Edidit & *varios verſus* apud Philippum Dormalium Lovanienſem Typographum, *Orationes ſacras* octo proſa ſcriptas, *Elegia item Ducum Burgundiæ* & Brabantiæ, quæ ad Carolum Audacem producta, vel idem auctor vel alius quiſpiam ſpero ulterius ad Philippum quartum Hiſpaniarum & Indiarum Regem Catholicum hodiè fœliciter regnantem pari laudum ubertate diducet. Scripſit & *Pleiadem ſacram orationibus ſeptem*, *ac Coronam virgineam orationibus conſtantem duodecim*, quæ de laudibus Virginis Matris potiſſimum tractant. Evulgata eſt & *Lampas virginea* ſive oratio de Encomio Virginis in feſto Luminum dicta. Habet & præ manibus *Hecatombem*, ſive *Homilias centum*, de variis religionis Chriſtianæ myſteriis. Quas ex iis homilias ego legi, hæ ſunt: Torcular, ſive Chriſtus patiens. Bonus Paſtor, dicta pro Encomio boni paſtoris in Comitiis Generalibus congregationis Belgico-Benedictinæ exemptæ habitis, in monte Blandinio 1620. Parthenii flores ſive homilia in feſto *Miſſus* dicta. Corolarium Apoſtolicum ſive Panegyris ſacra, Apoſtolorum Principibus adornata. Lacrymæ Homilia Chriſto paſſo dicta. Faſciæ ſive Crepundia JESU Chriſti in Bethleem nati. Lingua ignea ſive homilia dicta in vigilia Penthecoſtes. Cineres, Homilia feria quarta cinerum dicta. Triumphus Virginis, Homilia in feſto Aſſumptæ Virginis dicta. Suſpirium amoris, Homilia Chriſto naſcituro in vigilia

lia Natalium ejus dicta. Sancti, Homilia ſacra pro Encomio Omnium Sanctorum dicta. Caverna maceriæ, Homilia Chriſto patienti dicta. Tripudium Sanctorum. Homilia ſacra dicta in vigilia omnium Sanctorum. Roſarium. Homilia ſacra dicta pro Encomio Annunciatæ Virginis. Tuba Angelica ſive Manes extremi Judicii. Margarita Evangelica ſive Encomium paupertatis, homilia dicta in laudem Divi Benedicti. Ludibrium vitæ humanæ, ſive homilia dicta feriâ quartâ cinerum.

Jacobus Hammius l. C. & in Curia Flandriæ Cauſſarum Patronus, Ægidii Brakelmanni in eodem Comitio Cauſſarum Patroni, viri facundia clari, gener, Poëſios ſtudio delectatus. Scripſit *Epigrammata multa & Epitaphia* in lucem emiſſa. Plura apud hæredes latent publico Indubiè digna.

Jacobus Heyndrix Presbyter S. Th. Licentiatus & Eccleſiæ Parœcialis de Merelbeke in diœceſi Gandavenſi Paſtor, ſcripſit vernaculo Sermone vitam Divæ Amelbergæ virginis, Dominæ olim Tamiſienſis & in Materen ditionis Aloſtanæ pago, eamque è Latino Theodorici Abbatis S. Trudonis ex ſententia R. P. Heriberti Rosweydi codice, notis ac ſpiritualibus documentis illuſtravit. Adjuncta eſt & diſſertatio de pio ſacrarum imaginum uſu. Gandavi apud Alexandrum Serſanders 1624.

Jacobus Reymolanus Flandrus, Gandenſis Cœnobii Carmelita, Mathematicus, Rhetor ac Poëta. Scripſit *Odas de ſancto Joachim, Epithalamium ad Boſtium, Idyllion de bono Conjugali, Epiſtolas carmine, Vitam Divi Joachim, De puritate* Mariae, *Epigrammata quædam, Iſagogen ad exhortationes, ſententias Chriſtianorum* & alia inſuper multa. Obiit tandem Romæ 1508. hunc in ſuis ſcriptis laudarunt Gaguinus, Trithemius, ac Judocus Badius.

F. Jacobus Zevecotius, Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini Sacerdos ac Poëta elegantis ingenii. Edidit Gandavi apud Judocum Doomſium *Tragædiam Roſimundam*, cujus argumentum vide apud Paulum Diaconum in hiſtoria Longobardorum: ſcriptum hoc auctor illuſtravit præfixo nomine viri nobilis Domini Georgii Dellafaille Baronis de Nevele & Caſtellaniæ veteris Burgi Gandavenſis Nomarchi, qui Georgius (ſi veritati teſtimonium hìc perhibere licet) prudentia, ac pietate, animi moderatione, aliiſque præclaris virtutibus, cum omnium, tum præcipuè litteratorum amorem in ſe provocavit. Sub hoc cœpta ædificari, atque perfecta domus ſplendidiſſima feudorum veteris Burgi Juri dicundo, aliiſque ejuſdem Caſtellaniæ uſibus deſtinata. Eam Max. Vrientius hoc nuper elogio celebravit.

Feudorum Domus & Burgi decora alta vetuſti
Mole ſuâ, & longo pæne ſubacta ſinu:
Effœtum veluti corpus ruitura gemebant,
Et propè jam ſummum nil niſi funus erant.
Reſpexit fortuna locum, lateque per agrum
Municipem fulvo deſuper imbre pluit.
Mox lapides effudit humus, mox robora, & orni
Cæſa operi, at cœptis area ſola deeſt.
Arcta anguſta nimis, quam dum protendere nullum
Ingenium, nullus poſſit ab arte labor:
Ad Cælum quæſita via eſt, ſpatioque reperto
In vacuo, Auguſtam ſidera pulſat opus.

Scripſit & idem Zevecotius *Elegiarum libros tres, ac Sylvarum duos*, titulis Reverendiſſimi Domini Antonii Trieſt ſeptimi Gandavenſium Epiſcopi honoratos, *Stuartam* item *Tragædiam*, quæ adhuc Mſc. latet, de nece ac martyrio Mariæ piiſſimæ, ac omnibus bonorum Encomiis digniſſimæ Scotorum Reginæ, quæ poſt diuturnum carcerem & afflictiones innumeras in Catholica fide conſtantiſſima, ab Eliſabetha Anglicana (quam Jeſabelem noſtri temporis vocitare poſſis) per ſummum ſcelus capite obtruncata eſt.

Janus Gruterus, Patritius Gandavenſis, vir multæ eruditionis ac Poëta ſuavis: varios verſus ſcripſit, Juſto Lipſio ab ingenii amœnitate ac doctrina chariſſimus. Scripſit etiam in *Plautum & Animadverſiones in L. Annæum Senecam*, in quibus præter omnes doctorum hominum emendationes, infinita loca ſupplentur & corriguntur, opus hoc cum Seneca quem M. Antonius Muretus caſtigavit editum 1593. Ex ejuſdem Jani Gruteri recenſione prodierunt *L. Annæi Flori rerum Romanarum lib.* 4. politicis notis inſigniti. Impreſſit eos Heydelbergæ Hieronymus Commelinus. Verſatur & omnium manibus *Lampas ejus hiſtorica ſive theſaurus Criticus Tomis aliquot diſtinctus. Suſpicionum item lib. IX.* in quibus varia ſcriptorum loca emendata & explicata. Scripſit & *Notas Criticas in Senecæ Tragœdias, in Statii poëmata, in Martialem, in Titum Livium, in Tacitum, in Velleium Paterculum, in Panegyriſtas veteres, in hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores, in Mimos P. Syri*, quibus ſimiles è variis auctoribus adjecit ſententias; ad hæc

In-

Digitized by Google

Inſcriptionum veterum Romanarum ingens vaſtumque volumen typis Commelinianis evulgavit 1601. auſpiciis M. Velſeri & Joſephi Scaligeri poſt Martini Smetii editionem apud Batavos cui auctuarium J. Lipſius adjecerat. Hunc Valerius Antverpienſem nominat.

JANUS SCEPPERUS Marci Varnewici è filia nepos, præter varios ſermone patrio conſcriptos verſus, ad legem carminis Gallici, *Laudationem juventutis Belgicæ, quam Erycius Puteanus V. C. Latinam edidit in vernaculum idioma puro & eleganti ſtilo vertit*, quippè quem nullo ſermonis peregrini vocabulo voluerit inquinari; quod uti laude ſumma dignum exiſtimo, ita comprimis imitandum videtur iis, qui aliquid vernaculà linguà ſcribendum ſuſcipiunt, ut ab iis nempè ſint alieni (quorum maxima hoc ſæculo copia eſt, ut de forenſibus Rabulis quibuſdam nihil dicam, inter quos ferè is aptiſſimus, qui ineptiſſimè loquitur) qui tum demum diſertos ſe & ornatos eſſe putant, ſi puræ & genuinæ dictionis contemptores, privata & familiaria, etiam publica adloquia, aut quod amplius eſt ſcripta ſua innumeris externorum idiomatum vocabulis inſperſis contaminant, quæ prava conſuetudo eò uſque jam progreſſa eſt, ut is qui alioquin nativæ linguæ amantiſſimus eſt, pariter & ſcientiſſimus, à falſis vera, à peregrinis propria & nativa vix poſſit diſcernere, neque ſi majorum noſtrorum aliquis jam reviviſcat in Belgio Belgam intelligere, etiam cum verbis vitia peregrina imbibimus, & externarum gentium maculas in delitiis & honore habemus. Meliores nobis hac in re Batavi; quibus unicum & commune ſtudium, non ſolum aliena ſuis non admiſcere, verùm etiam rectiſſimè inventis verborum compoſitionibus ornare propria, & dilatare quod ſcriptores noſtros præſertim & publicos ad populum declamatores imitari velim, ne penitus tandem cum Idiomate (cujus plurimum in Republica intereſt ſervari integritatem) candor, virtus, & quidquid demum in Belga præ reliquis nationibus laudabile, periiſſe cernatur. Incepit Scepperus & *hiſtoriam tumultuum Belgicorum*, cujus juſtam partem Mſc. vidi, ubi nunc lateat ignoro.

Felicem celebri laudaverat ore Juventam,
Erycius Grudiæ lumen honorque ſcholæ.
At virtus totum dum currit noſtra per orbem,
Implet & omnigenas fama ſerena plagas:
Hæret adhuc proprias ignorans Belgica dotes,
Nec capit ingenii munera rara ſui.
Ergo aperit patrià Janus præconia linguâ:
Umbraras latio quæ Puteane Stilo.
Sic videt, & raros pubes miratur honores,
Et ſtupet ad laudes Belgica tota ſuas.
Qualis & illimi ſpecies formatur ab unda,
Aut purus ſpeculi dat ſimulacra nitor:
Omnia Jane tuæ reddunt ſic fulgida curæ,
Et clarus patriæ gentis amore labor.
Pro quibus emeritas referent tibi ſæcula laudes
Atque tuas circum noſtra Juventa comas.
Nectet honoratam Phœbeâ fronde coronat,
Quod modo Pleumoſio nobilis eloquio
Floreat, inque tua ſe poſſit cernere Suadâ,
Raraque Belgiaci dona videre ſoli.

IGNATIUS DUCKERIUS Ord. Eremitarum S. Auguſtini Sacerdos Religioſus priſci candoris, & exactæ eruditionis vir. Scripſit Tragœdiam *de Theodoro Alexandrino* verſibus jambicis, *duos item libros epigrammatum*, ad lucem paratos. Ejus & alia quædam leguntur in gratiam amicorum præſertim conſcripta carmina. Vivit etiamnum, & in ſui Ordinis Monaſterio, quod Aquiſgrani eſt, prioris officio fungitur.

IOANNES A LUXEMBURGO dictus LINSENICH Gandavenſis elegantis ingenii, ac raræ doctrinæ Philologus. Scripſit Latino ſermone *diſſertationem ſacram*, *De myſterio nominis parthenii* MARIA. Plura Reipublicæ litterariæ, fœcundum bonis artibus pectus, adſpirantibus ſuperis, pollicetur.

IOANNA OTTONIA Gandavenſis Ioannis Ottonis filia Guliemi Majarti in Comitio Flandriæ Advocati vidua. *Luſit carminum diverſorum libros duos.* Argentorati editos 1616. in 4. *ejuſdem poëmatia ſive luſus extemporaneos elegantes & ſupra ſexum illum*, excudit Antverpiæ Gulielmus à Tongris 1617. in 8.

IOANNES AGNUS Dominicanus, vir vitæ Sanctimonià ac miraculis etiam in vita clarus fuit: ut habet Catalogus Beatorum illus Ordinis. Dolendum vero nihil aut parum exſtare de vita viri Sanctiſſimi aut ſi quid amplius extiterit, periiſſe rebellione ac vaſtatione hæreticorum. Obiit 1296. Meminit Ioannes Bunderius in Indice laudatque Agno auctore *formulam vitæ cujuſlibet Chriſtiani.*

IOANNES BAPTISTA TRIEST, è nobili & antiqua Trieſtiorum progenie ſatus poſt abdicatum ſæcularis militiæ balteum, ſacrum Capucinorum ordinem & nomen Eugenii à Ganda amplexus, edidit Ju-

venilibus annis *funus Philippi Trieſt patris ſui viri conſularis, Equitis Toparchi de Auweghem*, tum propriis ſui tum aliorum temporis celebrium Poëtarum verſibus exornatum. Scripſit & *elegantem admodum elegiam in laudem Beatæ* MARIAE *Virginis*, quâ eidem pro pio religionis habitu aliiſque per eam à Deo acceptis beneficiis gratias agit.

IOANNES BACCHERIUS J.C. Poëticæ ſtudioſus, *carmen elegans ſcripſit*, quod extat in Enchiridio Sacrorum carminum F. Petri Baccherii Dominicani itidem Gandavenſis.

IOANNES BUNDERIUS Dominicanus Prædicator verbi divini facundiſſimus, Sanctæ fidei inquiſitor, & Prior Monaſterii Brugenſis. Scripſit *compendium concertationis & diſſidii hujus ſæculi ſapientum hæreticorum & Theologorum.* Quod recognitum eſt per facultatem Theologicam Pariſienſem, in quo quidem opere eæ ventilantur quæſtiones, quæ hodiè vocantur in dubium, decerniturque quid Orthodoxum ſit ex ſacræ Scripturæ fonte & inconvulſa conciliorum & vetuſtiſſimorum patrum ſanctitate & doctrina inſignium, videlicet Dionyſii Areopagitæ, Ignatii, Polycarpi, Irenæi, Tertulliani, &c. Impreſſit Lutetiæ Ioannes Lauherius 1539. & Vincentius Gantherotius 1549. Extat ejuſdem *ſcutum Orthodoxæ fidei*, Antverpiæ 1569. Item *collatio quatuor Doctorum, Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini & Gregorii*, ſuper triginta articulos à modernis hæreticis agitatos. Scripſit & *de Baptiſmo contra Memnonem*, Lovanii 1553. Item *detectionem nugarum Lutheri & confutationem dogmatum Lutheranorum*, Lovanii 1551. apud Granum. *Collegit & indicem codicum mſc.* per Belgium vicinaſque provincias.

Informes domuit ſectas, & dira Lutheri
Contudit impavidus dogmata Bunderius.

IOANNES SECUNDUS Abbas Eynhamenſis Vigeſimus primus cognomento de Buck, moritur 1366. Præfuit annis 33. vir pius admodum & benignus, natione Gandavenſis.

IOACHIMUS MARTINUS Medicus, *Galeni libros tres de alimentorum facultatibus Latinos fecit*, qui impreſſi ſunt Baſileæ cum cæteris Galeni operibus. *Collegit quoque è Galeno proverbia in uſum Eraſmi Roterodami*, qui ea in Chiliades ſuas tranſtulit. Scripſit & *notulas* & in verſionem Galeni præludia. Vixit 1528. Eraſmo familiariſſimus, cujus ad hunc noſtrum variæ extant Epiſtolæ.

IOANNES CROOCIUS Dominicanus, multum laboravit in corrigenda ſumma Theologica ſancti Thomæ Aquinatis, illamque edi curavit in octavo Pariſiis 1520.

IOANNES DHOLLANDERIUS Protonotarius Apoſtolicus, & in D. Waldetrudis Montibus Hannoniæ Canonicus, Vir in Genealogicis Flandriæ rebus admodum verſatus, è Bibliotheca ſua evulgavit *diſſertationem Dionyſii Harduini, de nobilitate univerſim acquirenda, augenda, minuenda, tollendaque*: Antverpiæ apud Gulielmum à Tongris. Habet præ manibus nunc *volumen de nobilitate Flandrica*, ſive de centum præcipuis & illuſtrioribus in Flandria familiis, in quo Exteri (quorum animos aliquando hac de re non adeò bona opinio occupavit) claritatem ſtemmatum Flandricorum, actus item heroicos, & earundem familiarem antiquitatem mirabuntur. In eo per annos trecentos & amplius de Patre in filium cum adfinitatibus & conjugiis genealogica ſeries ob oculos patet. Habet & in ſchedis à me viſum *Compendium præcipuaque facta Abbatum ſancti Bavonis.* Item de vitis Præſidum ſanctioris Concilii in Belgio, etiam de vitis Præſidum Concilii Provincialis in Flandria. Omnia ſummis laboribus Dionyſii Harduyni olim concinnata, aliaque plura quæ non inutilia eſſe poſſint, ſi ad plurium manus devenirent.

JOANNES EX CURIA, S. Th. Licentiatus, Ordinis FF. Prædicatorum & Provincialis in Belgio ſive Conventuum Vicarius, aſſerente P. Gulielmo Oonſelio. Scripſit *in Threnos Hieremiæ Prophetæ Commentarium*, quod ego ſcriptum Joannis à Bommalia, qui ſequitur, eſſe exiſtimo.

JOANNES DE SANCTO AMANDO, cognomento Fajus, eo nomine tertius inter Abbates ſancti Bavonis Gandenſis, in ordine verò Abbatum Quinquageſimus tertius, S. Theologiæ Doctor, ante promotionem ſuam ab Univerſitate Pariſienſi miſſus fuit ad Clementem Papam contra ſectam Flagellatorum, coram autem Præfato Pontifice *multas habuit Orationes & Sermones*, quibus Pontificem impulit ad eandem ſectam extirpandam. Multis quoque Legationibus functus eſt pro Sede Apoſtolica ad Leodienſes & alios. Obiit 1395. 10. Februarii, ſepultus in Capella ſancti Amandi. Scripſit *Homilias varias*, item *Quæſtiones ſuper L. Sentent.* & *De eſu carnium, nec non declarationem in regulam Divi Benedicti, lib.* 1. Vide Trithemium, qui eum non minus religioſâ converſatione, quàm ſcientiâ litterarum inſignem ſcribit: & Joannem Baptiſtam Gra-

Digitized by Google

Gramajum in antiquitatibus Gandavenſibus cap. 34.

JOANNES A BOMMALIA (qui Brabantiæ vicus eſt non procul Geldenaco) Ordinis Fratrum Prædicatorum, Doctor Theologus Lovanienſis & hæreticæ pravitatis inquiſitor à Gregorio X. Papa conſtitutus. Floruit anno 1471. Scripſitque doctè & piè admodum ad Joannem ex Curia S. Theol. Licentiatum, & Conventuum Fratrum Prædicatorum per Hollandiam Vicarium, *Planctum Religionis ſuper defectibus Religionis cujuſque Ordinis*, in quo libro ſub perſona Hieremiæ (cujus Lamentationum duo priora alphabeta & quartum ad hunc uſum explicando applicantur) Religio ſancta miſerabilem Religioſorum lapſum lamentans & plangens introducitur, extat Mſc. Lovanii apud Regulares S. Martini. *Tractatum contra Monachos proprietarios*, qui editus eſt Pariſiis à Marneſſo cum aliis ejuſdem argumenti Scriptoribus, *in Proverbia Eccleſiaſten*, *Apocalypſin*, *ſententias de Sacramento Euchariſtiæ*, *De Virtutibus Theologicis*, quæ omnia Bruxellæ apud Dominicanos Mſc. lecta fuiſſe teſtatur in Indice J. Bunderius. Denique *De diſpenſationibus in Religione*, Mſc. in viridi valle teſte eodem.

JOANNES DUMÆUS, vulgò vander Haghen, Gandenſis Ordinis ſancti Dominici Eccleſiaſtes facundus. Scripſit *Sermones Quadrageſimales ac in Pſalmos Graduales*. Vixit anno 1571.

JOANNES DULLARDUS, Ordinis Prædicatorum S. Th. Doctor, non incelebri apud Gandavenſes familia Dullardorum progenitus. *Octo libros Phyſicorum ac Metaphyſicorum Ariſtotelis Stagyritæ*, item *ejuſdem libros de anima Commentariis eruditis ac ſubtilibus explanavit. Meteora quoque, utpotè Mathematicus inſignis commentatus eſt.* Opera Pariſiis edita ſunt apud Petrum Gandoul. Obiit in Conventu ſui Ordinis Gandavenſi. 1378. in quo & officio prioris eum functum fuiſſe exiſtimo.

JOANNES A MERA, Pictor ſuis laudibus effertur à Dionyſio Harduyno, & Carolo Vermanderio, in ſæpius jam memorato volumine illuſtrium Europæ Pictorum.

JOANNES DIOPHYLAX, Carmelita Gandenſis, Juvenis ad Poëſin natus, *Carmine* ſcripſit *Chriſtomachiam*, *Fornacem Chaldaicam*, *Catacriſin Iſraeliticam*, *de laude lucis*, *Erotema Religionis*, *Carmen de Flandria*, *Odas de natali Salvatoris*, *de Virgine beata epigrammata quædam*, *Epiſtolas ad diverſos* & alia plura. Omnia ejus opuſcula prodierunt Lugduni 1527. cum effigie ejus ad vivum. Ibidem obiit eodem anno Juvenis annorum 28.

JOANNES DAMASTHIUS Gandenſis, Elegans Poëta: Scripſit *Elegias & Epigrammata*, *Carmen item heroicum in laudem Marci Laurini Domini de Watervliet, & Huberti Goltzii Herbipolitæ*.

IOANNES DIVES Carthuſianus, Vir uti eximiâ vitæ Sanctimoniâ (teſte Petreio) ſic & præſtanti excellens doctrinâ, qui velut ſplendidum quoddam ſidus fratibus Carthuſiæ Gandenſis præluxit, ſcripſitque *de indulgentiis anni Jubilæi*, *de Eſu carnium*, pro omnibus religioſis, *de participatione Miſſarum*, *de Confeſſione Sacramentali*. *Dialogum melliſluum inter tentatum & Conſolatorem*, *Sermones capitulares de Virginitate*, lingua vulgari, *De vitanda proprietate in religione*, *quo pacto ſecularibus non ſemper conducant*, *libri ſacræ Scripturæ*, *materno idiomate tranſlati*. *Librum diverſarum adhortationum*, *conciones aliquot cum aliis nonnullis*. Vide Petreium.

JOANNES DE WILDE Gandenſis, Poëta & Orator eloquentiſſimus, à Jacobo Meyero lib. XIV. Annalium Flandriæ in Margareta Maleana memoratur; is cum anno 1393. Gandavenſes tumultum in urbe periculoſum civiſſent (ideò ſcilicet quod Philippus Audax eos propemodum cogere vellet, ut relicto Urbano, Clementi Antipapæ adhærerent) produxit in forum venerabile Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti, ibique Orationem habuit ad populum, piam, gravem ac Reipublicæ utilem, quâ quidem populi ſeditionem compeſcuit. Fertur Lyrica multa ſcripſiſſe, quæ Pariſiis edita ſunt apud Badium.

JOANNES CARNARIUS, Medicus Gandavenſis, eruditionis laude clarus, ingenii exercendi gratia *De podagræ laudibus Orationem* habuit Patavii. ἀδόξων ὕλα. Gellius ſimile argumentum vocitat à Cicerone infame, ab aliis inopinabile appellatum, ſolius enim doctrinæ oſtentandæ aut ingenii excolendi exercitandivè cauſſa excogitari ſolet, hujuſmodi eſt apud Iſocratem Buſyridis encomium, apud Platonem injuſtitiæ ex perſona Glauconis, apud Lucianum Muſcæ, apud Eraſmum τῆς μωρίας, apud Phavorinum febris quartanæ, quam etiam libello edito laudavit Gulielmus Inſulanus: apud Lælium Calcagninum pulicis, apud Syneſium Syrenenſem Calvitii, etiam Therſitem laudavit Phavorinus; aliam præthereà habuit *Orationem* Patavii Carnarios *in diſceſſu M. Antonii Venerii*, Patavinæ urbis Prætoris. Scripſit & *Verſus aliquot de Thermis Pata-*

tavinis, quæ omnia typis excuſa ſunt Patavii. 1553.

JOANNES VAN HAVRE Walli Toparchus, vir conſularis, ac de Republica Gandavenſi optime meritus, cùm eruditione eximiâ, tùm prudentiâ, fide, integritate, animi libertate, aliiſque dotibus clarus. Edidit typis Trognæſianis, *Arcem virtutis Satyram* heroicis verſibus, quâ peculatum, avaritiam, ambitionem, ſuperbiam, aliaque hujus ævi prava ſtudia ore libero ſtiloque erecto inſectatur. Quod ſcriptum medullam ſanioris Philoſophiæ appellare poſſis. Librum item *de bono Senatore*, quem non verbis ſolum, ſed & factis ab auctore expreſſum, ſi virtutibus non iniqua ſit, & præſens & futura fatebitur ætas.

JOANNES JANSENIUS Gothofridi medici filius, penicilli ſui elegantiâ & vivacitate ingenii, maximis orbis Chriſtiani pictoribus non immeritò adcenſendus, etiamnum vivit, & tantum imaginibus variis artificio ſingulari depictis in patriæ ſuæ ornamentum incumbit, quantum vel maximi in hoc Catalogo viri, eam Ingenii ſui monumentis ac litterariis lucubrationibus illuſtrarunt. Viſitur inter alias, imago ejus eximia Gandavi in ædibus per Illuſtri Viri Caroli à Burgundia, Baronis de Wacquen, quæ Patrem ſenem & famelicum filiæ ubera in carcere ſugentem mirâ dexteritate repræſentat.

JOANNES LAUTENS, Conſiliarius & Magiſter rationum in Camera Inſulenſi. Scripſit *Gallico ſermone commentaria in Oliverium Mercanum*, impreſſit Brux. Rutgerius Velpius; Edidit item *inſignia nobilium aliquot familiarum Flandriæ.* apud Gerardum Salenſonium Gandavi, vulgò *Jardin des Armoiries.*

JOANNES MYNSHERIUS Gandavenſis, maximi nominis Architectus & Sculptor. Memoratur à Georgio Vaſaro volumine Commentariorum de vitis clarorum Pictorum, Sculptorum & Architectorum, & à Ludovico Guicciardino in deſcriptione Flandriæ. Vixit Circa annum Domini 1560.

JOANNES LEVINEUS, clara Levini Torrentii ſorore natus, ab Avunculo Coloniam Agrippinam adoleſcens miſſus, ut Græcis iſtic Latiniſque litteris imbueretur, qua in urbe ea litterariæ rei jecit fundamenta, ut in utriuſque linguæ Græcæ præſertim cognitione paucos ætas noſtra illi pares produxerit. Vertit è Græco *Gregorium Nyſſenum de virginitate*, atque eadem ipſa de re *Chryſoſtomum.* Græcam LXXII. Interpretum Bibliorum verſionem cum libris calamo exaratis unà cum Gulielmo Cantero contulit. Profectus in Italiam Romæ bibliothecam Vaticanam excuſſit. *Theodori quoque ſtudia Catecheſes* CXXXV. *à ſe Latinè verſas, ſcholiis illuſtravit, uti & Panegyriſtas duodecim veteres.* Habent & hæredes *Joannis Chryſoſtomi Epiſtolas, Andronici Imperatoris diſputationem, Euripidis Tragædias, Athenæum Deipnoſophiſtam*, & alia Latinè verſa opera & cum Mſc. codicibus comparata.

JOANNES MOLINÆUS, Vulgo vander Muelene Gandenſis J. U. Doctor ac regius decretorum Lovanii Profeſſor primarius, Eccleſiæ ſancti Petri Decanus & Univerſitatis Cancellarius, etiam Gandavenſis Eccleſiæ Decanus, in modum Coadjutoris à Romana Curia conſtitutus. Edidit *decretum B. Ivonis* ex præpoſito ſani Quintini Bellovacorum, Eccleſiæ Carnotenſis Epiſcopi ſeptem ac decem tomis conſtans, omnium quotquot extant hujus argumenti voluminum ampliſſimum, ut non immeritò Theſaurus Eccleſiaſticæ diſciplinæ appellari poſſit ante annos quadringentos concinnatum. Impreſſit Lovanii Bartholomæus Gravius anno 1585. Idem Molinæus Latinè oravit Romæ coram Gregorio XIII. & collegio Cardinalium.

JOANNES MUNTERIUS Poëta, *Variis Epigrammatum libellis conſcriptis clarus*, extat & ejus *carmen in centuriam locorum legalium Nicolai Everardi de Middelburgo.*

JOANNES OLIVARIUS, apud Joannem Ottonem Gandavi Hypodidaſcalus primum fuit, dein Litterarum amore peregrinatus, totius ferè Germaniæ Gymnaſia colluſtravit, reverſus in patriam ludum litterarium aperuit & numeroſum nobilemque; diſcipulorum gregem, optimis litteris Græcis pariter ac Latinis inſtruxit, donec Duacum conceſſit, & Græcas ibi litteras publicè profitendo magnam gloriam eſt conſecutus. Juris myſta factus, à Cameracenſibus accipitur, fitque Civitatis Syndicus ſeu Penſionarius. Vir ſanè utriuſque litteraturæ ſcientiſſimus, Poëta elegans, Orator gravis, Philoſophus non vulgaris, in hiſtoriis omnibus verſatiſſimus, Juriſque Romanorum (id quod provectâ jam ætate acceſſit) doctiſſimus. Præter *infinitos omnis generis verſus* politiſſimos, compoſuit *duas Tragædias ſacras, Michæam & Nabuchodonoſorem* terſiſſimo ſtilo, quas Gandavi publicè, per Juventutem ſuam ſcholaſticam cum ſummo ſpectatorum adplauſu exhibuit: hujus & cum honore meminit Joannes Baptiſta Grammajus in ſuis antiquitatum Gandavenſium primitiis.

JOAN-

Digitized by Google

Joannes Garetius; Quem ideò Gandavenſibus adnumero, quia Cœnobii filiarum Dei, quas pœnitentes vocitabant, Gandavi Præfectus fuit, uti etiam Virginum velatarum Mishaghenſium prius juxta Antverpiam, licet origine Lovanienſis & ibidem Canonicus ad S. Martinum fuerit collegit induſtriâ ſolertiâque inſigni, ut meritò ait Valerius Andreas; *De veritate corporis Chriſti in Euchariſtia* priſcorum linguæ utriuſque Patrum teſtimonia, Antverpiæ anno 1563. 8. quo libro luculentè oſtendit eandem omnium ætatum per univerſum orbem de illo fidei myſterio fuiſſe ſententiam quæ nunc eſt Eccleſiæ Romanæ. Scripſit idem *de mortuis vivorum precibus juvandis*, Antverpiæ anno 1564. Item *de ſacrificio Miſſæ* ibidem anno 1561. *denique de Sanctorum invocatione* Gandavi anno 1570. Obiit vir pius & eruditus in Patria è graviſſimis calculi doloribus anno 1571. Die ſanctæ Agneti ſacra.

Joannes Sanderus *Avus meus*, & ter Auguſto Cæſari Carolo Quinto à Conſiliis medicis, defunctaque conjuge Levina Stelanda nobili matrona, in Eccleſia D. Bavonis Canonicus. Vir fuit ſuis Civibus charus,& magnæ apud eoſdem ob eruditionem & virtutem auctoritatis, frequentiâ etiam magiſtratuum, hac in Republica functus. Scripſit *methodum curandarum Ægritudinum*, ea penes apud me mſc. eſt. De eo Joannes Otho Scholarcha Gandavenſis in præfatione ad librum Plutarchi de complurium amicitia à ſe Latinè verſum & Nobili adoleſcenti Ludovico Blaſerio inſcriptum, ſic ait: Cæterum qui medicinæ feliciter operam dabit, in utriuſque linguæ facultate, non tantum verſatus, ſed diu multumque exercitatus ut ſit neceſſe eſt: niſi ingenii bonitate, & ſuper reliquos homines, divinâ propè memoriâ præditus ille ſit, ut abſque ullo Græcæ lectionis uſu, vocabula omnia Græca, quæ in ea ſunt arte, diſerte explicare & interpretari valeat. In qua felicitate & dexteritate, Dominum Joannem Alexandrium, hujus urbis clariſſimum & præſtantiſſimum medicum videmus. Impreſſit librum hunc Gandavi Henricus Chærius. Anno 1556.

Joannes Scatteman, Presbyter, & Eccleſiæ Parochialis Sancti Macharii in Laerne Paſtor. Scripſit *vitam ejuſdem Divi* teutonicè. Impreſſit Gandavi Joannes Kerckhovius. Anno 1623.

Joannes Portantius, Inter ævi ſui Mathematicos non ultimus etiam Poëta, elogium ſuum apud Guicciardinum habet. Paulo curioſior in Aſtrologicis artibus fuiſſe perhibetur. Edidit *Typum Lomoniæ Regionis*, quam in ſuum mundi theatrum inſeruit Abrahamus Ortelius. Vixit multis annis Antverpiæ apud mercatores Italicæ præſertim nationis gratioſus, quibuſdam magicæ ſuperſtitionis ſuſpectus, undè magiſtratus juſſu, captus quæſtionibus bis aut ter ſubjectus fuit, vir ſexagenario major ſed robuſti ac optimè conſtituti corporis beneficio & bonæ fortaſſis conſcientiæ præſidio cruciatibus reſtitit.

Joannes van Waesberghe Presbyter J. U. Licentiatus Canonicus & Scholaſticus Lilerienſis. Scripſit Latino ſermone *Topographiam territorii & Urbis Gerardimontenſis*; in qua licet natus ſit, educatione tamen Gandavenſis eſt. Vidi Mſc. apud Auctorem mox publicis typis evulgandam.

Joannes Hauchinus Gerardimontenſis ſecundus Eccleſiæ Mechlinienſis fuit Archiepiſcopus, vir de Religione ac Republica Belgarum optimè meritus, ac virtutis eruditioniſque nomine clariſſimus.

Joannes Villicus Carmelita, Gandenſis, Epiſcopus Biblienſis, Ultrajectenſis Epiſcopi Suffraganeus, mortuus anno 1522. 5. Junii & ſepultus Trajecti in Cœnobio Carmelitarum. Hujus eruditionem Carmelitæ extollunt, & Theologica quædam opera elaboraſſe aſſerunt, quæ tamen morte impeditus, divulgare non potuerit. Ita de eo Dionyſius Harduinus in ſuo de ſcriptoribus Flandris commentario.

Joannes Vernirius Gandavenſis, Patriæ ſuæ Geometra ſeu menſor juratus, in Mathematicis diſciplinis non vulgariter verſatus fuit, & *Ephemerides aliquot Meteorologicas* pariter conſcripſit.

Joannes Vischerius Scholæ Gandavenſis per annos aliquot rector, Grammaticus eruditus, ac Poëta non invenuſtus fuit. *Ejus non Pauca apud filium poëmata* in ſchedis latent.

Joannes Zamannus. Vir nobilis & eruditus, ac vario in Republica Gandavenſi Magiſtratu functus, deque eà non malè meritus, Latino nitori Gallicas adjunxit elegantias, & in *utroque ſermone verſus edidit terſos* ac laude non modica dignos; qui paſſim operibus & ſcriptis amicorum præfixi leguntur.

Joannes Utenhovius, Patritius Gandenſis, hujus extat Baſileæ impreſſa *narratio* (uti inſcriptione patet) *Simplex de diſſipata peregrinorum Eccleſia*, quem libellum auctor Hæreſios cauſa Gandavo profugus conſcripſit. Mortuus, ni fallor, in Polonia.

Joannes Utenhovius alius à Superiore,

periore, ejuſdem tamen familiæ Gandenſis, Caroli celebris Poëtæ, quem ſupra laudavimus, frater Germanus. In Curia Flandriæ à Duce Alençonio, inauſpicato inſtituto Conſiliarius factus, multa *Latinè, Gallicè & Teutonicè ſcripſit metro & proſâ.* Ea autem hic non adduco quod pleraque (uti Harduynus ait) Calviniſmi teterrimos odores ſpirent.

Joannes Walterus, Gandavenſis Philologus & Juriſconſultus, & in Provinciali Flandriæ curia Conſiliarius, præter ea quæ hactenus ſub aſpectum meum non venere. *Edidit Chronicon Chronicorum Francofurti apud Aubrios* ex officina Wecheliana, *item Chronicon Eccleſiaſtico politicum* ex hujus & ſuperioris ætatis ſcriptoribus concinnatum Pontificum, Cardinalium, Epiſcoporum, Imperatorum, Regum, Principum, Doctorum, armis litteriſque illuſtrium Virorum res geſtas aliaque præclara repræſentans.

Joannes Visbrouckius Gandenſis. Philoſophiæ ſtudiis vir cultiſſimus, & ob egregiam eruditionem, dum viveret, Cardinali Morano, qui poſtmodum Collegii Decanus fuit, Carus; *quædam Ariſtotelis opera commentariis illuſtravit*, quæ an lucem aſpexerint, ignoro.

Qualis purpureo Moronus in ordine talis
Intereris patriæ lumina Jane tuæ.

Judocus Gandavensis, Pictor nobiliſſimus, Huberti Eyck diſcipulus. Hujus opus eſt, perelegans pictura cœnæ Dominicæ; quam in gratiam Ducis Urbini depinxit. Memoratur à Ludovico Guicciardino in ſua Belgii deſcriptione & Georgio Vaſaro Aretino volumine de claris Pictoribus, Sculptoribus & Architectis.

Judocus Badius, Philoſophus, Rhetor ac Poëta ſui temporis celeberrimus. Ferrariæ Baptiſtam Guarinum Græcas litteras docentem audivit, indè Lugduni Poëtas publicè legit: quos familiari, ut ait, commentario explanatos, poſteà evulgavit. Nobiles etiam adoleſcentes domi ſuæ inſtituit, quæ ideò Gandavenſibus adnumero, quia eruditionis ſuæ primordià apud Hieronymianos tum in Belgio Gymnaſiis litterariis celebris Gandavi hauſit. Scripſit *Epigrammata varia, item Epiſtolas.* Eum Deſiderius Eraſmus in Ciceroniano Dialogo, Budæo comparare non erubuit. Andreas Thevetus Coſmographus regius meminit Badii in vita Ioannnis Trithemii Abbatis Spanheymenſis quem deſcripſit in opere ſuo Gallico de Viris Illuſtribus natumque ſcribit 1462. ac inſeparabilem amicum Jacobi Fabri Picardi Philoſophi & Mathematici. Ejus autem ſcripta, hæc ſunt, *Opus Metricum inſigne contra vitia*, quod vocavit ſylvam moralem contra Vincentium. *Pſalterium* Mariæ verſibus Sapphicis. *De Grammatica liber. Compendium Iſagogicum, breve & facile in Epiſtolarum compoſitionem. In Epiſtolas Ciceronis interpretatio familiaris prodiit* Mediolani anno 1519. *In Ciceronis Philippicas*, Scholia anno 1529. cum *Maturantii, Philippi Beroaldi & Georgii Trapezuntii Commentariis. In officia Ciceronis*, & ejuſdem *de amicitia ſenectute & Paradoxa Commentarius, in libros Rhetoricorum ad Herennium, in hiſtorias Saluſtii, in Horatii poëmata, in Ovidium ferè totum, in Satyras Perſii, in fabulas Terentii, in Valerii Maximi Exempla, in Quintilianum. Annotationes in Juvencum, in Philippi Beroaldi Nervam de Domini Paſſione. In Baptiſtæ Mantuani opera. In Angeli Politiani Epiſtolas & Miſcellaneorum libros ſcholia. Chronologiam Henrici Glareani in Livium redegit in ordinem Alphabeticum*, ſignatis ubique Olympiadum & urbis conditæ annis. Pleræque ejus interpretationes Paraphraſticæ ſunt, humiles, apertæ, ſermone puro, non digredientes; Commentarios quotquot ſcripſit, ipſis auctorum operibus adjunxit, & domi ſuæ Pariſiis impreſſit.

Judocus Gistellius, Eques Flandrus perilluſtris, Apellæ, Maelſtedæ, Moeræ, &c. Toparchus; quartum Gandenſis conſul, ſcripſit communi Flandrorum Idiomate *itinerarium, ſive commentarios itineris ſui, terræque marique exacti* per Germaniam, Italiam, Illyricum, Græciam, Thraciam, Aſiam, Cretam, Rhodum, Cyprum, Paleſtinam Aſſyriam, Arabiam, Ægyptum, utramque Mauritaniam, Perſiam, Mediam, Meſopotamiam, per inſulas item Aſiæ, Africæ & Europæ libris octo, peregrinationem autem ſuam totidem annis abſolvit, reverſus Antverpiam pridiè S. Joannis menſe Junio anno 1485. Quidam tamen Itinerarium hoc compoſitum volunt à Domino Ambroſio Zeebout Presbytero ejus ſacellano ac peregrinationis comite.

Judocus Lambertus, Gandavenſis Typoglyphus & Typographus. Vir etiam eruditione non vulgari præditus fuit. Inter cætera ejus, vidi *librum de vera & genuina Ortographiæ Teutonicæ ratione*, quem uti ipſe compoſuit, ita & ſuis Typis evulgavit.

Judocus van Sterthem Gandavenſis, Medicinæ Chirurgicæ Licentiatus,

e

è Latino tranſtulit in Flandricum ſermonem *Chirurgiam Guidonis de Cauliaco.* Impreſſit Gandavi Henricus Keerius anno 1576. Sterthonius vero Epiſtolam verſioni ſuæ præfixit, quâ utilitatem operis præfatio oſtendit.

JUDOCUS KERCKHOVIUS, Latinæ ſcholæ apud Gandavenſes per annos plures moderator celebris fuit. Vir indefeſſæ lectionis ac reconditæ doctrinæ magna etiam diſcipulorum cohorte, exhibitiſque in Theatro Comœdiis variis, Tragœdiiſque clarus, præter *rudimenta Grammaticæ*, quæ typis excuſa ſunt, an alia ediderit ignoro, eum in Paleſtra litteraria diſudantem Simon Kerckhovius filius juvit, ejuſdemque poſt patrem Paleſtræ non minori cum laude præfectus fuit.

JUDOCUS VALARÆUS, vertit *de Græco in Latinum Palæphati libellum de non credendo hiſtoriis*; item *Phornuti de natura Deorum ac Luciani de Aſtrologia orationem* omniaque dedicavit Domino Joanni à Duyſens Abbati Bodelonenſis Cœnobii. Excudit Antverpiæ Joannes Graphæus, item Gregorius Bontius anno 1528. Idem *Q. Calabri Poeſin Paralipomenon Homeri*, & *Coluti Thebani de raptu Hellenæ poëmation* latinitate donavit, quæ Gryphius excudit Lugduni anno 1541. Vir Græcè eruditiſſimus fuit.

JUSTUS HARDUYNUS. Franciſci filius Presbyter, amœniſſimique ingenii Poëta. Varia patrio præſertim idiomate conſcripit, *in quibus & ingenuos in Roſemundam ſuam ignes, & inſuper ſacros anhelantis ad ſponſum in Canticis Canticorum ſponſæ amores*, ubi ſub umbris & imaginibus corporeis, delitioſa vis æternorum adſectuum latet, elegantiſſimis verſibus decantavit. Eos nec peregrinorum verborum nævis adſperſos, nec certis numeris aliiſque veræ poeſios legibus non adſtrictos eſſe voluit, in ea re Gallos primus ferè Belgarum feliciſſimè imitatus. Edidit & nuper *Cantica Spiritualia*, præcipuis anni feſtivitatibus accommodata, item *lapſum & pœnitentiam Regis Davidis*: quæ titulis Illuſtriſſimi Mechlinienſis Archiepiſcopi Jacobi Boonii honorata, Joannes Kerchovius Gandavenſis Typographus typis ſuis evulgavit.

JUSTUS RYCQUIUS, Joannis Stadii, viri ſtudiis Matheſeos & Politicorum litterarum clariſſimi ex filia nepos, Presbyter, Civis Romanus & in æde Bavoniana Gandavi Canonicus. Vir modeſtiâ ſingulari & eruditione rarâ præditus. Scripſit hactenus *Commentarium de Capitolio Romano, Panegyrim Paulo Quinto Pontifici inſcriptam, præludia poëtica, poëmatum item ſelectorum libellos* VII. ad ampliſſimum virum Gerardum Corſelium J.C. & jampridem in Academia Lovanienſi Primarium Anteceſſorem, nunc in ſanctiore Principum Senatu Conſiliarium, virum eruditione & prudentiâ eximium. Edidit & *Centurias Epiſtolarum duas, Panegyrim ſacro honori & purpura Scipionis Cobelluti S. R. E. Cardinalis. Orationem quoque Panegyricam de humani generis ſalute Virgini annunciata*, & *parentalia in obitum Pauli Quinti Pontificis Maximi.* Item *in obitum Potentiſſimi Hiſpaniarum Regis Philippi III.* Habet in ſchedis *urbanarum obſervationum libros duos, Centuriam Epiſtolarum tertiam, Elogia γνωμικὰ Hollandicæ Synodi* apud Dordracum, & *notas in Corippi Africani Panegyricum.* Scripſit & tractatum Philologicum, ac ſacra etiam doctrina alicubi, gentilium quoque diſciplinis ac myſteriis inſperſum, qui hoc anno 1624. Antverpiæ apud Joannem Moretum prodiit. Item ſcripſit & heroico inſigni carmine, *Panegyricum*, cui *titulus orbis fœlicitas, ſive Pontificatus Urbani Octavi.* Vide Valerium.

LAURENTIUS A QUERCU, Gandavenſis à nativitate cæcus. Vir plebejus Aurigæ filius, at ingenio doctrinâque nobilis, annos Juventuti in patria erudiendæ ſuos impendit, in utraque lingua verſatus, *Orationes quaſdam & Carmina ſcripſit*; ejus Epigramma (inquit Harduynus) extat ad eximium S. Theol. Doctorum F. Petrum Piſtorium Ordinis Divi Dominici. Hic cum extra Walportam ad quingentos & amplius paſſus ab urbe habitaret, quotidie ſine duce ad urbem habendarum lectionum ergo ſe conterebat per urbem ita ſolus ambulabat, templa domoſque in quibus multo ante non fuerat, frequentabat.

LEODEGARIUS CARDON Presbyter, Artium ac Philoſophiæ magiſter, &c. Eccleſiæ Hulſtanæ in Flandria Paſtor, edidit ſermone vernaculo librum de Antiqua populi Devotione erga Virginem Deiparam in Capella ad Quercum juxta Hulſtum, impreſſit Gandavi Joannes Kerckhovius anno 1614.

S. LEVINUS SCOTORUM Archiepiſcopus. Apoſtolus quoque Gandavenſium, ac Patronus optimus. Scripſit *carmen Elegiacum*, teſte Joanne Molano, *in Divi Bavonis jam vitâ functi laudem*, quod Florberto tum, Gandavenſi Abbati tranſmiſit. Refert magiſter noſter F. Petrus Bacherius Epiſtolâ ſuâ Carminum ſacrorum Enchiridio præfixâ. S. Levinus maximâ hominum multitudine juxta Gandavum ad fidem converſâ, tandem martyrium

paſſus eſt. Linguâ illi primum extractâ, canibuſque devorandam projectâ (quæ tamen mox illi fuit miraculo reſtituta) demum apud Eſcham Regionis Aloſtanæ vicum, multis vulneribus ſaucius ac capite obtruncatus eſt anno 633. pridie Idus Novembris.

LEVINUS APOLLONIUS, Gandobruganus Middelburgenſis *de Peruviæ regionis inter novi orbis Provincias celeberrimæ inventione, & rebus in eadem geſtis libros quinque* ſcripſit, eoſque Jacobo Claechontio Maldeghemii ac Pitthemii Domino dedicavit 1577. Item de *navigatione Gallorum in regionem floridam dictam*, deque eorum horrenda clade, quam 1565. ab Hiſpanis acceperunt: Liber prodiit Baſileæ anno 1583.

LEVINUS ABBAS Monaſterii S. Bavonis Gandavi, vir eruditus: Pereleganti ſtilo ſcripſit *Epiſtolas Latinas ad diverſos.* Aliquot & ejus ad Eraſmum & Eraſmi viciſſim ad hunc extant.

LEVINUS ALCOTIUS, Mathematicus ac Geographus, *regionum Septentrionalium Typum* in lucem emiſit ex officina Gerardi Judæi Antverpiæ.

LEVINUS ÆGIDIANUS, Ordinis Ciſtercienſis in Monaſterio de Bodelo Presbyter Religioſus. Vertit in Teutonicum *libellum aureum ſancti Bonaventuræ de ſex alibi Seraphim.* Impreſſit Gandavi Alexander Serſanders, & alia quædam, quæ ad pietatem Chriſtianam promovendam non incongrua ſunt.

LEVINUS BERCHTUS, Monachus profeſſione Franciſcanus. Scripſit *facili doctoque ſtilo varia hauſto è rebus ſacris argumento carmina.* Ad ejus exemplum optem Poëtas noſtros ſpretis turpibus, & inſanis Ethnicorum commentis ad rem & caſtitatem Chriſtianam tranſire, memores ei potiſſimum Nobilem, & divinam poëticæ facultatis præſtantiam conſecrari debere, à quo omnem ſe corporis & animi vim accepiſſe diffiteri non poſſunt. Meminit Brechti Guicciardinus cum laude: Nos ſtudiis ejus hoc rependimus.

Dum Chriſto innocuas cogis ſervire camœnas
Semper & alta tuis tendit ad aſtra labor.
Brechte tibi non vanus honos, ſed perpes in ævum.
Recta manet ſolido gloria Remigio.

LEVINUS COLMANNUS, Gandavenſis Poëta, miſſis in publicum varii argumenti libris, nominis celebritatem apud poſteros adeptus eſt. Vidi (inquit Harduynus) illius *elegans carmen Elegiacum ad Gulielmum Pantinum Medicum Brugenſem* ad Calcem Cornelii Celſi Medici in quem Pantinus commentatus eſt. Item *in Nozorethum* Burgundiæ ſuperioris Oppidum, Gilberti Cognati natale ſolum, ab eodem *deſcriptum carmen*, ejuſdem Levini *aliud in effigiem Gilberti Cognati.* Baſileæ Impreſſit Oporinus anno 1552.

LEVINUS DE WITTE, pictor famoſus, Mathematicus & Architectus etiam inſignis fuit. Celebratur à Carolo Vermanderio. Inter alia ejus excelluit imago quædam mulieris Evangelicæ in adulterio deprehenſæ.

LEVINUS HULSIUS Gandavenſis, emiſit in lucem anno 1597. *Chronologiam*, id eſt, *brevem deſcriptionem rerum memorabilium in Provinciis* hac adjuncta tabula Topographica comprehenſis (ſcilicet Hungaria Tranſylvania, &c.) geſtarum uſque ad annum 1597. Impreſſit Noribergæ. Item *tractatum alium*, cui titulus *deſcriptio uſus viatorii & horologii ſolaris*, cum quo ad quævis loca etiam incognita abſque itineris magno errore proficiſci licet per Germaniæ præſertim, Galliæ, Italiæ, Hiſpaniæ, &c. itinera. Alium item hoc titulo. *Uſus quadrati & quadrantis Geometrici:* cui acceſſit ejuſdem *novi Inſtrumenti uſus ad ferendum peraccomodi*, ad diſtantias, latitudines, altitudines & profunditates dimetiendum aptiſſimi, &c. item quâ ratione tormenta bellica erigenda ſint, & Sphærularum pondus ac pulveris bombardici quantitatem declarat. *Acceſſerunt ſchematum aliquot triangulorum, æqui-Angulorum proportiones ocular iter demonſtratæ.* Impreſſit Noribergæ *XII. Primorum Cæſarum* & LXIV. ipſorum uxorum ex antiquis Numiſmatis *in ære inciſæ effigies*, atque eorumdem earundemque vitæ ac res geſtæ ex variis auctoribus collectæ per dictum Levinum Hulſium. Impreſſit Joannes Collitius Francofurti ad Mœnum. Ejuſdem *prodit uſus quadrati & quadrantis Chronologici.* Item *Emblemata Anniverſaria Academiæ Altorfinæ.*

LEVINUS LINIUS Gandavenſis, ſcholæ Middelburgenſis in Walachria & Antverpienſis etiam Rector, Grammaticus, ac Poëta ſuo tempore egregius. Scripſit *Epigramma in Gryſelida Elegii Houcarii*, *item, Luciani Dialogos ab Eraſmo Roterodamo verſos.*

LEVINUS PANAGATHUS, Vir Græcè Latinèque doctiſſimus, Flandriæ Heraldus armorum, vulgò, *Herault des armes. Orationes quaſdam* in genere demonſtrativo *& carmina* ſcripſit in Academiis Germaniæ Typis excuſa, in fata conceſſit Ulmæ 25. Januarii anno 1547. qua die Carolus

Digitized by Google

rolus Cæſar Ulmam adpulerat, Levini carmen hoc eſt Chronographicum in mortem Eraſmi.

OrbIs glorIa totIVs, deCVſqVe
HoC qVIeſCIt ErasMVs In ſepVL-
Chro.

Sunt autem Heraldi amorum, patritiarum nobiliumque familiarum velut nomenclatores, qui exactiſſimè norunt, quibus metallis (ut ita loquar) coloribus, figuriſque ſingularum familiarium arma gentilitia ſint inſignita, aut ornata, quomodum diviſa, partitave, ſuntque velut ignobilis vulgi cenſores, arcentes, prohibentes, ne temerè ſe nobilium familiis immiſceant, neve earum inſignia adſumant; ſciunt ex arte ſua quam armoriſticam, ſive heraldicam vocant, hi omnium optimè, quis in Comitiis quis in nuptiis, ſeu epulis publicis, quis in nobilium funeribus modus ſervari debeat, quæ ſanè Heraldorum diſciplina ſuperioribus ætatibus ſatis *religioſè in Belgio* obſervata, *nunc* multis in locis magno ingenuarum familiarum malo collapſa eſt.

Levinus Pontanus J. U. Doctor, ac primarius Canonum in Academia quondam Duacena profeſſor, præter ea quæ ad manus noſtras non pervenerunt. Scripſit *Tragœdiam pereruditam de erectione vituli aurei*, *Synopſin item decretalium juris.* Adoleſcens Gandavi luſerat *Europæ querelam* verſu heroico ad Matthæum Donſanum Præceptorem ſuum, editum ibidem typis Judoci Lamberti.

Levinus Sanderus Antonii Pater, & Joannis, de quo ante locuti ſumus, filius, anno 1561. Bononiæ in Italia ſub Thoma Campegio Epiſcopo tunc Feltrenſi, & Bononienſis Academiæ Cancellario, Medicinæ Doctor renuntiatus eſt. Ejus rei diploma ab eadem univerſitate, & illuſtri medicorum collegio in ampla forma conceſſum, penes me latet. *De Epidemica lue cavenda, curandaque*, quæ anno 1584. Antverpiæ graſſabatur, in gratiam præcipuè & ſolatium populi tenuioris ſcripſit *Tractatum valdè utilem*, quem penes me Mſc. adhuc habeo aliquando bono publico evulgandum.

Levinus Sanderus Antonii frater, Societatis Jesu Sacerdos, ac Sacræ Theologiæ Profeſſor. Scripſit hactenus *varias orationes in laudem Virginis Matris*, elegantes & eruditas, quas in Eccleſia ſui Ordinis juſſu ſuperiorum ſuorum coram Primatibus ejus urbis non ſine adplauſu dixit. Plura à felice ejus ingenio adſpitantibus ſuperis expectamus.

Levinus Tayardus Pictor. Ejus meminit Dionyſius Harduynus & Carolus Vermanderius in ſuo de claris pictoribus, veteribus & modernis volumine.

Levinus Torrentius. Vir ſacrâ liberalique Doctrinâ ad miraculum uſque excultus fuit, ac lyrici carminis poſt Horatium, vel ipſorum Italorum judicio, princeps habendus. Hic perennis perpetuique torrentis inſtar ſacra carmina ad extremam uſque ætatem; mirâ ubertate profudit: ſacra inquam, & Pio Quinto Pont. Max. cui inſcripſit, argumenti pietate digniſſima, lyricis etiam verſibus de Partu Virginis cum Jacobo Sanazario de Palma contendit, ut ſuo quiſque carminis genere doctorum hominum ſuffragiis in ejuſdem argumenti tractatione excelluiſſe videatur, neque vero alienum ab Epiſcopi dignitate exiſtimandum in Dei laudem, poeticam adhibuiſſe, cum & Paulus gentium Doctor Hymnis & Canticis Deum celebrari jubeat, nec jam inde ab initio naſcentis Eccleſiæ exempla defuerint, quo in numero familiam ducunt Damaſus Pontifex, Nazianzenus, Damaſcenus, Ephraim Syrus, Theodorus Prodromus, Paullinus, Alcimus, Fortunatus Proſper, Sidonius, Ambroſius, Orientius, ut interim Prudentium, Aratorem, Juvencum Sedulium, ac cæteros ommittam. Igitur Levinus ad litterarum & Juriſprudentiæ ſtudia Lovanium miſſus, adoleſcens urbis illius Martino Roſſemio Geldrogallici exercitus duce obſidionem ſpectavit, & carmine elegiaco luſit, poſt in Italiam diſciplinarum parentem, cum duobus Juniis fratribus patriciis Antverpianis profectus, qui ſummo adplauſu de Jure Bononiæ reſpondentes, lauream ſunt adepti. Alter etiam fratrum Alexander ob ingenii doctrinæque præſtantiam, mox Pontificii Prætorii Judex eſt renuntiatus, ſed in ipſo curſu ante diem anno ætatis xxx. extinctus. Torrentius à doctis hominibus colebatur, in his Joanne Morono, Gulielmo Sirleto, Carolo Boromæo (quem nunc Sanctorum Catalogo adſcriptum Eccleſia veneratur) Cardinalibus, Antonio Auguſtino, Octavio Panagatho, Hippolyto Salviano, Baſilio Sancho, Hippolyto Capilupo, Laur. Gambara Gab. Faerno P. Manutio, Fulvio Urſino, cæteriſque. In patriam reverſus ab Everardo à Marca Cardinale Eburonum Principe ad Contubernium invitatur, & ob ſingularem fidem opimo Sacerdotio donatur. Poſt apud Gerardum Groesbecium & Ern. Bavarium ex ordine ſuccedentes non minus gratia valens, Archidiaconus Brabantiæ eſt creatus. Obitis autem variis legationibus, à Philippo ſecundo Rege verè Catholico,

lico, Franciſco Sumnio humanis rebus exempto Antverpiæ præſul datur. Antiquitatis erat in primis ſtudioſus, & in paucis ignarus, cumque Romæ in luce doctorum hominum verſaretur, nummos veteres, ſigna, tabulas libroſque calamo exaratos magnâ induſtriâ collegit. Juris quoque antiqui peritus fuit. His præſidiis hiſtoriam Romanam mirificè illuſtravit, & *commentarium eruditum in Suetonii Cæſares* iterum evulgavit. *Horatium quoque* inſigni ac copioſo *Commentario* ab ipſo *illuſtratum* Andreas Scottus poſt mortem edidit. Plura apud hæredes latent. Marmoreus hujus tumulus, quieſcentis habitu, viſitur Antverpiæ in æde Cathedrali Beatæ Virginis, hoc elogio.

Levinus Torrentius Patriâ Gandavenſis, litteris & legationibus domi foriſque ſpectatus, ex Archidiacono & Leodienſis Principis Vicario generali II. Antverpienſium Epiſcopus, III. Mechlinienſium Archiepiſcopus deſignatus, collegii Societatis JESU *apud Lovanienſes fundator, ad rerum Status Belgii Concilium vocatus dum præcipitantem Rempublicam fractis viribus, animo infracto, conſiliis ſuſtentat Bruxellæ deceſſit* VI. *Kal. Majas* M. DXCV. *Vixit annos* LXX.

LEVINUS THUNÆUS Geometra ac Mathematicus, licet Latinarum litterarum præſidiis deſtitutus, non vulgaris. *Edidit Ephemerides Meteorologicas* in uſum ſuorum Civium. Impreſſit eas Gualterus Manilius annis pluribus. Supereſt ei filius Petrus felice ingenio acrique judicio Adoleſcens, qui ad Matheſios, aliaque bonarum artium ſtudia gnaviter incumbens, litteriſque Latinis non leviter tinctus, laudes patris indole propriâ reddet clariores.

LEVINUS VANDER PIETIUS, Patrius, fuit Balduini vander Pietii Juriſconſulti & Profeſſoris Duaceni, ad B. Virginis Cameracenſis Canonicus ejus ſingularem eruditionem ac virtutem deprædicat Joannes Sylvius medicus in præfatione ad Philippum ſecundum Regem Catholicum libri ſui de tuenda valetudine ſtudioſorum.

LEVINUS AMMONIUS, profeſſione Carthuſianus, Patriâ Gandenſis, piè & eleganter anno 1542. ſcripſit cum ageret apud Carthuſianos propè Bruxellam, *de filio minore natu* apud Lucam 15. cap. qui ad reſipiſcentiam omnes invitat. Eodem anno eum librum Impreſſit Lovanii Rutgerus Reſcius. Eidem tractui juncta eſt in calce ejuſdem *Ammonii Elegia ſive de tempeſtiva piè vivendi electione cohortatio: & Epitaphium Græcum* verſu Elegiaco ſcriptum in obitum Arnoldi Ovidrii morte immatura ſublati. Extat ejuſdem *carmen elegiacum in Cornelii Scribonii Graphæi Panagnen. Volumen Epiſtolarum* ad viros doctos pleroſque doctiſſimè ſcriptarum poſt ſe reliquit, quod in manus Levini Torrentii Antverpienſis nuper Epiſcopi digniſſimi pervenit, ut ejus auſpiciis prælo committeretur. Obiit Ammonius Gandæ in Carthuſia Regiæ vallis Jubilarius & laudabili vitâ functus anno 1556. Laudatur ab Eraſmo Epiſtolâ ad Carolum Utenhovium Baſileæ ſcripta Kal. Feb. anno 1529. ubi ſic ait; *nec enim aliundè quam Gandavo feliciora prodeunt ingenia, nec expreſſiora priſcæ virtutis exempla, quorum & hodie ſuperſunt Ludovicus à Prato, de quo dubites litteris ſit ornatior, an ſtemmatibus, Gulielmus à Vals, cujus ingenio nihil excogitari poteſt dexterius, Antonius Clava ſenex quidem ætate, ſed animi bonis omnibus unicè vernans Andomarus Edingus niveis homo moribus, Levinus Ammonius vir eruditione juxta ac pietate inſignis, Nicolaus Utenhovius Juvenis nihil non eximii de ſe pollicens, aliique complures, &c.*

LUCAS DHEERIUS, Gandenſis pictor etiam elegans, nec infelicior Poëta, è Gallico vertit *Pſalmos Davidicos Clementis Maroti*, quos Gandavi Impreſſit Manilius anno 1565. Sed quod non ex fide tranſlati ſint eos in manibus habere non licet. Varia ab eo depicta ſunt, & poſita in æde primaria Gandavenſi, cum in ea Philippus ſecundus Hiſpaniarum Rex Catholicus anno 1558. crearet equites aurei velleris; pater ei fuit Joannes inſignis Iconographus, Mater Anna Smyteria, de qua ante dictum eſt. Diſcipulus fuit Franciſci Flori. Angliam, Galliam aliaſque Provincias perficiendæ artis cauſâ, peragravit, Principibus etiam quibuſdam, ac Dynaſtis carus fuit. Edidit vernaculis verſibus Pomarium Poëticum, & alia quædam. Obiit anno 1584 Luculentum ei elogium adſcripſit Carolus Vermanderius.

LUCAS HOORENBANTIUS, Gandenſis Miniator (Harduyno teſte) elegantiſſimus fuit. Memoratur à Georgio Vaſaro Aretino, & à Ludovico Guicciardino in deſcriptione Belgii. De eo verò nihil in Carolo Vermanderio reperi.

LUDOVICUS A FLANDRIA, Ludovici filius Ludovici nepos, Joannes pronepos, Ludovici cognomento Friſonis abnepos, Ludovici Comitis Malani atnepos, Nobiliſſimus Flander, doctrinaque, Lega-

tionum,

tionum, ac rerum pro Cæſare Carolo Quinto geſtarum gloriâ notiſſimus, Dominus à Praet Woeſtine, Woeſte, Elverdinghe, Vlamertinghe, &c. Annis aliquot dignitatem geſſit Præturæ Brugenſis Franconatium, & Gandenſis, Eques deindè factus aurei velleris, atque à Concilio Status. Secundus Cæſaris Cubicularius, & finantiarum Præfectus fuit, Gubernator etiam Hollandiæ, Zelandiæ, Ultrajecti, Ductor Equitum gravis armaturæ ac Præfectus majoris Arcis Sluſanæ. Heros, (ut ait Harduynus) hinc uſque ad Sidera notus, ob infinitas virtutes, & eximia in Rempublicam merita ab omnibus viris doctis, Poetis, & Hiſtoricis ſui temporis celebratus, utpotè Doctorum proborumque virorum Mœcenas unicus. *Epiſtolas multas* doctiſſimè & latiniſſimè ad doctos & Illuſtres viros ſcripſit, quarum quædam extant. Moritur Bruxellis anno 1555. ſepeliturque in Haeltere pago ſuo, qui inter Gandavum & Brugas medio ferè itinere ſitus eſt. Nigri marmoris eleganti tymbo decoratus. Ejus manibus benè adprecatur Dionyſius Harduynus, quod ille Thomæ Harduyno parenti ſuo (qui ejus in Flandria pœnè omnia negotia adminiſtrabat) auctor fuiſſet, ut in ſtudiis litterarum filios ſuos educaret, quo facilius ipſos ad dignitatem aliquam (quæ illi ſumma poteſtas erat) proveheret.

Ludovicus Brunius, Gandavenſis Poeta Laureatus (uti teſtis eſt Dionyſius Harduynus) Circa annum Domini 1483. vixit, & *ſcriptis Epitaphiis & Epigrammatis variis* nomen aliquod acquiſivit.

Ludovicus Blaserius, Idewalli Dominus, Patritius Gandavenſis, & Eques Hieroſolymitanus, vir Civilium rerum gnarus, ac de Republica Gandavenſi benè meritus. Scripſit *itinerarium profectionis à ſe ſuſceptæ* in terram Sanctam, Ægyptum, Syriam, aliaſque Aſiaticas & Europæas regiones. Liber apud filium, itidem Ludovicum non minus virtutibus quam ſanguine nobilem, Mſc. latet, ac bono publico aliquando vulgabitur.

Ludovicus Lautius, Presbyter atque ad Divi Michaëlis Gandavi per annos aliquot Curio, ſacris litteris imbutus, atque in politioribus diſciplinis verſatiſſimus fuit. Scripſit *in Varronem, in Triumviros item Amaſios Catullum, Tibullum, Propertium notas* doctiſſimas. Scripſit etiam *verſu ad amicos varia*, quæ indolem ingeniumque ſummum in viro probant. Edet ea Juſtus Rycquius in delitiis Gandavenſium Poetarum. Major apud aliquos futurus erat, ſi candorem effuſumque animi liberalitatem apud eos, qui ſe fictâ morum compoſitione & Hypocriſi tuentur, continere potuiſſet.

Magdalius Jacobus, Ordinis Fratrum Prædicatorum, teſte Gazæo in Bibliotheca. Edidit librum cui titulus *correctorium ſive Epitome Bibliorum cum quarumdam difficilium quæſtionum luculenta expoſitione.* Vixit circa annum 1550. Scripſit & Compendium Bibliorum Metricum 257. verſibus. Litteris Græcis ac Latinis imbutus fuit. Hunc Valerius Andreas in ſua Bibliotheca Gandavo-Batavum facit.

Maillardus Vulderius, J. C. origine quidem Furnenſis, at præclaris in civitatem noſtram meritis, longâque habitatione civis Gandavenſis. Præſtantiſſimorum Bituricenſis ſcholæ Anteceſſorum Franciſci Duareni, & Jacobi Cujacii, Lovanii autem Gabrielis Mudæi diſcipulus, ut primum ex Academiarum umbris domum reverſus eſt, cœpit in Comitio Flandrorum, præſidiis eloquentiæ confiſus, litigantium deſideria exponere reorumque periclitantium cauſas dubias defendere, undè poſt paucos annos evocatus S. P. Q. Aldenardino à conſiliis extitit, magna ſemper herclè meritò auctoritate. Anno dein 1584. Gandavo partibus regiis dedito, ab ingenti virtute, integritate, rerum gerendarum uſu & erudita facundia undique commendatus notuſque primarius adſeſſor ſeu Penſionarius urbis Gandavenſis fuit, & res graviſſimas difficillimis temporibus cum ſumma laude ſine invidia adminiſtravit. Anno poſtea 1586. in Curia Flandriæ Patronus fiſci creatus omnibus admirationi fuit, ubi enim quid in deliberationem caderet, quod inextricabile videretur, ibi incredibilem in diſſerendo ſubtilitatem manifeſtabat, & Romani noſtrique Juris callentiſſimus ad omnem propoſitam quæſtionem legum catervam maximâ memoriâ & felicitate adducere ſolitas, utiliſſimas ſi uſus ferret, ſententias ex graviſſimis hiſtoriarum ſcriptoribus, aut Philoſophorum præceptis veluti ſale commodè adſperſerat; & certe ut multa ſummatim dicam, doctorum omnium bonorumque virorum conſenſu Mercurium in ore, Genium in præcordiis, in capite Palladem perpetuo, uti loquitur Harduynus, geſtavit. Tandem exantlatis magnis laboribus Phtyſicâ febri conſumptus, ſexagenario minor, hujus mortalis vitæ ſortem derelinquens, anno 1592. in Martio, raptus eſt ad immortalem perpetuoque felicem. Porrò ille multa ſub ſe habuit majorum vi-

vigiliarum opera, in jure civili elucubrata, ac inter cætera *volumen reſponſorum ſive conſiliorum* in quibus reconditarum materiarum nodos difficiles ſolerti ingenio, & exquiſito judicio ſolvit, quibus moriens Colophonem imponere non potuit. Sunt vero tres illi ſuperſtites etiamnum filii, paternarum non minus virtutum, quam nominis hæredes, quorum natu major Maillardus Vulderius Legum cognitione & æquitatis amore clariſſimus ſanctioris apud Mechliniam Concilii Adſeſſor eſt. Alter Antonius eodem, quo pater olim, jam pridem munere nobilis, & fiſci in curia noſtra Patronus, nunc etiam Conſiliarius. Tertius eſt Judocus Vulderius, linguarum, Matheſeos, Juris item & omnium elegantiorum diſciplinarum ſcientiſſimus librariæque ſuppellectilis amantiſſimus, quod ejus omni librorum genere inſtructiſſima bibliotheca, inter urbis noſtræ primas ſatis teſtatum facit; quâ cum aſſiduè utatur: ſperandum omnino eſt, Rempublicam litterariam illuſtribus aliquando ſtudioſorum ſuorum monumentis ab eodem exornandam.

MARCUS NEVIANUS, Philoſophus ac Medicus, Poëta quoque non infelix, Macrum imitatus, *quædam de viribus plantarum ſcripſit carmina*, eademque Lamoraldo Comiti Egmundano Flandriæ & Artheſiæ Præfecto dedicavit.

MARCUS VARNEWICUS, Nobili & vetuſtâ Varnewicorum familiâ oriundus, Vir fuit in antiquitatibus patriis indagandis maximè ſedulus indefeſſæ ſcriptionis, ut è variis vaſtiſque voluminibus, manu ejus exaratis videre poſſumus. Plurima vernaculo Idiomate compoſuit, nam alterius nullius, quod ingenuè alicubi confeſſus eſt, peritus erat, majorem indubiè laudem apud doctos habiturus, ſi non Apocryphis multis, & improbatæ fidei narrationibus ſcripta ſua contaminaſſet. Quæ autem vel adhuc latent, vel Typis edita circumferuntur ex ſuggeſſione Joannis Dhollanderii adfinis ejus hæc ſunt. *Ephemerides eorum, quæ circa urbem Gandavum acciderunt*, nuper ad initia graſſantium hæreſeon ab anno M. IↃLXVI. ad M.IↃLXVIII. decem libris comprehenſæ. *De gentilibus ad fidem converſis libri tres, Dialogus de admirabilibus ædificiis orbis, de pudicitia Rythmicè, Hiſtoria Belgis civitatis antiquiſſimæ.* Impreſſit eam primum Gandavi Gerardus Salenſonius, & nuper Antverpiæ Hieronymus Verduſſius, *De Idololatria, Philoſophia laicorum, de ſeptem peccatis capitalibus. Clypeus fidei Chriſtianæ* per Joannem Bunderium Cenſorem Dominicanum approbatus. *Chronica abor-be condito Rythmicè, Itinerarium Romanum, liber Rythmicorum, hiſtoria Tobiæ Rythmicè. Cynolalia*, ſeu mutua colloquia canum Rythmicè, *Ἀλεξίκακον adverſus hæreſeon peſtem, De origine ac ſitu Oppidi Gandavenſis, Panoplia adverſus peccata capitalia, navigatio Luciani. Tres Epiſtolæ Catholicæ adverſus Anabaptiſtam quendam. Speculum Anabaptiſtarum, Stratagemata & excidia Anabaptiſtarum, Profectio Zelandica, Deſcriptio Comitatus Flandriæ. Chronicon Flandriæ Teutonicum, faſti Conſulares* cum notabilibus eventis in urbe Gandavenſi uniuſcujuſque conſulatus. Brevi virum candidum & laborioſum elogio honorare lubet.

Hic erit ut perhibent doctorum ſcripta virorum:
Marcus Gorduna primus in hiſtoriâ.

MARTINUS MICRONIUS Gandavenſis medicus, in pleroſque *Anatomicos Galeni libros, in libros item de placitis Hippocratis & Platonis argumenta ſcripſit*, quæ cum Latinis Galeni operibus excuſa ſunt Baſileæ apud Frobenios anno 1549.

MATTHAEUS GAIUS, Eccleſiæ Parochialis S. Nicolai Gandenſis Paſtor. Scripſit *libellum Teutonicum de Conſervatione Chriſtianorum adverſus hæreſes.* Item *quomodo unuſquiſque ad confeſſionis & Sacroſancti Corporis & Sanguinis Domini noſtri Sacramenta accedere debeat.*

MAXAEMILIANUS VRIENTIUS, S. P. Q. G. à ſecretis, & temporibus dubiis in fide erga Regem & Catholicam Eccleſiam etiam in cataſta conſtans: Poëta facilis, & elegantis ingenii fuit, verum in Satyras morſuſque pronior; Scripſit *Epigrammatum libros aliquot. Urbes item Flandriæ, Brabantiæque verſibus elegiacis.* Impreſſit eas Lovanii Gerardus Rivius. Ibidem *poëmata ejus ſacra* evulgavit Chriſtophorus Flavius, *Epitaphia ejus varia & elegia* apud hæredes latent, cum Franciſco Harduyno deſcripſit *pompam & publicam gratulationem* in adventu Sereniſſimorum Archiducum, Alberti & Iſabellæ Flandriæ Comitum ad urbem Gandavenſem anno ſæculari. Impreſſit Antverpiæ Joannes Moretus. De eodem Valerius Andræas merito & in hunc modum. *Maxæmilianus Vrientius, &c. Poëta inter Belgarum primos in Epigrammatis lepidus & feſtivus; in Anagrammatis felix & ſubtilis, in Elegiis facilis & ſibi ſemper æqualis in Heroicis ſerius & verè Heroicus*, &c. Natalem vero diem & vitæ ſuæ curſum ipſe elegia quadam decurrit, è qua vitæ ſeriem propono.

Chriſte,

Digitized by Google

Chriſte, meus natalis adeſt, tibi gratia Chriſte,
Cujus ab auſpicio lux redit iſta mihi.
Ultima lux Jani geniali luce fruendum.
Jam decimum luſtrum quæ mihi læta vehit.
Naſcentem excepit Verani Principis aula:
Nomine dignatus me fuit ille ſuo,
Ille potens veræ & Fliſſinghæ Marchio, Cattus
Cujus in Imperio Mattiacuſque fuit.
Flandria mox natum, proavitaque Ganda recepit,
Illa mihi nutrix, & ſchola prima fuit.
Intendit digitum Kerckhovi cura magiſtri.
Aonas ad fontes, pieridumque nemus.
Lovanium Sophiâ, leviterque Lutetia Jure
Tinxit, in Italiam dum vagus error agit.
Hic ego Parthenopen Romanaque mœnia vidi
Et Venetum fines, Euganeoſque ſinus.
Inde iterum dulci me Ganda reſorbuit æſtu.
Multa ſolo paſſim tædia, multa mari.
Accipit Incolumem genitrix gratantibus ulnis
Patre pio erepto menſibus ante tribus.
Defuncti officium Dominâ invitante reſumo,
Hic ſtetit heu! ſtudiis ultima meta meis.
Harduynia inde ſuis juvenem me cepit ocellis,
Intactum cunctis inde cupidinibus.
Concordiam Thalamum diſcordia publica leſit,
Immerito exſilio, carcere & obſidio.
Omnia conſtanti quæ mente tenellula conjux,
Paſſa diu, puerum dum parit, ipſa perit.
Felix illa Polo cum prole recepta, ſepulta,
Corde meo, & ſemper carmine viva meo.
Vitia poſt viduum me torruit igne ſecundo,
Signantem parii publica ſcita fori.
Illa mihi jam nunc luſtris prope quinque cohæret
Di tribuant oculos claudat ut illa ſeni.
Aut ſoror, aut cari patris unica filia nuptam.
Cruycquenburgiacus quam ſibi duxit herus.

Michael Paludanus, Gandavenſis Eremita Auguſtinianus, teſte Valerio, Lovanii anno 1622. xi. Octobris, S. Theol. Doctor renunciatus, & Profeſſor ibidem in ſtudio Provinciali Ordinis ſui. Vir à primis etiam, tum vitæ annis, adulti ac maturi ingenii Judiciique, voce ſtiloque elegans, ſive Philoſophiæ ac Theologiæ arcana è ſuperiori loco aperit, ſive etiam ad populum de verbo Dei verba facit. Dedit nuper Verduſſii Typis anno 1621. 8. *Iſagogen ſive introductionem dialecticam* ſcholis Auguſtinianorum ſcriptam. *Varios quoquè compoſuit verſus*, & elegante imprimis Jambo proſecutus eſt primitias fratris ſui Neomiſtæ Antonii Paludani itidem Auguſtiniani.

Michael Zachtmoorter, Presbyter S. Theol. Licenciatus & Eccleſiæ S. Martini in Ackerghem Gandavi Paroecus. Scripſit *Idiomate vernaculo* ediditque Antverpiæ anno 1623. *Libellos duos* ad excitandam & promovendam fidelium pietatem non inutiles, quorum primo titulus eſt, *Sponſus ſanguinum*, Alteri *Thalamus Sponſi.*

Nicolaus Biesius, Poëta, Philoſophus, ac Medicus inſignis, Gandavi natus anno 1516. vi. Kal. Aprilis, poſt facta in Patria litterarum Tyrocinia & libata Lovanii medicæ artis principia, in Hiſpaniam conceſſit, ac Philoſophicis in ea ſtudiis eloquentiæque operam dedit, Valentiæ editanorum & Calabriæ Ducibus familiaris ac gratus vixit, Itemque Joanni Baptiſtæ Agneſio Sacerdoti ac Poëtæ Valentino. Scriptis editis claro. Lovanium redux, Medecinæ cathedram annos aliquot ſuſtinuit, & in turbis Belgicis ad Albanum ducem Oratoris Academici munus, ex fide obruit, poſt à Maxæmiliano II. Cæſaread valetudinis ſuæ curam accitus ibidem vivere deſiit, anno 1573. Scripſit pleraque Stilo caſto latinoque, *orationem de laudibus litterarum*, *de arte dicendi ſeu Rhetorica.* Antverpiæ anno 1577. 8. *de Reipublicæ* ſive de univerſa morum Philoſophia lib. 4. ibidem anno 1556. 8. *de varietate opinionum libellum*, *de univerſitate ſive de Phyſica atque univerſa natura Philoſophiæ* lib. 3. *proſâ & carmine* anno 1556. 4. & hæc quidem in Philologia ac Philoſophia. Medica vero in arte conſcripſit, *de methodo medicinæ* anno 1564. 8. *Theoreticæ Medecinæ* libros duos anno 1558. 4. *Commentarios in artem Medicam Galeni* anno 1560. 8. omnia Martini Nutii Typis Antverpiæ evulgavit. Vide de eodem Petrum Caſtellanium in vitis Illuſtrium Medicorum. Aubertum Miræum in Elogiis, &c.

Nicolaus Burgundus J. C. & in Curia Flandriæ Cauſſarum Patronus, Vir ingenio & doctrinâ præſtans. Scripſit hactenus *Tractatum ad conſuetudines* ejuſdem Provinciæ. *Poëmata ad Clariſſimum virum Joannem de Villela* ſancti Jacobi Equitem, Conſiliarium Regium, nec non Juſtitiæ militaris ſupremum apud Belgas Præfectum, *Hiſtoriam Belgicorum tumultuum* ſtilo eleganti, & non ſine prudentiæ laude. Plura indubiè ſelecturus Reipublicæ lit-

litterariæ ingenii ſui monumenta.

Si res, & ætas, & Sororum
Filia trium patientur atra.

Legit ejuſdem *orationem de gradibus ad eloquentiam* Valerius, Lovanii dictam & editam in Paleſtra Puteanea bonæ mentis.

NICOLAUS NEELSIUS, Dominicanus, Sacræ Theologiæ Doctor, Cœnobii quoque Gandavenſis Prior, ac Provinciæ Teutonicæ magiſter Provincialis. Scripſit *luculentas in Geneſin & Epiſtolas Divi Pauli, alioſque ſacræ ſcripturæ libros conciones*, quæ in Gandavenſi Monaſterio Mſc. latent, & ab ejuſdem inſtituti religioſis verbum Dei prædicantibus leguntur. Tale Epitaphium in ambitu ejuſdem Cœnobii ſepultus habet.

Morte obitâ & variis duri languoribus ævi
Hic Nicolaus Neelſius.
Ordinis Antiſtes hujus, quam Belgica latè,
De factis oſtendit ſuis,
Compoſitus placidâ requieſco in pace, ſepultum
Votis juvate poſteri:
Præcipuè fratres, ut vobiſcum hinc aliquando
Ad Cœlitem vitam vocer.

NICOLAUS STOPIUS, ſuperiore ſæculo Venetiis vixit, carmina in variorum operum commendationem edidit *multa, ac notatim in Pauli Jovii Epiſcopi Nucerini hiſtorias, magnum item Poëma in Demoſthenem* interpretatione & Commentariis Hieronymi Wolphii illuſtratum.

NICOLAUS TRIESTIUS, Patritius Gandavenſis, Vir Conſularis, non minus virtutibus propriis, quam majorum honoribus nobilis. Scripſit Elegante terſoque ſtilo *Elegiam Encomiaſticam* in laudem Beatiſſimæ Virginis Deiparæ, quam publici aliquando juris futuram, utpotè omnium lectione digniſſimam ſperamus & optamus. Ad illam Elegiaco etiam metro reſpondit Joannes Baptiſta Trieſtius, Nicolai frater, eà profectò ſtili acrimoniâ & eruditione, ut meritò lector dubitari poſſit, uter alteri in hoc, licet brevi, pio ac laudabili argumento, palmam præripiat. Scripſit & idem Nicolaus carmen elegans, defuncto parenti ſuo Philippo Trieſt Equiti, quod cum aliis eruditorum virorum næniis Joannes Baptiſta evulgavit. Plura latêre apud eundem utpotè virum bonis artibus ac elegantiis omnibus quam maximè imbutum non dubito, quæ hactenus ejus modeſtia aliis animi ornamentis conjuncta proemit.

NICOLAUS UTENHOVIUS, Caroli Utenhovii Viri Doctiſſimi Pater & ipſe Doctiſſimus, Concilii Provincialis in Flandria Præſes. Scripſit *varias eaſque elegantes* ad Eraſmum Roterodamum alioſque ſui ævi viros Doctrinâ præcedentes *Epiſtolas*: Multæ viciſſim ad hunc Eraſmi extant Epiſtolæ, qui quanti eum fecerit, abundè teſtantur.

NICOLAUS GORRANUS Tornacenſis Ordinis Prædicatorum à Confeſſionibus Regis Gallorum, reliquit in omnes Divi Pauli Epiſtolas Scholaſticam poſtillam; commentatus eſt quoque in Pentateuchum, in Pſalterium, in Eccleſiaſtem in Eccleſiaſticum, in Threnos, in Cantica, in quatuor denique Evangeliſtas. Vide Sixtum Senenſem Bibliothecæ ſanctæ lib. 4.

OLIVERIUS LANGIUS, Prior ſancti Bavonis. Floruit circa annum Domini M.CCCCXLI. Scripſitque *ſermones varios, de ſancto Bavone, de aſſumptione Virginis Deiparæ*, item *tractatum de vitio Simoniæ*, quæ omnia mſc. in Bibliotheca Eccleſiæ Cathedralis Gandavi latent.

PAULUS HOUCANUS, Ægidii frater Gandavi Ludum litterarium Latinæ linguæ aperuit: ejus non inhonorificam mentionem facit Joannes Baptiſta Gramajus in primitiis ſuis Antiquitatum Gandavenſium cap. XXXV. Marchantius quoque in ſua deſcriptione Flandriæ.

PETRUS A GANDAVO, Ordinis fratrum Minorum, Vir æterna laude digniſſimus, qui & ſi eam doctrinam non habuit, quæ in ſcholis acquiritur, eà certè abundavit, quæ de cælo eſt, idque ita ut magnus apud Indos habitus fuerit, nam hic ex tribus illis Franciſcanis, qui primi novam Hiſpaniam, anno 1529. cum Ferdinando Corteſio adierunt, unus talia præſtitit, quæ non niſi à bene litterato præſtari poſſent. Nam aliorum duodecim patrum ejuſdem ordinis præceſſor, ut prima pingendi elementa ita aliarum diſciplinarum liberalium viam indigenis illis aperuit. Mexici puerorum Gymnaſium exercendis incultis illis ingeniis erigendum curavit; prædicationi operam dedit, in qua ita valuit, ut etiam Sacerdotum, qui peregrinum idioma non callebant, concionando, munus obiret; cumque his & aliis dotibus clareſceret, humilitatis nihilominus ornamento maximè effulſit. Nam rogatus à Paulo III. Pontifice & Nuntii Apoſtolici apud Cæſarem Carolum litteris, quum & ab ipſo Ordinis Generali, ut Sacerdotio pateretur ſe initiari, atque hac ratione ſperaretur fore is, in quem Carolus Archiepiſcopatum Mexicanum conferret, nequaquam potuit perſuaderi.

Scri-

Digitized by Google

Scripſit non raro ad Patres eos adhortatus, ut operâ ſuâ in tam ubere ſegete adeſſent, eoque, ubi tam copioſus ſeſe offerebat animos Chriſto lucrandi campus, ſeſe conferrent. Anno 1572 toleratis quinquaginta annorum in colenda Indorum vinea laboribus Mexici beatè moritur. Vide plura apud Henricum Willotium & Franciſcum Gonzagam quarta parte hiſtoriæ ſeraphicæ.

F. PETRUS BACHERIUS S. Theologiæ Profeſſor (ut ore ſuo ad Dionyſium Harduynum loquitur) Patre viro conſulari, matre nobili ex Sanderorum familia natus, cum non omninò malè in litteris cùm ſacris, tùm prophanis eſſet verſatus, carmine & proſa: eruditus quoque, ac Poëta non infœlix, plurimos in ſuo Ordine, eſt honores dignitateſque conſecutus. Egit Gandavi in cœnobio Dominicanorum, aliquot annos Priorem, deinde quatuor annos Hagæ Hollandiæ, Lovanii quoque Dominicanis toto præfuit ſexennio. Poſtremo Calcariæ Clivorum Prioratus moderatus eſt habenas ferè quadriennio, unde Gandavum ſe recepit: ubi modo agit octogenarius. Anno autem 1580. à Patribus inferioris Germaniæ communibus ſuffragiis deſtinatus eſt Diffinitor, ut Romam ad Comitia Ordinis Generalia proficiſceretur. Ubi habuit coram totius orbis patribus orationem luculentam, quæ & paulò poſt Romæ data eſt prælo: habent honores, quemadmodum & divitiæ, ſuum Faſcinum, ſua Philtra ſed quæ Bacherii noſtri animum adeò non permoverunt, ut non aliquid jucundius ei fuerit, quam perpetuò libris eſſe affixum, & chartas eruditas carminaque ſubinde, quæ haberent genium, nocturnà verſare manu, verſare diurna. Hæc igitur monumenta & lucubrationes poſteritati tradidit. Imprimis Gandavi in lucem è prælo Maniliano dedit *Colloquia* Flandricè conſcripta, *inter animam amantem & Alethiam*, deindè *libellos duos de ſacrificiis in Miſolyturgos* Lovanii. *Hortulum piarum precum* Flandricè, qui liber ab Henrico Bogardo verſus eſt in linguam Latinam, & ab Antonio Cambier in Gallicam, eſtque ſæpiſſimè recuſus: editus ibidem *libellus*, Flandricè excuſus, *de tribus pœnitentiæ partibus*, Item *de militia Chriſtianæ diſciplina* ad Comitem Egmondanum. Edidit & *Homilias in Epiſtolam Quadrageſimalem ad Viglium*, prætereà *in Evangelia Dominicalia per totum annum*, cujus pars hyemalis dedicata eſt patri Seraphino de Brixa Generali Ordinis Magiſtro, æſtivalis autem Patri Paulo Coyeo inferioris Germaniæ Priori Provinciali. Antverpiæ prodiit è Plantiniana Typographia *tumultus paucus* conſtans mille ſexcentis verſibus Hexametris. Ex eadem officina exiit in lucem *Apologeticus pro fidelibus defunctis*, conſecratus Frederico de Granvella Perrenotto, Baroni Rothnaceno, Domino de Campagney; Duaci apud Joannem Bogardum impreſſa eſt *tabula ſacrorum carminum*, anno 1579. dedicata Abbati Cameracœſano Antonio de Le Mot. Gandavi excuſus eſt dialogus, cui titulus *Jurgium conjugale* cum altero dialogo. Cum ab eximio magiſtro noſtro patre Nicolao Neeſſio factus eſſem ejus Vicarius per Provincias Cliviæ, Gelriæ & Friſiæ, & unà Prior Calcarienſis in Clivia (ne hoſpes & advena ingratus forem) enixus ſum tandem litterarium fœtum, cui nomen eſt *Spongia*, libellus excuſus Embricæ, anno 1592. ac dedicatus ſupremo Senatui Clivorum. Dum Calcariæ adhuc ageret in Cœnobio ſuo Cœnobiarcham, in lucem emiſit *Speculum militiæ*, quod impreſſum eſt Coloniæ, & dedicatum Domino Judoco à Reynevelt genero Conſiliarii d'Aſſonvilii. Præter hos ſunt domi meæ tres fœtus alii, ſed quæ needum prodeunt, eo quod teneri ſint, & verſentur, ἐν τοῖς σπαργάνοις ac faſciis, at ſi grandeſcant, Mœcenateſque reperiant, propediem in lucem prodibunt, evolabuntque ex induto in manus hominum. In omnes *Epiſtolas Dominicales per totum annum* homiliæ, de *Indole, moribus, ac officio pii atque ſyncerè Chriſtiani Principis tractatus* eſt juſtæ magnitudinis. *Liber de tribus vitæ monaſticæ votis.* Moritur vir pientiſſimus in Patria, anno ætatis quarto & octogeſimo, pridiè Idus Februar. anno 1601.

PETRUS BUCCIUS, Artium & Medicinæ Doctor verſu conſcripſit, Typiſque evulgavit *prognoſticon futuri temporis*. Fuit & Geometra ac Mathematicus inſignis. *Ephemerides varias* quoque conſcripſit ad longitudinem 51. graduum 16. minutorum, latitudinem 26. graduum 7. minutorum.

Aſpicit arcano venturum Buccius ævum,
Intuitu varias eloquiturque vices.
Ergo vera pius ſi vulgat carmina vates,
Fas hunc Gordunum dicere Tireſiam.

PETRUS ABBAS VEDASTINUS. Hujus meminit cum honore Joannes Baptiſta Grammajus, in primitiis ſuis Antiquitatum Gandavenſium cap. 34. ſed an ſcriptis aliquibus in publicum emiſſis orbi ſe cognitum præbuerit, hactenus non lego.

PETRUS CATOIRIUS, Gandavenſis

Poëta elegans, & Mathematicus, Harduyno teſte inſignis, cumplurimum annorum *Ephemerides compoſuit* ad longitudinem 51. graduum 16. minutorum, latitudinemque 26. graduum 7. minutorum.

Petrus Massenus, Gandavenſis chori Muſici apud Carolum Quintum Cæſarem Rector, *edidit declarationem Orationis Dominicæ & ſalutationis Angelicæ*. Antverpiæ anno 1559. apud Gulielmum Simonem.

Petrus Montanus, Gandenſis, in Batavia vixit, dedit luculentam *deſcriptionem Belgii*, ſive XVII. Provinciarum Germaniæ inferioris; adhæret tabulis Geographicis à Petro Keyrio editis anno 1617. fol.

Petrus Rycquius, Eccleſiæ Tornacenſis Epiſcopus & Abbas S. Amandi Elnonenſis, Septuageſimus videlicet Tornacenſium Antiſtes. Vixit circa annum 1497. teſte Gulielmo Gazæo in ſuis Epiſcoporum Belgii Catalogis.

Petrus Rycquius, Præſes Middelburgenſis in Zelandia, teſte Valerio Andræa, in ſua ſcriptorum Belgicorum Bibliotheca. Scripſit *in Titulum de appellationibus*.

Petrus Scotus Gandavenſis, & ludi ibidem litterarii moderator, ac teſte Harduyno vir litteratiſſimus fuit. Adriani Barlandi illius qui hiſtoriam Ducum Brabantiæ conſcripſit, aliorumquè doctorum virorum etiam Præceptor. *Grammaticalia quædam compoſuit*.

Petrus Torrentinus, Vir eximiè doctus, ac Poëta elegans, ut ait Harduynus, Patruus Levini Torrentii Famigeratiſſimi Antverpienſium Epiſcopi fuit; ejus mentionem honorificam facit Ludovicus Guicciardinus in deſcriptione Flandriæ.

Petrus van Waesberghe J. C. Gandavenſis, celebri raràque eruditione vir, ſcripſit *vitas Comitum Flandriæ*, *Initia tumultuum Belgicorum*, *Analecta familiarum Illuſtriorum Belgii*, *de concordia juris nuncupalis Flandriæ, cum legibus Romanis*. Latent Mſc. apud nepotem Joannem van Waesberghe, & Joannem vanden Eeuchoute, dictum Grimbergis.

Petrus Vassorius Carthuſianus, & Cœnobii ejuſdem Ordinis ad Vallem Regalem juxta Gandavum Prior, antequam vitam monaſticam profiteretur, Pœdagogus fuit Philippi Regis Caſtellæ qui pater Caroli Quinti Cæſaris fuit; Petrus doctrinæ ac virtutum fama ſuo tempore clarus extitit, & opera quædam conſcripſit, quæ an alibi edita ſint, ignorare ſe fatetur Dionyſius Harduynus, in memorato jam ſæpius ſuo de Scriptoribus Flandris Commentario.

Philippus de l'Espinoy Brugravius Terrovennæ, Dominus Capellæ; vir eruditus, multa, eaque non parvi momenti adfecta habet, quæ juris etiam publici facere aliquando proponit, in patriæ præſertim nobilitatis gratiam, quæ autem in ſchedis habet ex indiculo Mſc. mihi tradito hæc ſunt. De origine & principiis Equitum, ſcriptus Italicè liber per Franciſcum Sanſovinum Gallicè redditus, in quo multa lectu jucunda & utilia omnibus præſertim Viris nobilitatis Equeſtris amantibus. Item Sylloge plurium fundationum Monaſteriorum Flandriæ & Brabantiæ ac de Matrimoniis quorundam Principum utriuſque Provinciæ. Farrago item continens connubia, partitiones hæreditarias & teſtamenta illuſtrium quarundam familiarum Flandriæ, excerpta e monumentis & actis publicis Senatus Gandavenſis ab anno 1349. ad annum uſque 1408. Alia quoque farrago ſimilium contractuum, ex actis publicis ſenatoriis ab anno 1339. uſque ad annum 1416. quæ priorè farragine non continentur. Compoſitus eſt ab eodem hortus nobilitatis Flandriæ, continens, Primum Saltuarios & ejuſdem Provinciæ Comites, minores item natu & illegitimos è Comitum ſtirpe deſcendentes cum inſignibus gentilitiis, titulis & dominiis quæ olim poſſiderunt, cum ejuſdem Provinciæ Præfectis eorundem titulis & armis. De Baronatibus item aliiſque nobilibus muniis, è quibus demum & quo tempore illa geſta; brevis item & ſuccincta hiſtoria Comitum Flandriæ, cum indice familiarum connubio ſtirpi Flandricæ junctarum in hodiernum uſque diem. Genealogia item Dominorum & Baronum Gaverenſium cum ejuſdem familiæ poſteris eadem ſtirpe natis, Toparchis de Lidekercke, de Breda, de Boulers, de Freſin de Traſegnies, &c. quæ omnia authenticis auctorum publicorum monumentis aliiſque indubiis probationibus aſſerta ſunt. Eſt & ejuſdem induſtria ac labore contexta hiſtoria Genealogica Comitum & Vicecomitum Gandenſium, Comitum & Vicecomitum Aloſtanorum, Dominorum de S. Janſteene, Tamyſienſium, Comitum Iſeghemii & Baronum de Raſſeghem, aliorum item ex familia Vicecomitum Gandenſium & Aloſtanorum ortorum.

Philippus Episcopius, raræ fœlicitatis Poëta. Vir moribus lepidis ac planè feſtivus. Scripſit *varia partim edita, partim* cum delitiis (quas Juſtus Rycquius parat) Gandavenſium Poëtarum *edenda*.

Dum

Digitized by Google

Dum ſtabunt magnæ ſublimia mœnia Gandæ,
Vivet Jucundi nomen Epiſcopii.

Mater ei fuit Matrona in Iprenſibus nobili ac vetuſto Dixmudiacorum genere nata, cui Epitaphium hujuſmodi olim Lucas Fruterius ſcripſit.

Quintinæ Dixmudiacæ Epitaphium.

Dulcis conjux dulces nati
Dulcis patria ſalveat.
Vixi quod potui; vobiſque, mihique ſuperſtes
Mente fui caſtâ, quod juvat oſſa mea
Lactavi, peperique & manſi fida marito
Servavique meam lanitioſa domum
Quintia dicta fui, Quintinam habuere parentes
Edita quinta fui, Quintia dicta fui
Si pia, ſi locuples Parcarum ſtamina ſiſtat
Viverem, at heu nulli ſunt bona tanta bono.
Ergo vale Conjux, natique valete paterni
Hoſpitium vobis ipſa parare abii.
Vos ubi letali ſuſcepta lampade cernet
Elyſium optatis accipiam hoſpitiis
Voſquè frui nobis Conjux natique juvabit
Mequè frui vobis. Ite valete abeo.
Salutis Conjux & nati Superſtites
Mortalitatis ſemper memores.

Philippus Mus Tornacenſis Eccleſiæ Epiſcopus, cujus honorificam fecit mentionem Joannes Baptiſta Gramajus in ſuis Gandavenſinm Antiquitatum primitiis Cap. XXXIV. Vixit anno M. CCLXXV. & Gulielmus Gazæus Canonicus Aerienſis in ſuis Epiſcoporum Belgii Catalogis, qui eum Canonicum ejuſdem Eccleſiæ & Cancellarium fuiſſe aſſerit ad annum Domini 1274.

Philippus Kersbellus Carmelita Gandavenſis: Scripſit *pro Immaculata puriſſimæ Dei Genitricis Conceptione Tractatum adverſus Vincentium de Caſtro novo.* Fuit ille Vincentius de Caſtro novo Ordinis Prædicatorum Prior Bononienſis, Lombardiæ Vicarius, ac tandem Ordinis ſui Magiſter Generalis trigeſimus ſeptimus, qui de eadem Conceptione ſcribens, ut tùm ſæculum illius rei inquiſitioni fortè minore cum fructu ac aliquorum etiam ſcandalo implicari gaudebat, ſententiam B. Thomæ Aquinatis, ut Dominicani opinantur, ſecutus eſt. Scripſit idem *de poteſtate Papæ* & plura alia. Vixit anno 1487.

Dum fluet unda maris, curretque per æthera Phœbus
Laudabit titulos candidus ordo tuos.

Scripſit idem Kersbellus *Compendium ex Eliphat, Anglo, ex Walæno compendium Broduardi, ex alta villa Compendium, ex Holcoth, item & Petro Pelaton.*

Philippus Suevezelius, Brugis natus, uti Gazæus in Bibliotheca aſſerit, Vir nobili Proſapia ortus, Societatis Jesu ſacerdos; Græcarum litterarum ſcientiſſimus fuit, & in iiſden meus aliquando Gandavi præceptor. A quo cum ex occaſione Concilium de recte inſtituendo linguæ Græcæ ſtudio ſciſcitatus eſſem, per Epiſtolam luculentè reſpondit, quam cum utilem admodum ſtudioſis futuram arbitrer, hic evulgo.

Philippus Suevezelius Antonio Sandero ſuo εὐπράττειν καὶ ὑγιαίνειν.

Næ tu planè mecum, & cum ipſo Vero Lentis, mi Antoni, quando eruditionem ſolidam ſine linguæ Græcæ ſcientia nullam putas nedum litterarum meliorum. Quare & tibi de hac ſententia gratulor, & noſtro Belgio, de tuo ad eam linguam pernoſcendam animo, ferè aliquando ominans, ut tua olim opera jacentia modo ſtudia hæc, ex parte aliqua excitentur. Verum ut ad votum tuum accedam propius, Grammaticæ amariorem corticem ſuccidens poſtmodum ſuavior intelligendi ſcriptores peritia facilè mitigabit, & vero revocanda dumtaxat audita quondam in memoriam. Hinc Gretſerum Perdiſcenſem judicio primum, & adverſus tædium modo aliquid è Chryſoſtomo, ſive fabulis Æſopi aut Luciani caſtioribus Dialogis in Latinam linguam vertendum, modo quod verſum, & cum aliorum interpretatione comparatum fuerat, demum in Græcum mutandum. Porrò elegantiſſimarum obſervationum in Grammaticis refertiſſimus, Fredericus Sylburgius, in ſuo linguæ Græcæ Alphabeto, maximèque in tribus Rudimentorum libris qui theſaurum planè continent incomparabilem. De quibus tum duo te moneo; Ne nimium placeat Rhamææ methodi novitas, & abeſſe quæ ad verſus ſtruendos faciunt. Dialectos nullibi accuratius quam in anteſignatis Commentariis ad Clenardum per Sylburgium caſtigatis tractatus reperies. Quamque Atticam Stephanus fuſiſſimè & peritiſſimè tractavit in additamento ad ſuum veriſſimum Theſaurum linguæ Græcæ, & ſummum tibi futurum Magiſtrum, ſi detur ejus copia. Poſt quem pono Robertini Conſtantini Lexicon Græco-Latinum cui adjiciendum Morelii in 4. forma editum & nuperrimum Davidis Hœſchelii, Poëticum Latino-Græcum olim optavi non tam alieno quam meo labore dari ſtudioſis, ve-

verum hactenus ſemper aliquid intervenit, & non hujus tantum nunc, ſed omnis mihi litterarii ſtudii perit ſpes. In auctoribus ſolutæ orationis præter Lucianum atque Chryſoſtomum, Phalaridis aliorumque Epiſtolas commendarim, dum ad Iſocratem atque poſt ad Demoſthenem, & cum eo ad quoſcumque gradum facere liceat. Poëtæ facillimi quinquaginta illi Comici, quorum fragmenta extant, tum Anacreon atque feſtiviſſimus Ariſtophanes; ſed Jambici iſti; nam Epicorum unus Princeps Homerus, poſt quem excuſſum, Theocritus & inacceſſus Pindarus tentandi, nec omittendus Heſiodus atque Euripides. Non deerunt etiam inter noſtros iſthic Theologiæ ſtudioſos, ſi quæras, qui te coram dirigant, & melius & frequentius, quo juvabit ſodalitii Parthenii frequentatio, quam tibi unici commendatam velim, ut tua ſtudia ſolido pietatis innixa fundamento, tantæ Patronæ auxilio, ad Dei ſummi cultum & tuam ſalutem, cum aliorum etiam fructu felicius in dies procedant. Vale & pro me ſuperos precare. Dolum Cynicum quid voces, non ſatis adſequor: & ſi contemtus harum rerum periturarum in illo monſtro placet, ſtupor cum faſtu ſanè merito diſplicent. Vale denuo, & iſthic fortè notos ſaluta. Gandavi 6. Maii anno 1608.

Eandem linguam uti & Latinam Suevezelius annos plurimos in eadem Societate docuit, & è Græco vertit acceptam à P. Andrea Scotto *Anaſtaſii Sinaitæ in Pſalmum ſextum Davidis explanationem.* Extatque tomo tertio Antiquarum lectionum Henrici Caniſii J. C. Patrio vero idiomate dedit, ſuppreſſo tamen nomine, *Rectam viam ad pietatem.*

Philippus Wannemakerus, Sacerdos Dominicanus: Scripſit in Italia, & Mediolani edidit, *Triumphum litteratorum*, in gratiam Federici Cardinalis Borromæi Archiepiſcopi Mediolanenſis, veri hoc ſæculo Pollionis; in eo ſcripto laus quorundam Belgarum eruditione præſtantium. Scripſit & *funus Juſtæ Vrientiæ* Maxæmiliani filiæ, quod inſcripſit vero nobili Philippo Stelando Equiti, Haſſelti Toparcho, Conſuli Gandavenſi optimo & de Republica maximè merito. *Laudavit & S. Thomam Aquinatem panegyrica oratione*, quam Franciſcus Bellettus Ipranus Typographus typis ſuis evulgavit. Pollicetur, & *Apologiam pro F. Hieronymo de Farraria* ſui Ordinis religioſo, quem Florentini in cineres redegerunt, jure an injuria, hic non diſputo. Evulgavit & nuper *tractatum de officio boni viri.* Nunc Lovanii agit ac ſacris declamationibus piam ac laudabilem operam navat.

Philippus Wielandus, Vir nobilis & Provincialis in Flandria Concilii Præſes, ac Landeghemii Toparchus, eam laudem, ut ait Harduynus, conſecutus eſt, quam C. Plinius Tacito ſuo ſcribens, eximiam exiſtimat, beatos quippè facit, quibus Deorum munere datum eſt, vel facere ſcribenda vel ſcribere legenda, ac beatiſſimos quibus utrumque horum in numero ſatis hic noſter eſt, qui variis functus Magiſtratibus, in iis multa fecit digniſſima, quæ in Commentarios relata cum æternitate jungantur. Is ſemper in multam noctem ad lucernam ſcribendo, & antelucanà opera opifices aut evertendo lucubrationes poſteris reliquit, quibus nomen ſuum in omnem ætatem propagabit. Conſiliarii dignitatem contulit ei Carolus Audax Burgundiæ Dux anno 1477. in Parlamento Mechlinienſi recens inſtituto; dein cum curia illa eſſe deſiiſſet, ſimilem conſiliarii, dignitatem in Comitio Flandriæ geſſit ſub Præſide Paulo Baenſtro. Factus deinde Præſes Flandriæ anno 1488. dein iterum adſumptus ad magnum Concilium ſive Parlamentum Mechliniæ, recens à Philippo Rege Caſtellæ inſtitutum anno 1504. munus magiſtri libellorum ſupplicum adminiſtravit ſummâ cum gloriâ ad ultimum uſque vitæ annum, qui fuit anno 1519. Scripſit *Practicam civilem* de novo Antverpiæ anno 1573. impreſſam & ab Antonio Sexagio J. C. recognitam. *Librum item alium quo jura feudalia in Flandriæ curiis obſervata continentur*, præter hæc *conſuetudines Generales Flandriæ in juſtos titulos ac claſſes redegit*, qui liber typis necdum prodiit, ſicut nec *tractatus Ordinis Judiciarii in cauſis criminalibus* ab ipſo etiam compoſitus. *Hiſtoriam ipſius manuſcriptam de rebus Flandricis Latinam, hiſtoriamque Brabantiæ ac Cameracenſium Principum, Epiſcoporumque olim Harduyno communicavit Guido Laurinus Watervlietius.* Hujus meminit Meyerus in vita Margaretæ Maleanæ ad annum 1381. tum etiam aliis locis. Certum eſt denique hujus viri inſignem induſtriam plurium profuiſſe Meyero Oudegerſtio ac Marchantio, rerum Flandricarum hiſtoricis. Uxorem habuit Joannam Halewinam, Joannis Halewini Equitis filiam; ſepultus uterque Gandavi in Divi Jacobi templo: De poſteritate ejus & latifundiis fuſius ſcripſiſſe ſe aſſerit Harduynus in Commentariis ſuis nobilium Flandriæ familiarum.

Raphael de Marcatellis Epiſcopus

ſcopus Roſſenſis, & Abbas fuit Cœnobii ſancti Bavonis Gandavenſis, memoratur ab eodem Gramajo in primitiis Antiquitatum. Præſul vel ob eam cauſam ſingulari laude dignus, quod Bibliothecam ſui Cœnobii variis Codicibus manuſcriptis auxerit, magnamque illius partem ſumptuoſè admodum ad majores ſtudiorum illecebras compingi curavit, quorum voluminum aliqua hodiè adhuc in Bibliotheca Cathedralis Eccleſiæ Gandenſis viſuntur Oloſerico byſſoque tecta ac auro fulgida. Sic vir ille pretioſus fuit, ac melius profectò laudabiliuſque quam ſi (ut ab aliquibus etiam hodie factitari ſolet) melius, Canibus, Vulturiis, Morionibus, Scortis, aliiſque id genus vanitatibus opes ſacras impendiſſet.

Richardus Pottelsbergius, Nobili Pottelsbergiorum apud Gandavenſes ſtirpe natus, quædam hactenus elegantioris ingenii doctrinæque ſpecimina in lucem dedit. E quibus velut ex ungue Leonem indagamus, & *conjicere poſſumus*, quantum *etiam* in poſterum ad Reipublicæ litterariæ ornamentum præſtare poſſit, ſi adnitatur. Scripſit *Epicedion in obitum Nobiliſſimi & Præſtantiſſimi Viri Joannis Bleſerii Equitis Hieroſolymitani* Patritii inter Gandavenſes primarii, qui poſt varias etiam ad loca ſancta peregrinationes & itinerum difficultates magnis animis, Cohortem Belgicam ducens, ſub Auſpiciis Ferdinandi Cæſaris in Bohemia, pro jure ejuſdem Principis & fide Catholicâ, aſpera & acerba paſſus, militavit. Scripſit item in *Auſpicatiſſimum adventum Generoſiſſimi Herois Caroli à Burgundia, in dejaculationem quoque pſittaci fiſtulâ tormentariâ, ab eodem Heroë Carolo factam.* Scripſit & Neapoli *Comœdiam de tribus, quæ in orbe fortiſſima, Vino, Rege, Veritate*, Item *Encomium Gymnaſii Regii Eruditioni publicæ nuper in eadem urbe à Rege Catholico excitatæ.*

Robertus de Lacu, Vulgo vanden Poele Gandenſis, Juris utriuſque Doctor ac publicus Lovanii Profeſſor fuit, ubi obiit anno 1483. Sepultus ibidem in Monaſterio Regularium Canonicorum S. Martini, cui Epitaphium ſcripſit Ludovicus Brunius Gandavenſis Poëta Laureatus, quod citat Dionyſius Harduinus, qui eum Dialecticam quandam legalem ſcripſiſſe etiam aſſerit.

Simon Gandavensis ſeu de Gaunt, vel, ut Matthæi Weſtmonaſterienſis urbis loquitur, Magiſter Simon de Gandavo, editus Londini, vir in arte Theologica peritus. Erat enim patre Flandro Gandavenſi, matre Angla Londini natus, & in patria ab ipſa adoleſcentia liberaliter educatus, humaniorem litteraturam, omneſque ingenuas artes, fideliſſimè didicit, poſteà majorum ſtudiorum non ſegnior cultor, ſacris litteris, & divinarum rerum contemplationi ſe addixit. Demum ætate maturus, morum ſuavitate, Doctrinæ varietate, vitæ integritate, omnique virtutis cultu, Magnatum ſibi conciliavit benevolentiam, Principum animos in ſui amorem pellexit, ipſique tandem Regi charus eſſe cœpit. Cujus favore, virtute comite, circa annum Domini 1297. ad Epiſcopatum Sariſburienſem evectus eſt. Hujus præclaræ viri laudes non tacuerunt ſui temporis & ſequentium ætatum eruditi ſcriptores: Gervaſius Dorobernenſis in hiſtoriæ ſuæ paralipomenis, nec non auctores chronicorum Eccleſiæ Sariſburienſis, Lelandus denique in ſuo de viris illuſtribus opere. Scripſit autem Simon inter cætera ad virgines Terentinas Dorſeti commorantes de vita ſolitaria, lib. 7. Mſc. *Oxonii* in Collegio Magdalenenſi. Meditationem de ſtatu Prælati, lib. 1. Mſc. in Bibliotheca Lumleiana. Statuta Eccleſiaſtica ad ſuos Sacerdotes, lib. 1. Et aliâ plurima. Claruit anno à Chriſti Nativitate 1298. dum in Anglia ſumma rerum ad Edwardum primum pertineret. Vide eum quem confecimus de Epiſcopis Sariſburienſibus catalogum. Ita de illo Joannes Pitheus Anglus in ſuo de Illuſtribus Angliæ Scriptoribus volumine.

Simon Kerchovius, Judoci filius Presbyter, Vir eruditus ac priſci candoris, Gandavi in æde Bavoniana Curio, etiam felicibus ac quibus nomen famamque promeretur, ingenii ſui monumentis Rempublicam litterariam auxit. Extant ejus *varii verſus docti & elegantes*, quos videre contigit hi ſunt. *Elegia ſacra Henrico Franciſco vander Burch* à Gandavenſi ad Cameracenſem Cathedram abeunti. Altera ad *Carolum à Burgundia Antoniani Pſittaci*, ut vocant, fiſtula tormentariâ dejecti Regem. *Carmen item in Cantica ſpiritualia Juſti Harduyni, in carcerem Babylonicum Tragœdiam Cornelii à Marca, in funere Philippi Trieſt Auweghemii Toparchi* ac optimi Gandavenſium Conſulis, ac alia quædam. Exhibuit & magnâ cum laude *Theodoſium*, ſeu objurgationem, & cenſuram eidem Principi, ob cædem Theſſalonicenſium, ab Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo magnâ animi fortitudine, & nunquam ſatis prædicandâ liberalitate factam. Parat & ad editionem libellum Chriſtianæ pietati utilem è ſacris potiſſimum litteris ac ſententiis Biblicis contextum, quem *Conſilium Altiſſimi* appellat,

quo ad perfectionem capeſſendam deletis vitiis, virtutibuſque inſertis homo fidelis inſtigatur.

Susanna Hoorenbautia, Miniatrix Gandavenſis (teſte Harduyno) Artificioſiſſima, Soror Lucæ Hoorenbautii fuit, cujus ſupra facta eſt mentio, eam propter ſummam in arte miniandi præſtantiam ad ſe in Angliam accerſivit Henricus Octavus Rex, ubi illa totum vitæ ſuæ tempus peregit, memoratur à Georgio Vaſaro Aretino ultimo volumine commentariorum de Claris Pictoribus, &c. atque à Ludovico Guicciardino in ſua Belgii deſcriptione.

Viglius ab Ayta (quem ideò Gandavenſibus adjungo, quia Præpoſitus in prima ejus Urbis Eccleſia, & ſepultus ibidem fuit) natus in Barrhuſia, prædio paterno ad medium à Leovardia Friſiæ Metropoli lapidem anno 1507. 15. Kal. Nov. qui dies Divo Lucæ ſacer; in ea familia, quæ inter Friſiæ primas & nobiliſſimas, Zuicchemi cognomentum tulit, ab avito ſimiliter prædio & municipio Zuicchemenſi qui Pagus eſt Leovardienſis agri ad primum ab Urbe lapidem. Primis litteris imbutus eſt Daventriæ, Hagæ Comitis, Leydæ, & Lovanii circa annum XXII. ubi & Græcas in collegio trilingui Buſlidiano didicit & prima Juris elementa accepit. Inde quarto poſt anno Dolam Sequanorum conceſſit ad majorem ingenii fructum capeſſendum, & per litteras Deſiderio Eraſmo innotuit, quæ ei in Andreæ Alciati J. C. præſtantiſſimi notitiam & amicitiam fores aperuere. Itaque anno M. DXXIX. Avenionem ad Rhodanum fluvium ſe contulit, pulſumque indè epidemicà lue Alciatum & Biturigas accitum (poſtquam anno eodem die octavo Maii Valentiæ, quæ Galliæ Academia eſt in Delphinatu, non incelebris Doctoris inſignia accepiſſet) ſecutus eſt. Alciato in Italiam revocato, Cathedram ejus biennium tenuit, & docuit. Hinc in Italiam dum cogitat, celebres Germaniæ Academias viſit, Friburgenſem, & in ea Deſiderium Eraſmum, Udalricum Zaſium, Henricum Glareanum, Baſileenſem in ea Bonifacium Amerbachium, Sigiſmundum Gelenium & Hieronymum Frobenium Tubingenſem & inibi Jacobum Jonam & alios. Patavium ubi venit, Franciſcum Curtium Præceptorum habuit, & Juvenis adhuc & peregrinus, ut ipſe alibi ſcribit, in Profeſſorum numerum atque ordinem cooptatus eſt anno 1532. atque Inſtitutiones Juſtinianeas publicè prælegit, cum adplauſu fructuque audientium, ſtupore Italorum, hominis exteri & Belgæ facundiam admirantium. Hic annum unum ſubſiſtit, & à quatuordecim annorum peregrinatione patriæ amor animum ſubiit: dum redit in itinere Eraſmum Friburgi, Frobenium Baſileæ de via ſalutavit, & *Græcas Theophili inſtitutiones* è Beſſarionis Cardinalis Bibliotheca Venetiis deſumptas typis ejuſdem ſubjecit. In Patriam reverſus, Franciſcus Monaſterienſis Epiſcopus anno 1534. Curiæ ſuæ Judicem, anno inſequenti Carolus Quintus Cæſar Cameræ, ut vocant, Imperialis adſeſſorem, Gulielmus dein Bavariæ Dux ſeptimo poſt anno Ingolſtadienſis Academiæ Profeſſorem conſtituit, denique anno 1543. Maria Caroli Soror Belgio reſtituit, & Mechliniæ in magnà Belgicæ Curià à Conſiliis publicis eſſe voluit. Cæſar Bruxellæ à privatis & mox Concilii Præſidem Aurei Velleris Cancellarium Equeſtri jam dignitate inſignitum, deniquè Jacoba Damantia Uxore elata ad Divi Joannis Gandavi præpoſitum renuntiavit. Cumque ut in Epitaphio legitur, Eccleſiam ſuam piis fundationibus, Rempublicam litterariam plurimis monumentis decoraſſet, Academiam Lovanienſem ſtructo ſui nominis collegio, non minus liberaliter, quam magnificè dotaſſet, natale ſolum novi hoſpitalis beneficio perpetuo ſibi demeruiſſet: tandem poſt longas vigilias, poſt indefeſſos labores, plenus dierum, plenus honorum, Regi fidus, Patriæ carus, utilis omnibus, injurius nemini, magno ſui relicto deſiderio in Domino quievit Bruxellis anno 1577. ætatis LXX. poſtridiè Nonas Majas. Corpus Gandavum tranſlatum, & ad ſanctum Bavonem in Mauſoleo à ſe conſtructo depoſitum. Plura de vita rebuſque à Viglio geſtis Suffridus Petrus Decad. XII. de Scriptoribus Friſiæ è ſcriptis Viglii omnium manibus teruntur, probanturque ab omnibus, *Commentarii in X. tits. lib. II. Inſtit. de Teſtamentis* Baſileæ Lovanii & alibi, de quo libro verſus elegantes protulit Gulielmus Martinus cujuſmodi de Amaſonide Merſi cujuſdam luſit aliquando Martialis.

Sæpius in Titulo memoratur Viglius uno
Quam levis in toto Mainus Jaſonide
Viglius hinc Zephyris, & notus Viglius Euris
Et ſua cum Viglo fama perennis erit.

Simili ferè ſtilo *Commentaria ad reliquos inſtit. libros pertexuerat* quos intelligo adſervatos aliquando ab Ampliſſimo Viro Henrico Uweno Gebriæ Cancellario τοῦ μακαρίτη ut & quæ de *munere juriſconſulti, deque vita ſua Viglius ſibi conſcripſerat,*

Digitized by Google

pſerat, quam brevi fortè edet Vir Clariſſ. Georgius Uwenus Henrici filius, Senatus Brabantiæ adſeſſor. Præterea *Comment. in Tit. digeſtorum de Rebus creditis & ad Tit. C. de Edicto D. Adriani tollendo*, quæ Ingolſtadii docuerat. Excudit autem opera Viglii Coloniæ Gymnicus anno 1585. *Theophili Inſtitutiones Græcæ* à Viglio primum erutæ & editæ cum doctiſſima ad Carolum V. Cæſarem Præfatione Baſ. typis Frobenii & Lovanii Reſcianis anno 1536. ſunt editæ.

Walterus Block Abbas Bertinianus. Ejus inter alios meminit Joannes Baptiſta Gramajus in ſuis Gandavenſium Antiquitatum Primitiis, Cap. 34. Facit & ejus mentionem ad annum Chriſti 1278. Ferreolus Locrius in Chronico Belgico in hunc modum. Walterus Block Bertinenſis Cœnobii creatur Antiſtes. Præfuit magna cum laude, atque Monachos ex nimio luxu ad frugalitatem ſumma moderatione reduxit. Ex Iperio.

Ad Gandavenſes eruditionis famâ claros.

Palladii Juvenes, & doctæ lecta Palæſtræ
Agmina, Socratico prædita pectora cultu,
Nobile per ſtudium quibus immortalia vivunt
Nomina, & inſignes famæ ſublimis honores:
Vos ego, ceu poſito jam abiiſtis corpore, & iſtis
Vivitis eximii terris, ceu noſtra per orbem
Inſpectatis adhuc commercia, vos ego functos
Cunctorum ſaturos votorum, vos ego lætis
Aſtrorum ſpatiis mage celſos, ire per amplas
Empyrei ſedes precor & radioſa tueri
Atria, divinam latè vibrantia lucem,
Fælici & numero turmas augere priores,
Sacra quibus lætis creverunt dyphticha faſtis.
Hic veſtris reſtet ſtudiis honor, illa probato
Sit merces operi, non vos ignavia putri
Vicit deſidiâ, ſed quà micat aurea Phœbi
Lampas, Gordunæ auxiſtis præconia Nymphæ:
Vivite, & emerito tandem gaudete triumpho.
Vos quoque qui noſtris etiamnum degitis oris,
Inſtate ô cœptis ſudoribus inclyta pubes;
Sic veſtrum pennis ſolvi haud metuentibus olim
Fama vehet toto nomen venerabile mundo.
Non vos fœda lues hominum, quos atria ſolum
In nummos ſtudia, & fatui per inania ſecli
Infeſtant curæ vigiles, non impia turbet
Ambitio, non turpis honos, non ore pudendo
Barbarus, Aonias qui turbat plurimus artes.
At magnis inſtate animis, ſic frondibus amplis
Et totâ cupiat Phœbus vos cingere lauro.
Pergite; ſed vero veſtram ſubſternite laudem
Et Chriſto ſervite Deo, ſolidiſque paratum
Præſidiis decus, ad ſeros vulgate nepotes.

Antonius Sanderus
Presbyter cecinit.

Elogia Gandavenſium Poëtarum. Auctore Justo Rycquio *Gandavenſi ad Divi Bavonis Canonico.*

Quacunque cælo tollis auratum Jubar
Phœbus renaſcens, quaque veſpere abluit
Seros labores: nominis famam tui
Gemellus orbis Ganda mater audiit.
Beata Ganda! quis mihi faventium
Riſit Deorum, quòdve Sidus aureum
Luxiſſe noſtris arbitrer natalibus;
Ut tot venuſtos inter, & claros viros,
Quos ipſa cives mœnium amplexu facis,
Pollere fælix quantacunque civium
Pars ipſe poſſem? laudet antiquas domos
Codri interempti, Socratiſque compita
Salibus peruncta, quiſquis Argivum ſolum
Graioſque campos ſede non mutet ſua.
Alter vetuſtos Romuli jactet lares,
Septena cælo montium cacumina
Æquare doctus, me nec externo juvet
Turgere faſtu: nec ab uſque callido
Præiſſe gentis auſpicem Prometheo,
Satis beatum divitemque nominis
Gorduna tellus Belgicâ propagine
Unum recenſet. Non tot inter horridas
Seræ tenebras noctis amiſſum diem
Stellæ reducunt, quando pallenteis equos
Inter minores Cynthia exercet faces:
Nec tot Sicanæ ſpica meſſis emicans
Cum denſa ariſtis fluctuare Gargara
Gaudet Colonus, & viator obſtupet;
Quot fœta bello, litteriſque pectora
Dias in oras Ganda produxit parens.
Quæ nunc remiſſo Martiæ ſono tubæ,
Lituoſque feſſa ſemper horrentes ſequi:
Eburna divûm plectra, vocales Lyras
Tentare mavult, læta nunc lætos colit
Pindi receſſus, qua per umbras, & nemus

Septena vocum leniter diſcrimina
Inuſitatum nubibus ſpargit melos.
Vbi virentes Laureâ accinctus comas
Hiante cœtum Papius ducit Lyrâ,
Torrentiuſque Langiuſque perpetes
Per vaſta tempe molliter trahunt dies.
Harduynus illos exigit ſimul dies
Expers dolorum, & triſtis ægrimoniæ.
Epiſcopuſque Lautiuſque muſicis
Vatum beati pariter exultant choris,
Sed hi fuêre nunc tamen nihil fuit,
Minora nunquam Ganda jactat nomina:
Damniſque major ſemper exſurgit ſuis.
Tu nunc relictos inter & ſuperſtites
Heynſi Batava tollis è Pharo Jubar.
Illuſtris Heynſi, cujus arcanum Sophos
Et ſcripta priſcis invidenda laureis.
Cœlo ſoloque fama diffudit recens.
Quo macta cive non Athenas Atticas
Latiaſque turres Ganda prævortet ſibi,
Et tu ſilente patriam caligine.
Vrienti levabis, cujus argutos ſales
Doctis remiſſos callidè leporibus
Apollinare tollit in cœlum genus.
Atqui tragœdo Syrmate Orcheſtram quatit
Marcanus ingens non inane cymbalum
Plorantis iræ, quanta bacchatur ſui
Plenus furoris, plenus ingentis Dei:
Quando parenti Jephtidem votam ſuo
Iſaciæque carcerem gentis canit!
Lindane nec tu poſteris ſilebere,
Seu bella noſtram Martia involvant humum,
Seu pax beatis adſidens nepotibus
Fecunda coget explicare jugera
Et quantus olim carminis rumor tui
Pervadet orbem Belgicæ parens chelys
Sceppere frater, ſive majus Auſonum
Lingua ſonari, namque par debet tibi
Et hinc & inde Cynthius præconium.
Atqui invideres ſiquis axe diſſito
Rivalitatis inſtitutor æmulæ,
Suave durum conderet Belgis melos:
Quale in reductis Teneræ conflugibus
Harduynus ipſis æmulus canit Cycnis.
Nunc cive gaudes mutuamque crinibus
Gaudes amicis implicare lauream.
Sic implicetur & ſimul veſtræ comes
Sanderus adſit, arbiterque gloriæ:
Kerchoviuſque Romula Syren lyræ.
O ſi beatis ipſe miſtus ingenis,
Non vile nomen mænibus tantis forem!
Æqualis aſtris graderer, atque ditium
Nullus vigeret Principum beatior.
Sperare juſſit, an vovere Cynthius
Sternutat euge, quid moramur? ocyus
Di annuere. dira faſcinatio, &
Linguæ venena, fas, nefaſque non valent
Nocere vati, quem Deus reſpexerit.

Mediolani apud Inſubres
Magnis maximæ urbium Civibus
L. M. Q. D.

Non aliunde quam Gandavo fœliciora prodeunt ingenia, nec expreſſiora priſcæ virtutis exempla, &c.

Eraſmus ad Carolum Utenhovium,
Baſileæ Kal. Feb. M. D. XXIX.

ANTO.

Digitized by Google

ANTONII SANDERI FLANDRIA ILLUSTRATA.

LIBER SEXTUS,

CONTINENS

Caſtellaniam Veteris Burgi Gandenſis.

DE Caſtellania veteris Burgi Gandavenſis non adeo multa in medium prolaturus ſum; namut ab iis mihi relatum eſt, qui Burgum moderantur, monumenta ejus, in quibus originem, aliaque jura prætorii ejuſdem videre fuit, partim incendio, partim aliâ temporum noxâ interierunt; à vetere tamen Burgo ſive Caſtro Ganda originem illius eſſe, vel nomen ipſum indicat. *Remanet*, inquit Gramajus, *ex diruta Gandæ arce peculium* XLVI *vicorum, qui in quaterna diſtributi membra, duobus obnoxii tribunalibus Caſtellania Audenburgi Gandenſis vocantur*, qui, eodem aſſerente, poſt everſum, aut à monachis S. Bavonis occupatum vetus Burgum, in Petram Comitis tranſlati ſunt. Fuit autem caſtrum Ganda eo loco ſitum, ubi olim aſceterium Divo Bavoni ſacrum fuit, ob eamque cauſam frequenter etiam Gandæ nomine quaſi proprio indigetatum. Ita nimirum vocat illud diploma Caroli Calvi anno IↃ CCCLXV. Ita Ottonis anno IↃ CCCCLXXVI. Ita Caroli Magni IↃ CCXCIV, & aliorum non aliter *Monaſterium quod dicitur Ganda, & eſt conſtructum in honorem S. Petri Apoſtolorum Principis, ubi etiam glorioſus Chriſti confeſſor* (Bavo videlicet) *corpore quieſcit*. Chronicon quoque S. Bavonis ad annum IↃ CCCXXIIX, reliquias SS. Marcellini & Petri delatas ait *ad Cœnobium Gandæ quod ſitum eſt in valle Legiæ, loco Ganda vocato, ubi idem amnis Scaldis dicto flumini Legiæ jungitur*. Hujus verò Caſtri Gandæ ſive veteris Burgi dominatu potitus eſt Flandriæ Comes poſt annum CIↃ CLXXIV. & mortem Theodorici Principis Aloſtani, unaque clientelis ac pagis Caſtellaniæ Audenburgicæ Gandenſis nomine cenſitis, adeò ut juxta Gandavum, & in ipſo quadrifariam oppidi dominatu fruatur idem Comes, Caſtello enim novo Cæſari erepto, idem gaudere cepit & appendice Ambachtorum ad annum CIↃCXX. Tractu vero pagi Menapiſci verſus Trunchinium, tanquam *Comes & Advocatus* potiebatur. Unde reſcripto anni CIↃ LXXXVII. de Trunchinio ait Comes: *Condonare ſe ei, quidquid Comitatus & Advocationis ab antiquo anteceſſores tenuerant.* Blandinio denique ac vicinis titulo Principatus Harlebecani ab antiquis imperabat, ob hoc Galliarum Regis uſque ad tempora Caroli quinti, ob illa Cæſaris olim cliens fiduciarius. Situm veteris Burgi ſive Caſtri Gandenſis, à quo radicem ſuæ Juriſdictionis habet Caſtellania, invenimus, non ita initia, vel auctorem; ſi tamen ſuffragium noſtratibus hiſtoriis damus à Julio Cæſare vel conditam, vel cognominatam arcem hanc fatebimur. Vocem Gandæ repertam in veteribus ſcedis etiam tomo V. Decadis rerum Flandricarum fatetur Meyerus. Unde & Petrarcha Italus epiſtola ad Cardinalem Columnam *Gandavum* vocat *Cæſare conditore ſuperbum*. Nec inani gloria, cum indies ager Caſtello olim Gandenſi obnoxius infinita Romanæ antiquitatis eruat monumenta. Sed ut ante diximus, à Caſtro Ganda ad Petram Comitis, arcem à Balduino Ferreo ædificatam, migravit Caſtellania, juxta quam, aut intra illius potius pomæria, ære collatitio hujus agri in altum educta, ſplendida, & egregia domus, in qua è præcipuis aliquot vi-

ri nobiles & honorati in eadem Caſtellania feuda poſſidentes, jus dicunt, Audenburgicumque tribunal moderantur; plerique eorum etiam Toparchias in eadem Caſtellania habent. Prætores vero, quorum prima in hoc urbis noſtræ terrirorio dignitas eſt, aliquos hic commemorare nonnullum operæ pretium fuerit. Primus qui à me reperiri potuit, occurrit *Guilebertus Serjacobs*, qui publico diplomate à Principe accepto, Prætor Caſtellaniæ Audenburgenſis, & Ambacti de Somerghem conſtitutus fuit. Succeſſit illi *Joannes vanden Zype* Dominus de Waſieres, qui filius fuit Petri equitis, ac primi in Curia Flandriæ Præſidis. Patet ex diplomate Principis conceſſo in Octobri 1393. Is cum aliquo tempore Prætoris Audenburgenſis officio functus fuiſſet, Prætor factus eſt ditionis Waſiæ anno 1399. in locum Joannis le Febure, qui in eadem prætura manſit uſque ad annum 1414. Joanni ſucceſſit *Gerardus Machet*. Patet ex diplomate 1399. Habuit is ſucceſſorem *Gerardum Heyndrinx*, quod declarant tabulæ anni 1404. vigeſimò ſecundo Septembris. Poſt illum venit *Francus de Wybrouck*, titulum habuit, ut patet ex diplomate nono Maii 1407. Prætoris Audenburgenſis, & de Somerghem. Succeſſit illi *Joannes Bartolmeeux*, dictus *de le Brevet*. Patet ex litteris an. 1412. ſed officio deſtitutus, ſucceſſorem habuit eundem *de Wybrouck* menſe Julio 1413. Eo defuncto ſucceſſit *Joannes de Stoppelaer* Prætor etiam de Somerghem. Patet ex diplomate Ducis Burgundiæ vigeſima quarta Aug. 1414. *Guilebertus Serjacobs* in locum *Joannis de Stoppelaer* iterum conſtitutus eſt Prætor Audenburgi, & de Somerghem. Patet ex diplomate vigeſima quinta Novemb. 1419. Poſt hunc invenio *Joannem de Caudenberghe*. Diplomate anni 1422. vigeſima ſecunda Junii. In ejus locum mox ſurrogatus fuit *Nicaſius Chamble*. Diplomate 22. Sept. anno 1422. Iterum vero in hujus locum venit *Joannes de Stoppelaer* Prætor etiam de Somerghem. Patet ex litteris 20. Junii anno 1428. Is ſuo loco poſitum vidit *Lambertum de Stoppelaer*. Diplomate anni 1435. in Januario, titulumque habuit Prætoris de Somerghem, & Curiæ de Deſſeldonk. Lamberto rurſum ſucceſſit *Joannes de Stoppelaer*, Prætor Audenburgi, Ambacti de Somerghem, & Curiæ de Deſſeldonck. Indicant id litteræ anni 1453, in Januario. Poſt hunc invenio *Joannem van Melle* Scutiferum Domini Ducis Burgundiæ, præſtitit juramentum ut Prætor Audenburgi, Somerghem, & Curiæ de Deſſeldonck 4. Januarii 1467. *Hector de Stoppelaer* in locum Joannis van Melle factus eſt Prætor Audenburgi, Somerghem, & Curiæ de Deſſeldonck anno 1467. Succeſſit illi *Livinus de Sack* Conſiliarius Archiducis Auſtriæ, Ducis Burgundiæ. Indicant hoc litteræ an. 1476. vigeſima ſexta Martii. Dominus *Joannes de Fourmelles* eques Toparchus de Ooſtkercke, Conſiliarius, & Cubicularius ejuſdem Principis, ſucceſſit prædicto Livino de Sack. Patet ex litteris datis ſeptima Mart. 1478. Titulum habuit prætoris Audenburgici, Somerghem, & Curiæ de Deſſeldonck, numerata ſumma quingentarum librarum Pariſienſium. *Joannes du Bois* ſcutifer ſucceſſit eidem Joanni de Fourmelles. Docet id diploma anni 1481. decima nona Junii. Is poſtmodum *Joannes vanden Haute* appellatus fuit. *Gulielmus de Fourmelles* in eadem dignitate ſuccedens Joanni du Bois; præſtitit juramentum in Camera Rationum Inſulis 17. Auguſti an. 1485. deſtitutus fuit idem anno 1487. & in locum ejus promotus *Franciſcus Coppenbole* per Senatum Gandavenſem in Martio 1487. per Archiducem vero Maxæmilianum in Septemb. anni ſequentis. Poſt illum fuit *Judocus Trieſt* Scutifer. Docent id tabulæ anni 1491. undecima Martii. Præſtitit is juramentum Inſulis undecima Auguſti 1492. Succeſſit huic *Gulielmus de S. Jacobshuus*. Cui titulus officii Teutonicè talis fuit. *Willem van S. Jacobshuus Baillu van onſen harden geduchten Heere ende Prince myn Heere den Ertsbertoghe Philips van Ooſtenrycke, Hertoghe van Borgoingen, van Brabant, van Lembourg &c. Grave van Vlaenderen &c. van ſynen Caſteele vander Auderburch te Ghendt*. Gulielmo ſucceſſit *Petrus Snellaert* ad triennium. Patet ex litteris 15. Julii anno 1495. Hic ſucceſſorem habuit *Livinum de Halſemberghe*, alias *de Halsbyt*. Datum ei diploma à Rege Romanorum, & ab Archiduce Carolo Flandriæ Comite Antwerpiæ 1507. *Judocus du Cheſne*, dictus *vander Eecken*, poſt hunc promotus eſt ad triennium conſentientibus ærarii Regii magiſtris. Incipit 15. Julii anni 1510. quotannis ſexcentas ſexaginta libras Pariſienſes ſolvere debuit. Poſt illum iterum fuit *Livinus van Halſemberghe*. Patet è diplomate dato Bruxellis anno 1513. quem ſecutus eſt *Judocus de Grutere* ad triennium quoque. Patet ex litteris 15. Julii 1516. qui conſenſu Regis Caſtellæ conſtituit pro triennio ſibi ſucceſſorem *Joannem de Stoppelaer*, poſt quem rurſus fuit *Judocus de Grutere*; reſignante eodem Joanne anno 1521. ad ſexennium cum onere

re

re quingentarum quinquaginta librarum Pariſienſium annuatim pendendo. Poſt Judocum venit *Daniel de Stoppelaer*. Patet è diplomate Mechliniæ dato 13. Martii anno 1522. ac reſignante Daniele iterum fuit *Judocus de Grutere* anno 1527. ac poſt hunc rurſus *Daniel de Stoppelaer* auctoritate Cæſaris Caroli ad ſexennium, qui manſit prætor ad annum uſque ſæculi illius quadrageſimum. *Philippus de Vriendt* ſucceſſit Danieli uſque ad Auguſti initium anni 1541. Philippo vero *Georgius Rockelſin* eques. Patet ex litteris à Cæſare Carolo Bruxellæ datis Kalendis Auguſti 1541. ac rurſum ex aliis 23. Decemb. 1552. ad ſexennium, cum onere videlicet trecentorum quinquaginta florenorum annuatim pendendo. Uxor ei fuit Franciſca vander Sickele, filia Magiſtri Jacobi vander Sickele, qui Toparchus fuit de Nazareth, & Conſiliarius ſacræ Cæſareæ Majeſtatis. Georgius habuit ſucceſſorem *Jacobum de Adornes* equitem, Dominum de Nieuwenhove, Nieuvliet, Ronſele, Marquilles, &c. Patet è diplomate Regis Caſtellæ 16. Junii anno 1558. *Livinus de Sicleers* Scutifer, Dominus de Gotthem poſt Jacobum fuit. Patet è diplomate Regis dato Bruxellis 24. Aprilis 1559. Obiit circa Majum an. 1572. quem ſecutus eſt *Henricus Stercke*. Docent id litteræ datæ Bruxellis 16. Decemb. 1563. Illum *Carolus de Grutere* Dominus de Croevelde. Patet è diplomate dato Antwerpiæ decima Decemb. 1579. atque hunc *Franciſcus de Prouyn*, Dominus de Lauenburg. Accepit diploma Gandavi, quarta Aprilis 1583. ab Ordinibus Flandriæ; deſciſcentibus nimirum ab obedientia Regis Provinciis Belgicis. Eodem anno conſtitutus fuit *Philippus Rooſe* Scutifer, Dominus de Strazeele per Magiſtros Rationum Inſulis. Docent litteræ 28 Martii anno 1583. Fuit etiam prætor quidam *Arnoldus de Waelwyck* à Duce Andium creatus Antwerpiæ 11. Septemb, 1582. poſt illos regià auctoritate ſtatutus fuit *Dionyſius de Bevere* Bruxellis XXIX. Aprilis 1593. Ac poſt illum denique venit *Georgius Dellafaille*, Martini filius, Toparchus de Audegoede, &c. vir prudens, ac moderatus, qui in hanc uſque diem raro æquitatis, & Juſtitiæ zelo præturam Audenburgenſem adminiſtrat. Illi, ut amico noſtro ſingulari, & benefico, multos, ac felices annos ad ingens ejuſdem Caſtellaniæ bonum, ac patriæ noſtræ ornamentum in eadem dignitate adprecamur. Atque iſta quidem ſunt, quæ de Prætoribus adferre potuimus.

Audenburgi Prætores, poſt relatos à Sandero.

Georgio Della-faille Avunculo ſuo ſucceſſit 22. Octobris 1642. nepos Joannes Baptiſta Della-faille Toparcha de Ninove, Audegoede &c. vi donationis inter vivos & ab avunculo factæ, poſt quem deinde 15. Octobris 1686. venit Maximilianus Nicolaus ejuſdem Joannis Baptiſtæ filius Toparcha de Huyſſe &c. dein ejuſdem Maximiliani frater germanus Ferdinandus Hypolitus conſtitutus fuit Prætor 3. Aprilis 1691. juxta Litteras Regias datas Bruxellis 2. menſis Martii præcedentis. Anno autem 1707. dum arderet Belgium bello exorto ſuper ſucceſſione Hiſpanica, & Gandavo per Confœderatos anno 1706. redacto, dictus Ferdinandus Hypolitus militiæ vacans aberat, per Diploma datum Bruxellis 15. Januarii 1707. Ejuſdem præturæ obtinuit deſervituram Maximilianus Antonius Rym Eques auratus, Toparcha de Rammelaere &c. pro Jacobo Della-faille Patris abſentis filio, qua ceſſante per Reoccupationem Gandavi anno 1708. ab *Hiſpaniæ & Galliæ* coronarum copiis, & iteratam Redactionem per Confœderatos hieme proxime ſequente factas, Diplomate Regio, 20. Octobris 1710. Bruxellis dato Præturam obtinuit Philippus Franciſcus Serſanders, Marchio de Luna, Toparcha de Woeſtyne, Cleenbrugge, Canterleyt &c, qui cum diem obiiſſet & ejuſdem filius Carolus Serſanders dictus de Luna, Scutifer &c. juxta Decretum Cæſareum 16. Decembris 1721. aliquo tempore pro communi familiæ bono deſervituram habuiſſet, tandem Diplomate noviſſimo auguſtiſſimi Cæſaris Caroli Sexti dato Bruxellis 18. Januarii 1722. Præturam adeptus eſt defuncti ejuſdem filius primogenitus Hubertus Franciſcus paternarum dignitatum & titulorum hæres & ſucceſſor, quo præſide ad hæc uſque tempora gaudet Audenburgum.

Ad pagos nunc tranſeamus, quos univerſim, nec malè Gramajus diſtinxit in Curiam, ac Vaſallagia. Curia à Margareta Conſtantinopolitana pagis alium à Comite Dominum non agnoſcentibus præſcripta, ad duo tribunalia, occidentale apud Sledingam, orientale apud Deſſeldoncam ſtabilitum, revocatur. Vaſallagia verò à Dynaſtis utriuſque ordinis beneficio Comitis ſæculare imperium adeptis, aut capitatim poſſidentibus, velut erepta ſunt communi, & utili Principis Flandriæ Dominio. Et prout eccleſiaſtici Prælati potiſſimum Bavoniani & Blandinienſes loca ſuæ juriſdictionis acquiſierunt emancipata, nec relevium Comiti de-

debentia, ita ſæculares ferè hæreditatem ſuam à Caſtro Audenburgi in feudum accipiunt, & hominibus caſtri ab antiquo ſubjiciebantur. Cum autem ad commune ſubſidium aut precaria conferant, de quibus potiora Caſtellaniæ membra ſolent diſpicere, tribunal ad hoc & comitia hebdomadatim habent, quæſtorem item unum ferè perpetuum, Juriſconſultos etiam binos, cum actuario ſive ſcriba, qui nunc
1640. Franciſcus à Zevecote vir prudens atque induſtrius. Solet porrò quatuor Balivorum diſtrictus totam hujus Caſtellaniæ ditionem partiri, Audenburgi nimirum, S. Petri, S. Bavonis, & Nevelani, & pagos habet incolis, cum per bella licet, & omnimodà fruge florentes, quos, quia inſerta tibi tabula Henrici Hondii de Flandria univerſa optimè merentis Coſmographi, exhibet, etiam ego brevem eorundem pagorum deſcriptionem, ſerie Alphabeti obſervatâ, daturus ſum.

Aelteren pagus notabili magnitudine, ad bis mille bonaria ſe extendit, ſitus ad quartum ab urbe Gandavo lapidem, arabilis & ſylvoſus. Dominium fuit apud illuſtres Prati & Woeſtinæ Barones, dictos à Flandriâ. Inſita huic loco & per viciniam ſe ſpargit nobilis Toparchia *de la Woeſtyne*, cujus familia (quanquam de ea latius agetur in territorio Iprenſi) non paucos protulit viros bello claros, quos inter, *Philippus Dominus de la Woeſtyne* Eques, cujus filia hæres *Iſabella* in manus venit cum *Joanne de Ghiſtelles* Domino de Wormizele, quæ in dotem marito ſuo eandem Toparchiam attulit, & in ſtirpe Ghiſtellana permanſit uſque ad annum 1379; quo *Wulfardus de Borſele* eques Dominus de la Vere & Sanderburch eam tranſcripſit Ludovico Comiti Maleano, qui à matre ſua *Catharina de Ghiſtelles* Domina de la Woeſtyne eandem acceperat. Ludovicus Maleanus eam poſtea donavit, una cum Dominio de Praet Ludovico filio ſuo notho in dotem. Hujus poſteri eadem potiti fuere ad *Ludovicum à Flandria* ſine liberis defunctum: devenit tandem ad *Franciſcum Theſard* Baronem de Tornebu Regii Ordinis in Gallia equitem. Habitavit in hoc pago quondam *Ludovicus à Flandria* Dominus de Praet & Woeſtyne, magnus Gandavenſium Prætor, & dein Flandriæ præfectus, eques ordinis, aurei velleris vir præſtantiſſimus, apud Carolum Cæſarem gratioſus, ac editis ſcriptis clarus, in arce à ſe condita, quæ belli injuria periit. Pagus hic porro habet Eccleſiam Divo Cornelio ſacram: & olim reliquias Divæ Landradæ, quarum meminit Meyerus lib. IX. anno 1278. Eccleſiæ patronatum poſſidet Abbas ſancti Martini Tornacenſis: loci dominationem temporalem illuſtriſſimus Baro de Tornebu Normannus.

Afsnede pagus ad alterum fere lapidem ab urbe Gandavo ſitus inter Scaldim & Legiam, Peculium S. Petri in monte Blandinio ab Ogina Balduini Barbati uxore & Giſleberti Lucemburgenſium Ducis filia donatum, quæ ibidem cum marito ſuo quieſcit. Signat Hugo de Afsne diploma Ivani Comitis Aloſtani, quo dotat Trunchinienſem Abbatiam anno M C XXXIX cum aliis Flandriæ Primatibus. Vicus hic ſylvas habet montoſas, & ab altero latere prata ad confluentem Legiæ ſita, quæ miræ per æſtatem ſunt amœnitatis. Uti Dominus temporalis loci Abbas Blandinienſis, ita & eccleſiæ Patronus.

Hoc in loco ſitum eſt Dominium de *Idewalle* gentis Blaſeriæ: in eaque gente nunc poſſidet illud *Ludovicus de Blaſere* eques, patritius conſularis Gandavenſis, & Flandriæ Watergravius, id eſt, aquarum, fluminum ac ſtagnorum Præfectus. In urbe autem Gandavo Blaſerorum familia cumprimis honorata, deque Principibus ac Republica noſtra bene merita, titulis iſtic ac functionibus publicis etiamnum claret. Præter alios quoque emicuit in eadem *Jacobus de Blaſere*, Juriſconſultus, & in curia Flandriæ Regius Conſiliarius. Qui de ſuprema Principum Flandriæ poteſtate volumen ſcripſit egregium contra Senatum Pariſienſem. Habuit hic uxorem *Adrianam de Vos* è Brugenſibus matronam nobili loco natam. Vide in fine Iconem No. 1.

Baerle pagus in ditione Nevelana ſitus non procul à Trunchinio, eccleſiam habet gaudentem titulo ſancti Martini: terras item arabiles & paſcua, quæ per hyemem aquis Legiæ tecta, per æſtatem gratiſſima pecori pabula præbent. Dominium temporale loci habet Abbas Blandinienſis, Eccleſiæ item patronatum. Viculus dici poteſt, nam ſexaginta tantum ſex terræ bonaria complectitur, & incolas habet perpaucos.

Bachten itidem in ditione Nevelana ſitus, non procul à Donza ad ripam Legiæ, cujus etiam felicibus aquis irrigatur, ad tertium fere ab urbe lapidem. Eccleſiam habet ſancti Petri Apoſtoli inſignitam. Non procul hinc pons *de Rekelghem*, ubi, pugnâ commiſſâ, Caputiati Gandenſes, foſſores Brugenſium magna clade affecerunt. Etiam viculus eſt,

nam

nam tantum centum bonaria terræ continet. Dominio temporali potitur familia Serclayſiorum, Eccleſiæ patronatu Epiſcopus Gandenſis.

Bellem pagus ad tertium ab urbe lapidem ſitus, nongenta continens bonaria. Eccleſiam habet B. Mariæ Virgini ſacram, ejuſque patronum Capitulum Tornacenſe. Eſt Sylvoſus & arabilis. Spectat ad gentem Rymiam; & nuper fuit *Philiberti de Rym* Nobilis ac Clariſſ. viri Dynaſtia, cujus familia etſi argumento inſignium putetur è Comitibus de Catſſenelleboghe & argumento Symboli gentilitii è Caſtello Saxoniæ Byſterveld oriunda, ante plura tamen ſecula reperitur Gandavi floruiſſe & nominatim habuiſſe Balduinum equitem in Herekem & ejuſdem nominis anno 1177. in expeditione Palæſtina nobilem: Jordanem inſuper anno 1203. in oppugnata Conſtantinopoli Balduino Cæſare militantem. Simonem (teſtibus litteris Philippi Ducis anno 1374.) duello contra Joannem Sicelum ſuſcepto victorem. Balduinum denique anno 1409. manu Ludovici Comitis cinctum equeſtri baltheo. Exſtat ejus gentis in cripta Divi Joannis Gandavi celebris tumulus, & Teneramundæ alter, hac Epigraphe:

Simon Rym Dominus miles armis decoratus,
Teneramondenſis, Prætor regionis & urbis.
Hic laudes ſtatuit ſub ſaxo Religionis.
Anno milleſimo centeno quater quoque deno.

Dronghene Caſtrum illic olim ad Legiam juxta quod S. Amandus, ſub eadem tempora, quibus Gandavi condidit cœnobia Benedictina, inſtituit Eccleſiam Clericorum ſeu Canonicorum, de qua in Abbatiæ Trunchinienſis deſcriptione locuti ſumus. Addunt Chronica Baſinum Regem ſanctimonia clarum; tria illic templa ædificaſſe, in honorem Deiparæ, Apoſtolorum Principis, & Jacobi, quorum duo interciderunt. Tertium Abbatiale fere in ruinis jacet, à clade nuperis bellis illata. Clericorum ſodalitas ſub unius Præpoſiti obedientia vixit, & numero quadraginta tres fuerunt, quos exuſto à barbaris cœnobio profugos Balduinus Comes anno 884. reduxit; ideo ſecundarius Trunchinii fundator habitus. Trunchinio ad Legiam nihil amœnius, paſcua etiam habet uberrima & enutriendis bobus cumprimis idonea. Diſtat ad primum à Gandavo lapidem. Dynaſta loci præcipuus è gente Cotrellia, quæ licet in Galliis ortum, in Flandria tamen pluribus locis dominationem, in Brabantia Baronatus Jaceanum & Aſcanum; in limite Hannonico Sylvam Leſſivienſem poſſidet. Cum autem anno M C XXXI. à Gandavenſibus incendio Trunchinium deformatum eſſet, & diſciplina clericorum non parum collapſa, Iwanus de Aloſto ſeptem poſt annos, invitis & reclamantibus nequicquam iiſdem clericis, regulares ad Divi Norberti præſcripta viventes ſubſtituit, Eugenio Pont. Max. rem approbante. Exinde Trunchinium cœpit eſſe Comitum Aloſti & gentilium de Gandavo quaſi Mauſolæum. Fuit autem hoc Dominium, ut pleraque per Flandriam alia, primitus in familia eidem cognomine, ac ſub Theodorico Elſatio invenitur Iwanus Trunchinienſis. Fuit & in Aloſtana & Cortracenſi; in Halowina, dein & de Lannoy, denique ad Cotrelliam, ut dixi, devoluta: multam tamen adhuc in hoc loco dominationem obtinet Flandriæ Comes, Parochialis Eccleſiæ quæ Divis Baſino & Aldegondi ſacra eſt, patronatum habet Abbas Trunchinienſis. Ad ampliſſima ſpatia, videlicet bis mille ſexcenta terræ bonaria protenditur.

Desselberghe quingentis plus minus paſſibus à Gandavo diſtat; peculium Abbatis Blandinienſis, quod Wichmannus novi caſtri Gandenſis ab Othone Imperatore ſtructi, Comes anno 962 donavit eidem monaſterio & villam Theſlam vocat. cum Eccleſia, manſuris, culturis, pratis, paſcuis, ſylva & omni hæreditate. In codice piarum donationum edidit Miræus. Eccleſiam pagus hic ſacram habet Beatæ Mariæ Virginis ad Nives, & ejus patronum, ſicut & temporalem Dominum Abbatem Sancti Petri in monte Blandinio. Ad undecies centum terræ bonaria ejus magnitudo protenditur: juxta Scaldim paſcuus; ab altera parte aridior. Intra parœciæ limites ſacellum de Beervelde & non procul inde Arx prætoria eleganti opere ſtructa, quæ ad Baronem de Rode, (nunc è familia Rodrigues Luſitana, quæ opibus & authoritate floruit in Emporio Antwerpienſi) ſpectat. Vide in fine Iconem No. 2.

Desseldonck ab hoc præcipue tractu pingues illi & tota Belgica laudati vituli Gandavenſes proveniunt. Pagus eſt altero à Gandavo lapide ſitus, Toparcham habet Flandriæ Comitem; & Eccleſiam titulo B. Mariæ Virginis ornatam, cujus patronatu gaudet Gandavenſis Epiſcopus. Trecenta quinquaginta circiter comprehendit terræ bonaria & familias nuper centum.

S. Denys, in reſcriptis Blandinienſibus & aliis *Weſtrem* vocatur, quod, quia S. Dionyſii celebre templum habet, à verna-

naculis non alio nomine quam *S. Denys* appellatur. Pagus aliqua ſui parte ſylvoſus & gleba non adeo felice; nam myricetum olet; altera paſcualis qua Legiam illac præterlabentem reſpicit. Peculium eſt ab antiquo Abbatiæ Blandinienſis, & loci Toparchus Archimandrita, ſicut & Eccleſiæ Patronus.

Duerle Vicus ad ſecundum fere ſitus à Gandavo lapidem, videt ab una ſui parte fluentem Legiam. Trecenta terræ bonaria circuitu ſuo complectitur, & habet Toparcham Baronem de Nevele, qui nunc è gente della Faille. Eccleſia S. Aldegondi ſacra eſt, ejuſque patronatu gaudet Epiſcopus Gandavenſis. Habet & hic juriſdictionem non minimam Flandriæ Comes, Prætorem quoque & Scabinos, ſub titulo præturæ de Duerle. Dominium vero gaudens titulo s' Graven-Hazelare ſeſe extendit in *Duerle, Eecke, Swynaerde, & Nazareth.*

Eecke pagus ad ſecundum à Gandavo lapidem, medio fere inter illud & Aldenardam itinere. Eccleſiam habet Divo Amando ſacram; Scaldi aliqua ſua parte adlambitur: ubi prata pinguia & Legienſibus meliora. Eccleſia hoc in loco ſub patronatu Abbatiæ Blandinienſis conſtituta & Divo Amando ſacra, admodum antiqua perhibetur & paulo poſt tempora illius condita, ſic ut etiam vicinus pagus de Nazareth pars hujus parœciæ fuerit: fuit olim peculiaris in ea cultus S. Virginis & Martyris Catharinæ, quæ ſodalitio hic etiam fuit honorata. Habuit & Gildam Divus Gregorius. In ea ſepulti viri nobiles è familia de Mortaigne, quæ toparchiam loci habebat. Peculium fuit gentis Schepperiæ, in qua eminuit Cornelius Duplicius Scepperus apud Cæſarem Carolum & Iſabellam ejus ſororem Daniæ Reginam gratioſus & variis legationibus functus. Fuit autem hic *Cornelius Duplicius Schepperus*, non ex Schepperis Gandavenſibus, ut aliquis Hiſtoriographus notavit, & ex eo nonnullorum fuit opinio, ſed ex antiqua & nobili Dupliciorum familia (quæ, ut arbitrantur aliqui, etiam ex Flandriæ Comitum ſtirpe originem ſuam trahit) oriundus, ſic ut cognomen *Schepperi*, non Gentilitium aut avitum fuerit, ſed quaſi agnomentum, à gente nautica avo ejus *Joanni Duplicio* datum. Fuit ille Joannes vir ſuo tempore magnus, & ſub Philippo bono Burgundiæ Duce primum contra Francos terrà, exin contra Anglos Ducemque Gloceſtriæ mari præclare geſſit, fuit enim maris tum Propræfectus, & Architalaſſi Vicarius. Qualis autem quantuſque vir fuerit *Cornelius* hic noſter, tum ex iis, quæ diximus conſtat, tum in diplomate Cæſaris Caroli abunde legitur: in quo idem Imperator, pæne ad ſtuporem, tum ob majorum ejus, ut ait, res præclariſſimè geſtas, tum ob propria ejus merita, magnis honoribus eum afficit. Id apud nepotem ejus nunc Eeckæ Toparchum conſervatur. Pagus hic fuit & gentis Mortaniæ in Flandris nobiliſſimæ, è qua Joannes memoratur Dominus de Potelles, de Eecke & d'Undelgem. Nunc à Scepperis per filiam Annam hæredem ad Corenhuſios venit, qui priſca nobilitate in occiduo Fandriæ tractu & alibi celebres ſunt. Filiam natu majorem Franciſci de la Coornhuyſe hujus loci dinaſtæ, duxit nuper vir illuſtriſſima progenie natus Renatus de Bernaige Movæ Dominus. Habet iſtic familia arcem non procul à Scaldi, amœno cumprimis loco ſitam. Vide in fine Iconem No. 3.

Evergchem ampliſſimus eſt ad primum ab urbe lapidem & Caſtellaniæ Audenburgicæ maximus pagus, patrimonium S. Bavonis, Comitatus titulo nobile, à Razone de Gavera & Beatrice ejus uxore anno 1282. partim acquiſitum. Hugo quoque Angianus dictus de Sottengien Caſtellanus Gandavenſis Cœnobio S. Bavonis de conſenſu uxoris vendidit, quicquid habebat in eodem pago. Extant litteræ anno 1319. Inter Evergemi ambitum varia ſunt & fuerunt olim plura nobilium familiarum Prætoria. Arcem quoque habet quæ ſpectat ad Epiſcopatum Gandenſem, eam nuper Henricus Franciſcus vander Burgh Gandavenſis tum Antiſtes maxima ex parte reſtauravit, cum bellorum injuriis collapſa eſſet. Vide in fine Iconem No. 4.

Viſitur & in ejus pomæriis ſplendida domus Helwegiorum in Brabantia celebrium: & Borlutiorum Bauclenſium Gandavi. Vide in fine Iconem No. 5. & 6.

Qualis etiam eſt quæ à Toparcho de Ruddel-voorde familiæ de Wouters nuper habitata fuit. Agrum habet non ubique pari felicitate fœcundum, variis tamen frugibus idoneum; habet & ſylvas & paſcua; incolas ſtrenuos & frequentes, ut in toto illo paſſim Flandriæ tractu, qui cum ab agrorum cultu vacant, alia domi agunt ac præcipue telas texunt, unde quæſtus non modicus. Eccleſia B. Martyris Chriſtophori titulum habet, ejus patronatu gaudet Epiſcopus Gandavenſis, & pleno jure paſtoratus per eundem Epiſcopum Gandavenſem donatur: & ſacerdotes in æde illa olim fuerunt plures. Magno populi concurſu quotannis feria ſecunda Pentecoſtes in honorem Virginis Matris & Martyris jam nominati, imaginibus eorum circumlatis fit ſupplicatio.

In

Digitized by Google

In ejus diſtrictu etiam Abbatia olim fuit, Ciſtercienſis inſtituti, vulgo à Senticeto dicta **Doorizeel**, inter vepribus horridos ſaltus exſtructo ad annum 1204. ſacello, & triginta poſt annis advocatis virginibus; fundata opibus Ghiſtellanorum, auſpiciis Margaretæ Principis. Ubi Abbatiſſam egit ex gente Wallia *Aleydis* in ordine prima, defuncta 1219. alia *Aleydis* anno 1263. Margareta anno 1295. Ex gente Poelia *Aleydis* anno 1298. ex Axpoelia, *Margareta* anno 1440. & 1450. ex Wtenhovia, *Margareta* 1460. & altera ejuſdem nominis, 1420. Ex Stelandica, *Catharina* anno 1419. ex Villana *Catharina* 1330. recenterque *Maria à Burgundia* anno 1585. cui ſucceſſit *Gertrudis de Monte negro.* Nunc moniales conſtituto illic cœnobio in urbe Gandenſi agunt, ſub cura & regimine Abbatis de Bodelo.

HANSBEKE pagus ad tertium fere ab urbe lapidem, agros habet & prata, etiam Sylvas. Caſtro enim *ornatur verſus Liviam*, & *bicornis* Calæ illum augentis *ſcaturigines.* Toparchia hujus loci à familia Hansbecana devenit ad Stelandios, à Stelandiis vero ad Ghiſtellanos, à quibus rediit ad gentem Stelandiam. Anno autem 1320. *Joanna van Steelandt* Domina de Ansbeke in manus venit cum *Oliverio* Equite, Domino de Poucques: è quo conjugio natus *Rolandus* eques, Dominus de Poucques & de Ansbeke, qui duxit *Beatricem de Steelandt*; at improles obiit anno 1373. unde dominium devolutum fuit ad gentem Halewyniam à filià Stelandia prognatam, ab illis autem ad *Gerardum* Dominum *de Axpoele.* Nuper dotalicio jure præfectum Gravelingæ Gornevallium virum animi præſtantis, fide ac virtute ſua apud Belgas eximie nobilem, Baronem de Evelsbeke, dominum habuit & nunc ſucceſſionis jure habet filium, uti virtutum, ſic dignitatum paternarum & honorum participem. Anno 1381. Artevelda Gandavenſium præfecto Caſtellum in Hansbeka, ubi Daniel Halowinus præſidium locarat milite abire permiſſo capit, diripit & incendit; quamvis neptem Halewyni ex fratre haberet. Eccleſiæ patronatum, quæ Apoſtolorum principi Petro inſcripta, habet Abbas Truncinienſis.

HUESDENE pagus ad primum ab urbe lapidem: peculium antiquum gentis de Gandavo, & à pluribus ſeculis annexa Vicecomitatui dynaſtia: agris & paſcuis læta; olim etiam cœnobio virginum Ciſtercienſium celebris, & Abbatia titulo novi Boſci: quæ cœpit anno 1225. in Walia, ſed titulo veteris Boſci, conſtituta prima Abbatiſſa Oda, cui ſucceſſit Aleydis & Chriſtina: Anno autem 1247. tranſlatus conventus à Comite in parochiam de Heuſdene prope Gandavum, ubi anno 1464. exuſto dormitorio, omnia Eccleſiæ munimenta perierunt; nunc Gandavi florent, ubi ſtabiles ſedes fixerunt. Eccleſia titulo S. Crucis ornatur, & patronatus ſpectat ad Abbatem S. Nicolai in Buſco. Sepultus in hac Eccleſia Joannes de Grutere Eques Hieroſolymit. Dominus de Loovelde, Kerckhove &c. Giſleberti Equitis filius pluribus additus 1580. 12. Kal. Auguſti, cui plures eadem familia apud Gandavenſes clara, hic conjuncti.

KNESSELDAERE pagus eximiæ magnitudinis, mille enim ducenta & quinquaginta terræ bonaria continet, ad familiam de Praet ſpectare ſolitus, nunc, ut opinor, Baronis de Tornebu Normanni. Eccleſia titulum habet S. Willebrordi, & patronatu ejus potitur capitulum Tornacenſe. Ad quartum à Gandavo lapidem ſitus medio inter urbem hanc & Brugenſem itinere.

LANDEGHEM dominio temporali potitur Baro de Nevele, ejus magnitudo ad ſeptingenta terræ bonaria protenditur; campos habet ſpatioſos & planitiem lætam. Eccleſia D D. Margaretæ & Blaſio martyribus Chriſti ſacra eſt, & ejus patronatum Abbas Trunchinienſis habet.

LATHEM olim Bavonienſis Abbatiæ nunc Eccleſiæ Cathedralis Gandavenſis peculium. Hujus villæ mentionem facit Balduinus cognomento Securicula Flandriæ & Hannoniæ Comes in diplomate, quo teſtatur veraciter innotuiſſe ſibi Everdem Dei gratia Abbatem monaſterii S. Bavonis curiam ſuam Lathem dictam cum appendiciis ſuis & tribus præbendis Dominæ Margaretæ Cortracenſi Caſtellanæ pio in Chriſto familiaritatis intuitu, ad uſum vitæ ſuæ commodaſſe. Devixit Securicula ad annum MCXIX. Planitiem habet amœnam & campos patentes juxta flumen Legiam, & olim caſtrum. Toparchus hujus loci eſt Epiſcopus Gandavenſis: Eccleſiæ item quæ S. Martino ſacra patronus. Ad quadringenta terræ bonaria ejus amplitudo protenditur.

LOVENDEGHEM pagus amœnus, arabilis, ſylvoſus & paſcualis, ad ſecundum ab urbe Gandavo lapidem ſitus, olim Burgundicæ, nunc dominium gentis Trieſtiæ, è qua Toparchus Judocus patritius conſiliarius Gandenſis. Secat eum nova Foſſa, quæ Gandavo Brugas fluit. Prætorium habet & arcem egregriam,

Vide in fine Iconem No. 7.

 quam

quam auxit Judoci patruus, itidem Judocus Trieſtius, vir antiquo candore & virtute, Toparchus etiam modernus collapſam reſtauravit. Eccleſia eſt ſacra Divo Martino. Hujus quoque loci dominio potita fuit olim generoſa familia ejuſdem cognominis, ex qua in Hiſtoriis noſtratibus leguntur, *Waltherus* & *Thomas de Lovendeghem*, qui cum primatibus aliis Flandriæ ſecuti ſunt Guidonem Flandriæ Comitem Pariſios à Rege Francorum vocatum, & illic cum ipſo Principe, & filio ejus Roberto, in carceres conjecti fuerunt. Ad annum M C C I leguntur & *Balduinus* & *Solimus de Lovendeghem*. Ad annum M C C C X L I X *Oliverius*, *Joannes* & *Gerardus*, cui Oliverio uxor fuit *Catharina* filia *Goſwini vander Moere*. Item *Rolandus de Lovendeghem* & *Ludovicus* filii Oliverii, qui Rolandus eques uxorem habuit Margaretam van Praet & filiam è tribus natu majorem nuptam Balduino de Vos equiti: altera vero nupſit Simoni d'Ailly dicto Fionielles; tertia denique in manus venit cum Judoco Trieſt, à quo Nicolaus Trieſt, Chriſtophorus & Judocus alter, Eulardus item & Antonius viri præſtantes & generoſi, quorum ſoror Catharina nuptui data fuit Ægidio vander Woeſtyne equiti, Flandriæ Præſidi. Ab illa propagine plures in hunc uſque diem viri, non minus virtute quam ſanguine clari. Pagus hic nongenta terræ bonaria continet, & in eo Eccleſiæ patronatum habet Abbas Blandinienſis. In ædem hujus parœciæ imprimis munificus fuit Dominus Jodocus Trieſt eques auratus, Toparchus de Lovendeghem, Ruddershove, Merelbeke, &c. vir patricius Conſiliarius Gandavenſis. Tria enim ibi altaria excitavit, quorum medium è marmore, picturis egregiis inſignivit, veſteque ſacra ac holoſericis antipendiis etiam alia duo ditavit.

Vide in fine Iconem No. 8.

LOO CHRISTI pagus ad primum ab urbe Gandavo lapidem ſitus, via Antwerpienſi, ſylvas habet & agrum ferendæ ſiligini præſertim idoneum. Vetus eſt Dominium Abbatiæ Bavonianæ, & nunc Epiſcopatus Gandavenſis. Prætorio nobili inſtructum, quod nuper aliquot Antiſtites urbis Gandenſis reſtaurarunt. Putatur hoc loci fuiſſe olim ſylva S. Bavonis, in qua licentiam venandi dedit Flandriæ ſaltuario Liderico aut Liderici filio vel nepoti Odoacro ad annum 830. Eynardus Ludovici Pii Cancellarius Abbas S. Bavonis, ea conditione, quod de omni venatione ſua daret ipſi Abbati decimum cervum ſive beſtiam: meminit ejus rei aliqua ex parte Meyerus libro 1. Annalium, & ex eo Locrius ad annum D C C C C X X I V. ſub Odoacro. Habet *Loo Chriſti* Eccleſiam titulo S. Nicolai Epiſcopi inſignitam. Delectatus imprimis eo loco fuit ultimus Bavonianorum Abbas Lucas & primus Collegiatæ Eccleſiæ præpoſitus, præcipuus Loanæ arcis conditor. Hic etiam nuper ſacellum in nemore Deiparæ Virginis honori dedicatum eſt, quod non incolarum modo, ſed & populi Gandavenſis eo accurrentis frequentia honoratur: illudque Romanus Pontifex & Gandavenſis antiſtes ad excitandam fidelium devotionem ſpiritualibus gratiis exornarunt. Pagi circuitus ad mille quingenta terræ bonaria ampliter ſe extendit.

LOO TEN HULLE quarto diſtat ab urbe Gandavo lapide, non contemnendæ magnitudinis pagus, mille enim ac ducenta terræ bonaria continet, quanquam non omnia eximiæ bonitatis. Eccleſia vivificæ Crucis titulo honoratur, ac patronum habet eum qui Semipræbendatus Tornacenſis vocatur. Dominio ejus temporali potitur Baro de Nevele, qui nunc Joannes della Faille.

MARIÆKERCKE pagus patentibus campis conſpicuus ad mediam Gandavo leucam diſtat, irrigatur ab una ſui parte Legia, qui Trunchinio venit, ab altera verò Livia, illumque ſecat medium foſſa nova, quæ Gandavo Brugas fluit. A Virgine Matre (ut alii quidam per Flandriam, & aliis in locis) nomen habet, eoque nomine etiam Eccleſia illuſtris eſt. Ab Anglis condita fertur ante plura ſæcula Gandavum obſidentibus Eccleſia, patronatum habet Abbas Blandinienſis, Dominatum temporalem Flandriæ Comes.

S. MARIÆLEERNE ab Eccleſia, quæ Virgini Matri & ſancto Joanni Baptiſtæ ſacra eſt, vicus hic vocitatur, trecenta terræ bonaria continens. Ejus Dominio temporali potitur Baro de Nevelle, Eccleſiæ patronatu Perſona de Donza.

S. MARTENS LEERNE vicus paulò major antecedente, quadringenta enim terræ bonaria continet, ſub Dominio temporali etiam Baronis de Nevele conſtitutus, & Eccleſiam Divo Martino ſacram habens, ejuſque patronum Semipræbendatum, ut vocant, Tornacenſem

MENDONCK Eccleſiam habet Beato Bavoni ſacram, cujus patronatus ſpectat ad Epiſcopum Gandavenſem, ſicut & Dominium temporale ejuſdem loci. Quamvis autem vicus hic ſit non tantæ magni-

magnitudinis, utpote centum & quinquaginta tantum bonaria terræ continens, & octodecim nuper familiis inhabitatus, clari tamen nominis eſt & antiquus, & titulum Comitatus adeptus. Ex Majorum traditione oſtenditur locus ubi Beatus Levinus pœnitentiam egit. Paſcua habet lauta, & vicinus hic tractus omnis à pinguibus vitulis, qui toto Belgio pretium habent, commendatur.

Meyghen quingenta terræ bonaria continet, & familias perpaucas. Dominio temporali potitur Baro de Nevele cui adjacet; Eccleſiæ patronatu Perſona de Donza, quæ titulum habet S. Antiſtitis Nicolai.

Merendre ad ſecundum ab urbe Gandavo lapidem ſitus eſt pagus, divite gleba felix, & paſcuis multis, aquis etiam Calæ irriguus, multæque antiquitatis, ut varia Bavonenſium, & Trunchinienſium reſcripta docent. Dominium loci, niſi fallor, ſpectat ad familiam de Wouters; ad capitulum; vero Tornacenſe *collatio* curæ paſtoralis, *quæ* plerunque per Canonicos Norbertinos adminiſtratur. Eccleſia Beatæ Radegundi ſacra eſt. In ea per annos aliquot quievit Beatus Gerulphus Merendræ natus, & in monte Blandinio ab Eliſæo Epiſcopo Noviomenſi confirmationis ſacramentum adeptus, qui dum ſuſcepta Spiritus Sancti plenitudine Merendram redire cogitat, in via per patruum ſuum necatus fuit. Is, utpote Flander natione, in conventu Aldenardenſi anno M XXX. primas obtinuit in ſupplicatione, omnium Flandriæ reliquiarium allatione ſplendida. Ita Comite Balduino volente meminit illius rei Meyerus lib. 2. Annalium ad eundem annum. Anno 914. elevatur S. Gerulphus Martyr in Merendra ab Eynardo Noviomenſi & Tornacenſi Epiſcopo & Balduino Calvo Comite VIII. Id. Octobris, & defertur ad monaſterium S. Mariæ, quod dicitur Trunchinium, comitante cætu infinito fidelium populorum.

Nazareth, quamvis ſit Nazarethum, partim etiam Cortracenſis, partim Aldenardenſis ditionis; Caſtellaniæ tamen Audenburgicæ accenſetur. Eccleſiæ patronatum habet Epiſcopus Gandavenſis, temporale dominium ad familiam *Damantiorum* ſpectat. Pagus eſt, ſi quis alius tota Flandria ampliſſimus, at glebà ſteriliore, & paſſim ſylvoſus, complectitur ter mille & octingenta terræ bonaria, frugum decimas præcipuè legit Eccleſia Tornacenſis. Templum honoribus ac titulo Virginis-Matris ſacrum eſt, ad quam colendam undique & frequens concurſus populi fidelis, menſe præſertim Septembri per natalitios ejuſdem Virginis dies. Dominio hujus loci etiam potita fuit familia *vander Zickele*, quæ è Ducatu Normandiæ oriunda, cum ab aliquot jam ſæculis Gandavum veniſſet, frequentes ibi & altos Magiſtratus geſſit. Præter hunc pagum poſſedere gentiles *de Zickele* (quos Gallice *de la Faucille* nominant) Weldene, & partim Zeeverghem, fueruntque adfinitate juncti cum gentilibus *vander Meeren*, *de Beer*, *vanden Spiegele*, *de Hembieſe*, *de Honcourt*, *de la Weeſtyne*, *Sloeve*, & aliis. Ambiani in æde Cathedrali conſpicitur monumentum *Everardi de la Faucille* equitis cum *Helena* uxore ſua *Joannis de Rochefort* filia.

Nevele mille bonaria terræ continet, Eccleſiam habet, cujus patronatu gaudet Prælatus Trunchinienſis, ſacram Divis Mauritio ac ſociis ejus Martyribus. De *Nevele* ita Gramajus. Succedit caſtro inſtructus ſplendidiſſimo, territorio duodecim vicorum latè patenti, Juriſdictione ampliſſima Baronatus, & municipium Nevela. Baronatus à nobiliſſimis gentibus Villana, ſeu Gandavenſi, Hornia, Montmorencia, poſſeſſus aut vindicatus. Nunc à Martino Della-faille viro potenti & induſtrio acquiſitus jure retractus à Lalanis. Reperitur municipium nundinis & foro, opificiis & gildis ante duo ſæcula inſtructum, cœnobio virginali Franciſcano, & hoſpitali ante centum quadraginta annos ornatum. Pagi autem Nevelanæ ditionis hi ſunt *Pouſſele*, *Lootenhulle*, *Landeghem*; ab una fluminis parte; ab altera autem *Vinct*, *Meyghem*, *Zeveren*, *Baerle*, *Vorſelaer*, *Bachten* & duplex *Leerne* cum Odonca arce, de qua mox. Fuit olim Nevela Dominium Caſtellanorum Cortracenſium, quod, poſtquam devolutum fuit ad familias Caſtellanorum Tornacenſium, & Dominorum de Mortaigne, Boulers, Gavere, Bailloeul, nuptiis tranſiit ad Montmorenciacos. Ad annum 1381. ſub Ludovico Malcano, hic ad Nivellam, ut vocat Meyerus, temeritate Razonis Herzellenſis Gandavenſes poſtquam diu fortiſſimè impetum hoſtium ſuſtinuiſſent, licet numero longè impares, non modicà clade adfecti fuere, & ipſa Nivella tota concremata, hiſtoriam fuſè narrat Meyerus Lib. LXIII. Annalium. De familia autem Nivellenſium, quos ſæpe Meyerus Nigellanos vocat, hæc in Annalibus aliiſque ſcriptis invenio, ad annum 1096. *Galterum Niveliacenſem*, alium *Galterum de Nivella* anno 1133 filium forte prioris. Vide du Cheſne in hiſtoria familiæ Gandavenſis lib. probationum. Anno 1184. *Galterum*

de Nevele, teſte Oudegerſtio, anno 1181. Gilbertum teſte Gramajo, anno 1244. *Rolandum* cum uxore Maria filia Thomæ Toparchi Viroviacenſis. Anno 1237. *Balduinum de Nivella.* Ad annum 1289. 1290. 1300. memoratur *Galterus de Nevele.* Idem anno 1279. Caſtellanus Cortracenſis. Idem anno 1284, ut habent Archiva Rupelmondæ, duxit Joannam de Bevere, Dominam de Pouſſeele Theodorici Domini de Dixmude Vicecomitis Donzani filiam. Hujus ſoror Joanna nupſit *Ludovico* Domino *de Lichtervelde.* Galteri filius *Gulielmus* duxit anno 1313. *Sophiam de Beaufort* Dominam de Grammene, Wtberghe, Sciervelde, defunctam anno 1331 & ſepultam apud Minoritas Gandavi. Hujus filius itidem *Gulielmus* habuit uxorem *Wilhelmam de Halewyn* Dominam de Lichtervelde, & Dooſthove in Viroviaco filiam Oliverii. Gulielmi filia Philippa de Nevele nupſit Gerardo de Steenhuyſe Domino de Sweveghem Othonis filio, à quibus natus Arnoldus: ex Maria de Poucques ſecunda conjuge filia Eulardi Domini de Poucques & Catharinæ de Borſele filiam habuit Iſabellam nuptam Ludovico de Ghiſtelles, Domino d'Ekelsbeque, & hujus filia Margareta, primo nupſit Joanni de Halewyn, Domino de Roosbeque, exin Ludovico à Flandria Woeſtinæ & Prati Toparcho. Cæterum in familia *de Gavere* hujus loci Toparchus, memoratur Joannes Dominus de Aishove Caſtellanus Cortracenſis, qui uxorem habuit Margaretam de Nevele circa annum 1314. ex ſtirpe verò Montmorentiorum poſſederunt Nivellam, primò Joannes de Montmorencii, filius Joannis ejus nominis ſecundi Domini de Montmorencii & Joannæ de Foſſeux. Hunc ratione Dominii de Nivelle in fidem ac clientelam recepit Philippus Bonus Burgundiæ Dux & Flandriæ Comes. Uxorem is habuit Gudilam Vilain è ſtirpe Gandavenſi Joannis equitis Domini de Huyſſe, Borcht & Zwindrecht, & Gudilæ Raes Dominæ de Pamele filiam, è qua ſuſcepit præter alios Philippum ejus nominis primum Nivellæ Dominum, qui fuit & Toparchus de Burcht, Zwindrecht, Wine, Hubermont, Lidekercke, S. Leu, le Pleſſis, Boucſard, Montigny, Vimy, Farbus, &c. ac quartæ partis Baronatus Montmorenciaci. Conjugem accepit Mariam de Hornes filiam primò natam Federici de Hornes Domini de Montigny in Oſtrevantio & Philippæ de Melun, habuitque ex ea filium Joſephum præter alios plures utriuſque ſexus liberos. Hic Joſephus Dominus ditionis Nivellanæ anno 1523.

Vide Andream du Chêne lib. 4. hiſt. Geneal. de Montmorencii.

duxit Annam de Egmont filiam primogenitam Florentii Comitis de Buren & de Leerdam Domini d'Iſelſteyn equitis aurei Velleris, qui copiis Cæſaris in Flandria præfuit. E Joſepho autem & Anna Egmondana natus fuit Philippus ſecundus ejus nominis Nivellæ Dominus, Comes Hornanus, eques aurei Velleris, & maris Belgici Architalaſſus, regiique ærarii præfectus, natus item Florentius de Montmorencii Baro de Montigny, itidem aurei Velleris eques, Tornacique ac Tornaceſii præfectus. Philippus ex Walburga Hermanni Comitis Nuenarii ſorore filium habuit Philippum qui juvenis obiit: Florentius itidem ex Helena de Melun Hugonis Principis d'Eſpinoy & Jolantæ de Werchin, filios Philippum & Florentium, quorum præmaturo obitu præter alia hoc quoque Dominium ad Lalanos Hoochſtratii Comites devolutum.

Castellum de Oydonc ante incendium anno 1491. à Gandavenſibus procuratum longè pulcherrimum intra limites S. Mariæ Leerne ſitum, in ditione Nevelana, quatuor habet turres ampliſſimas, foſſis undique cinctum latis atque profundis. Nuper illud magnis impenſis reſtaurari curavit Martinus della Faille. Auſim dicere vix ullum tota Flandria ſplendidius eſſe prætorium, quod ſuas etiam circumcirca amœnitates habet atque delitias, hortos & pomaria omni genere frugiferentium arborum conſita, etiam lucos & ſylvas, flumen vicinum, & prata per æſtatem jucundiſſima, cætera ferè omnia, quæ deſiderare poſſit, qui aprica rura ſectatur. Spectat nunc ad Martini hæredes, viros virtute animique præſtantia inſignes.

Vide in fine Iconem No. 9.

Oostacker Eccleſiam habet Beato Amando Gandavenſium Apoſtolo ſacram, cujus patronatum gerit Gandavenſis Antiſtes, qui & Dominium temporale loci habet. Eccleſia quamvis foris poſita & ad primum ferè ab urbe Gandavo lapidem, ſub Archipresbyteratu tamen urbano conſtituitur.

Ostwinckel, quem angulum Orientalem vocat Gramajus, pagus ad quartum fere ab urbe Gandavo lapidem ſitus, Eccleſiam habet titulo Divi Joannis Baptiſtæ inſignem. Peculium pridem fuit Croyacorum & Comitis Soliani, nunc ad Caſenbrotios familiam in Flandris natam, & notam ſpectat. Eccleſiæ patronatum habet capitulum Tornacenſe, amplitudo pagi ad mille ducentas terræ menſuras protenditur.

Poessele prætorem habet & Scabinos à Magiſtratu Nivellanæ ditionis diſtinctos,

ſtinctos, & ſic ſua fruitur libertate, eidem tamen ſeſe inſerit ditioni, & cum ea onera publica pendit. Eccleſia glorioſum Chriſti Martyrem habet tutelarem Laurentium ſub Antiſtitis Gandavenſis patronatu. Pagus totus centum terræ jugera complectitur.

Ronsele ad Liviæ ripam ſitus, quarto ferè lapide à Gandavo. Hic & in Ooſtwincle ſupremam habet juſtitiam Flandriæ Princeps, etiam viarum Dominus, qui una cum Waerſcotanis hic Magiſtratum conſtituit. Eccleſiam habet ſacram beato Gangulpho, Dominos etiam alioquin è gente Adornia, qui ex patriciis Genuenſibus Brugas ante ſæcula aliquot venerunt, ubi fundatorem habent Gerontocomii, Sacelli, & Xenodochii Jeroſolymitani, & monumenta familiæ habent illuſtria, equites à peregrinatione ſacra & militiæ baltheo cinctos, viros conſulares, & alios inter, Opicium nuper Adornum hominem litteris, & quovis humanitatis genere inſtructum. Eccleſiæ *patronatu hic* gaudet Epiſ*copus* Gandavenſis.

Saffelaere pagus ad tertium ab urbe Gandavo lapidem ſitus, terras habet arabiles, paſcua, ſylvas; Eccleſiam Deiparæ Virgini & Apoſtolo Petro ſacram. Caſtrum olim & nunc domum habet. Peculium Abbatiæ Blandinienſis, quæ dominatu pagi potitur, & Warandià per Guidonem Comitem anno 1289. monachis confirmata. Leges à Joanne Abbate accepit ad annum Chriſti M CC LXIV. patronatus Eccleſiæ itidem ſpectat ad Prælatum Blandinienſem. Ampiitudo ejus non contemnenda; mille enim bonaria terræ, quæ menſurarum tria millia conficiunt, complectitur. Familias centum quinquaginta nuper habebat; nunc, ut incolarum numerus paſſim in hac Provincia crevit, plures.

Seeverghem ſexcenta continet terræ bonaria. Peculium Abbatiæ Blandinienſis ad cujus Archimandritam patronatus ſpectat Eccleſiæ, B. Mariæ Virgini inſcriptæ.

In Parœcia de Zeeverghem ſitum eſt Dominium de Weldene, quod nunc poſſidetur à *Philippo Volcaert*, viro nobili, ac Senatoriæ dignitatis apud Gandavenſes, quod in vicinas quoque Parœcias, & ultra Scaldim in Gavere, Maſſeme, & Semmerſaecke ſe extendit, potiturque juribus amplis, atque, ut verbis loquar ipſius diplomatis feudalis, heeft hooghe, middele, ende leeghe juſtitie, ende al dat hooghe juſtitie vermach, Balliu ende vol hof van Mannen van Leene, Sergeant ofte Preter, elck van henliden ſyn officie doende, Tol, Vonte, Baſtaerde goederen, Banninghe, Confiſcatien van goederen, verbeurt, beſte hoofden, wandelcoop, ſterſcoop, vrye viſſcherye, vogelrye te water en te lande. Habet & jus, unam, pluresve erigendi molas pro uſu publico. Arx ab antiquo hic fuit, fortis, munita, quæque non ſemel contra impetum militarem ſtetit, & exercitus totos. In illius foſſa, quæ etiamnum ſervatur, inventa fuere varia militiæ Inſtrumenta, glandes, arcus, jacula, aliaque his ſimilia, in antiquum mirumque modum efformata.

Vide in fine Iconem No. 10.

Somerghem pagus ad tertium ab urbe Gandavo lapidem omni ferè ſui parte in edito ſitus, paſcuis, ſylvis, pratis, agro denique frumenti & cæterarum frugum ferace felix, amplitudine ſua (continet mille enim & quingenta terræ bonaria) ſpectabilis, & Eccleſia, quæ titulo S. Martini inſignitur, ſub patronatu Eccleſiæ Tornacenſis conſtituta. In hac Eccleſia, monumento elevato, ſepultus Dominus Philippus de Maſmines Toparchus de Somerghem, qui ad plures acceſſit anno 1414. feſto Divi Michaëlis. Appoſita ei conjux Beatrix van Blaeſvelt maritum ſecuta anno 1432. die 16. Martii. Dominium eſt gentis Snouckartiæ origine Brugenſis, ſed quæ jam apud Gandavenſes etiam honoribus, ac publicis muneribus claret. In qua Martinus Snouckartius hujus jam Dominii potitur, vir animi præſtans, & olim fuit Guilielmus Zenocarius ad Divi Donatiani Brugis ſplendidè ſepultus, auctor vitæ Caroli Quinti Cæſaris, vir virtute ac eruditione clariſſimus. Fuit & Dominus de Somerghem Philippus de Maſmines eques uxore ductà Beatrice filia Roberti Mariſcali Comitis, cujus uxor Beatrix à Flandria filia notha Ludovici Creſſiaci Flandriæ Comitis fuit; antea quoque ejus loci Dominio potita fuit familia admodum vetuſta, & ab eo cognomen habens. E qua leguntur non pauci cum Roberto Friſone & aliis ad ſacra bella profecti interque alios anno 1085. *Hermanus de Somerghem.* Ad annum 1196. cum Godefrido Bullonio alter *Hermannus de Somerghem* eques. Sub Philippo Elſatio *Bernardus de Somerghem &* *Walterus* ejus frater. Et ſub Balduino Conſtantinopolitano *Joannes Curio de Somerghem* & Gerardus ad annum 1203. ad bellum quod inter Grimbergenſes & Ducem Brabantiæ fuit anno 1140. cum aliis Flandriæ proceribus ivit & quidam Toparchus *de Somerghem.* Quomodo verò Dominium

nium illud Comites Flandriæ poſtea nacti ſint, hactenus non liquet.

Additio. Noviſſimum Somerghemii encomium eſt, quod anno 1648 natales dederit *Martino Steyartio*, Theologo verè Eximio, & Academiæ Lovanienſis clariſſimo ornamento. Fuit anno 1665. renunciatus primus in ſcholis Artium è Pædagogio Caſtri, dein ibidem Philoſophiæ Profeſſor, tum anno 1675. ætatis ſuæ 28. creatus S. T. Doctor; item Canonicus Theologalis Cath. Eccleſiæ Iprenſis. Poſtmodum Præſes Collegii Majoris Theologorum, ſacræ Facultatis Theologicæ Regens, Profeſſor Regius, Eccleſiæ Collegiatæ Divi Petri Lovanii Decanus anno 1696 electus, Privilegiorum Academiæ Conſervator, nec non ab anno 1691 Vicarius generalis & Apoſtolicus Diæceſis Sylvæducenſis vacantis. Obiit Lovanii communi omnium, tum Academicorum tum extraneorum luctu, die 17 Aprilis 1701. Vide plura in Hiſtoria Eccleſiaſt. Epiſcopatûs Sylvæducenſis, Bruxellis edita anno 1721.

Sleydingen ad ſecundum pœne ab urbe Gandavo lapidem, Eccleſiam habet glorioſo Martyri Georgio ſacram. Curio iſtic olim fuit cum duobus aliis ſacerdotibus; & inter alios aliquando Martinus Smetius Philologus, & Romanarum antiquitatum indagator ſummus. Scripta ejus alibi recenſita. Ager pinguis, omniumque frugum, ac imprimis optimi tritici ferax. Olim Abbatiæ Bavonianæ, nunc Epiſcopatus Gandavenſis peculium aliquâ ſui parte; nam alterâ Comitis Flandriæ juriſdictioni paret, per curiam iſtic à Margareta Conſtantinopolitana inſtitutam: quæ prætorem ſuum habet, & ſcabinos, partemque agri in Lovendeghem & Waerſcot occupat. Ejus rei meminit Meyerus ad annum Chriſti M CC L XVIII in hæc verba: *Eodem anno in juriſdictione veteris Caſtri Gandavenſis duas inſtituit Margareta Curias, Sledingam & Deſſeldonck, voluitque ut omnes ibi injuriæ talione punirentur, deditque eidem genti, quæ habet privilegia.* Curiæ Magiſtratus quotannis per Prætorem Caſtellaniæ Audenburgenſis nomine Principis conſtituitur. Hoc loco ad annum 1381 feliciter pugnatum à Gandavenſibus, cæſâ fugataque nobilitate pro Ludovico Maleano ſtante.

Ursele; habet Eccleſiam hic pagus ſancto Epiſcopo Medardo inſcriptam, cujus patronatu potitur Capitulum Tornacenſe, & Dominio temporali Flandriæ Comes. Mille bonaria terræ amplitudine ſua complectitur.

Vinct vicus eſt ſub Dominio Baronis de Nevele conſtitutus, Eccleſiam habens Divo Bartholomæo Apoſtolo ſacram, cujus patronatu gaudet ſacerdos majoris altaris Tornacenſis, per circuitum ſexcenta terræ bonaria continet.

Vinderhoute pagus in Caſtellania Audenburgenſi ad primum ab urbe Gandavo lapidem ſitus, interſecat illum foſſa nova, quæ Gandavo Brugas fluit: Domum habet ſplendidam, quam ante annos plus minus centum ædificavit Levinus Pottelsbergius Caroli quinti Cæſaris quæſtor, vir egregius, & apud eundem Principem gratioſus. Eſt Dominium jam penes familiam de Wouters, alibi etiam ſimili jure potientem: Eccleſia ſacra eſt Divo Bavoni Gandenſium Patrono. Et paſtorale in ea munus confertur per Gandavenſem Antiſtitem. Continet in circuitu trecenta bonaria, paſcuis etiam felix. Vide in fine Iconem No. 11.

Vorselaer juxta Nivellam ſitus eſt pagus, & ſub Dominatu Baronis ejuſdem Nivellæ. Patronatum eccleſiæ habet Archimandrita Trunchinienſis. Illa S. Eligio Tornacenſi & Noviomenſi Epiſcopo (qui ut Audoenus in vita ejus ſcribit, in Flandris prædicavit, & apud Andoverpas jugi inſtantia decertavit) inſcripta eſt, ſolet ad curanda & averruncanda equorum mala ſanctus hic apud Vorſelariam invocari. Sexcenta terræ bonaria pagus continet.

Waerscot pagus eſt tribus ab urbe Gandavo leucis diſtanans Eccleſiam habet Divo Giſleno ſacram, cujus patronatu gaudet Capitulum Tornacenſe. Aliquâ ſui parte ſpectat ad curiam Sledinganam à Margareta Comite Flandrorum inſtitutam. Sylvas habet, & agros urberes, & aquæductum Liviæ, per quem ſua Gandavum & aliò convehit. Sui Juris & privilegii eſt, neque Toparchum habet ſingularem. Sub Flandriæ Comite immediatè conſtitutus, ad annum Domini 1404. per Simonem Wtenhovium familiæ inter Gandavenſes, clariſſimæ. Eſt in hoc pago fundatus Prioratus Ordinis Ciſtercienſis aſſenſu Joannis Epiſcopi Tornacenſis. Cumque locus examini Abbatis Villarienſis commiſſus monaſterio convenire judicaretur, anno ejuſdem ſæculi 48. dedicatus fuit à Nicolao ſuffraganeo Tornacenſis Antiſtitis, & ſequenti, Monachis è Warmonda Batavorum evocatis, eſt concreditus titulo Curiæ noſtræ Dominæ. Exſtant in Archivis Cœnobii litteræ Joannis Epiſcopi Tornacenſis, de anno 1404. quibus Simoni de Curia facit poteſtatem ſtruendi Cœnobium. Exſtant & Abbatis Ciſtercienſis de anno ſequenti, quibus Præ-

Præſulem Villarienſem conſtituit loci viſitatorem. Nicolai denique Danii Paſtoris Waerſcotani anno 1447. 18. Martii cum dicto Simone obſonatore Philippi Principis & Margareta Buſers ejus uxore ſuper juribus parochiæ convenientis. Primus porrò Prior Jodocus ex Cœnobio Souzano anno 1447. electus eſt & fundator. Monachum indutus anno 1462. Martii obiit 7, uxore in Bilocam ſecedente & ibi anno 1480. in Hoſpitali ſepulta ubi ſe vocat fratris Simonis viduam. Intra Waerſcotiam porrò erat vetus prætorium cum Warandia & juribus, olim Gentilium de Lun; nunc Domini de Bieſe ex Rodoaniis Berlegemiis viri inter Gandenſes patricii conſularis.

WONDELGHEM ad medium ab urbe lapidem, omni ſui parte pagus admodum amœnus, & fluviis interſectus, agrum habet non infelicem, & plurima prata. Eccleſiam ſub patronatu Antiſtitis Gandavenſis Virgini & Martyri Catharinæ ſacram. Habuit & illic *arcem ſuam* Ludovicus *Maleanus* circa annum 1369. ædificiis auctam, ſed eam decennio poſt Gandavenſes Ludovico infeſti exuſſerunt & diripuerunt. Ejus aliqua adhuc viſuntur veſtigia, & fama narrat ſubterraneam ab ea viam eſſe in Petram Comitis Gandavenſem.

Vide in fine Iconem No. 12.

Viſitur & Wondelghem *Caſtellum de Everſtein* Gentilium de Catulle pronuper, & denique Mortavienſium, familiæque de Ouredene nobilis & vetuſtæ, at nunc intermortuæ. Habet & ibi domum Toparchus d'Ette Lotharingus vir prudentià & virtute bellica clarus. Gulielmus Wyts Flandriæ præſes. Item Toparchus de Eeghem è familia de Gryſpere, & alii quidam.

ZEVENEECKE ad ſecundum diſtat ab urbe Gandavo lapidem agris arvis potiſſimum conſtans, peculium olim Abbatiæ Bavonianæ, nunc Epiſcopatus Gandavenſis. Eccleſiam habet gaudentem titulo Apoſtolorum Petri & Pauli. Ad paſtorale officium nominat idem antiſtes. Vias habet publicas regiaſque, qua vix tota Flandria latiores, arboribus variis ac præſertim quercubus conſitæ ſunt, quarum etiam nomine gaudet, apta porcis alendis regiuncula, & cum Dodona Jovis conferenda. Hic anno 1381. infeliciter pugnatum à Gandavenſibus.

ZEVEREN Eccleſiam habet Divo Amando Gandavenſium Apoſtolo inſcriptam, ſub patronatu illius, qui Sacerdos majoris altaris Tornacenſis dicitur, pagi dominium temporale nuper habebat Caluwartius, vir Merculiaribus Antverpiæ ſtudiis addictus & honoratus. Ad ducenta quinquaginta terræ bonaria ejus magnitudo protenditur, ut liber habet de parœciis Epiſcopatus Gandavenſis inter Archiva ejuſdem manuſcriptus, è quo pleraque in hanc paginam retuli, Gandavenſis ejuſdem antiſtitis conceſſione, ac pio ejus in Rempublicam litterariam & Eccleſiam Dei ſtudio, quæ ad ſacram juriſdictionem, & Eccleſiarum ornamenta pertinent.

ZWYNAERDE ad primum diſtat ab urbe Gandavo lapidem. Dynaſtia Abbatiæ Blandinienſis, arcem per bella collapſam nuper inſtauravit Abbas Arſenius ſplendidam cumprimis, & Principis habitatione dignam. Habitavit illic Iſabella Caroli Cæſaris ſoror, Chriſtierni ſecundi Daniæ Regis uxor, quo & maritus venit profugus, & ob tyrannidem à ſuis pulſus, ubi & Iſabella obiit in Blandinio ſepulta, ut alibi narramus. Fuit Swynarda ſæpius & *refugium Abbatum Blandinienſium*, qui ſenio vel morbis *fracti*, à curis vacare, & in ſolitudine ſolatium habere voluerunt. Habet ſylvas, agros, prata pinguia, quæ Scaldi mirum in modum hic tortuoſo & mæandros aquarum ducente irrigantur. Eccleſiam habet Divo Nicolao ſacratam, & ad paſtorale munus promovetur, quem Blandinienſis Abbas idoneum nominavit, ejus amplitudo ad nongenta terræ bonaria protenditur. Atque ita quidem ſunt, quæ impræſentiarum ad topographicam Caſtellaniæ Audenburgenſis deſcriptionem ſuffecerint, quæ uti vetuſtate cæteras omnes in Comitatu Flandriæ ſitas antecellit, ſic etiam loco ac dignitate cæteris in unum venientibus primas obtinet; olim hoc quoque habuit privilegium, ut, cum ad bella Gandenſes procederent, proximum à vexillo Gandavenſium, Audenburgicum eſſet, & dominii Bornhemienſis, ut in archivis curiæ Gandavenſis ad annum 1404. fol LXII. videre licet.

Vide in fine Iconem No. 13.

Non procul ab æde Parœciali S. Martini in Ackerghem ad flumen Legiam & urbis foſſas, loco per æſtatem mirè amœno atque jucundo, ſplendidam nuper ædificavit domum, & omnibus elegantiis inſtruxit Reverendiſſimus Dominus *Antonius Trieſt* Gandavenſium Epiſcopus. In domo Imagines ac picturas cernes à præſtantibus penicillis, in hortis florum, herbarumque omne genus, quidquid denique oculos oblectare ac mentem, innocuàque imbuere voluptate poſſit. Legitur & ſequens Epigraphe Jambicis ſcripta

Vide in fine Iconem No. 14.

Digitized by Google

ſcripta per Reverendiſſimum Iprenſis Eccleſiæ Antiſtitem Georgium Chamberlinum virum liberalibus diſciplinis ac eruditione cultiſſimum.

AUDI HOSPES

Nuper jacebam nominis ſquallor mei
Muſcoſa, ſordens, ſpuma agreſtis germinis
Et carpionum ſtatio, nunc delitium heri
Nunc vaticanæ amœnitatis æmula,
Et Trieſtiorum ſum ſubarbanum, & *vocor*

BELVEDERE.


FINIS TOMI PRIMI.

Digitized

N° 1.




N° 2.



Domus Baronis de Rode in Deſſelberghe.


Digitized by Google

N°. 3



EECKE, dans La Chatellenie d'Audenburg.

N°. 4




A. Chateau du Comte d'Everghem.
B. L'Eglise d'Everghem.
C. Puis de S.t Christophe.
D. La Riviere de Caele

CASTELLUM EVERGHEM.

E. Walburg Sur La Caele.
F. La Maison de L'Escoutette
G. Maison Echevinale
H. Maison des Doijens


Digitized by Google

N°. 5.



Caſtellum Hellewegen -


N°. 6.



Caſtellum Bouckel

Digitized by Google

N°. 7.




N°. 8.



LOO CHRISTI

N°. 9.





N°. 10




PRÆTORIVM DE WELDENE

Digitized by Google


Nº. 11.
Nieuwe Cale
Aude Cale
Meerschen
'tCasteel van
Vinderhaute
Wech van Brugge naer Ghendt



EVERSTEIN
in Castellania
Audenburgensi.

Digitized by Google



CASTELLUM ZWYNAERDE.

N° 14



BELVEDERE.

Digitized by Google

INDEX PRIMUS

PERSONARUM DIGNITATE

AUT ERUDITIONE ILLUSTRIUM.

A.

ADalbertus, alias Aſcelinus, Pariſienſis Epiſcopus, ſepultus Gandavi. 255. 309.
Adalwinus, Abbas S. Petri Gandæ. 280.
Adela, Conjux Arnulphi magni Comitis Flandr. 42. 253.
Adeliva, nobilis mulier ſepulta Blandinii. 256.
Ægidianus, Andreas, 342.
Ainardus, Abbas S. Petri Gand. 276.
Albertus, Archidux, Comes Flandriæ. 101.
Allamont, Eugenius Albertus, Epiſcopus Gand. 231.
Alſatia, (de) Thomas Philippus, è Præpoſito Gand. Archiep Mechlin. & S. R. E. Card. 240.
Amandus, (S.) Apoſtolus Gandenſium. 293. 342. fundat Abbatiam Truncinienſem. 308.
Ammonius, Lævinus, 368.
Ansboldus, Abbas S. Petri. 282.
Anſelmus Magiſter, ſepultus Blandinii. 255.
Antonius, Dux Brabantiæ. 106.
Antonius, Flandriæ Saltuarius. 36.
Arents, Guilielmus, Archidiac. 241.
Arnoldus, Abbas S. Petri. 283.
Arnulphus I. Magnus, Comes Flandr. 42. 253.
Arnulphus II. Junior, Comes Flandr. 44. 253.
Arnulphus III. Infelix, Comes Flandr. 48.
Artevelde (Philippus) author rebellionis 29. 152.
Ayta, Bucho Præpoſ. Cathedr. 240. Viglius, vide infra.

B.

BAcherius, Petrus. 373.
Badius, Judocus. 364.
Balduinus Ferreus I. Comes Flandriæ. 40. 252.
Balduinus Calvus II. Comes Flandr. 41. 253.
Balduinus III. Comes. 43.
Balduinus IV. dictus Pulchrobarbus, Comes Fland. 45. 254.
Balduinus V. Inſulenſis, Comes Flandr. 46.
Balduinus VI. Montanus, Comes. 47.
Balduinus VII. Securicula, Comes Flandr. 50.
Balduinus VIII. Flandr. & Hannoniæ Comes 56.
Balduinus Conſtantinopolitanus Imperator 57.
Balduinus, ſive Balzo filius Comitis Cameracenſis 255. 278.
Bavarius, Ægidius 342. Andreas 342. Jacobus 357.
Baudemundus, Abbas S. Petri Gand. 275. 345.
Bavo, (S.) Patronus Gandavenſium 294.
Beka, Andreas 342. Goſwinus 354.
Bernartius, Petrus, Dec. Eccl. Cath. 240.
Beverne, Theodoricus. 28.
Bibaucius, Guilielmus, è Priore Carthuſiæ Gandenſis, Majoris Carthuſiæ Prior 314. 354.
Bieſius, Nicolaus 371.
Blaſerius, Ludovicus 369. Jacobus 384.
Bochardus Avenius, maritus Margaretæ Comitiſſæ Flandriæ 60.
Bocla, (de) Balduinus, fundator Abbatiæ Bodeloens 305.
Bocle, Ægidius, Epiſcopus Roffenſis, Abbas S. Bavonis 303.
Bommalia, Joannes 361.
Boonem, Philippus, Prior Waerſchotanus &c. 313.
Boonen, Jacobus, Epiſcopus Gandavenſis 227.
Borlutius, Guilielmus. 354.
Boſch, alias van den Boſch, Carolus, Epiſcopus Gandavenſis.
Boſtius, Arnoldus. 344.
Brachelius, Jeremias 356.
Brixius (S.) Martyr 242.
Bunderius, Joannes 360.
Burchardus Saltuarius Flandriæ 37.
Burchius, alias Van der Burch, Franciſcus, Epiſcopus Gandavenſis. 226. 356. Adrianus. 171
Burgundus, Nicolaus. 371.

C.

CAmerarius, Cornelius 348.
Capronius, Franciſcus 351.
Carnarius, Joannes 361.
Carolus (S.) I. dictus Pius, Comes Flandriæ. 51. ejus martyrium 52.
Carolus Audax, ſeu bellicoſus Comes Flandriæ 85.
Carolus V. Imp. Comes Flandriæ 95. 345.
Carolus II. Rex Hiſp. Comes Flandr. 132.
Carolus VI. Imp. Rex Hiſp. Comes Flandr. 137
Caſtellanus, Georgius 352.
Caſtillo, (de) Guilielmus, Abbas Bodeloenſis & Prior Waerſchotanus 306. 313.
Caſtro, Joſephus, Præpoſ. Cathedr. 240.
Cauwenburch, Joannes, Abbas S. Petri. 288.
Chamberlain, Georgius, Epiſcopus Iprenſis. 352. 440.
Cathillion, Guido. 28.
Cæleſtinus, Abbas S. Petri Gand. 275.
Colletta, (S.) Clariſſa Gandavi. 329.
Columbanus (S.) 349.
Conrault, Philippus, bis, Abbates St. Petri. 287.
Cools, Joannes. 319.
Coorenhuſius, Guilielmus Præſ. Conſ. 354. 371.
Coron, (du) Judocus, Abbas Dunenſis. 313.
Crabbeels, Clemens, Epiſcopus Sylvæd. 240. 241.
Cruycke, Æmilianus, Abbas S. Petri. 292.
Cuelsbroeck, Gerardus, Abbas. S. Petri. 288.
Cruyeen, (vander) Judocus Prior Waerſchot. 313

D.

DAmant, Adrianus 341. Nicolaus Præſes Conſ. 171. Petrus, Epiſcopus Gand. 224.
Delrio, Franciſcus, Decanus Gand. 240. Jacobus Abbas Bodelo. 306.

Diophylax, Joannes. 361.
Dullardus, Joannes. 361.
Dumæus, Joannes. 361.
Duermael, Georgius, Abbas Bodel. 306.
Dyckerius, Ignatius. 359.

E.

EGiltridus, Epiſcopus Leodienſis, Abbas S. Bavonis. 298.
Engieranus, Flandriæ Foreſtarius. 39.
Elftrudis, Uxor Balduini II. Comitis Fland. 41. 253.
Epiſcopius, Philippus. 374.
Eſpinoy (l') Philippus. 29. 374.
Eſtoredus, Flandriæ Foreſtarius. 38.
Eremboldus, Abbas S. Petri. 282.
Errembaut, Ludovicus Præſes Conſ. 171.
Everelmus, Abbas S. Petri. 350.
Evcrlinus, Abbas S. Petri. 282.
Eynardus, Capellanus Imp. Ludovici, Abbas. S. Bavonis. 298.

F.

FAille, (de la) Prætores Gandavi. 383.
Fayus, Joannes, Abbas S. Bavonis. 302. 360.
Ferreeus, Abbas S. Petri. 275.
Flandria, (de) Ludovicus. 29. 368. Philippus. 28.
Florbertus, (S.) I. Abbas S. Petri Gandavi. 270. 297. 301.
Folcardus Abbas S. Petri. 282.
Folradus, Abbas. S. Petri. 276.
Foſſa (à) Balduinus. 345.
French, Nicolaus, Epiſcopus Fernenſis, Gandavi reſidens. 232.
Funck, Joannes, Epiſcopus nominatus Gandavenſis. 221.

G.

GAndavo, (à) Ægidius 342. Ambroſius, ibidem. Henricus. 356. Petrus. 372.
Garetius, Joannes. 363.
Gavre, Arnulphus. 28.
Gerardus (S.) Cellenſis, Abbas & Reſtaurator S. Petri & S. Bavonis. 278. 299.
Ghiſtella, (à) Franciſcus Decanus Cathedr. 240. Judocus. 364.
Giſlebertus, Abbas S. Petri. 283. 354.
Giſila, ſoror Oginæ Flandriæ Comitiſſæ. 256.
Goethalſius, Franciſcus 352. Jacobus 310. Andreas. 313.
Grobbendonck, Ignatius Auguſt. Epiſcopus Gandenſis 235. vander Gracht, Gedeon, Epiſcopus Caſtorienſis. 319.
Gruterus, Janus. 359.
Gualtherus, Cornelius. 349.
Guido, Abbas S. Petri item S. Bavonis. 280. 299.
Guido de Dampetra, Comes Flandriæ. 62.
Guilielmus Rex, Sepultus in Abbatia S. Petri. 255.
Guilielmus Normannus, Comes Flandriæ. 53.
Guilielmus de Dampetra, maritus Margaretæ. Comitiſſæ Flandriæ. 62.

H.

HAlewyn, Georgius. 352.
Hammius, Jacobus. 358.
Harduinus, Dionyſius 350. Franciſcus 351. Juſtus. 365.
Hatta Abbas S. Petri Gandavi. 275.
Hauchinus, Joannes, Archiepiſcopus Mechlinienſis. 363.
Haudion, Nicolaus, Epiſcopus Brugenſis. 240.
Havenſius, Arnoldus, Carthuſ. 344.
Havre, (van) Joannes. 362.
Heinſius, Daniel. 349.
Heſius, Henricus, Archidiaconus. 241.
Heſſelius, Jacobus, Conſiliarius Martyr. 219.
Hertoghe, Marcus, Præſes Conſ. 171.
Heuriblock, Petrus, primus Decanus S. Bavonis. 240.
Heurne, (van) Chriſtophorus. 347.
Heyndricx, Jacobus. 358.
Hildebertus, (S.) martyr, Abbas S. Bavonis. 297.
Hollander, Engelbertus 350. Joannes. 360.
Horenbeeck, Franciſcus, Epiſcopus Gandenſis. 234.
Hornes, Albertus, Epiſcopus Gandenſis. 236.
Houcanus, Ægidius 342. Eligius. 350. Paulus. 372.
Hovelynck, Amandus Abbas S. Petri. 292.
Huberti, Lambertus, Abbas S. Petri. 291.
Hugenois, Levinus, Abbas S. Bavonis. 303.
Hugo I. II. & III. Abbates S. Petri. 284.
Hulſius, Levinus. 366.

J.

JAnſenius, Cornelius, Epiſcopus Gandenſis. 217. 348.
Janſſens, Cornelius Decan. Eccl. Cath. 241. Joannes. 362.
Joanna Conſtantinopolitana, Comitiſſa Flandriæ. 59.
Joanna Duciſſa Brabantiæ. 106.
Joannes, Abbas S. Petri Gand 271.
Joannes Burgundus, dictus intrepidus, Comes Flandriæ. 72.
Joannes Dux Brabantiæ. 106.
Joannes Luxemburgicus, Bohemiæ Rex, 107.
Iſabella Soror Caroli V. Cæſ. Uxor. Chriſtierni Daniæ Regis. 256 257.
Iſabella Clara Eugenia, Infans Hiſpaniæ, Comitiſſa Flandriæ 101. 115.
Judith, Comitiſſa Flandriæ. 40. 252.

K.

KErsbelius, Philippus. 375.
Kerckhovius, Judocus, 365. Simon 377.
Norbertus Abbas Truncin. 310.

L.

LAcu, (à) Robertus. J. U. D. 377.
Lake (de) Balduinus, Abbas S. Petri. 286.
Landoaldus, (S.) Epiſcopus. 242.
Landrada, (S.) Virgo. 242.
Lautens, Ludovicus. 369.
Ligier, Cornelius, Decanus Cath. Gand. 241. bis.
Levineus, Joannes. 362.
Leeuwaert, Gerardus, Abbas S. Petri. 287.
Lidericus Bucanus, Flandriæ Foreſtarius. 36.
Lidericus. II. 38.
Liebaert, Joannes, Præſes Conſ. 171.
Lindanus, David 350. . . . . Wilhelmus, Epiſcopus Gandavenſis. 222. 355.

Livi-

Digitized by Google

Livinus, (S.) Archiepiſcopus Scotiæ, Patronus Gandenſium. 294. 365.
Lobelius, Joannes J. U. D. Decanus S. Bav. 240.
Ludovicus I. Creſſiacus, Comes Flandr. 65.
Ludovicus II. Maleanus, Comes Flandr. 68.
Lutgardis, filia Arnulphi Comitis Flandriæ. 253.

M.

MAcarius, (S.) Epiſcopus, Patronus Gandenſ. 242. 300.
Machtildis Saxonica, Uxor Balduini III. Comitis Flandriæ. 254.
Mackoen, Auguſtinus, Abbas Truncin. 310.
Malinæus, Aurelius, Præſes Conſilii. 171.
Maio, (de) Joannes, Decanus S. Bavonis. 240.
Manilius, Arnoldus. 345. Cornelius. 349.
Marca, (à) Carolus 346. Jacobus Cornelius. 357.
Margareta I. Comitiſſa Flandriæ. 56.
Margareta II. Conſtantinopolitana, Comitiſſa Flandriæ. 60.
Mahieu, Leo, Prior Waerſchot. 313.
Margareta III. Maleana, Comitiſſa Flandriæ. 70.
Maria Burgundica, Comitiſſa Flandriæ. 89.
Marius, Cornelius. 349.
Maſius, Carolus Epiſcopus Gandavenſis. 225. 343.
Martens, Jacobus Præſes Conſ. Flandriæ. 171.
Martinius, Cornelius. 349. Franciſcus. 351.
Maximilianus Auſtriacus, Imp. Comes Flandriæ. 89.
Meerſche, (van den) Franciſc. Aloyſius, Præſes Conſ. Flandriæ. 171.
Mercatellis, (de) Raphael, Epiſcopus Roſſenſis, Abbas S. Bavonis. 301. 376.
Merlin, Auguſtinus, Abbas Truncin. 310.
Molinæus, Joannes, 362. Lævinus. 310.
Morillon, Maximilianus, Epiſcopus Tornac. 240.
Munich, Lucas, ultimus Abbas S. Bavonis. 240. 340.
Mus, Philippus, Epiſcopus Tornacenſis. 375.
Muſaert, Antonius, Abbas S. Petri. 293.

N.

NEelſius, Nicoulaus. 372.
Neelſe, Radulphus. 28.
Noot, (vander) Philippus Erardus, Epiſcopus Gandav. 237.
Nova-Curia, (à) Franciſcus. 372.

O.

ODoacer, Flandriæ Foreſtarius. 40.
Ogina, Uxor Balduini IV. Comitis Flandriæ. 254.
Oignies, Ludovicus Theodorus, Decanus Gandenſis ac Brugenſis. 241.
Olivarius, Joannes. 362.
Ooms, Cornelius. 241.
Oonſſelius, Guilielmus. 355.
Ovis, (de) Gilbertus. 354.

P.

PAludanus Michael, S. T. D. 371.
Pamelius, Guilielmus, Præſes Conſ. Flandr. 171.
Panagathus, Levinus. 366.
Papius, Andreas. 342.
Pharaildis Virgo. 241. Ejuſdem nominis Eccleſia. 243. & ſeqt.
Philippus I. Alſatius Comes Flandriæ. 55.
Philippus Valeſius, dictus Audax, Dux Burg. Comes Flandr. 70.
Philippus Bonus, Dux Burg. &c. 75.
Philippus Pulcher, Comes Flandr. Rex Hiſp. &c. 93.
Philippus II. Rex Hiſp. Comes Flandr. 98.
Philippus III. Rex Hiſp. &c. 124.
Philippus IV. Rex Hiſp. &c. 162.
Philippus V. Rex Hiſp. &c. 134.
Philippus Dux Brabantiæ. 106.
Philippus Comes Namurcenſis. 28.
Piet, (vander) Antonius. 171. Balduinus 345. Levinus. 368.
Piſcator, Joannes, Abbas S. Petri. 286.
Pitthem, Joannes, Abbas S. Petri. 286.
Pontanus, Levinus. 367.
Pottelsberghe, Philippus Archidiaconus Gand. 241. Richardus. 377.
Pricels, Adrianus. J. U. D. 341.
Prooſt, Adrianus. J. U. D. 341.

Q.

QUercu, (à) Laurentius. 365.

R.

RAnſt, Judocus, Decanus Eccl. Cath. 241.
Reymolanus, Jacobus 358.
Rhodoan, Carolus Philippus, Epiſcopus Brugenſ. 240. 346.
Richardus Abbas S. Petri. 280.
Richart, Joannes, Prior Waerſchot. 313.
Robertus Friſius, Comes Flandr. 48.
Robertus II Jeroſolymitanus, Comes Flandr. 49.
Robertus III Bethunius, Comes Flandr. 64.
Robertus, Abbas S. Petri. 277.
Rodius, Adrianus. 341.
Ronſeus, Balduinus 345.
Roote, Jacobus, Præpoſitus Eccl. Cath. 240.
Roſela, vide Suſanna.
Rotboldus, Abbas S. Petri 280.
Rukebuſch, Matthæus Epiſcopus Nominatus Gandavenſis 221.
Rycke, (de) Fulco. 286. Joannes, bis, omnes tres Abbates S. Petri. 287. Guilielmus 356. Joannes. 361. Juſtus. 365.
Ryn, Gerardus, Abbas S. Petri 292. Carolus 346. Gerardus. 353. Simon 385.
Ryms, Ivetta, 328.

S.

SAnderus, Antonius, hujus Operis Author 343
- - - - Joannes, 363. Levinus, bis 367
Schalda, (de) Joannes, Abbas S. Petri 285.
Schepperus, Janus 359. Cornelius 386.
Schoonhovius, Antonius 343.
Schaeyck, Joachim, Abbas S. Petri. 292.
Scoranus, Abbas S. Petri 276.
Serſanders de Luna, Antonius, Præſes Conſilii 171
Franciſcus 151. 383.
Sigerus, Abbas S. Petri. 282.
Sigerus II. 283.
Smet, (de) Joannes Baptiſta, Epiſcopus Gendav. 238.
Smetius, Antonius. 343.

Digitized by Google

Smyteria, Anna. 343.
Smyterius, Carolus. 347.
Somere, (de) Jacobus. 357.
Spelmaghen, Ægidius, Abbas S. Petri 285.
Standaert, Philippus, Abbas S. Petri. 293.
Steenhuyſe, Philippus, Præſes Conſilii Flandr. 171.
Stercke, Marcus, Decanus Eccl. Cath. 240.
Stephanus, Græcus, Levita, Sepultus in Abbatia S. Petri. 255.
Steuperaert, Claudius, Abbas Truncin. 311.
Steyaert, Martinus, Vicarius Apoſtol. Sylvæduc. 392.
Stratii, parricidæ Caroli boni Comitis Flandr. 52.
Suſanna, ſeu Roſela, uxor Arnulphi II Comitis Flandriæ 254.
Swynaerde, Arnoldus, Abbas S. Petri 284. & 285.

T.

Tanneguy du Chaſtel, 74.
Tayſpil, Petrus, Præſes Conſilii Flandr. 170.
Temmerman, Giſlenus, Abbas S. Petri 291.
Theodoricus Alſatius, Comes Flandr. 54.
Thodeſchinus, Adrianus. 341.
Torre (la) y Ayala, Gabriel, Præpoſitus Cath. Gand. 240.
Torrentius, Lævinus, Epiſcopus Antverpienſis 367.
Trieſt, Antonius, Epiſcopus Gandenſis. 228.
- - - - Nicolaus. 249. 372. Joannes Baptiſta. 359.

V.

Vaentkens, Livinus Abbas Bodelo. 306.
Vaernewyck, Guilielmus, fundator Carthuſiæ Gandavenſis. 314.
- - - - - - Marcus. 370.
Valckgraeve, Joannes, Abbas Bodelo. 306.
Varæus, Adrianus, Præpoſitus Cathedr. Gandav. 240.
Vaſſorius, Petrus. 374.
Verſchueren, Maurus, Abbas S. Petri 292.
Viglius Zuichemius, Præpoſitus Cathedr. Gandenſis. 240. 305. 378.
Villicus, Joannes, Epiſcopus Biblienſis. 363.
Vinciana, (S.) Virgo. 242.
Vrancx, Cornelius Columbanus, Abbas S. Petri. 291. 348.
- - - - - Georgius, Fundator Monialium Gandavi. 328.
Vrientius, Maximilianus. 370.
Vulderius, Maillardus. 369.
Vytten-hove, Fulco, fundator Abbatiæ Bylocæ. 323.
- - - - - - Carolus 347. Joannes 363. Nicolaus 170. 372.

W.

Waesberge Joannes. 363. Petrus 374.
Waetervliet, Joannes, Prior Waerſchot. 313.
Waltherus, Abbas S. Petri. 284.
Waltherus, Joannes. 364.
Wannemakerus, Philippus 376.
Wielant, Philippus, Præſes Conſ. Flandr. 170. 376.
Wichardus, Abbas S. Petri Gand. 281.
Wilhelmus, vide Guilielmus.
Wilde, (de) Joannes 361.
Willebaert, Joannes, fundator Carthuſiæ Gandavenſis. 313.
Willocqueau, Robertus, Abbas S. Petri. 292.
Womarus, Abbas S. Petri & Bavonis Gandavi. 279. 299.
Wyts, Guilielmus, Præſes Conſ. Flandriæ 171.

Y.

Ypra (de) Theodoricus, Abbas S. Petri 285.
d'Yve, Fredericus, Abbas S. Petri. 291.
Ywanus, Comes Aloſtanus. 186. 309.

Z.

Zachtmoorter, Michael. 371.
Zaman, Joannes 363.
Zevecotius, Jacobus. 358.
Zoetaert, Bernardus, Abbas Bodelo. 306.
Zweveſelius, Philippus 375.
Zypa, (de) Gerardus, Abbas Bodelo. 305.

INDEX SECUNDUS

LOCORUM RERUMQUE

MEMORABILIUM.

A.

ABbates S. Petri Gandavi. 270.
- - - - S. Bavonis olim. Gand. 297.
- - - - - Bodeloenſis. 305.
- - - - - Trunchinienſes. 309.
Abbatiſſæ Hoſpitalis Gandenſis. 322.
- - - - - - Bilocæ. 323.
- - - - - - Ooſteeckeloo. 323.
- - - - - - Terhaeghen. 324.
- - - - - - Groenenbriele. 325.
- - - - - - Nonnenboſſche. 325.
- - - - - - Dorrezeele. 327.
- - - - - - Benedictinæ Angliæ. 327.
Aelteren, pagus Caſtellaniæ Gand. 384.
Afflıgemienſis Abbatiæ in Brabantia origo. 282.
Afinede, pagus Caſtellaniæ Gand. 384.
S. Agnetis Moniales Gandavi. 328.
Aldenardenſis Decanatus. 214.
Alexiani Gandavi. 331.
Aloſtenſes Comites, è familia Gandavenſi. 185.
Angliæ Moniales Benedictinæ Gandavi. 327.
Angli Jeſuitæ. ibid. 321.
Annunciatæ Gandavi. 330.
Archidiaconi Cathedr. Eccl. Gandenſis. 241.
Auguſtiniani Gandavenſes. 318.

B.

BAchten, pagus Caſtell. Gand. 385.
Barrle, pagus Caſtell. Gand. 384.
Baillivi Flandriæ. 29. Souverani Provinciæ. 26. Gandavenſes. 382.
S. Bavonis, olim Abbatia Benedictinorum Gandavi, nunc Cathedralis. 293. Privilegia illius. 296. Abbates 297. fit Eccleſia Collegiata. 304.
Begginagium Gandavenſe, majus & minus. 335.
Belfortum Gandenſe. 200.
Bellem, pagus Caſtellaniæ Gandenſis. 385.
Blandinienſis Abbatia Gandavi. Vide S. Petri.
Bodeloenſis Abbatia Ciſtercienſium Gandavi. 305. Abbates. Ibid. Benefactores. 306.
Bogardi, olim Gandavi. 314. 320.
Bulla Pauli IV. Pont. pro Erectione novorum Epiſcopatuum in Belgio. 207.
Bullæ Martini I. Paſchalis II. Innocentii II. &c. Pont. pro Abbatia Blandin. 261.
Burg-gravii Flandriæ. 20. Gandenſes. 190.

C.

CAncellarius Flandriæ. 20.
Capucini Gandenſes. 318.
Carmelus Gandenſis. 316.
Carthuſia, ibidem. 313.
Caſtellania veteris Burgi Gandavenſis. 31. 381. Baillivi ſupremi. 382.
Caſtrum Gandenſe. 201. Gubernatores. 198.
Centrones, incolæ veteris Flandriæ. 4.
Clariſſæ divites Gandavi. 329.
Clariſſæ pauperes Gandavi. 329.
- - - - - Gandavenſes. 173.
- - - - - Aloſtenſes. 185.
Comites Flandriæ. 34. & ſeqt.
Conestabilis Flandriæ. 20.
Conſilium Flandriæ. 23. 170.
Conſiliarii Actuales. 171.
Conſiliarii Anni 1409. p. 172. Item anni 1640. p. 172.
Conſulares Faſti Gandavenſes. 151.
Curia, ſeu Ædes Prætoriæ Gandavi. 199.
Cymbri, incolæ veteris Flandriæ. 4.

D.

DEcanatus Diœceſis Gandenſis. 213.
Decani Cathedr. Eccl. Gandenſis. 240.
Deinze, ſive Donzanum, Monialium Monaſterium Gandavi. 328.
S. Denys, pagus Caſtellaniæ Gand. 385.
Deſſelberghe, pagus. 385.
Deſſeldonck, pagus ibid.
Dominicani Gandavenſes. 315.
Dominicanæ Gandavi. 331.
Domus amentium Gandæ. 332.
Donzanus, Decanatus. 214.
Dorrezeele, Abbatia Monialium Ciſter: Gandavi. 327. 387.
Dronghene, pagus Caſtellaniæ Gandenſis. 385. Vide Trunchinium.
Duerle, pagus Caſtellaniæ Gand. 386.

E.

EEcke, pagus Caſtellaniæ Gand. 386.
Ecclonianum Monaſterium Monialium Gandæ. 331.
Elmaere, Præpoſitura Abbatiæ S. Petri Gand. 252.
Epiſcopatus Flandriæ. 18. 207. Bulla Pauli IV. Pont. 207.
Epiſcopatûs Gandavenſis Erectio. 207.
Epiſcopi Gandavenſes. 217.
Everghem, pagus Caſtellaniæ Gandenſis. 386.
Everghemienſis Decanatus. 213.
Everſteyn, Caſtellum. 393.

F.

FIennes, Domus Gandavi 203.
Flandriæ Deſcriptio generalis 1. etymon, 5. ſitus 8. temperies, fluvii, ſilvæ. 9. Oppida & pagi. 10. mores. 11. cereviſia, menſuræ &c. 12. Artes & Solertia 13. leges, lingua, eruditio. 15. Epiſcopatus 18. Nobilitas. 19. 21. Venatio. Watergravius. 21. Quatuor Membra 21. Magiſtratus 22. 24. Flandriæ Principes. 34. Inauguratio & Juramentum Comitum in Eccleſia D. Petri Gandavi. 258.
Franconatus Brugenſis. 31.
Fratres de Pœnitentia Gandavi. Vide Bogardos.

INDEX SECUNDUS.

G.

GAlilæa, Moniales Ord. S. Auguſt. Gandæ. 328.
Gandavum, Deſcriptio Urbis. 139. 143. pontes & templa 141. politia 146. Magiſtratus. 149. Prætores & Conſules. 151. Nobiles. 165. Petra Comitis 168. Conſilium 170. Caſtellani ſive Gubernatores Arcis. 198. Aula Principis, vulgo 't *Prinſen-hof*, 198. Curia, ſeu Domus civica 199. Macellum 201. Arx ſive Caſtrum 201. pontes 201. portæ 202. gildæ 203. Parochiæ 248. Viri Eruditi. 341.
Gandavenſis Caſtellania. 31. 381.
Gandavenſes Caſtellani, Burggravii ſeu Vice-Comites, 190. & 198.
Gandavenſes Comites. 173. &c.
Gandavenſis Eccleſia Cathedralis, olim S. Joannis Baptiſtæ. 238. 259. fit Collegiata 304. Vide S. Bavonis Abbatiam.
S. Georgii Domus Monialium Gandæ 329.
Georgii Vranx moniales Gandavi. 328.
Gerontocomia Gandavi. S. Catharinæ. 332. Wenemari. Ibid. Poortackere. 333.
Ghiſnenſes Comites, è Familia Gandavenſi 188.
Gildæ Gandavenſes. S. Georgii 203.
- - - - S. Sebaſtiani 205.
- - - - S. Antonii ibidem.
- - - - S. Michaelis. 206.
Gorduni, incolæ veteris Flandriæ. 4.
Griſeæ Sorores Gandavi, S. Jacobi, item S. Joannis 331.
Groenenbriele, Abbatia Monialium Ord. S. Aug. Gandavi. 325.
Grudii, incolæ veteris Flandriæ. 4.
Gubernatores Flandriæ. 18.

H.

HAeghen (Ter), Abbatia Monialium Ciſtercienſium Gandavi. 324.
Halla Gandavenſis. 200.
Hambeke, pagus Caſtellaniæ Gandenſis. 387
Heuſdene, pagus Caſtellaniæ Gandenſis. 387.
S. Hieronymi Fratres, olim Gandavi. 333.
Hooft-Redenenga Flandriæ. 23.
Hoſpitale Gandavenſe, modo Abbatia Benedictinarum. 322.
- - - - Hebbrecht 332.
- - - - S. Jacobi 332.
- - - - Aliud ad portam Brugenſem. 333.
Hulſtenſis Decanatus. 215. 216.

J.

JAcobi (S.) Parochialis Eccleſia Gandavi. 248. 259.
Idewalle, Dominium in Caſtellania Gandenſi. 384.
Jeſuitæ Gandavi. 320. Rectores Collegii 321.
- - - Angli ibidem. 321.
Inauguratio & Juramentum Comitum Flandriæ. 258. 289.
Iprenſis Caſtellania. 31.

K.

KNeſſelaer, pagus Caſtellaniæ Gandenſis. 387.

L.

LAndeghem, pagus Caſtellaniæ Gandenſis. 387.
Lathem, pagus Caſtellan. Gand. 387.
Levaci, incolæ veteris Flandriæ. 4.
Levesham, Præpoſitura Abbatiæ S. Petri quondam in Anglia. 252.
Liedekercke, Domus Gandavi. 203.
Loo-Chriſti, &
Loo-ten-Hulle, pagi Caſtellaniæ Gandenſis. 388.
Lovendeghem, pagus ejuſdem Caſtellan. 387.

M.

MAcellum Gandenſe. 201.
Magdalenianæ Sorores Gandavi. 332.
B. Mariæ Eccleſia, Parochialis Gandavi. 249. 259.
Marickercke, Marie-leerne, S. Martens-leerne, } pagi Caſtellaniæ Gandenſis. 388.
S. Martini in Ackerghem Eccleſia Parochialis Gandavi. 249. 259.
Mechlinienſis Diœceſis Parochiæ de Patronatu Abbatis S. Petri. 261.
Melitenſis Ordinis Domus Gandavi. 321.
Mendonck, pagus Caſtellaniæ Gandenſis. 388.
Menapii, incolæ veteris Flandriæ. 2.
Merendre, Meyghem, } pagi Caſtellaniæ Gandenſis. 389.
S. Michaelis Eccleſia parochialis Gandavi. 248. 259.
Minoritæ Gandavi. 319.
Mons Pietatis Gandavi. 336.
Morini, incolæ veteris Flandriæ. 2.

N.

NAzareth, pagus Caſtellaniæ Gandenſis. 389.
Nervii, incolæ Flandriæ. 2.
Nevele, Baronatus ſub Caſtellania Gandenſi. 389.
- - - - Olim Præpoſitura incorporata Abbatiæ Truncinienſi. 311.
S. Nicolai Parochialis Eccleſia Gandavi. 248. 259. Tranſlatio Capituli S. Pharaildis. 243.
Nigræ Sorores Gandavi. 331.
Nobiles Flandriæ, ſub Comite Ludovico Creſſiaco. 66. ſub Comite Philippo Bono. 79. Gandavenſes. 165.
Nonnenboſſche, Abbatia Monialium Ciſterc. Gandavi. 325. Abbatiſſæ 326. Reliquiæ. Ibidem.

O.

OOſtacker, pagus Caſtellaniæ Gandenſis. 390.
Ooſteeckeloo, Abbatia Monialium Ciſtercienſium Gandavi. 323.
Ooſtwinckel, pagus Caſtellaniæ Gandenſis. 390.
Orphanotrophium Gandavi. 332.
Oudenburghſche, vide Caſtellaniam veteris Burgi Gandavenſis.
Oydonck, Caſtellum ſub Gandavenſi Caſtellania. 390.

P.

Digitized by Google

INDEX SECUNDUS.

P.

PAcificatio Gandavenſis. 219.
Parochiæ Diœceſis Gandenſis. 213.
Petra-Comitis, Caſtellum Gandavenſe. 168.
S. Petri Abbatia Ord. S. Ben. in monte Blandinio Gandavi. 250. Epitaphia ibidem. 252. Eccleſiæ ſub ejus Patronatu. 259. Privilegia. 261. Abbates. 270.
Pleumoſii, incolæ veteris Flandriæ 4.
Præpoſiti Cathedr. Eccleſiæ Gand. 240.
- - - Eccl. Colleg. S. Pharaildis Gand. 246.
- - - Trunchinienſis Monaſterii. 309.
Præſides Conſilii Flandriæ. 171.
Prætores Gandavenſes. 151. 383.
Princen-hof, ſive Aula Principis Gandavi. 198.
Priores Waerſchotani Gandavi. 312.
Poeſſele, pagus Caſtellaniæ Gandenſis. 390.

R.

RAevenſteyn, Domus Gandavi. 203.
Raveſchot, Dominium Gandavi. 202.
Ronſſele, pagus Caſtellaniæ Gandenſis. 391.
Rycke-Gaſthuys, Abbatia Benedictinarum Gandavi. 322.

S.

SAcella Gandavi. 335.
Saffelaere, pagus Caſtellaniæ Gandenſis. 391.
Saltuarii ſeu Foreſtarii Flandriæ. 36.
S. Salvatoris Eccleſia Parochialis Gandavi. 250.
Schola pauperum utriuſvis ſexûs Gandavi. 334.
Seeverghem, pagus Caſtellaniæ Gandavenſis. 391.
Seminarium Epiſcopale Gandavi. 333.
Sevenecke, } pagi Caſtellaniæ Gandenſis. 393.
Severen, }
Sleydinghen, Pagus. ibidem. 392.
Societas Jeſu. Vide Jeſuitas.
Somerghem, pagus Caſtellaniæ Gandenſis. 391.
Swynaerde, pagus cum Caſtello Abbatiæ S. Petri. 393.

T.

TEmpel-hof, Gandavi. 321.
Tempſeka, Parochia Waſiæ datur Abbatiæ S. Petri. 266.
Teneramundanus Decanatus. 213.
Thereſianæ Gandavi. 329.
Thiletanus Decanatus. 215.
Trunchinium, Abbatia Præmonſtratenſium juxta Gandavum. 308. Præpoſiti. 309. Abbates, Ibidem. Benefactores. 311.
Tumultus Gandavi, tempore Geuſiorum. 219.

V.

VElleris Aurei Comitia & Equites. 238.
Vinckt, }
Vinderhoute, } pagi Caſtellaniæ Gandavenſis 392.
Vorſſelaer, }
Uiſſele, }

W.

WAcquen, Domus Gandavi. 203.
Waerſchot, pagus Caſtellaniæ Gandavenſis. 392.
- - - - - Prioratus Ciſtercienſium Gandavi. 313.
Waetergravius Flandriæ. 21.
Waetervliet, Parochia Diœc. Brugenſis conceſſa Abbatiæ S. Petri. 270.
Waſiæ Decanatus. 214. 260.
Weldene, Dominium in Caſtellania Gandenſi. 391.
Woeſtyne, Dominium ſub Caſtell. Gandenſi. 384.
Wondelghem, pagus ſub Caſtell. Gand. 393.

FINIS.

Digitized by Google

Bibliopego. Icones primi Tomi, nullo numero notatæ, inſerantur locis infra poſitis.

Avis au Relieur pour placer les Figures qui ne ſont pas numerotées dans ce premier Volume.

Bericht aan den Boekbinder om de Figuuren te plaatſen, die niet genomberd zyn, in dit eerſte Deel.

Nova Antiquæ Flandriæ Geographica Tabula. fol. 1
Lidericus Bucanus 1. Saltuarius. 36
Antonius 2. Saltuarius. 36
Burchardus 3. Saltuarius. 37
Eſtoredus 4. Saltuarius. 38
Ledericus II. 5. Saltuarius. 38
Engleranus 6. Saltuarius. 39
Odoacer 7. Saltuarius. 40
Balduinus Ferreus I. Comes. 40
Balduinus II. Calvus 2. Comes. 41
Arnulphus I. Magnus 3. Comes. 42
Balduinus III. 4. Comes. 43
Arnulphus II. 5. Comes. 44
Balduinus IV. Pulcrobarbus 6. Comes. 45
Balduinus V. Inſulenſis 7. Comes. 46
Balduinus VI. Montanus 8. Comes. 47
Arnulphus III. Infelix 9. Comes. 48
Robertus I. Friſius 10. Comes. 48
Robertus II. Hieroſolymitanus 11. Comes. 49
Balduinus VII. Securicula 12. Comes. 50
Carolus I. Pius 13. Comes. 51
Guillelmus Normannus 14. Comes 53
Theodoricus Alſatius 15. Comes. 54
Philippus Alſatius 16. Comes. 55
Margareta I. 17. Comes. 56
Balduinus IV. Hannoniæ Princeps, Margaretæ I. Maritus. 56
Balduinus VIII. Cæſar Auguſtus Conſtantinopolitanus 18. Comes. 57
Joanna Conſtantinopolitana 19. Comes. 59
Margareta II. Conſtantinopolitana 20. Comes. 60
Guillelmus Dampetra, Margaretæ II. Conſtantinop. Maritus. 60
Guido Dampetra 21. Comes. 62
Robertus III. Bethunius 22. Comes. 64
Ludovicus I. Creſſiacus 23. Comes. 65
Ludovicus II. Maleanus 24. Comes. 68
Margareta III. 25. Comes. 70
Philippus Valeſius Audax, Margaretæ III. Maritus. 70
Joannes Burgundus Intrepidus 26. Comes. 72
Philippus Bonus 27. Comes. 75
Carolus II. Bellicoſus 28. Comes. 85
Maria Valeſia 29. Comes. 89
Maximilianus Archidux Auſtriæ, Mariæ Valeſiæ Maritus. 90
Philippus Auſtrius Pulcher 30. Comes 93
Carolus Quintus Imperator 31. Comes. 95
Philippus Secundus Rex Hiſpaniæ &c. 32. Comes. 98
Albertus Archidux Auſtriæ &c. 33. Comes. 101
Iſabella Clara Eugenia 33. Comes. 115
Philippus III. Hiſpaniarum & Indiarum Rex 34. Comes. 124
Philippus IV. Hiſpaniarum & Indiarum Rex 35. Comes. 126
Carolus II. Hiſpaniarum & Indiarum Rex 36. Comes, & Nominis Quartus. 132
Philippus V. Hiſpaniarum & Indiarum Rex 37. Comes. 134
Carolus III. Hiſpaniarum Rex, Imperator Nominis VI. & 38. Comes Flandriæ. 137
Gandavum vulgo *Gent*. 139
Tabula Geographica Epiſcopatus Gandavenſis. 207
Cornelius Janſenius 1. Epiſcopus Gandavenſis. 217
Wilhelmus Lindanus 2. Epiſcopus. 222
Petrus Damantius 3. Epiſcopus. 224
Carolus Maſius 4. Epiſcopus. 225
Franciſcus vander Burch 5. Epiſcopus. 226
Jacobus Boonen 6. Epiſcopus. 227
Antonius Trieſt 7. Epiſcopus. 228
Carolus vanden Boſch 8. Epiſcopus. 230
Albertus Eugenius d'Allamont 9. Epiſcopus. 231
Franciſcus van Hoornbeeck 10. Epiſcopus. 234
Ignatius Auguſtinus de Grobbendonck 11. Epiſcopus. 235
Albertus de Hornes 12. Epiſcopus. 236
Philippus Erardus vander Noot 13. Epiſcopus. 237
Joannes Baptiſta de Smet 14. Epiſcopus. 238
Tabula Geographica Caſtellaniæ Veteris Burgi Gandenſis. 381

Nota quod Icones Caſtellorum in Caſtellania veteris Burgi Gandavenſis occurrentium, inſeri debeant in fine hujusce Voluminis ante Indicem.

Icones Epiſcoporum Gandavenſ. exhibebuntur cum Tomo ſecundo intra ſemi-annum.

Notez que les plans des Chateaux qui ſe trouvent dans la Chatellenie du vieux Bourg de Gand, doivent être placez à la fin de ce Volume, devant l'Index.

On donnera les portraits des Evêques de Gand avec le ſecond Volume qui paroitra dans ſix mois.

NB. Dat de Afbeeldſels van de Kaſteelen geleegen inde Kaſtelleny van Oudenburg te Gent moeten geplaetſt worden aan het eynde van dit Deel, voor den Index.

De Portretten der Biſſchoppen van Gent zullen met het 2de Deel binnen zes maanden uytgegeeven worden.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google